V.A. THOMSON

V. A. THOMSON.

SYNOPSIS THEOLOGIÆ MORALIS ET PASTORALIS

AD USUM

SEMINARIORUM.

Jus proprietatis auctor sibi vindicat.

SYNOPSIS THEOLOGIÆ MORALIS ET PASTORALIS

AD MENTEM S. THOMÆ ET S. ALPHONSI
HODIERNIS MORIBUS ACCOMMODATA.

TOMUS SECUNDUS

Theologia Moralis Fundamentalis. De Virtutibus et præceptis.

Auctore AD. TANQUEREY

EDITIO SEPTIMA

Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistæ
DESCLÉE ET SOCII
ROMÆ — TORNACI (Belg.) — PARISIIS
1922
Imprimé en Belgique

LIBRARY
JAN 10 1934
6601

Nova editio (1922-1923) Synopsis Theologiæ dogmaticæ et moralis, necnon Brevioris Synopsis dogmaticæ et moralis, auctore AD. TANQUEREY.

Nihil obstat.
Issiaci die 20ª Aprilis 1922.
A. BERRUÉ
Censor deputatus.

IMPRIMATUR :
Parisiis, die 2ª Maii 1922.
BENJAMIN OCTAVIUS
Episc. Mosynopolit.

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 14 Julii 1922.
V. CANTINEAU, Vic. Gen.

Praefatio.

Synopsis Theologiæ Dogmaticæ Lectoribus.

DILECTISSIMI in Christo Lectores, vobis suggerentibus, hanc *Synopsim Theologiæ Moralis et Pastoralis* concinnavi, ut ea quæ de catholicis Dogmatibus jam scripsi, expositione christianæ Ethicæ absolverem. Quum enim moralis scientia indivulse cum dogmaticâ connectatur, ab eâque pendeat, præstat sane ut, in quantum fieri possit, in unum doctrinæ corpus utraque redigatur, quo melius pateat utramque amico et indissolubili fœdere sociari.

Hæc Synopsis non erit *mere casuistica*, sed etiam *doctrinalis* et *speculativa;* etsi enim principia morum ad casus particulares applicare oporteat, ipsa principia exponere ac probare magis necessarium est, ut ex eis rite intellectis logice deduci valeant practicæ conclusiones, quas sapiens conscientiarum moderator pœnitentibus sibi commissis, pro variis personarum, locorum ac temporum circumstantiis, accommodabit.

Moralem doctrinam tradentes, *pastoralem* non omnino prætermittimus; sed, datâ operâ, practicum agendi modum in sacramentorum administratione quoad parvulos, devotos, moribundos, sponsos aliosque hujusmodi breviter delineamus, lectorem remittendo, pro fusiore hujus rei expositione, ad probatos auctores. Ita pariter, dum de virtutibus sermo habetur, non solum quid stricte liceat vel prohibeatur, declaramus, sed etiam quid expediat, quibusque mediis hujusmodi virtutes coli et augeri valeant.

Divi Thomæ Aquinatis et *S. Alphonsi de Ligorio*, pro modulo nostro, vestigiis inhæremus; prior in secundâ et

tertiâ parte Summæ Theologicæ principia vere aurea de moribus ac virtutibus, necnon de Sacramentis non minus solide quam lucide tradit; posterior in principiorum applicatione præ ceteris prudentiâ et sagacitate pollet. Cæterum, inter modernos, *Suarez*, *De Lugo*, *Salmanticenses* et *Billuart;* inter recentes, *Carrière*, *Lehmkuhl*, *Müller*, *Bouquillon*, *Ballerini* et *Noldin* sæpius præ oculis habuimus[1]. " *In delectu autem sententiarum*, ut mea faciam verba S. Alphonsi[2], *ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati præponere; et priusquam meum ferrem judicium, in eo (ni fallor) totus fui, ut in singulis quæstionibus me indifferenter haberem, et ab omni passionis fuligine exspoliarem.*"

Si quid vero falsi vel minus recti in hanc nostram *Synopsim*, contra mentem nostram, irrepserit, mihi parcat benignus lector, parcat et S. Mater Ecclesia, cujus judicio ea omnia quæ scripsi vel scribam humiliter subjicio.

Baltimoræ scribebam, in die Pentecostes, 18ª maii 1902.

AD. TANQUEREY.

Præfatio in septimam editionem.

Præter quasdam emendationes in variis paginis secundum benignas animadversiones doctorum professorum insertas, ad trutinam revocavi, cooperante *M. E. Lesaunier*, theologiæ moralis in Seminario Issiacensi professore, *tractatum de Ultimo fine.* Benevolos lectores iterum rogo ut quæ emendanda judicaverint aperte mihi manifestare velint.

Issiaci, prope Parisios, in festo Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, 1922.

AD. TANQUEREY.

[1] Sæpe etiam consiliis usus sum amicorum et collegarum, quibus hic gratum offero animum.

[2] Præfat. ad Theologiam Moralem.

APPROBATIO EMINENTISSIMI

Francisci Cardinalis Richard,

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS.

Quantum prosit ad rectam clericorum in scientiis theologicis institutionem doctrina e purissimis fontibus hausta, clarâ et scientificâ methodo exposita, et simul nostri temporis necessitatibus moribusque accommodata neminem latere potest. His porro dotibus pollet, prout Nobis relatum ac probe compertum est, opus cui titulus *Synopsis Theologiæ Dogmaticæ et Moralis*, in quinque volumina distributum, quibus mox sextum et ultimum addetur, quod conscripsit *D. Tanquerey*, e presbyteris Sodalitatis Sancti Sulpitii, theologiæ professor in Nostro Seminario. In hoc enim opere diligentius excussa sunt Sacræ Scripturæ loca, juxta votum *Leonis XIII*, qui valde exoptat ut " divinæ Scripturæ usus in universam theologiæ influat disciplinam ejusque prope sit anima"[1]; nec Patrum aut Conciliorum, quippe quæ et ipsa veritates revelatas contineant, testimonia neglecta sunt. Et quia, juxta præceptum Apostoli, Christi minister oportet *potens sit exhortari in doctrinâ sanâ et eos qui contradicunt arguere*, contradictores inducit auctor, contradictores, dico, nostri præsertim temporis, quos præcipue interest hodie confutari, eorumque argumenta, ex ipsis eorum libris plerumque deprompta, quam trita sint, licet novis forsan conceptibus et verbis involuta, patefacit, quam debilia sint, demonstrat.

Ad rem vero moralem quod attinet, præcipuam auctor dat operam, ut, juxta ipsius Domini verba, *proferat de thesauro suo nova et vetera : vetera*, nimirum ipsa principia, quæ ab æterno sunt, et quæ, dum cetera fluxa moventur, immota manent; *nova*, nimirum novas explanationes novasque conclusiones, quibus novas actuum, contractuum, jurium officiorumve formas, quæ in dies hodiernis temporibus multiplicantur, explicat, judicat, indeque orta quæsita solvit. Sic

---

[1] Encycl. *Providentissimus*, De Scripturâ sacrâ, 19 nov. 1893, § *Illud autem maximi.*

BQT
1716
.T2
v.2

de jure proprietatis, contra hodiernos ejus osores, de conditione opificum modisque eam in melius adducendi, de novissimis circa operariorum laborem contractibus, multa diserte et opportune disserit auctor.

Unde non tantum Nobis gratum est, quod hoc opus, jam in multis Ecclesiæ catholicæ partibus divulgatum, etiam in Nostro Seminario alumni præ manibus ad usum scholarum habent, sed etiam illud toti nostræ diœcesis clero enixe commendamus.

Datum Parisiis, die 18 Februarii 1905.

✠ Franciscus Card. RICHARD,
Archiep. Parisiensis.

Index analyticus.

Prolegomena xxi
Definitio et divisio Theologiæ Moralis xxi
Fontes Theologiæ Moralis xxiv
Conspectus historicus Theologiæ Moralis. xxx

DIVISIO THEOLOGIÆ MORALIS FUNDAMENTALIS 1

De Ultimo Fine et Fundamento Moralitatis.

ART. I. DOCTRINA CATHOLICA DE ULTIMO FINE . . 3
Prænotanda 3
Homo propter Deum, ultimum finem, creatus est . 6
Homo suam beatitudinem non in bonis creatis, sed in Dei cognitione et amore consequitur . . 8
Homo per Christum glorificat Deum et beatificatur . 13
ART. II. DE NORMA MORALITATIS 14
§ I. *Norma moralitatis catholica* 14
Dantur actiones *intrinsece* bonæ vel malæ . . 16
Norma moralitatis *ultima* est ratio voluntasque divina, *proxima* est recta ratio humana 17
Norma moralis obligationis 21
§ II. *Systemata acatholicorum de moralitatis norma* . 22
Utilitarismus historice exponitur, præsertim *evolutionismus* 22
Idem critice expenditur 27
Stoicismus et *Kantismus* exponuntur . . . 31
Kantismus critice expenditur 34
Systemata *ethicæ independentis* expenduntur . . 36

De Actibus Humanis.

Objectum et divisio Tractatûs 40
CAP. I. De actibus liberis 41
ART. I. ACTUUM LIBERORUM NOTIO AC SPECIES . . . 42
ART. II. DE PRINCIPIIS AD ACTUM LIBERUM CONCURRENTIBUS. 48

ART. III. DE CAUSIS QUÆ IN ACTUM LIBERUM INFLUUNT . 53
De errore et ignorantiâ 54
De passionibus 58
De violentiâ 65
De propensionibus hæreditariis et temperamento . 67
De educatione. 72
De habitibus 74
De statibus pathologicis 77

CAP. II. De Moralitate actus humani. . . . 86

ART. I. DE ELEMENTIS A QUIBUS DERIVATUR MORALITAS. . 87
De moralitate ex objecto derivatâ 88
De moralitate a fine desumptâ 91
De moralitate e circumstantiis derivatâ 97
De moralitate actus externi 99
ART. II. DE EXTENSIONE MORALITATIS. 102
Quoad effectum indirecte volitum 103
Quoad cooperationem in actum malum . . . 109
Quoad actum indifferentem in individuo . . . 113

CAP. III. De merito actus humani. 118
Conditiones ex parte operantis 121
Conditiones ex parte operis. 122
Conditiones ex parte Dei 125

De Legibus.

ART. I. DE CONCEPTU LEGIS IN GENERE. 128
ART. II. DE LEGE DIVINA. 131
§ I. *De lege divinâ naturali.* 131
De conceptu et existentiâ hujus legis 131
De objecto et indole 135
De promulgatione et cognitione 139
§ II. *De lege divinâ positivâ.* 141
De lege veteri 142
De lege novâ 148
ART. III. DE LEGE ECCLESIASTICA 155
De auctore, objecto, et promulgatione 156
De obligatione et subjecto 163
De interpretatione et epikeiâ 173
De cessatione et consuetudine 179
ART. IV. DE LEGE CIVILI. 190
§ I. *De conditionibus requisitis ad hanc legem* . . . 191
§ II. *De ejus obligatione* 194

De Conscientia.

ART. I. DE CONCEPTU ET SPECIEBUS CONSCIENTIÆ . . . 199
De notione et speciebus 199
De conscientiâ laxâ. 202
De conscientiâ scrupulosâ 205
ART. II. DE CONSCIENTIA CERTA UT MORUM REGULA . . 211
Notio conscientiæ moraliter certæ 211
Quo sensu sit regula morum proxima? 213
ART. III. DE CONSCIENTIA DUBIA 216
§ I. *De ejus conceptu et medio dubium excutiendi* . . 216
§ II. *De variis systematibus ad solvendum dubium practicum.* 221
Conspectus historicus systematum 222
De æquiprobabilismo 231
De probabilismo 235
De systemate compensationis 239
Conclusio : de educatione conscientiæ 243

De Peccatis et Vitiis.

ART. I. DE PECCATIS 248
§ I. *De conceptu biblico et theologico peccati* . . . 248
De causis quæ ad peccatum inducunt 255
§ II. *De peccato mortali :* Doctrina Scripturæ . . . 262
Doctrina Patrum et theologorum 269
De effectibus peccati mortalis 275
De conditionibus ad peccatum mortale 278
§ III. *De peccato veniali :* ejus natura 281
Ejus effectus 283
§ IV. *De distinctione peccatorum* specificâ et numericâ . 285
Speciatim de peccatis internis 291
Conclusio : de peccato materiali 294
ART. II. DE VITIIS SEU PECCATIS CAPITALIBUS. . . . 296
De superbiâ 299
De invidiâ 304
De irâ 307
De gulâ, ebrietate et alcoolismo 312
De avaritiâ et cupiditate 323
De acediâ seu pigritiâ 327

De Virtutibus in Communi.

Prænotanda de habitibus 321
ART. I. DE VIRTUTIBUS ACQUISITIS 326
De virtutibus intellectualibus. 327
De virtutibus moralibus 339

ART II. De VIRTUTIBUS INFUSIS 342
Notio, species et existentia 343
De augmento et amissione harum virtutum . . . 345

De Virtutibus Theologicis.

CAP. I. De virtute fidei 355
ART. I. De NATURA ET PRÆSTANTIA FIDEI 355
Fidei definitio 356
Fidei genesis 357
Fidei præstantia. 359
ART. II. De NECESSITATE FIDEI. 363
De credendis necessitate medii 364
De credendis necessitate præcepti 370
De præcepto confessionis fidei. 374
ART. III. De PECCATIS CONTRA FIDEM 378
De hæresi et dubio in fide. 379
De apostasiâ, præsertim per adhæsionem sectis masso-
nicis. 383
De infidelitate 388
De causis internis peccatorum contra fidem . . . 389
De causis externis peccatorum contra fidem . . . 392
ART. IV. De MEDIIS IN FIDE PROFICIENDI. 400
CAP. II. De virtute spei 405
ART. I. De NATURA SPEI 406
De spei objecto. 406
De spei motivo 407
De proprietatibus spei 410
De subjecto spei 412
ART. II. De HONESTATE ET NECESSITATE SPEI. . . . 413
Spes vere rationem habet virtutis 415
Aliquis actus spei necessarius est 417
Rejiciendus est quietismus 418
ART. III. De PECCATIS CONTRA SPEM 420
De desperationis notione et malitiâ. 420
De præsumptione 422
Corollarium : de mediis in spe proficiendi . . . 424
CAP. III. De virtute caritatis 426
Prænotanda de amoris naturâ, causis et effectibus. . 426
De virtute caritatis in genere 431
ART. I. De CARITATE ERGA DEUM 435
§ I. *De naturâ hujus caritatis* 435
De amore benevolentiæ 435
De amore amicitiæ 437

§ II. *De necessitate hujus caritatis.* 438
§ III. *De peccatis contra caritatem erga Deum* . . . 442
Conclusio : De mediis in amore Dei proficiendi. . . 443
ART. II. DE CARITATE ERGA PROXIMUM 447
Prænotanda de caritate erga seipsum 447
§ I. *De præcepto caritatis erga proximum* 450
Speciatim de dilectione inimicorum. 457
De eleemosynâ 462
De correptione fraternâ 466
De ordine in caritate servando. 471
§ II. *De operibus caritatis præsertim socialibus* . . . 477
Principia generalia nostris diebus accommodata . . 478
De operibus piis ad educationem spectantibus . . 479
De consociationibus inter operarios promovendis . . 482
De consociationibus inter ditiores promovendis . . 487
§ III. *De peccatis fraternæ caritati oppositis* . . . 491
De discordiâ et contentione 491
De scandalo 494

De Virtute Religionis.

Prænotanda de religione in genere 501
CAP. I. De actibus religionis principalibus. . . 504
ART. I. DE IPSIS ACTIBUS RELIGIONIS. 504
De adoratione internâ, externâ et publicâ . . . 504
De oratione, et primum de ejus necessitate . . . 507
De ejus dotibus. 512
De ejus efficaciâ, et conditionibus ut sit efficax . . 515
Corollarium : de oratione dominicâ. 521
De devotione et mediis in eâ proficiendi 523
ART. II. DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS 527
De idololatriâ 527
De superstitiosis observantiis 529
De hodiernis factis in quibus superstitionis periculum invenitur (magnetismo et spiritismo) 533
De blasphemiâ 542
De tentatione Dei 545
De sacrilegio 546
De simoniâ. 549
CAP. II. De actibus religionis secundariis . . . 555
ART. I. DE JURAMENTO 555
Ejus natura et honestas 555
Conditiones ut juramentum sit licitum 558
De obligatione a juramento inductâ 561
De adjuratione et vanâ assumptione nominis Dei . 563

ART. II. DE VOTO 565
Natura, conditiones ac species votorum. . . . 566
De honestate voti 572
De obligatione ex voto ortâ 576
De cessatione voti ejusve obligationis 580

CAP. III. De actu religionis sociali 589
Prænotanda de sanctificatione sabbati et dominicæ . 589
Historica expositio 589
Conclusio : quo jure hæc sanctificatio præcipiatur? . 592
§ I. *De sociali utilitate diei dominicæ* 594
§ II. *De præcepto audiendi missam* 599
§ III. *De prohibitione operum servilium* 605

De Virtutibus moralibus.

ART. I. DE PRUDENTIA 612
Notio et elementa ex quibus constat 612
Vitia prudentiæ opposita. 615
De præstantiâ prudentiæ et mediis in eâ proficiendi . 616
ART. II. DE FORTITUDINE 618
Ejus natura et gradus 618
De vitiis fortitudini oppositis 620
De virtutibus fortitudini adnexis 621
De mediis in fortitudine proficiendi 624
ART. III. DE TEMPERANTIA 626
Notio et regulæ generales temperantiæ 626
De virtutibus temperantiæ adnexis, et primum de humilitate. 628
De mansuetudine 632
De modestiâ. 633

Appendix.

DE PRÆCEPTIS DEI ET ECCLESIÆ.

ART. I. CONCORDIA INTER VIRTUTES ET PRÆCEPTA DECALOGI. 637
Primum præceptum exponitur in *Tr. de Virtutibus theologicis* et *De Virtute Religionis* 637
Secundum et tertium exponuntur ubi *de Virt. Religionis.* 639
Quartum declaratur in *Tr. de Variis Stat. obligationibus.* 642
Quintum enucleatur in *Tr. de Virtute Justitiæ* . . 643
Sextum et nonum exponuntur ubi *de Castitate* . . 644
Septimum, octavum, nonum et decimum declarantur in *Tr. de Justitiâ*. 645

ART. II. DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ 647
§ I. *De præcepto jejunii.* 648
Origo et utilitas hujus præcepti 649
Modus servandi legem 652
Causæ ab eâ excusantes 657
§ II. *De præcepto abstinentiæ* 662
Origo et extensio 662
Causæ excusantes 663
§ III. *De præcepto pastores substentandi* 664
Origo hujus præcepti 664
Ejus indoles et extensio 665
Documenta 668
Propositiones damnatæ ab *Alexandro VII* . . . 668
Propositiones damnatæ ab *Innocentio XI* . . . 670
Censuræ hodie vigentes 675

ELENCHUS AUCTORUM SÆPIUS IN HOC VOLUMINE ALLEGATORUM.

Acta S. Sedis, seu ephemerides Romæ editæ, in quibus promulgantur S. Pontificis Acta, necnon Roman. Congregationum decreta.

Aertnys, C. SS. Red., *Theologia moralis*, Tornaci, Casterman, 1896.

Alphonsus Maria de Ligorio, (S.), *Theologia Moralis*, ed. nova, curâ et studio *P. Leonardi Gaudé*, C. SS. Red., Romæ, 1905.

American ecclesiastical Review (monthly), ed. by *Rev. H. J. Heuser*, New York and Philadelphia.

Ami du Clergé, Revue de toutes les questions ecclésiastiques, Langres.

Annibale (D'), *Summula theologiæ Moralis*, ed. 4ª, Romæ, 1896.

Baets (M. de), *Les Bases de la Morale*, Paris (Alcan) et Gand, 1892.

Bain (A), *The emotions and the will*, gallice redditum a *P. Le Monnier*, Les Emotions et la volonté, Paris, Alcan, 1885.

Ballerini-Palmieri, S. J., *Opus theologicum morale A. Ballerini* absolvit et edidit *D. Palmieri*, ed. 3ª, Prati, Giachetti, 1899.

Baunard, *Le Doute et ses victimes*, 5ᵉ éd., Paris, Poussielgue, 1899.

Barré, *Tractatus de Virtutibus*, Parisiis, Berche et Tralin, 1886.

Bautain, *Philosophie des Lois*, Paris, 1860; *La Conscience*, Paris, 1869.

Beaussire, *Les principes de la Morale*, Paris, Alcan, 1888.

Benedictus XIV, *Bullarium*, Romæ, 1760-1761; *De synodo diœcesanâ; Institutiones ecclesiasticæ*; *De servorum Dei beatificatione...*

Bentham, *Introduction to the principles of Moral and Legislation*, 1789; *gallice : Traités de Législation civile et pénale*, ouvrage extrait des manuscrits de Bentham par *E. Dumont*, Paris, 1820.

Berardi, *Praxis confessariorum*, ed. 4ª, Faventiæ, 1903.

Bertillon, J., *L'alcoolisme et les moyens de le combattre*, Paris, Lecoffre, 1904.

Billot, S. J., *Disquisitio de naturâ et ratione peccati*, ed. 3ª, Romæ, 1900; *De virtutibus infusis*, Romæ, 1901.

Billuart, O. P., *Summa S. Thomæ hodiernis Academiarum moribus accommodata*, nova ed., Parisiis, 1872.

Bonaventura (S.), *Opera omnia*, ed. *Vivès*.

Bossuet, *Œuvres complètes*, éd. Vivès; Sermons, ed. Lebarcq.

Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, 2ª ed., Brugis et Parisiis, 1903.

Bourdaloue, Œuvres complètes, Besançon, 1825.

Bourgeois L., *La solidarité*, Paris, Colin; *Essai d'une philosophie de la solidarité*, Paris, Alcan.

Broglie (abbé de), *La Morale sans Dieu*, Paris, 1886.

Brownson Orestes, *The spirit rapper*, New York and Detroit.

Burn, A. E., *An introduction to the Creeds*, London, 1899.

Cabrol (Dom Fernand, O. S. B.), *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de Liturgie*, Paris, Letouzey.

Capellmann, *Medicina pastoralis*, ed. lat. 4ª, Aquisgrani, 1896.

Capron, E. W., *Modern spiritualism*, Boston, 1855.

Catechismus Conc. Tridentini, seu **Catechismus Romanus**, Tornaci, 1890.

Caro, E., *Problèmes de Morale sociale*, 2e éd., Paris, 1887.

Carrau, L., *La morale utilitaire*, Paris, 1874.

Cavagnis, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, 3ª ed., Romæ.

Cheysson et Riemain, *Premier Congrès national contre l'alcoolisme*, Paris, Asselin, 1904.

Chollet, A., *La morale stoïcienne en face de la morale chrétienne*, Paris, Lethielleux.

Coconnier, O. P., *L'hypnotisme franc*, Paris, Lecoffre, 1897.

Coignet, C., *La Morale indépendante*, Paris, Alcan, 1869.

Collectanea S. Cong. de Propag. Fide, Romæ, 1893.

Comte (A), *Cours de Philosophie positive*, Paris, 1839-1842.

Costa Rossetti, S. J., *Philosophia Moralis*, Œniponte, 1886.

Cresson, A., *La Morale de Kant*, Paris, Alcan, 1904.

Darwin, *The origin of species; The descent of man; gallice:* L'origine des espèces; La descendance de l'homme, trad. par *E. Barbier*, Paris, Schleicher.

Decretales Gregorii IX, ed. critica a *Richter* et *Friedberg* edita.

Denzinger, *Enchiridion symbolorum ac definitionum...*, 1900.

Deschamps et **C. Jannet**, *Les sociétés secrètes et la société*, Paris, 1880.

Descuret, *La médecine des passions*, 3e éd., Paris, 1880.

Didiot, *Morale surnaturelle fondamentale*, Lille et Paris.

Dubois, *Les Psychonévroses et leur traitement moral*, Paris, Masson, 1904.

Du Camp, Maxime, *La Charité privée à Paris*, Paris, 1886; *Paris bienfaisant*, Paris, 1888.

Elbel-Bierbaum, O. S. F., *Theologia moralis*, Paderbornæ, 1894.

Faber, *The Creator and the creature; spiritual Conferences; gallice: Le Créateur et la Créature; Conférences spirituelles.*

Farges, S. S., *La liberté et le devoir, fondements de la Morale*, Paris, 1902.

Ferraz, M., *Philosophie du Devoir*, 2e éd., Paris, 1869.

Fonsegrive, *Essai sur le libre arbitre, sa théorie et son histoire*, 2e éd., Paris, 1896.

Fouillée, *Critique des systèmes de Morale contemporains*, 3e éd., Paris, Alcan, 1893; *Tempérament et Caractère*, 1895; *Le moralisme de Kant et l'amoralisme contemporain*, 1905.

François de Sales, (S.), Œuvres complètes, édition d'Annecy.

Frins, S. J., *De actibus humanis ontologice et psychologice*, Friburgi Herder, 1897.

Gay, Mgr, *La Vie et les vertus chrétiennes*, Paris, 1876.

Gaudé, C. SS. Red., *De morali systemate S. Alfonsi*, Romæ, 1894.

Génicot, S. J., *Theologiæ moralis institutiones*, ed. 3ª, Lovanii, 1900.

Gibbons, Card. James, *The ambassador of Christ*, Baltimore, 1896; *gallice* versum ab *André*, s.s., *L'ambassadeur du Christ*, Paris, Lethielleux.

Gilfillan, J., *The Sabbath viewed in the light of reason, revelation and history*, Edinburgh, 1861.

Gilles de la Tourette, *L'hypnotisme*, Paris, Plon, 1889.

Gonzalez, Thyrsus, S. J., *Fundamentum theologiæ moralis*, Agrippinæ, 1694.

Gousset, Cardinal, *Théologie morale*, 12ᵉ éd., Paris, 1861.

Grasset, *L'hypnotisme et la suggestion*, Paris, Doin, 1903; *Le Spiritisme devant la science*, Paris, Masson, 1904.

Guibert, *Etude sur l'hypnotisme*, Paris, Retaux; *La formation de la volonté*, Paris, 1903; *La Bonté*, Paris, 1904; *Le caractère*, Paris, 1905.

Gurney, Myers, Podmore, *Phantasms of the living; gallice* redditum a *L. Marillier : Hallucinations télépathiques*, Paris, Alcan.

Gury-Ballerini, S. J., *Compendium theologiæ moralis*, ed. 4ª, Romæ, 1877.

Guyau, *Essai d'une morale sans obligation, ni sanction*, 4ᵉ éd., Paris, Alcan, 1896; *Education et hérédité*, Paris, Alcan.

Haar (F. ter), C. ss. Red., *De systemate morali antiquorum probabilistarum*, Paderbornæ, 1894; *Ven. Innocentii XI. de Probabilismo decreti, historia et vindiciæ*, Tornaci et Parisiis, 1904.

Halleux, J., *L'Evolutionisme en morale*, Louvain, 1901.

Hélot, Ch., *Névroses et possessions diaboliques*, Paris, Bloud, 1897.

Hulst (M. d'), *Conférences de N.-Dame*, Paris, 1891-1893.

Ignatius de Loyola (S), *Exercitia spiritualia*, ed. *Roothan*, Romæ, 1854.

Janet, Paul, *La Morale*, 6ᵉ éd., Paris, Delagrave; *Histoire de la Philosophie morale*, Paris, 1860.

Joannes a S. Thomâ, O. P., *Cursus theologicus*, Lugduni, 1663.

Kant, Emmanuel, *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*, 1785; *Kritik der praktischen Vernunft*, 1788; *gallice : Fondements de la Métaphysique des mœurs*, trad. *Barni*, Paris, 1848; *Critique de la Raison pratique*, trad. *Picavet*, Paris, Alcan, 1802.

Kenrick, *Theologia moralis*, ed. 2ª, Mechliniæ, 1861.

Konings, C. ss. Red., *Theologia Moralis*, ed. 7ª, Neo-Eboraci, 1888.

Lacroix, S. J, *Theologia Moralis*, Venetiis, 1747.

Laloux, s.s., *De actibus humanis*, Parisiis, Jouby, 1862.

Lallemand, *Histoire de la Charité*, Paris, Picard, 1902-1903; *Histoire des enfants abandonnés et délaissés*, Paris, 1885.

Lanessan (J. L. de). *La Morale des Religions*, *Paris*, *Alcan*, 1905.

Lehmkuhl, S. J., *Theologia Moralis*, ed. 9ª, Friburgi Brig., 1898.

Lelong (Mgr), *Conférences sur les vertus sacerdotales*, Paris, Téqui, 1901.

Lequeux, *Manuale Compendium doctrinæ moralis de Virtutibus*, Parisiis, 1843.

Lescœur, *La Science du Bonheur*, Paris, 1873; *La science et les faits surnaturels contemporains*, Paris, Roger, 1900.

Liégeois, J., *De la suggestion et du somnambulisme*, Paris, Doin, 1889.

Littré, *Paroles de Philosophie positive*, Paris, 1859.

Malapert, *Les éléments du caractère*, Paris, Alcan, 1897.

Manning, Cardinal, *Sin and its consequences; gallice* redditit *Maillet*, *Le péché et ses conséquences*, Avignon, 1894.

Many, s.s., *Prælectiones de Locis sacris*, Parisiis, 1904.

Marc, C. s.s. Red., *Institutiones morales alphonsianæ*, ed. 4ª, Paris et Tournay, 1888.

Marion, H., *Leçons de Morale*, 11e éd., Paris, Colin, 1901. *De la solidarité morale*, Paris, Alcan; *Leçons de psychologie appliquée à l'éducation*, Paris, Colin.

Martin, *Education du caractère*, 2e éd., Paris, 1889.

Massillon, *Œuvres complètes*, Besançon, 1822.

Maxwell, *Les phénomènes psychiques*, 2e éd., Paris, Alcan, 1904.

Méric, *L'imagination et les prodiges*, Paris, Téqui, 1905.

Mercier, *Psychologie*, 6e éd., Louvain, 1904.

Mérit, *La Foi*, Tours, Cattier, 1886.

Meyer, S. J., *Institutiones juris naturalis*, Friburgi, 1900.

Mignot Mgr, *L'apologétique contemporaine*, ap. *Revue du Clergé français*, t. XXIV sq.

Mill, Stuart, *Utilitarianism*, *gallice* redditum : *L'utilitarisme*, Paris, Alcan.

Moreau, P. G., *L'hypnotisme, étude scientifique et religieuse*, Paris, 1891.

Müller, *Theologia Moralis*, ed. 7ª, Vindobonæ, 1894.

Natalis Alexander, *De peccatis* (*Migne*, Theol. Curs., t. XI.)

Noldin, S. J., *Summa theologiæ moralis*, Œniponte, 1902.

Nourrisson, P., *Le club des Jacobins sous la troisième République*, Paris, 1900; *Les Jacobins au pouvoir*, Paris, 1904.

Oudaille, *Le foyer familial et la femme contre l'alcoolisme*, Paris, 1904.

Paulhan, *Les Caractères*, 2e éd., Paris, Alcan, 1902.

Payot, *L'éducation de la volonté*, Paris, Alcan, 18e éd. 1904; *Cours de Morale*, Paris, Colin, 1904.

Perrone, *De virtutibus fidei, spei et caritatis*, Ratisbonæ, 1865.

Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. VIII et IX, *De virtutibus theologicis et moralibus*, *De peccato*, ... Friburgi Brisg., 1899.

Piat, *Historique de la liberté au XIXe siècle; Le problème de la liberté*, Paris, Lethielleux, 1894-95.

Potton, O. P., *De theoriâ probabilitatis*, Parisiis, 1874.

Prune *Théologie Morale*, trad. *Bélet*, 1880.

Rabier, *Psychologie*, 6e éd., Paris, Hachette, 1898.

Reid, T., *An inquiry into the human mind, or the principles of common sense*, Edinburgh, 1765.

Ribot, *La psychologie des sentiments; L'hérédité psychologique; Les maladies de la mémoire*, Paris, Alcan.

Salmanticenses, *Cursus theologiæ moralis*, Venetiis, 1764.

Sanchez, *De præceptis Decalogi*, Parisiis, 1615.

Sayrus, *Clavis regia sacerdotum casuum conscientiæ*, Venetiis, 1618.

Scaramelli, S. J., *Directorium asceticum*, Augustæ Vindelicorum, 1770.

Schram, O. S. B., *Institutiones theologiæ mysticæ*, nova ed., Parisiis, 1868.

Séailles, G. *Les affirmations de la conscience moderne*, Paris, Colin, 1903.

Seneca, Opera omnia, præsertim *epistolæ ad Lucilium*, et *de Irâ*.

Shaftesbury, *An inquiry concerning virtue and merit*, 1699.

Spencer, Herbert, *The principles of ethics*, London and New York, 1900; *Principles of Biology; gallice : Les Bases de la Morale évolutioniste; Principes de Biologie*, Paris, Alcan.

Sporer-Bierbaum, O. S. F., *Theologia moralis, decalogalis et sacramentalis*, nova ed., Paderbornæ, 1901,

Suarez, S. J., *Opera omnia*, Parisiis, Vivès, 1856 sq.

Surbled, *La Morale dans ses rapports avec la Médecine*, Paris, Retaux, 1892; *Spiritualisme et spiritisme*, Paris, 1898; *Spirites et Mediums*, Paris, 1901.

Thomas (S.) O. P., *Opera omnia*, jussu impensâque Leonis XIII edita, Romæ; alia ed., Parisiis, Vivès.

Thomas, *L'Education des sentiments*, Paris, Alcan, 1904.

Thomassin, Orat., *Traité des Jeûnes de l'Eglise*, Paris, 1680.

Turinaz, Mgr, *Trois fléaux de la classe ouvrière; Le clergé catholique et la lutte contre l'alcoolisme*, Paris et Nancy, 1901.

Turmann, Max, *Au sortir de l'école*, 3e éd., 1901; *L'éducation populaire*, 2e éd., 1904; *Initiatives féminines*, 1905, Paris, Lecoffre.

Tyrrell, *External religion; gallice : La Religion extérieure*, Paris, Lecoffre, 1902.

Vacandard, *Etudes critiques*, Paris, Lecoffre, 1905.

Vacant-Mangenot, *Dictionnaire de Théologie*, Paris, Letouzey.

Vallet, *La vie et l'hérédité*, Paris, 1891.

Vermeesch, S. J., *De prohibitione et censurâ librorum*, 2a ed., Tornaci, 1898.

Viva, S. J., *Damnatæ theses ab Alex. VII, Innoc. XI et Alexandro VII*, Neapoli, 1708.

Waffelaert, Mgr, *La coopération au mal*, 2e éd., Bruges, 1892.

Walsh, *De actibus humanis*, Dublinii, 1891.

Warner, A. G., *American charities*, New York, 1895.

Wirceburgenses, S. J., *Theologia dogmatica et moralis*, nova ed., Lutetiæ, 1883.

N. B. — Inter auctores allegatos, nonnulli sunt qui erroribus scatent, ideoque legi nequeunt nisi legibus Ecclesiæ hâc in re latis obtemperando.

Prolegomena
IN THEOLOGIAM MORALEM[1].

De Theologiâ in genere jam diximus in primo volumine Theologiæ dogmaticæ. Hic igitur pauca præmittere satis erit de Theologiæ Moralis *notione*, *fontibus* et *historiâ*.

§ I. Theologiæ Moralis notio.

1. 1° Definitio. (A) Theologia *in genere* definitur: *scientia supernaturalis de Deo et creaturis quatenus ad Deum referuntur.*

Dividitur in *dogmaticam* et *moralem*: prior, quæ magis speculativa est, veritates credendas exponit et demonstrat, meritoque vocatur *regula credendorum*; posterior, quæ magis practica est, circa *mores* seu *agenda* versatur, proptereaque *regula agendorum* nuncupatur. Exinde tamen inferre non licet theologiam dogmaticam esse *mere speculativam*, et moralem *mere practicam*: dogmata enim quæ fidei nostræ proponuntur, quamvis primario objectivum conceptum menti exhibeant, ultimo tandem ad nostram sanctificationem et glorificationem ordinantur; aliunde regula morum logice e christianis dogmatibus fluit, et nil efficacius ad virtutum praxim allicit quam divinorum mysteriorum, v. g. Creationis, Providentiæ, Incarnationis, attenta et pia contemplatio. Unde theologia dogmatica *primario* quidem, sed

---

[1] *S. Thom.*, 1. q. 1, a. 4-5; *Zachariæ*, Dissertatio de Casuisticæ Theologiæ originibus, locis atque præstantiâ, ap. *Heilig*, Theol. Moralis S. Alphonsi, Mechliniæ, 1845, p. XXVII-CXLVIII; *Patuzzi*, Prodromus ad universam morum theologiam, ap. *Migne*, Theol. Curs. Compl. XI, col. 9-64; *Müller*, Theol. Moralis, Introductio, § 1-14; *T. Bouquillon*, Theologia Moralis Fundam., 3ª ed., Introd. p. 1-167; *Hogan*, Clerical Studies, Boston, 1898, ch. V; quod opus gallice redditum fuit curâ *Boudinhon*, Paris, 1902 : *Les Etudes du Clergé*.

non exclusive est regula credendorum; et theologia moralis, quamvis primario sit regula agendorum, quæstiones etiam speculativas amplecti debet.

2. (B) Theologia *moralis* definiri potest : *scientia, rationi simul et fidei innixa, de actibus humanis disserens, quatenus media sunt ad finem supernaturalem attingendum*[1]. — Dicitur :

(a) *Scientia*, i. e. series conclusionum ex principiis certis deductarum et logico ordine connexarum. Differt proinde ab illâ theologiâ quæ est *mere casuistica*, et quæ in solutione practicarum difficultatum sita est; altius siquidem ascendit Theologia moralis : principia morum, tum ratione tum fide cognita, investigat, exponit ac demonstrat; ex eis postea logico ordine conclusiones deducit, quæ propius ad praxim accedant; et regulas tradit quibus actus humani ad finem nostrum supernaturalem tendere valeant[2].

(b) *Rationi* et *fidei* innixa, i. e. non solo lumine naturali, sed etiam revelationis ope comparata; et ita distinguitur ab *Ethicâ*, seu morali Philosophiâ, quæ de principiis morum disserit *solâ ratione* cognitis, et quatenus ad finem ultimum naturalem tendunt.

3. (c) *De actibus humanis disserens quatenus...* quibus verbis *objectum* hujus scientiæ declaratur, videlicet omnes actus humani, sive interni sive externi, ad vitam tum privatam, tum domesticam vel socialem spectantes, non quidem sub omni respectu, sed quatenus ad finem ultimum supernaturalem tendunt; disserit igitur de actibus humanis tum in se, tum in suis principiis; de legibus quibus hujusmodi actus regulantur; necnon de mediis internis aut externis, v. g. sacramentis, quorum ope actiones nostras ad finem nostrum

[1] Hodie non pauci propugnatores ethicæ independentis, hanc scientiam ambitiose definiunt *humanitatis breviarium*, compendium videlicet omnium scientiarum quæ hominem feliciorem reddunt; alii, cum *Payot*, Cours de Morale, p. 6, asserunt eam esse scientiam quâ vita humana perfectior, intensior et beatior efficitur. Has definitiones nimis esse comprehensivas et confusas nemo est qui non videat.

[2] Recenter orta est, præsertim in Germaniâ, controversia inter Protestantes et Catholicos, imo inter ipsos Catholicos de methodo in Morali Theologia sequenda : multi siquidem contenderunt *casuisticam* disciplinam nullo solido fundamento inniti, multisque abusibus ansam præbere. Quod quidem verum est, quando regulæ morum independenter a veritatibus dogmaticis exponuntur; sed minime verificatur in operibus Theologorum qui, vestigiis *S. Thomæ* inhærentes, principia sedulo investigant, analysis et synthesis ope, et ex eis logice conclusiones deducunt. Cfr. *Mausbach*, Die katholische Moral, ihre Methoden, Grundsaetze und Aufgaben, Köln, 1901; *Adloff*, Katholische Moral und Sittlichkeit, Strassburg, 1901; *E. Van Roey*, Récentes controverses de Morale, ap. *Revue Néo-Scolastique*, mai-nov. 1902, pp. 213, 464.

supernaturalem dirigere valeamus. Et ita distinguitur ab illis scientiis humanis, quæ disserunt de legibus ad aliquem finem particularem spectantibus, v. g. a scientiâ *œconomicâ*, quæ tradit normas quibus divitiæ comparari ac distribui debeant; a *politicâ*, quæ tradit normas prudentis gubernationis, etc. — Distinguitur pariter ab illis scientiis ecclesiasticis, ut scientiâ *canonicâ* et *liturgicâ*, quæ *proxime* ad externum Ecclesiæ regimen vel cultum publicum promovendum ordinantur, quamvis *remote* etiam ad finem ultimum tendant. Nihilominus theologia moralis his variis scientis utitur, imo eis sub aliquo respectu præest, quatenus finis proximus ultimo fini subservire debet.

4. Theologia moralis *sensu lato* sumpta amplectitur theologiam *asceticam* et *mysticam;* sed *sensu stricto* ab eis distinguitur : versatur enim circa *leges vitæ christianæ; ascetica* autem circa regulas et consilia *christianæ perfectionis*, et *mystica* circa vias sublimiores *contemplationis* ac intimæ cum Deo unionis.

5. 2° **Divisio.** Communiter theologia moralis in duas partes dividitur : (**a**) *Generalem*, seu *Fundamentalem*, quæ disserit tum de *ultimo hominis fine* et de *normâ moralitatis*, quæ nihil aliud est nisi ordinatio actuum in finem ultimum; tum de *mediis generalibus* quibus in finem tendimus; (**b**) et *specialem*, quæ disputat de *mediis particularibus* quibus ad finem tendimus; videlicet de *virtutibus* cuique christiano *communibus*, et officiis cuique statui propriis; necnon de *sacramentis*, quibus gratia confertur ad officia vitæ christianæ recte adimplenda.

6. Cum vero in *Synopsi Theologiæ Dogmaticæ* doctrina non solum speculativa, sed etiam practica de quatuor sacramentis jam exposita fuerit, primum quidem rem sacramentariam absolvimus, moralem et canonicam doctrinam exponendo de tribus aliis sacramentis, videlicet de *Pœnitentiâ*, *Matrimonio* et *Ordine;* postea vero sequenti ordine de variis partibus Theologiæ *Fundamentalis* et *Specialis* disputabimus :

Theologia Fundamentalis seu Generalis.	De Ultimo Fine et normâ moralitatis.
	De Actibus humanis.
	De Legibus.
	De Conscientiâ.
	De Peccatis et Vitiis.
	De Virtutibus in genere.

Theologia Specialis.
- De Virtutibus theologicis.
- De Virtutibus moralibus, seu de Decalogo.
- Appendix de Ecclesiæ præceptis.
- De Justitiâ et de Contractibus.
- De Variis Statuum obligationibus.

7. Ratio divisionis paulo attendenti patebit. Primo quidem, in *Fundamentali*, agitur de *Ultimo Fine* ad quem tendimus, juxta illud : *in omnibus respice finem;* postea de *Actibus humanis*, quatenus sunt media ad finem; de *Legibus*, quibus actus nostri ad finem diriguntur; de *Conscientiâ*, cujus ope leges generales singulis individuis applicantur; de *Peccatis et Vitiis* quibus a lege voluntas humana deflectit; de *Virtutibus*, quarum ope ad vivendum secundum legem inclinamur.

Theologia *specialis*, quæ de officiis particularibus disserit, primum agit de virtutibus *theologicis*, et secundo de virtutibus *moralibus*, quia sub his duobus generibus comprehenduntur omnia officia communia vitæ christianæ; ita exponuntur *præcepta Decalogi*, quæ ad virtutes referuntur; per modum vero Appendicis, subjungitur Tractatus *de Præceptis Ecclesiæ*, tanquam complementum Theologiæ Decalogalis. — Quia vero inter virtutes morales, *justitia* longiorem expositionem postulat, de eâ speciatim sermo habetur in *Tr. de Justitiâ* et *Contractibus*. — Tandem, cum, præter officia omnibus communia, quædam sint variis statibus propria, de eis disputatur in *Tr. de Variis Statuum obligationibus*[1].

§ II. Fontes Theologiæ Moralis.

Fontes ex quibus veritates morales hauriuntur iidem sunt ac *Fontes theologici*, de quibus actum est in *Synopsi Theologiæ Fundamentalis*. Pauca tantum addere liceat quæ ad disciplinam moralem magis directe spectant.

---

[1] In speciali editione ad usum seminariorum ubi Theologia moralis *seorsim* a dogmaticâ exponitur, hanc sequimur divisionem :

T. I. Theologia moralis fundamentalis; de virtutibus et præceptis.
T. II. De Justitiâ et contractibus; de variis Statuum obligationibus
T. III. De Sacramentis in genere et in specie.

8. 1° **De usu Scripturæ in re morali.** Scripturas tam Veteris quam Novi Testamenti utiles, imo necessarias esse ad morum rectam institutionem omnes fatentur qui earumdem inspirationem admittunt : "Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus" [1]. Revera in eis tum *præcepta*, tum *exempla* inveniuntur, quibus mores instruuntur.

(A) Dum vero libris *Vet. Testamenti* utimur, præ oculis tria præsertim habenda sunt : (a) constans ac *progressivum fuisse revelationis incrementum* a Patriarchis usque ad Christum; et Deum, in iis quæ præscripsit, permisit aut toleravit, sese humanæ infirmitati accommodâsse, ita ut non omnia quæ Judæis licebant, Christianis permittantur : v. g. polygamia et divortium, quæ antiquitus saltem tolerabantur, sub novâ dispensatione omnino prohibentur; et lex caritatis erga proximum non eodem modo intellecta fuit a Judæis et Christianis. Unde textus e Veteri Testamento desumpti, non sine delectu et discrimine allegari aut intelligi debent, sed ratione habitâ hujus evolutionis.

(b) In libris *legalibus* triplicis generis inveniuntur præcepta : *moralia*, quæ suam vim retinent, dummodo sumantur non præcise eo modo quo ibi jacent, sed prout a Christo approbata, explicata ac perfecta; *cæremonialia*, quæ cultum spectabant; et *judicialia*, quæ legem nationi Israeliticæ propriam constituebant; hæc duo posteriora jam abrogata sunt, et iis uti nequimus nisi ad plenius determinandum quid liceat vel expediat in certis quibusdam circumstantiis, quid pertineat ad jus naturale vel positivum; aut etiam ad illustrandas per analogiam quasdam veritates aut praxes christianas.

(c) Quoad *exempla* quæ ibi referuntur, multa sunt quidem imitatione digna; sed, quum etiam sanctissimi viri humanæ fragilitatis non sint expertes, non omnia quæ egerunt eo ipso commendabilia sunt, quamvis expresse a Scripturâ non reprehendantur. Proinde sedulo, ex contextu ac parallelis locis, expendi debet utrum hæc approbentur, vel non; et si

[1] *II Tim.*, III, 16-17.

approbantur, utrum in se, sub respectu *morali*, an sub alio respectu; et, si quæ actiones vel malæ sint, vel saltem speciem mali præ se ferant, ad imitationem trahendæ non sunt. — Quod pariter notandum est quoad quasdam parabolas et nonnulla exempla in N. Testamento relata.

9. (**B**) Libros *N. Testamenti* legendo, ad hæc tria præcipue attendendum est : (**a**) christiana revelatio non uno momento fuit absoluta, sed usque ad mortem ultimi Apostolorum successive crevit; etiam mortuis Apostolis, Spiritus Dei per infallibile magisterium Ecclesiæ docet, et ea quæ obscure, implicite ac virtualiter tantum in Evangeliis, Epistolis et divinâ Traditione continentur, successu temporum magis lucide, diserte ac formaliter ab ipsâ Ecclesiâ proponuntur; unde ad ethicam christianam plene exponendam, variis N. Testamenti libris, divinisque Traditionibus, et Ecclesiæ magisterio infallibili, sive extraordinario sive ordinario, sapienter utendum est.

(**b**) Quum quædam sub *præcepto*, alia autem sub *consilio* tradantur, hæc non indiscriminatim miscenda sunt, sed magnâ circumspectione discernenda. Fundamentum hujus distinctionis in ipso Evangelio invenitur[1] : quum enim ditissimus juvenis ad Christum accessisset, quærens : "Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?", Magister respondit : "Si autem vis *ad vitam* ingredi, *serva mandata.*" Hæc custodivisse a juventute suâ dixit adolescens; tunc ait illi Jesus : "Si vis *perfectus esse*, vade, *vende quæ habes*, et *da pauperibus*, et habebis thesaurum in cœlo." Ex quo infertur ad vitam æternam consequendam stricte sufficere mandatorum observantiam; ad perfectionem vero requiri aliquid amplius, scilicet paupertatem aliaque evangelica consilia. Unde ex textu, contextu, parallelis locis, subjectâ materiâ, ac præsertim Ecclesiæ interpretatione dignoscendum est quid ad modum *præcepti*, et quid ad modum *consilii* statuatur.

(**c**) Pariter inter præcepta, quædam sunt *universalia*, quædam *particularia*, alia *perpetua*, alia *temporanea;* v. g.

[1] *Matth.*, XIX, 16-21; cfr. *Maldonat.*, in h. loc.; *S. Thom.*, 1. 2, q. 118, a. 4.

Apostoli in Concilio *Hierosolymitano* hæc statuerunt [1] : "Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione"; jamvero aliunde patet prohibitionem fornicationis esse perpetuam, absolutam et universalem, cætera autem prohiberi solummodo ad tempus. Unde pariter sedulo inspici debent contextus, parallela loca, Patrum et Ecclesiæ interpretatio.

10. 2° **De usu Traditionis in Theologiâ Morali.** Jam alibi expositum est (*De Fontibus Revelationis*, n. 961 sq.) quibus mediis Traditio transmittatur et cognoscatur; quænam sit auctoritas solemnis vel ordinarii Ecclesiæ magisterii, Patrum, Theologorum, Congregationum, etc. Pauca tantum addere liceat, quæ magis ad praxim spectant.

(A) Legendo *decreta Conciliorum et S. Pontificum*, hæc præsertim attendi debent : (a) *Definitiones* de re morali continent quidem principia morum quæ in se sunt immutabilia; sed eorum applicatio secundum diversas temporum ac locorum circumstantias diversa esse potest; ita definitiones de usurâ, iis temporibus conditæ quibus leges œconomicæ multum differebant ab iis quæ nunc prævalent, non possunt hodie applicari eodem modo ac in Medio Ævo. (b) Leges *disciplinares* variæ sunt pro variis temporibus ac nationibus, proindeque mutari vel abrogari possunt; hinc recentiora decreta aliquando corrigunt ac reformant antiquiora : his tamen uti debet theologus quo melius intelligat et exponat novas legum dispositiones. (c) Quoad propositiones *damnatas*, ad detegendum earum sensum, sedulo inquiri debet a *quo* et in quibusnam *circumstantiis* enuntiatæ fuerint, *cur* et *quomodo* reprobatæ fuerint [2].

11. (B) *Congregationes* romanæ, nomine Pontificis, de rebus moralibus decisiones valdè utiles sæpe promulgant. Non solum enim potestatem habent *authenticè interpretandi* decreta Tridentina, aliasque leges ecclesiasticas, unaquæque

[1] *Act.* XV, 28-29.

[2] Ad quod præstandum, cfr. *D. Viva*, Damnatæ Theses; *Vacant-Mangenot*, Diction. de Théologie, I, 730, 748, etc.

secundum suam propriam competentiam (salvâ Romani Pontificis approbatione); sed insuper dirimunt controversias quæ *modo disciplinari vel administrativo* solvendæ sunt[1] : hujusmodi autem decisiones, quæ nonnisi inter partes jus faciunt, maximam præ se ferunt auctoritatem pro casibus similibus. Inter has autem de *S. Officio* paulò fusiùs loquendum est, cujus munus est " doctrinam fidei et morum tutari "[2], necnon de Tribunali *S. Pœnitentiariæ*, cujus est " quæstiones conscientiæ excutere et dirimere "[3].

(a) *Congregatio S. Universalis Inquisitionis*, quæ vulgo *S. Officium* dicitur, jus habet procedendi ac definiendi in omnibus causis hæresim, schisma, apostasiam a fide, magiam et sacramentorum abusum spectantibus; quapropter non pauca edidit decreta ad explicandam Bullam *Apostolicæ Sedis*, ubi variis censuris hæc crimina plectuntur. Ejus responsa doctrinalia magnâ gaudent auctoritate, præsertim quia non eduntur nisi post maturam rei discussionem, et a S. Pontifice semper approbantur : quæ tamen approbatio (ordinarie in formâ communi) nullo modo ea reddit infallibilia.

(b) *S. Pœnitentiaria* difficultates practicas solvit pro foro interno[4], sed controversias speculativas non dirimit; unde ejus decisiones maximâ cum reverentiâ accipi debent, et valde utiles esse possunt etiam in similibus casibus; sed vim legis non habent cum nonnisi pro casu particulari edantur.

12. 3° De usu rationis in Theologiâ Morali. (A) Etsi theologus de iis præsertim disserat quæ Deus revelavit et Ecclesia nobis credenda et agenda proponit, prætermittere nequit principia morum quæ naturali ratione cognoscuntur : Deus enim auctor est rationis æque ac fidei, et veritates re-

[1] Examen quæstionum quæ *ordine judiciario* tractandæ sunt ad *Tribunal S. Rotæ* reservatur : cujus sententiæ (quæ rationes tam in facto quam in jure continent) maximi sunt momenti.

[2] *Pius X*, Bulla Sapienti Consilio, 29 Jun. 1908.

[3] Ibidem.

[4] Revera *Bened. XIV*, Constit. *Pastor Bonus* concessit Majori Pœnitentiario ut " dubia omnia in materiâ peccatorum, seu forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum et Theologorum suorum valeat declarare." — Brevius *Pius X*, Bull. *Sapienti Consilio :* " Excutit quæstiones conscientiæ, easque dirimit ".

velatæ melius intelliguntur et exponuntur quando cum veritatibus ordinis naturalis conferuntur. Aliunde ipsæ veritates revelatæ debent rationabiliter intelligi; ex eisdem conclusiones et practicæ conclusiones inferri. Potest igitur ac debet Theologia Moralis ratione uti ad rite exponenda principia morum, eadem probanda et illustranda, et in usus practicos evolvenda.

Attamen ratio humana in re morali non est independens, sed *fidei subordinata*, et infallibile Ecclesiæ magisterium agnoscere debet in quæstionibus moralibus æque ac dogmaticis.

(B) Inter scientias naturales, quæ Moralistis prodesse possunt, recensentur : (a) *Ethica naturalis*, quæ de variis hominum officiis disserit; ideoque philosophorum, etiam paganorum opera quæ de virtutibus et officiis agunt; (b) *Psychologia*, non solum *speculativa*, ubi agitur de facultatibus humanis, habitibus, passionibus, etc., sed etiam *practica*, quæ e discreto cum hominibus commercio acquiritur; neque prætermitti debet psychologia *experimentalis*, ea pars præsertim ubi varii morbi describuntur qui facultates internas afficere possunt; (c) *Medicina Pastoralis*, ubi traduntur notiones physiologicæ et pathologicæ, quæ, propter intimas relationes inter corpus et animam, valde utiles sunt ad judicandum de moralitate quarumdam actionum; (d) *Sociologia*, quæ de juribus et officiis civium disserit, quatenus sunt membra organismi socialis; (e) *Œconomia politica*, quæ principia tradit circa bonorum temporalium productionem et æquam distributionem; (f) *Civilis jurisprudentia*, quatenus lege exponit quæ apud varias Gentes legem naturalem complent ac perficiunt; (g) *Historia*, præsertim illa pars quæ variorum populorum mores, cultum moraliaque præcepta describit : sic enim melius intelligitur scientiæ moralis progressus aut regressus; et insuper, ex præteritorum temporum experientiâ sapientius infertur quibus mediis mores instaurari valeant.

§ III. Brevis conspectus historiæ Theologiæ Moralis[1].

13. Quo penitius prædicti fontes inspiciantur, præsertim Patrum et Theologorum opera, et quo melius intelligatur methodus in Theologiâ Morali sequenda, abs re non erit breviter delineare hujus scientiæ historiam. In quâ duplex ætas distingui potest : prior *Patrum*, posterior *Theologorum;* in quâlibet ætate, plures epochas distinguere licet, quæ suum habent characterem proprium : discrimen inter has non procedit quidem ex mutuâ earum oppositione, sed ex successivâ evolutione; et, cum una epocha sit alterius præparatio, sæpe vix definiri potest ubi hæc incipiat et altera desinat.

I. Scientia moralis Patrum ætate[2].

14. Patrum ætate, Theologia moralis est magis *positiva*, *apologetica* et *polemica* quam speculativa et scientifica; magis *parænetica* seu exhortatoria quam casuistica; non complectitur *integram* et *systematicam* totius ethicæ expositionem, sed solum tractatus particulares, aut brevem et incompletam officiorum synopsim. — In hâc ætate, tres epochæ solent distingui : prima, ab initio ad Conc. *Nicænum;* secunda, a C. Nicæno ad *S. Gregorium Magnum* († 604); tertia, a S. Gregorio usque ad *S. Bernardum* (1120).

15. 1° In **primâ epochâ**, principia morum non evolvuntur modo systematico, sed, occasione datâ, in epistolis, homiliis, commentariis aut particularibus tractatibus compendiose exponuntur.

(**A**) Inter **Patres Apostolicos** qui de re morali præcipue scripserunt : — (**a**) auctor operis **Didache** seu Doctrina duodecim aposto-

[1] *Zacharia*, Dissertatio de Casuisticæ Theologiæ originibus; *Patuzzi*, op. cit.; *C. F. Standlin*, Geschichte der christlichen Moral; *Luthardt*, Geschichte der christlichen Ethik; *Ziegler*, Geschichte der christlichen Ethik; *E. Müller*, Theologia Moralis, Introd., § 11-13; *Pruner*, Théologie Morale, trad. *Belet*, t. I, p. 19-47; *Bouquillon*, Theologia Moralis Fund., Introd., n. 124-195.

[2] Cfr. *Le Nain de Tillemont*, Mémoires pour servir à l'Hist. ecclésiastique, Paris, 1701; *Dom Ceillier*, Hist. des auteurs ecclésiastiques, 1758; *Fessler*, Institut. Patrologicæ, Œniponte, 1850; *O. Bardenhewer*, les Pères de l'Eglise, trad. fr. Godet et Verschaffel, Paris, 1898.

lorum (circa finem primi sæculi), compendium christianæ ethicæ tradit : tria sunt principalia mandata, nempe amor Dei et proximi, necnon aurea regula ne quis alteri faciat quod sibi fieri nolit; peccata graviora sunt homicidium, fornicatio et adulterium, idololatria, furtum, blasphemia; tandem describuntur officia particularia erga seipsum, Ecclesiam, pauperes, et familiam[1]. (b) **S. Clemens Papa,** in *Ep. ad Corinthios* (circa an. 97), commendat præsertim concordiam et fraternam caritatem; huic obstant invidia et zelus; quæ vitia eradicanda sunt per pænitentiam, obedientiam et humilitatem; sicut in corpore alia membra aliis ministrant et omnia capiti, ita fideles Ecclesiæ alii aliis ministrare debent, et omnes legitimis superioribus; dissidentes igitur peccatum suum confiteantur, presbyteris se subjiciant et ad pacem unitatemque redeant[2]. (c) **Hermas,** in opere cui titulus *Pastor* (circa an. 140), præcipua mandata exponit in secundâ parte sui libri : Pastor siquidem, seu angelus pænitentiæ, mandat ut Christi discipulus in Deum credat, detrectationem fugiat et eleemosynas largiatur; ut veritatem et castitatem colat, necnon justitiam patientiam et pænitentiam; ut tristitiam fugiat, pseudoprophetas devitet, et tollat a se omne desiderium malum; diabolus non timeatur, sed Deus qui salvare potest et perdere. Alia passim traduntur de divortio in casu adulterii, de usu divitiarum, de jejunio, et tandem de viâ salutis[3].

16. (B) **Secundo et tertio** sæculo, præter multos Patres, qui obiter, in libris apologeticis contra paganos aut polemicis adversus hæreticos, ethicæ christianæ principia vindicârunt, quidam integros tractatus scripserunt de præcipuis virtutibus.

(a) Ita, in Ecclesiâ **græcâ, Clemens Alexandrinus** brevem doctrinæ moralis summam eleganter exposuit in *Pædagogo*, et profundiorem expositionem in libris *Stromatum*[4]. Pædagogus est ipse Christus, Patri suo æterno semper similis, qui nos cum mansuetudine docet qualis esse debeat christianus : quomodo alimentis non propter voluptatem, sed ad nostræ vitæ conservationem uti debeamus; quam sedulo vitandi sint obsceni sermones et actus, necnon luxus et ostentatio; postea de christiano connubio disserit, quod non ad voluptatem, sed ad filiorum procreationem ordinari debet; de verâ

[1] *Funk*, Patres Apostolici, ed. 2ª, Tubingæ, 1901, t. I, p. VI-XIX et p. 2-37.

[2] *Funk*, op. cit., p. XXXII et 98-184.

[3] *Funk*, op. cit., p. CXXII et 414-639.

[4] *Migne*, P. G., t. VIII et IX; in t. IX, p. 798 sq., invenire est eximiam dissertationem *Nicolai Le Nourry* de operibus et doctrinâ Clementis; cfr. *E. de Faye*, Clément d'Alexandrie, Paris, 1898; *W. Capitaine*, Die Moral des Clemens von Alexandrien, Paderborn, 1903; *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., t. III, p. 137.

hominis pulchritudine, quæ non in venustate aut externo cultu consistit, sed in caritate; de divitiis, quas non arroganter et parce, sed benigne et liberaliter aliis communicare debemus[1], de balneis et corporis exercitatione. In libris *Stromatum*, inter alia, exponit Christianum gnosticum seu philosophum duabus præsertim virtutibus ornatum esse debere, stoicâ insensibilitate et christianâ caritate.

17. **Origenes** multa de ethicâ scripsit, non quidem ordinate et systematice, sed obiter in homiliis, commentariis, variisque tractatibus, ex quibus excerpta est summa scientiæ moralis[2]. Ibi siquidem exponit originem peccati, quod jam commissum fuerat a spiritibus et animabus humanis antequam hæ corporibus conjungerentur; Christus quidem pro peccatis nostris satisfecit, sed libera hominis voluntas debet cum gratiâ cooperari ut sanctificationem consequatur. Peccata actualia variis modis expiari debent, præsertim vero pœnitentiâ, quæ confessionem peccatorum supponit. Ceterum duæ sunt christianorum classes : perfecti et imperfecti. Priores seu gnostici continentiam et virginitatem colere debent, et a mundo secedere. Erravit autem Origenes circa pœnarum æternitatem.

Quos errores sedulo vitavit **S. Methodius** († 311 circiter). Præterea fidem æque ac bona opera et mandatorum observationem ad salutem necessaria esse docuit; si peccamus, ad pœnitentiam fiducialiter recurrendum est, cum Deus sit misericors et ad ignoscendum pronus. Inter præcepta et consilia discrimen instituit, et specialiter virginitatem commendat, quin tamen ullo modo nuptias reprobet[3].

18. (b) In Ecclesiâ **latinâ**, de re morali scripserunt præsertim **Tertullianus** et *S. Cyprianus*. Prior plus æquo rigidismo favet, etiam antequam Montanistarum errores amplexus est[4]; attamen diserte et eloquenter quædam officia describit. De vitâ civili et publicâ agit præsertim in suis opusculis *de spectaculis*, *de idololatriâ*, *de coronâ*, ibique cooperationis principia nimis stricte urget, non satis inter præcepta et consilia distinguens. Virtutem fortitudinis egregie

---

[1] De quo argumento fusius disserit in opusculo cui titulus : *Quis dives salvetur*, P. G., IX, 603-652.

[2] Origenis opera quæ supersunt invenies ap. *Migne*, P. G., t. XI-XVII; de ejus doctrinâ morali scripsit *Capitaine*, De Origenis ethicâ, Monast. Guestph., 1898; cfr. *Huetii* Origeniana, P. G., XVII, p. 697-1114.

[3] Præcipuum *S. Methodii* opus, Convivium decem virginum, invenies ap. *Migne*, P. G., XVIII, 27-228; quoad alia ejus opera, cfr. *G. N. Bonwetsch*, Methodius von Olympus, I, Schriften, Erlangen und Leipzig, 1891.

[4] *Tertulliani* opera invenies ap. *Migne*, P. L., t. I-II; optimam editionem publici juris fecit *Œhler*, Lipsiæ, 1853-1854; cfr. *P. Monceaux* Histoire littéraire de l'Afrique chrét., t. I, 1901; *A. d'Alès*, La Théologie de Tertullien, Paris, 1905; *Turmel*, Tertullien 1905.

exponit in libris *ad martyres*, *de patientiâ* et *de fugâ;* de temperantiâ agit in *exhortatione castitatis*, *de virginibus velandis*, *ad uxorem*, *de monogamiâ*, *de cultu feminarum*, *de jejuniis*, sed ibi secundas nuptias nimis acerbe vituperat.

S. Cyprianus, etsi Tertulliani discipulus, ejus severitatem temperavit[1]. Sedulo inter præcepta et consilia distinguit. Una e præcipuis virtutibus est fides, quæ vere libera est, et ad bona opera nos potentes efficit. Bonis operibus vere meremur, dum malis operibus debitores Dei efficimur; possumus tamen operibus justis Deo satisfacere, et pro peccatis pœnitentiam agere. Speciatim disserit *de habitu virginum*, *de dominicâ oratione*, *de opere et eleemosynis*, *de bono patientiæ*, *de zelo et livore*, *de lapsis*, et, in suis litteris, de pœnitentiâ, ubi confessionis necessitatem asserit. — De necessitate rebaptizandi hæreticos erravit.

19. (c) Eâdem ætate, de practicis quæstionibus ad vitam Christianam spectantibus decreta ediderunt quædam **Concilia** particularia; ita *Carthaginense I* (an. 215 circiter) de hæreticis rebaptizandis leges condidit; *Eliberitanum* (an. 300) de idololatriâ, maleficiis, mœchiâ, divortio, usurâ, temporibus jejuniorum, de excommunicatis et energumenis, multisque aliis rebus; *Arelatense* (an. 314) de fidelibus qui rem publicam agere volunt, de baptismo hæreticorum, de divortio, de matrimonio cum gentilibus, de clericis fœneratoribus, de iis qui sacras Scripturas aut vasa dominica paganis tradunt, etc.[2] Pariter attenter legi debet *Epistola canonica* **S. Gregorii Thaumaturgi**[3] (253-258), quæ pœnitentialem disciplinam hujus ætatis tradit.

20. 2° **Secunda epocha,** a quarto ad sextum sæculum, merito dicitur *aurea* Patrum ætas. Opera moralia non solum numero plura, sed etiam doctrinâ et eruditione profundiora tunc eduntur. Occasione insurgentium hæreseon, ethicæ christianæ fundamenta firmius stabiliuntur; ex progressu vitæ monasticæ oritur perfectior expositio theologiæ asceticæ et mysticæ; aliunde principia moralia magis specifice accommodantur variis mutationibus quæ in vitâ civili occurrunt; ita sæpius agitur de divitiarum acquisitione, usu et abusu, de usurâ, de eleemosynâ, etc. Hujusmodi quæs-

[1] *S. Cypriani* opera lege ap. *Migne*, P. L., t. IV; optima tamen editio ea est quam *G. Hartel* edidit, Vindobonæ, 1868-1871; cfr. *E. W. Benson*, Cyprian, his life, his times, his work, London, 1897; *P. Monceaux*, Hist. lit. de l'Afrique chrét., t. II, 1902.

[2] De his conciliis erudite agit Héfélé, Histoire des Conciles, t. I, § I-XVII. Cfr. *Mansi*, Concilia, t. I; *Th. Bruns*, Canones Apostolorum et Conciliorum, Berolini, 1839, t. I.

[3] *Migne*, P. G., t. X, p. 1019-1047.

tiones expenduntur non solum in epistolis, in homiliis et sermonibus, sed in Scripturæ commentariis, aut in variis tractatibus de præcipuis virtutibus. Eodem tempore, epistolæ Rom. Pontificum et canonum collectiones disciplinam ecclesiasticam et regulas morum authenticas exhibent.

21. (A) Inter **Græcos**, floruêre præsertim : —

(a) **S. Cyrillus Hierosolymitanus**, qui in *Catechesibus* (347) lucide disserit de baptismi dignitate, necessitate et præclaris effectibus; de sacro chrismate seu confirmatione; de eucharistiâ, de missâ ejusque utilitate non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis; de confessione et pœnitentiâ ad remissionem peccatorum consequendam [1].

(b) **S. Basilius Magnus** (floruit an. 365) : hic scripsit de re morali et asceticâ. In *Moralibus* de virtutibus et vitiis sive communibus sive cuique statui propriis disserit; in *homiliis*, de quibusdam vitiis capitalibus, avaritiâ, iracundiâ, ebrietate, necnon de virtutibus contrariis, eleemosynâ, humilitate, jejunio. Fuit etiam vitæ monasticæ legislator, tum in Tractatibus asceticis, tum in Regulis fusioribus aut brevioribus [2].

(c) **S. Gregorius Nazianzenus** (330-390) poemata moralia conscripsit, in quibus, post expositam virtutis naturam, singulas virtutes inculcat, præsertim patientiam et æquanimitatem in adversis, castitatem, paupertatem, liberalitatem et humanitatem in pauperes; speciatim vero adolescentes studio litterarum deditos salutaribus monitis instruit, postea cœlibes et monachos, virginitatem eximie commendans [3].

(d) **S. Gregorius Nyssenus** (floruit an. 371) tres scripsit Tractatus de perfectione christianâ et religiosâ, ubi ostendit christianam professionem proprie consistere in imitatione Christi, in purgatione a peccatis, abnegatione propriæ voluntatis, assiduâ oratione, caritate, humilitate et modestiâ. Præterea, in speciali libro, de virginitate disserit; in *Orationibus*, amorem pauperum et beneficentiam speciatim commendat [4].

22. (e) **S. Ephrem**, Syrus, (f. an. 362), post demonstratum liberum arbitrium, declarat quomodo vera hominis beatitudo in virtute consistat; postea de singulis virtutibus agit, præcipue de timore Dei cum fiduciâ conjuncto, de caritate et humilitate, de obedientiâ et

[1] *Migne*, P. G., t. XXXIII; cfr. *J. Marquardt*, S. Cyrillus baptismi, chrismatis, eucharistiæ mysteriorum interpres, Leipzig, 1882.

[2] *Migne*, P. G., t. XXXI ; cfr. *Vasson*, S. Basile le Grand, ses œuvres oratoires et ascétiques, Paris, 1894.

[3] *Migne*, P. G., t. XXXVII; cfr. *Benoit*, S. Grégoire de Nazianze, Paris, 1876; *C. Cavalier*, S. Grég. de Naz., Montpellier, 1886.

[4] *Migne*, P. G., t. XLVI ; cfr. *Diekamp*, La Théologie de S. Grég. de Nysse, 1896.

sui ipsius abnegatione, de patientiâ, mansuetudine et castitate; ad quas virtutes colendas necessaria est pugna spiritualis, ut diabolus propriaque concupiscentia vincatur. Libellum de sacerdotio et plurimos sermones de perfectione vitæ monasticæ pariter exaravit [1].

23. (f) **S. Chrysostomus** (f. an. 398), in homiliis suis, omnia fere vitæ christianæ officia eloquenter exponit. Inter virtutes, maxime commendat caritatem, inimicorum dilectionem, eleemosynam; inter vitia, stricte reprehendit ebrietatem et avaritiam, luxum divitum, impudicitatem, et consuetudinem theatra et ludos circenses frequentandi; postea pœnitentiam urget, confessione, lacrymis, humilitate et eleemosynâ manifestandam. Multa pariter opuscula moralia exaravit, præcipue libros sex de sacerdotio, librum de virginitate, libros duos ad viduam juniorem, et librum *quod nemo lædítur nisi a seipso* [2].

(g) **S. Joannes Climacus**, initio sæculi VI natus, perfectionem monachis propriam egregie descripsit in *Scalâ paradisi*, quæ triginta gradus complectitur. Ibi media ad virtutes adipiscendas et vitia eradicanda ingeniose proponit. Primum quidem sæculi abnegationem commendat, ut Deo adhærere toti valeamus; postea obedientiam, pœnitentiam, mansuetudinem, silentium, jejunium, castitatem, humilitatem, describitque vitia præfatis virtutibus contraria. Virtutum praxi et oratione adipisci possumus plenam perfectionem seu *apathiam*, id est statum a vitiis et passionibus immunem [3].

24. (B) Eodem tempore, in Ecclesiâ **latinâ**, florebant :

(a) **S. Ambrosius** († 397), qui libros tres de *Officiis ministrorum* scripsit, in quibus *Ciceronis* tractatum de Officiis sequendum sibi proposuit, errores tamen corrigendo, simulque stoicam ethicam complendo per præcepta et consilia Christi. Imprimis demonstrat divinam retributionem esse unum e præcipuis officia adimplendi motivis. Postea varias virtutes describit, præsertim quatuor *cardinales;* declarat quomodo clericis *utile* sit sibi conciliare amorem, fiduciam et bonam existimationem aliorum; pariter cur quærendum sit non quod singulis, sed quod multis aut omnibus prosit; tandem nihil expetendum esse statuit nisi quod *honestum :* cedat igitur honestati non solum utilitas, sed vita et amicitia. Alibi disserit de virginitate, de viduitate, de fugâ sæculi, de bono mortis, de sanctis Patriarchis, quos tanquam virtutum exemplaria exhibet [4].

---

[1] S. Ephraem Opera, Romæ, 1732-46, t. II et III; cfr. *A. Haase*, S. Ephræmi Syri theologia, Halle, 1869.

[2] *Migne*, P. G., t. XLVII-LXIV; cfr. *A. Puech*, S. Jean Chrysostome et les Mœurs de son temps, Paris, Hachette, 1891; *Ph. Schaff*, Saint Chrysostom and Saint Augustin, London, 1891.

[3] *Migne*, P. G., t. LXXXVIII, 631-1164.

[4] *Migne*, P. L., t. XIV-XVI; melior est tamen editio *Vindobonensis;* cfr. *Pruner*, Die Theologie des H. Ambrosius, Eichstaedt, 1862; *Duc de Broglie*, l'Eglise et l'Empire romain, t. 5-6; *Thamin*, S. Ambroise et la morale chrétienne au IVe s., Paris, 1895.

(b) S. **Hieronymus** (f. n. 385), in Commentariis et præcipue Epistolis, multa tradit de contemptu mundi et christianâ perfectione, de virtutibus quæ episcopis, clericis et virginibus necessariæ sunt, de vitâ et perfectione monasticâ, etc.

25. (c) **S. Augustinus** (f. an. 429), Patrum occidentalis Ecclesiæ facile princeps, multa egregie scripsit de omnibus fere ethicæ quæstionibus, etsi in unum corpus doctrinam suam non digesserit. Ante omnia, ethicæ fundamenta statuit : Deus est summum bonum, bonum omnium bonorum, bonum a quo sunt omnia bona, ideoque finis ultimus ad quem tendere debemus; quare ultima moralitatis norma est lex æterna seu ratio et voluntas divina; fons igitur obligationis moralis est supremum Dei dominium [1]. Ad finem tendimus per actus liberos et meritorios : non sufficit igitur credere, sed necesse est bona opera perficere [2]. Inter hæc eminent opera caritatis, ad quæ cetera referuntur : amor Dei usque ad contemptum sui cœlestem civitatem ædificat, amor sui usque ad contemptum Dei, terrenam [3]. In variis operibus describit officia vitæ individualis, familialis et socialis. Neque prætermittit varios perfectionis gradus : " Caritas ergo inchoata, inquit, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia; caritas perfecta, perfecta justitia est "[4]. Augustinus maximâ auctoritate apud Patres sequioris ætatis et Scholasticos gaudere non desiit, ita ut theologiæ occidentalis *pater* appellari meruerit [5].

26. (d) **Cassianus** (f. an. 416), in *Institutis cœnobiorum* et *Collationibus*, collegit medullam doctrinæ spiritualis quæ a monachis Ægypti tradita fuerat. Finis monasticæ vitæ est regnum Dei promovere, scopus vero cordis puritatem seu caritatem consequi. Ad quod præstandum, triplicem concupiscentiam abdicare necesse est, et octo capitalia vitia eradicare. Deus permittit quidem justos diversis calamitatibus et tentationibus vexari, sed oratione hæc omnia superari possunt. Ad perfectionem desiderantur perfecta castitas, quæ sine gratiâ Dei coli nequit, spiritualis Scripturarum scientia, fraterna caritas erga omnes, rectusque linguæ usus. — Dolendum est tamen auctorem in semipelagianismum incidisse [6].

---

[1] De Beatâ vitâ, De Moribus Ecclesiæ, Confessiones, P. L., t. XXXII; De doctrinâ christianâ, P. L., t. XXXIV.

[2] De libero arbitrio, P. L., t. XXXII; De fide et operibus, P. L., t. XL; De spiritu et litterâ, P. L., t. XLIV.

[3] De Civ. Dei, P. L., t. XLI, 439; Enchiridion, P. L., t. XL.

[4] De nat. et gratiâ, P. L., t. XLIV, 290.

[5] *Grou*, Morale de S. Augustin, Paris, 1786; *Nourrisson*, La Philosophie de S. Augustin, Paris 1869; *Dorner*, Augustinus, Berlin, 1873, *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., I, 2432.

[6] Cassiani opera invenies ap. *Migne*, P. L., t. XLIX-L; melior est tamen ed. *Vindobonensis*, curante *Pestchenig*, 1886-1888; cfr. *Lombard*, Jean Cassien, sa vie, ses écrits, sa doctrine, Strasbourg, 1863.

(e) **Cæsarius Arelatensis** († 543), in *Sermonibus* et *Epistolis*, doctrinam moralem Patrum anteriorum, præsertim Origenis, Ambrosii et Augustini, amplificavit et moribus sexti sæculi accommodavit. Notatu digni sunt sermones de fide et necessitate bonorum operum, de judicio divino et pœnitentiâ, de caritate Dei et proximi, ubi præclare de inimicorum dilectione disserit, contra impudicitiam et ebrietatem. Discrimen statuit inter peccata capitalia et minuta; sed simul ostendit consuetudinem sæpe leviter peccandi facile ad gravia peccata trahere; exinde infert grave malum esse si negligitur profectus in bonis operibus [1].

27. (f) **S. Gregorius Magnus** († 604) multa de moribus scripsit, ad eruditionem pastorum atque fidelium, præsertim vero *Moralia in Job*, ubi allegorice exponit hunc Scripturæ librum : Job est typus Christi et Ecclesiæ, qui unum corpus mysticum efformant; uxor patriarchæ homines carnales designat; tres amici hæreticos significant, Leviathan est figura diaboli. Hæc autem allegorica expositio ipsi occasionem præbet omnes fere christianæ ethicæ regulas de vitiis et virtutibus fuse declarandi; has etiam complet in epistolis moralibus, ita ut summa theologiæ moralis ex ejus operibus excerpi posset. Præterea, in eximio libro *regulæ pastoralis*, pastorum animarum officia egregie describit, exponendo *quisnam* ad hoc officium *venire* possit ac debeat, *qualiter vivere* oporteat, quomodo *docere*, et docendo suam infirmitatem agnoscere [2].

28. (g) Eâdem ætate, jam inveniuntur *canonum collectiones*, quales sunt Canones Apostolorum et Constitutiones Apostolorum, circa initium quinti sæculi; multa sunt pariter Conciliorum generalium et particularium decreta de re morali et pœnitentiali disciplinâ [3]; non paucæ *decretales epistolæ* Rom. Pontificum, præsertim S. Siricii, S. Innocentii I, Zozimi, Bonifacii, S. Cœlestini, Hilarii, S. Gelasii, Symmachi, S. Leonis et Gregorii Magni [4].

---

[1] Præcipui ejus sermones inveniuntur inter opera *S. Augustini*, cui diu adscripti fuerant, P. L., t. XXXV; alia opera edidit *Migne*, P. L., LXVII; cfr. *A. Malnory*, Saint Césaire,ev. d'Arles, Paris, 1894; *C. F. Arnold*, Cæsarius von Arelate, Leipzig, 1894; *P. Lejay*, Le rôle théologique de Césaire d'Arles, in *Rev. d'Hist. et de Litt. relig.*, t. X, 1905, p. 145 sq. et *Vac.-Mangenot*, Dict. Théol., t. II, p. 2168.

[2] *Migne*, P. L., t. LXXV-LXXIX; cfr. *Ed. Clausier*, Saint Grégoire le Grand, sa vie, son pontificat, ses œuvres, son temps, Paris, 1886-1891; *V. Février*, Etude des Morales de S. Grégoire (thèse), Paris, 1858; *A. Snow*, Saint Gregory the Great : his work and his spirit, London, 1892; *Grisar*, S. Gregorio Magno, in *Civiltà*, 1890-1893.

[3] De quibus vide *Mansi*, t. II-X; Héfélé, t. I-IV; Bruns, op. cit., t. I-II.

[4] De his epistolis vide *P. Coustant*, Epistolæ Rom. Pontificum, Paris, 1721; *A. Thiel*, Epist. Rom. Pontif., a S. Hilaro usque ad Hormisdam, Brunsbergæ, 1867; *Ph. Jaffé*, Regesta Pontificum Roman. a S. Petro ad an. 1143, 2ª ed., Lipsiæ, 1885.

29. 3° In **tertiâ Patrum epochâ**, a S. Gregorio ad S. Bernardum, propter temporum acerbitatem, vix ullus est theologiæ profectus; plerique auctores sunt tantummodo *collectores* et *compilatores*. Plerumque scientia theologica in scholis abbatialibus et episcopalibus excolitur, et paulatim fit scholastica. Hinc jam incipit *systematica* expositio ethicæ et via paratur Summis theologiæ.

30. (A) Inter **Græcos** eminet **Joannes Damascenus** (f. an. 740), qui in libro de *Orthodoxâ fide*, et in opusculis de *Jejuniis*, de *Virtutibus et vitiis*, præcipua ethicæ principia digessit[1]. Aristotelicam philosophiam christianæ fidei accommodare tentavit, et ita viam Scholasticis aperuit. Statuit duplicem esse legem : legem Dei testimonio conscientiæ manifestatam, cui obediendum est, et legem peccati, cui resistere debemus. Legem Dei adimplendo, Ei similes efficimur. Deo debetur adoratio, seu cultus latriæ. Eum pariter glorificamus virtutes fidei, spei et caritatis exercendo. Erga proximum justitiam, caritatem et beneficentiam colere debemus. Ad id vero præstandum duo sunt necessaria : sui abnegatio et oratio. — Alibi de sacramentis et cultu imaginum præclare disserit.

31. (B) Inter **Latinos**, floruerunt : (a) **S. Isidorus Hispalensis** (f. an. 601), qui, in *Sententiarum libris tribus* et in libris duobus de *ecclesiasticis officiis*, antecessorum doctrinam moralem et asceticam digessit; a coævis et Scholasticis tanquam ecclesiæ catholicæ decus habitus est[2].

(b) **Venerabilis Beda** (f. an. 691), tum in commentariis, tum in homiliis, doctrinam moralem modo exhortatorio et fusiori stylo exposuit[3]; in Scripturis studiosissimus et valde eruditus, ob doctrinæ et virtutum merita Venerabilis dictus est.

(c) **Alcuinus** (f. an. 755), præter commentaria moralia in Scripturam, scripsit libros de Psalmorum usu, de baptismi cæremoniis, de confessione, ubi ejus necessitatem probat, de virtutibus et vitiis, de animæ ratione, in quibus multa utilia et pia congessit[4].

---

[1] Ejus opera edidit *Migne*, P. G., t. XCIV et XCV; cfr. *Grundiener*, Johannes Damascenus (thèse), Utrecht, 1876; *Lupton*, S. John of Damascus, London, 1884; *V. Ermoni*, S. Jean Damascène, Paris, 1904.

[2] Ejus opera vide ap. Migne, P. L., t. LXXXI-LXXXIV; cfr. *Menandez Pelayo*, S. Isidore et l'importance de son rôle dans l'histoire intellectuelle de l'Espagne, in *Annales de Philos. chrét.*, nouv. série, t. VII, 1882, p. 258-269.

[3] *Migne*, P. L., t. XC-XCV; cfr. *Gehle*, De Bedæ venerabilis vitâ et scriptis, Leyde, 1838; *dom Plaine*, Le Vénérable Bède, in *Revue anglo-romaine*, 1896, t. III, p. 49-96.

[4] *Migne*, P. L., t. C-CI; cfr. *Monier*, Alcuin et Charlemagne, 1864, *Werner*, Alcuin und sein Jahrhundert, Paderborn, 1876; *Hamelin*, Essai sur la vie et les œuvres d'Alcuin (thèse), Paris, 1877.

(d) **Hincmarus**, arch. Rhemensis (f. an. 845), opuscula varia scripsit de cavendis vitiis et virtutibus exercendis, de coercendis militum rapinis, de coercendo raptu viduarum, puellarum et sanctimonialium, etc[1].

(e) **Rabanus Maurus**[2] (f. an. 847) exaravit libros de laudibus S. Crucis, de clericorum institutione, de consanguineorum nuptiis, et de magorum præstigiis falsisque divinationibus, de sacris ordinibus, de ecclesiasticâ disciplinâ, de videndo Deum, de puritate cordis et modo pœnitentiæ; de quæstionibus Canonum pœnitentialium, etc.

32. (f) **S. Petrus Damianus** (f. an. 1057) multa edidit opuscula de officiis fidelium, clericorum et monachorum, de sacramentis per impios administratis, de parentelæ et cognationis gradibus, de tempore celebrandi nuptias, de quadragesimâ, de jejunio sabbati, de celebrandis vigiliis, de horis canonicis, de cœlibatu sacerdotum, de communi vitâ clericorum, de perfectione monachorum, etc. Quorumdam sanctorum pariter scripsit historias, ut horum exemplis præcepta firmaret[3].

(g) **S. Bernardus** (f. an. 1120), "ultimus inter Patres, primis certe non impar," ait *Mabillon*, de re morali, asceticâ et mysticâ ita scripsit ut Doctor *mellifluus* appellari meruerit. Præter sermones de tempore, de diversis, de Cantico Canticorum, plurima exaravit opuscula, præsertim de gradibus humilitatis et superbiæ, de diligendo Deo, de gratiâ et libero arbitrio, de baptismo, de præcepto et dispensatione, et libros quinque de consideratione ad Eugenium III. Erga B. Virginem devotissimus, eam ut mediatricem ad Mediatorem et aquæductum gratiæ salutat; nec tamen ejus immaculum conceptum agnoscit. Mysticæ theologiæ fundamenta jacet, et de amore Dei exstatico præclare disserit[4].

33. (C) Ad eamdem epocham referri debent : (a) *Libri pœnitentiales*, in quibus catalogus texitur gravium peccatorum et canonicarum pœnarum his adnexarum. Quos libros ediderunt : inter **Græcos**, Joannes Jejunator, Theodorus Studita, Nicephorus Constantinopolitanus[5]; inter **Latinos** vero innumeri fere auctores, quales

[1] *Migne*, P. L., t. CXXV-CXXVI; cfr. *Vidieu*, Histoire de Reims, étude sur le IXe s., Paris, 1875.

[2] *Migne* P. L., t. CVII-CXII; cfr. *Dahl*, Leben und Schriften des Erzbischofs R. Maurus von Mainz, Fulda, 1828.

[3] *Migne*, P. L., t. CXLIV-CXLV; cfr. *Vogel*, Peter Damiani, Jena, 1856; *Capecelatro*, Storia di S. P. Damiano e del suo tempo, Firenze, 1862.

[4] *Migne*, P. L., t. CLXXXII-CLXXXV; cfr. *Neander*, Der heilige Bernhard, Berlin, 1813; *S. Hüffer*, Der heilige Bernhard von Clairvaux, Munster, 1886; *Vacandard*, Histoire de S. Bernard, Paris, 1895; *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., t. II, p. 746-785.

[5] Hos invenies ap. *Migne*, P. L., t. LXXXVIII, p. 1889-1918; t. XCIX, p. 1721-1734; t. C, p. 855-864.

fuere S. Columbanus, Cummianus, Egbertus, Theodorus Cantuariensis, Rabanus[1].

(b) *Collectiones canonum* et *decretorum*, in quibus sub variis titulis referuntur aut digeruntur leges ecclesiasticæ. Ita *S. Isidoro Hispalensi* adscribitur vetustissima collectio, quæ in decem libros distribuitur : de institutionibus monasteriorum et monachorum atque ordinibus pœnitentium, de institutionibus judiciorum, de institutionibus officiorum et ordine baptizandi, de diversitatibus nuptiarum, de generalibus regulis clericorum ceterorumque christianorum, de honestate et negotiis principum, de Deo et de his quæ sunt credenda de illo, de abdicatione hæreticorum, de idololatriâ et cultoribus ejus[2]. — Multæ sunt aliæ collectiones, quas ediderunt, inter alios, Egbertus Eboracensis, Isaac Lingonensis, Burchardus Wormatiensis, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, præsertim vero *Gratianus*, cujus Decretum *Corpori juris Canonici* insertum fuit[3].

II. Theologia moralis Theologorum ætate[4].

34. Scientia morum, jam a sæculo XII, a theologis exponitur modo *systematico*, *didactico* et *philosophico*. Elementa a Patribus et Conciliis elaborata in *unum corpus organicum* coadunantur et logico ordine distribuuntur; nec per modum exhortationis aut sub homiliarum formâ exponuntur, sed *didactice* prout fieri solet in scholis; simulque accommodantur philosophiæ præsertim *aristotelicæ*, quæ tunc in Universitatibus tradebatur. Duplex est epocha : prior, *scholastica*, quæ a sæc. XII ad sæc. XVI sese extendit; posterior, *moderna*, a sæculo XVI usque ad nostra tempora.

---

[1] Quos vide ap. *Migne*, P. L., t. LXXX, p. 228-230; t. LXXXVII, p. 979-998; t. LXXXIX, p. 401-436; t. XCIX, p. 927-988; t. CXII, p. 1397-1424. — Cfr. *J. Schmitz*, Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche.

[2] Ap. *Migne*, P. L., t. LXXXIV, p. 25-92; Ibid., p. 849-914, invenitur præfatio historico-critica, auctore *C. de la Serna Santander*.

[3] *Egberti* et *Isaac* collectiones invenire est ap. *Migne*, P. L., t. LXXXIX, p. 379; t. CXXIV, p. 1075; cfr. *Ballerini*, De antiquis collectionibus et collectoribus canonum.

[4] *Simler*, Des Sommes de théologie, Paris, 1871; *Hauréau*, Hist. de la philos. scolastique, 2e éd., Paris, 1880; *De Wulf*, Hist. de la philosophie mediévale, Louvain, 1900; *Picavet*, Esquisse d'une histoire générale et comparée des philosophies mediévales, Paris, 1905; *Hurter*, S. J., Nomenclator litterarius, t. IV, Œniponte, 1899. Pro *Gallicis* auctoribus : *Histoire littéraire de la France; P. Feret* La Faculté de Théologie de Paris, Paris, 1894-1897; — pro *Germanis Michael*, S. J.. Geschichte des deutschen Volkes, Frib.-Br. t. III, 1903.

1° *Theologia moralis scholastica.*

Tres periodi in theologiâ scholasticâ distingui possunt : prima, quæ est præparatoria (sæc XII); secunda, vere aurea (sæc. XIII); tertia, quæ paulisper in subtilitates decidit (sæc. XIV-XV.)

35. (A) In **primâ periodo**, jam via paratur evolutioni theologiæ quarumdam scholarum fundatione. Ita schola *Beccensis* a **Lanfranco**[1] fundata, et a **S. Anselmo**[2] illustrata, novam methodum induxit, nempe scholasticam, cujus ope multæ conclusiones e principiis revelatis deducuntur, et in unum corpus doctrinæ digeruntur. Hi tamen de re morali nonnisi obiter scripserunt. Neque prætermitti potest schola **Abælardi**, licet in pluribus erraverit; *Introductio ad Theologiam*, quam scripsit Abælardus, est veluti theologiæ summa, quâ multum usi sunt auctores non solum coævi sed etiam posteriores; aliud opus, *Scito teipsum*, Ethicæ naturalis exhibet compendium[3]. Pariter schola *S. Victoris* (Parisiis), etsi minus didactica et magis mystica, non parum contulit ad theologiæ progressum; inter doctores hujus scholæ eminet **Hugo a S. Victore**, qui in libris *de Sacramentis*, totius theologiæ dogmaticæ et moralis compendium tradit[4].

Sed doctor celeberrimus hujus temporis fuit **Petrus Lombardus**, professor theologiæ, posteaque episcopus Parisiensis, qui in quatuor libris sententiarum summam Theologiæ dogmaticæ et moralis ex Patribus collegit et methodo scholasticâ digessit. In tertio et quarto libro, post expositum mysterium Incarnationis. agit de vitâ

---

[1] Ejus opera edidit *Migne*, P. L., t. CL; notatu dignus est libellus de Celandâ confessione, ibid., p. 625-632, ubi ait pœnitentem posse, deficiente sacerdote, confiteri clericis, imo et fidelibus; cfr. Lecomte, Ecole de l'Abbaye du Bec, thèse, Rouen, 1878.

[2] *Migne*, P. L., t. CLVIII-CLIX; ejus doctrinam moralem invenies præsertim in homiliis, sermonibus et meditationibus; cfr. *Card. d'Aguirre*, S. Anselmi Theologia, Salamanque, 1678-1681; *Ragey*, Hist. de S. Anselme, Paris, 1890; *J. M. Rigg*, S. Anselm of Canterbury, London, 1896; *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., t. I, p. 1327-1350.

[3] *Ch. de Rémusat*, Abélard, sa vie, sa philosophie et sa théologie, Paris, 1855; *Vacandard*, Abélard, sa lutte avec S. Bernard, sa doctrine, sa méthode, Paris, 1881; *Denifle*, Abælards Sentenzen und die Bearbeitung seiner Theologia, in *Archiv* für Literatur... des Mittelalters, Frib.-Br., 1885, t. I; *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., t. I, p. 36-55.

[4] Migne, P. L., t. CLXXV-XXVIII; cfr. *Mignon*, Les origines de la Scolastique et Hugues de S. Victor, Paris, 1895, t. II, p. 77-395; *Simler*, Des Sommes de théologie, thèse, p. 78-96; *Engelhardt*, Hugo von S. Victor..., Erlangen, 1838. — *Summa sententiarum*, olim Hugoni adscripta, ab uno ex ejus discipulis scripta fuit, et ab erroribus Abælardi non satis recedit; cfr. *Vac.-Mangenot*, Dict., t. I, p. 53.

christianâ, quæ principaliter sita est in virtutibus theologicis fidei, spei et caritatis, et secundario in virtutibus moralibus; sed insuper, ad finem nostrum consequendum necesse est decem Decalogi præcepta legemque evangelicam servare. Postea de sacramentis disserit in genere et in specie, et de consummatione vitæ christianæ in cœlo. *Magister Sententiarum* appellatus est, et ejus opus in scholis per plura sæcula ab illustrissimis theologis expositum est[1].

36. (B) In **secundâ periodo,** scholis jam successerunt Universitates, et opusculis aut libris sententiarum succedunt *Summæ theologicæ* immensæ molis, eruditionis maximæ, in quibus veritates non solum dogmaticæ, sed morales sub variis respectibus, et adversus quoslibet errores, fuse exponuntur atque demonstrantur. Præcipui doctores fuêre :

(a) **Alexander Alensis** († 1245), in Angliâ natus, discipulus ac postea Magister in Universitate Parisiensi, ætate jam provectâ in ordinem S. Francisci ingressus, Doctor irrefragabilis vocatus, Summam theologicam scripsit, in quâ, post expositum Incarnationis mysterium, de ethicâ christianâ disserit : de lege æternâ et naturali, de lege mosaicâ et evangelicâ, quibus ad vitam æternam homo dirigitur; de gratiâ, cujus ope legem servare valemus; de virtutibus, quæ nos inclinant ad vivendum conformiter legi; de sacramentis, quibus gratiam ad salutem necessariam accipimus. Morte vero præventus, de virtutibus et sacramentis opus suum complere nequivit[2].

37. (b) Hac ætate florere cœperunt *scholæ* theologicæ inter regulares. Ordinem *Dominicanum*[3] duo luminaria illustrarunt, *Albertus* et *Thomas.*

B. Albertus Magnus[4] (1206-1280) Parisiis et Coloniæ professor, " magnus in magiâ naturali (i. e. in scientiis naturalibus), major in philosophiâ, maximus in theologiâ ", in *Summâ theologiæ*, præsertim in secundâ parte, de homine ejusque primævo statu, de gratiâ

[1] *Migne,* P. L., t. CXCI-CXII; cfr. *Simler*, op. cit., p. 89 sq.; *Protois*, Pierre Lombard, son époque, sa vie, ses écrits, son influence, Paris, 1881; *Baltzer*, Die Sentenzen des Petrus Lombardus, Leipzig, 1902.

[2] *Summa Alexandri Alensis*, Venetiis, 1475; aliæ editiones, quarum optima est Veneta, 1575-1576, sub hoc titulo : *Universæ theologiæ Summa.* Cfr. *Wadding*, Scriptores Ordinis Minorum; *Simler*, op. cit., p. 97-133; *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 772-785.

[3] De theologis dominicanis lege *Jac. Quetif.-Echard*, Scriptores ordinis Prædicatorum, Parisiis, 1719.

[4] Ejus opera Lugduni edita fuêre, curante P. Jammy, 1651. Cfr. *Sighart*, Albertus Magnus, Ratisbonne, 1857, gallice redditum, Paris, 1862; *Weddingen*, Albert le Grand, Paris et Bruxelles, 1881; *W. Feiler*, Die Moral des Albertus Magnus, Leipzig, 1891; *Vacant*, Dict. de Théol. t. I. p. 666.

et peccatis erudite disserit; in *Summâ de creaturis* utilia tradit de hominis psychologicis propensionibus. Sed, in re theologicâ, discipulum sibi superiorem instituit, Thomam Aquinatem.

38. **S. Thomas** († 1274), Doctor *Angelicus*, in Universitate Parisiensi et in nonnullis Italiæ academiis sacram theologiam erudite atque accurate docuit. Antecessorum doctrinas velut dispersa cujusdam corporis membra in unum collegit et coagmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis adauxit. Ejus ethica invenitur in commentariis in quatuor libros Sententiarum, Summâ theologicâ, Quæstionibus disputatis et Quodlibetis. Admirabilem exhibet synthesim totius ethicæ christianæ.

In primâ parte Summæ theologicæ, de Deo agit, quatenus est *primum principium* omnium creaturarum; in secundâ, de motu rationalis creaturæ in Deum; hæc est pars moralis, quæ vere *aurea* habita fuit etiam ab eis qui ejus philosophica principia rejiciebant; in tertiâ, de Christo, quatenus via est tendendi in Deum, et de sacramentis disserit.

In parte morali, non minus ac in parte dogmaticâ, elucet ordo vere scientificus. Imprimis agit de *ultimo hominis fine*, qui Deus est; postea de *actibus humanis* quibus ad hunc finem tendimus. Actus humani spectantur tum *in se*, tum in suis *principiis*, sive internis sive externis. Notionibus generalibus ita expositis, S. Doctor disserit de officiis quæ omnibus *communia* sunt : hæc reducuntur ad *virtutes* theologicas et morales, quarum præcipuæ dicuntur cardinales; tandem de officiis cujuslibet statûs : ibi comparationem instituit inter vitam activam et passivam, et quæ ad statum perfectionis requiruntur egregie declarat. *Sacramenta*, de quibus in tertiâ parte, sunt media quibus gratia confertur ad officia christiana rite adimplenda. Cum de virtutibus sermonem habet, non exponit solum ea quæ necessaria sunt ad peccatum vitandum, sed etiam quæ ad perfectionem desiderantur : ita theologiam moralem ab asceticâ non avellit, sed utramque simul complectitur[1].

39. (c) In scholâ *Franciscanâ*[2] floruêre præsertim *Bonaventura* et *Scotus*.

S. Bonaventura (1221-1274), doctor *Seraphicus*, Balneoregii in Etruriâ natus, sacram Theologiam in Universitate Parisiensi tradidit, posteaque electus est Generalis Minister Ordinis, Episcopus Albanensis et Cardinalis. Ejus moralem doctrinam invenire est : in *Commentariis* in quatuor libros Sententiarum; *Quæstionibus dispu-*

[1] *Touron*, La vie de S. Thomas d'Aquin, avec un exposé de sa doctrine et de ses ouvrages, Paris, 1737; *Bareille*, Histoire de S. Thomas d'Aquin, 4e éd., 1862; *Werner*, Der heilige Thomas von Aquino, Ratisbonne, 1858-1859; *Féret*, op. cit., t. II, p. 443-486.

[2] De theologis hujus scholæ vide *Wadding*, Scriptores Ord. Minorum, Romæ, 1650.

tatis, ubi, inter alia, disserit de perfectione evangelicâ, nempe humilitate, paupertate, continentiâ et obedientiâ; *Itinerario mentis in Deum*, ubi ostendit Deum attingi posse præsertim per *vestigia* quæ in sensibili mundo reliquit, per *imagines* hominis facultatibus inditas, per *speculationem* seu contemplationem; *Collationibus* de septem donis Spiritûs Sancti, et de decem præceptis. Neque prætermitti debent ejus opera *ascetica : De triplici viâ*, cui titulus etiam *Incendium amoris*, ubi declarat animam Deum attingere triplici viâ, meditatione, oratione et contemplatione; *Soliloquium*, *Lignum vitæ*, seu contemplatio de Passione Domini, etc. — In rebus speculativis S. Thomæ æquiparari nequit, sed in mysticis habetur facile princeps; et, cum inter Angelicum et Seraphicum Doctorem magna sit virtutis, sanctitatis et doctrinæ similitudo, amborum opera legere pretium est[1].

Joannes Duns Scotus[2] († 1308), Doctor *subtilis*, Oxonii, Parisiis et Coloniæ theologiam docuit; neque Thomæ neque Bonaventuræ adhæsit, sed horum doctrinas critice et subtiliter expendens, frequenter novas opiniones proponit atque propugnat, quin tamen in hæresim ipse incidat. Cujus opus principale fuit Commentarius in quatuor libros Sententiarum, quem Oxonii scripsit et Parisiis perfecit. Ejus doctrina moralis in multis discrepat a doctrinâ thomisticâ : moralitatis norma, juxta ipsum, magis pendet a liberâ Dei voluntate quam ab ipsâ naturâ rerum qualis a divinâ sapientiâ percipitur; hinc lex naturalis non est tam immutabilis præsertim quoad officia erga proximum. Alia sunt discrimina quæ in decursu operis exponentur.

40. (d) Extra præfatas regularium scholas floruit **Gulielmus**, dictus **Arvernus**, propter regionem in quâ natus est, et **Parisiensis**, quia Parisiis theologiam docuit, et hujus civitatis episcopus fuit († 1249). Varios tractatus scripsit de re morali, præsertim Summam virtutum et vitiorum, et opuscula de Fide et Legibus, de remediis tentationum, de claustro animæ, de pœnitentiâ, de pluralitate beneficiorum, etc.

---

[1] Optima editio operum S. Bonaventuræ curantibus præsertim *Fideli de Fanna* et *Jeiler*, Quaracchi typis mandata fuit, 1882-1902. Cfr. *Prosper de Martigné*, La scolastique et les traditions franciscaines, Paris, 1888, p. 79-116; *L. de Chérancé*, S. Bonaventure, Paris, 1899; *A. de Margerie*, Essai sur la philosophie de S. Bonaventure, Paris, 1855; *Werner*, Die Psychologie und Erkentnisslehre des Joh. Bonaventura, Vienne, 1876; *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., t. II, p. 962-986.

[2] Cujus opera edidit *Wadding*, Lugduni, 1639. Cfr. *Werner*, J. Duns Scotus, Vienne, 1881; *Seeberg*, Die Theologie des Duns Scotus; *Pluzanski*, Essai sur la Philosophie de D. Scot, Paris, 1887; *Vacant*, Etudes comparées sur la Philosophie de S. Thom. d'Aquin et celle de D. Scot, Paris, 1891.

(c) Eâdem ætate **S. Raymundus de Pennafort**[1] *Decretales Gregorii IX* colligebat et publici juris faciebat, quinque libris totam doctrinam canonicam hujus temporis exponendo. Edidit etiam summam de casibus pœnitentialibus ubi agebat de peccatis in Deum et in proximum, de sacramentorum ministris, necnon de matrimonio.

41. (C) In **tertia periodo**, theologia moralis minus diserta et synthetica evadit, et intolerabili distinctionum abusu deformatur. Cujus præcipuæ causæ fuere nominalismi propagatio, dissensiones inter varias theologorum scholas, Magnum Schisma atque morum corruptio. Quare pauca tantum opera notatu sunt digna.

Inter præcipuos auctores qui de re morali scripserunt, recensentur :

(a) **Petrus Alliacensis**[2] (1350-1420), qui, præter quæstiones super libros sententiarum, opuscula digessit de conscientiâ erroneâ, de sacramentis, etc. Erudite scribit, sed tenet nullam actionem esse *in se* malam, sed solum quia lege prohibetur.

(b) **Joannes Gerson**[3] (1363-1429), cujus præcipua opera moralia, sapientiâ et pietate refulgent : Compendium theologiæ; de præceptis Decalogi; de confessione et arte moriendi; de parvulis ad Christum trahendis; de cœlibatu; de oratione; de contractibus, etc.

42. (c) Hâc eâdem ætate digesta sunt quædam opera ad usum confessariorum, summæ casuum conscientiæ aut summæ confessionales, in quibus regulæ tradebantur ad solvendas quæstiones practicas quæ in sacro tribunali occurrunt; præcipui horum operum auctores fuerunt : *Monaldus*, O. Min. († 1285), *S. Astesanus* (auctor anonymus ab oppido Asti), O. Min., († 1330); *Bartholomæus de Sanctoconcordio*, O. Præd. († 1347); sed præsertim *S. Antoninus*, O. Præd. (1389-1459), archiep. Florentinus, qui Summam theologicam scripsit, in re morali etiam hodie merito laudatam; *Sylvester Prieras* (1502) qui Summam casuum conscientiæ exaravit.

(d) Opera *mystica* ediderunt Magister *Eckart* († 1327), qui tamen in quemdam pantheismum inscius lapsus est; *Joannes Taulerus*, O. P. (1290-1361), qui de veris virtutibus et gradibus christianæ perfectionis scripsit; *Henricus Suso*, O. P., quorum opera, valde pia et jucunda, recenter curante *Denifle* typis mandata sunt.[4]

---

[1] Cfr. *Raymundiana*, seu documenta quæ pertinent ad S. Raym. de Pennaforti vitam seu scripta, auct. *Balme*, *Baran*, *Colomb*, Rome et Stuttgart, 1901.

[2] *Tschackert*, Peter von Ailly, Gotha, 1877; *Salembier*, Petrus de Alliaco, thèse, Lille, 1886; *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 642.

[3] *Jourdain*, Doctrina Gersonii de theologiâ mysticâ, Paris, 1838; *J. B. Schwab*, Johannes Gerson, Wurtzbourg, 1859; *Masson*, Jean Gerson, sa vie, son temps, ses œuvres, Lyon, 1894.

[4] Cfr. *Delacroix*, Essai sur le mysticisme spéculatif en Allemagne au XIVe siècle, Paris, 1900.

2° *Theologia moralis moderna.*[1]

43. Theologia moralis, quæ sæc. XIV et XV dormitaverat, e somno excitata per Humanistarum et Protestantium impugnationes, novas vires suscepit, et per duo fere sæcula profecit; sed, labente sæculo XVII et deinceps, iterum defecit, præsertim ex eo quod *nimium* exculta fuit casuum particularium minuta, et quandoque nimis benigna, investigatio, quæ casuistica dicitur.

44. **(A) Prima periodus progressiva.** Hujus profectûs causæ præcipuæ fuerunt: vera reformatio per Concilium Tridentinum absoluta; necessitas fidem moresque contra Protestantes et Rationalistas propugnandi; institutio variorum ordinum clericorum regularium et Congregationum, speciatim Societatis Jesu, e quâ prodiit theologorum agmen; novarum Universitatum institutio aut antiquarum renovatio; artis typographicæ inventio, cujus ope antiqua Patrum et theologorum opera multa facilius omnibus præsto evaserunt. — Quare theologia ad suos fontes revocata fuit, Scripturam et Patres; methodus non fuit exclusive dialectica, sed partim historica; non paucæ subtilitates evanuerunt, et novæ quæstiones, temporum necessitatibus accommodatæ, sedulo expensæ fuerunt. — P. Lombardi liber sententiarum paulatim a scholis removetur, dum S. Thomæ summa theologica commentariis egregie exponitur. — Præcipuos theologos in quâlibet schola recensere sufficiet, et optima opera quæ de re morali scripserunt.

45. (a) In scholâ **dominicanâ** seu ordine Prædicatorum, floruerunt : *Thomas Card. Cajetanus* (1510) : Commentaria in Summam S. Thomæ, Summa casuum conscientiæ, ubi probabilioristam se ostendit; *Fr. de Victoria* († 1546) : Theologiæ relectiones, ubi inter alia, præclare agit de jure belli, de matrimonio, de augmento caritatis, de temperantiâ, de homicidio, de arte magicâ, de simoniâ; *Bartholomæus Medina* († 1581) : Comment. in primam et tertiam partem summæ S. Thomæ; princeps moderatorum probabilistarum merito habetur; **Dominicus Soto** († 1560) auctor gravis probabilista : De justitiâ et jure; de cavendo juramentorum usu; de ratione tegendi et detegendi secretum; comment. in 4 lib. sententiarum ; *Petrus Soto* († 1563) : opus classicum de institutione sacerdotum; *Barthol de Ledesma :* summa casuum conscientiæ; *Joannes a S. Thoma* († 1644), eximius S. Thomæ expositor; *J. B. Gonet* († 1681), acuitate ingenii præclarus, benigniores probabilismi sententias ut intolerabiles laxitates et præceptorum divinorum elusionem reprobavit, in parte morali Clypei thomistici contra novos ejus impu-

[1] Cfr. *Hurter*, Nomenclator litterarius recentioris theologiæ catholicæ, Œniponte, 1892-1895, cum variis auctoritatibus ibidem allegatis

gnatores; *Joan. Martinez de Prado* († 1668) : Theologiæ moralis quæstiones præcipuæ; De Sacramentis in genere et in specie.

46. (b) Inter **Franciscanos** : — *Antonius Cordubensis* († 1578), Comment. in 4 libros sententiarum, et quæstionarium theologicum, seu silva casuum conscientiæ; *Em. Rodriguez* († 1613), Quæstiones regulares et canonicæ; *Joannes a Trinitate*, Contra confessarios sollicitantes; *Martinus de S. Josepho* († 1649), Summa theologiæ moralis; *Joannes Maria de Castilento* († 1653) ordine alphabetico digessit Seraphicam theologiæ moralis polyantheam; *Gesualdus de Bononiis*, O. Cap. cursum integrum theologiæ moralis edidit; *Petrus Marchant* († (1661), insignis probabilista : Tribunal sacramentale et visibile animarum; Notabiles resolutiones variorum casuum et quæstionum practicarum; *Elig. Bassæus* († 1670), O. Cap., flores totius theologiæ practicæ collegit.

47. (c) E nascente **Societate Jesu** multi prodierunt theologi magni nominis [1] : *B. Canisius* († 1597), cujus Summa doctrinæ christianæ, in plures linguas versa, innumeras fere numerat editiones; *Toletus* († 1596), quem magni fecit S. Franciscus Salesius : Instructio sacerdotum, de septem peccatis, Summa casuum conscientiæ absolutissima; *Em. Sa* († 1596), cujus *Aphorismi confessariorum* sunt utilissimi; *Lud. Molina*, († 1600) : De justitiâ et jure, opus magnæ auctoritatis apud juristas; *Greg. de Valentia* († 1603) : Commentaria theologica, in quibus præclare exponit omnes quæstiones in Summâ S. Thomæ contentas; *Joan. Azor* († 1608), probabiliorista moderatus : Institutiones morales; *Fr. Suarez* († 1617), inter modernos theologos eruditissimus, clare simul et profunde, et quidem fusiori calamo, de præcipuis moralibus quæstionibus scripsit; *Gabriel Vasquez* († 1604), ingenii acumine et profunditate celebris, commentarium scripsit in 1^{am} 2æ S. Thomæ, necnon opuscula de eleemosynâ, de scandalo, de restitutione, etc.; *Thom. Sanchez* († 1610) qui fuse de matrimonio disserit; *V. Filliuccius* († 1622) de christianis officiis et casibus conscientiæ scripsit, ex quibus ipse confecit synopsin universæ theologiæ moralis; in benigniores opiniones protendit; *Lessius* († 1623), cujus laudatissimum opus agit de jure et justitiâ ceterisque virtutibus cardinalibus; *Ægidius Coninck*, Lessii non indignus discipulus († 1633) : De sacramentis et censuris; de moralitate, naturâ et effectibus actuum supernaturalium, ubi de fide, spe et caritate; *P. Laymann*, probabilista moderatus († 1635) : Theologia moralis; *Ripalda* († 1648), de virtutibus theologicis præclare scripsit; *Joan. Card. de Lugo* († 1660), ingenii acumine et perspicuitate clarissimus, aliorum opiniones accuratæ crisi subjicit et suas solide propugnat : De virtute fidei divinæ; de justitiâ et jure; de eucharistiæ sacramen-

[1] Cfr. *A. Backer*, Bibliothèque des Ecrivains de la Compagnie de Jésus, Liège, 1869-1876; nova editio curante *Ch. Sommervogel*, Bruxelles, 1890.

to et sacrificio; de virtute et sacramento pœnitentiæ; de suffragiis et indulgentiis; responsa moralia; *Theophilus Raynaudus* († 1663), diserte et facunde non tamen semper critice, de virtutibus et vitiis scripsit, necnon de æquivocatione et mentali restrictione; *H. Busembaum* († 1668), benignus probabilista, perspicuâ methodo celeberrimus, cujus *Medulla theologiæ moralis* ultra 200 editiones attigit, et commentariis exposita est a Lacroix, S. Alphonso et Ballerini; *Antonius de Escobar* († 1669) benignior probabilista : Liber theologiæ moralis 24 S. J. doctoribus reseratus; Universæ theologiæ moralis receptiores absque lite sententiæ; *Th. Tamburini* († 1675) : Explicatio Decalogi : Methodus expeditæ confessionis.

48. (d) Ex aliis ordinibus quidam pariter prodierunt moralistæ : — Inter *Benedictinos*[1] : *Ludov. Blosius* († 1566), qui in *Speculo religiosorum* aliisque asceticis opusculis, cum genuinâ pietate de virtutibus religiosis disserit; *J. Graffius* († 1620), Decisiones aureæ casuum conscientiæ; *L. Engel*, qui an. 1661 *Manuale parochorum* edidit; *Jos. Saenz de Aguirre* († 1699) : De virtutibus et vitiis morum. — Ex ordine *S. Augustini*[2] : Petrus *Aragon* commentaria vulgavit in 2am 2æ S. Thomæ de fide, spe et caritate, de justitiâ et jure; *Bartholomæus Salon* pariter de justitiâ erudite scripsit. — *Alex. Pellegrino*, († 1634) O. Theat., tractatum de duello exaravit. — *Thomas Hurtado*, O. Cler. reg., benignior probabilista : Tractatus varii resolutionum moralium (1651). — *Seraphinus a Conceptione*[3], O. Carmel., († 1663) : Tractatus de pœnitentiæ virtute et sacramento.

49. (e) E clero *sæculari : S. Carolus Borromæus*[4] († 1584), vitæ et disciplinæ christianæ instaurator, cujus doctrina moralis invenitur in *Actis Ecclesiæ mediolanensis;* speciali laude dignæ sunt instructiones pro confessariis; *S. Franciscus Salesius*[5] († 1622), inter auctores asceticos facile princeps; cujus opera præcipua sunt : Introduction à la vie dévote (Philothea); Traité de l'amour de Dieu (Theotimus); Entretiens spirituels, Lettres, Sermons; *Martinus Azpilcueta, Navarrus* dictus, († 1587) cujus *Manuale* seu Enchiridion confessariorum est opus classicum; *Martinus Bonacina* († 1631), rerum copiâ et doctrinæ perspicuitate celebris : Theologia moralis; tract. tres de legibus, peccatis et præceptis Decalogi; *Franciscus Sylvius* († 1648) cujus præcipuum opus est nitidissimus commentarius in Summam S. Thomæ.

---

[1] De scriptoribus benedictinis adeas *Ziegelbauer*, Historia rei literariæ ordinis S. Benedicti, Vienne, 1754; *dom François*, Biblioth. générale des écrivains de l'Ordre de S. Benoît, Bouillon, 1777-1778; *Vac.-Mangenot*, Dict. de Théol., t. II, p. 602-628.

[2] Cfr. *Gandolfus*, Dissertatio historica de ducentis augustinianis scriptoribus, Romæ, 1740.

[3] De quo aliisque Carmelitis, cfr. Bibl. Carmelitana, Aurelianis, 1752.

[4] *Vac.-Mangenot*, Diction. de Théol., t. II, p. 2267.

[5] *Hamon*, Vie de S. François de Sales, 3e éd., Paris, 1858.

50. (B) **Secunda periodus paulatim decidens.** In hâc secundâ periodo, theologia moralis minus scientifica paulatim evadit, atque *magis casuistica.* Discrimine facto inter theologiam *asceticam* et *stricte moralem*, sæpe summæ seu manualia theologiæ moralis omnino prætermittunt aut nonnisi obiter tangunt vitæ christianæ principia et media ad virtutes colendas; exponunt præsertim quid stricte requiratur ad vitandum peccatum. Exinde acriter disputatur inter probabilioristas et probabilistas quid sub gravi, quid sub levi prohibeatur et quid tolerari possit; de excellentiâ virtutum, de motivis et mediis eas colendi vix aliquid innuitur, sub prætextu quod hæc ad theologiam asceticam spectant. Hinc Theologia moralis in quamdam *pathologicam spiritualem* vertitur. Præterea haud raro antiquatæ aut otiosæ quæstiones fuse agitantur, novaque problemata, quæ ex mutatis circumstantiis oriuntur, vix obiter attinguntur. Quare paulatim nomen *casuistæ* odiosum evadit.

51. Attamen, etiam in hâc ætate, non pauci inveniuntur theologi qui res morales egregie elucidaverint. Inter quos : —

(a) **E societate Jesu** : — *Claudius Lacroix* († 1714), doctus et moderatus probabilista[1] : Theologia moralis; *Joan. Reuter* († 1762), auctor gravis et sapiens : Theologia moralis quadripartita; Neo-confessarius practice instructus; *Dom. Viva* (fl. 1710), præter cursum theologico-moralem, scripsit opus valde utile et classicum : Damnatæ theses ab Alex. VII, Innocent. XI, et Alex. VIII; *P. Gabriel Antoine*, probabiliorista, cujus Theologia moralis universa (an. 1726 edita) jussu Benedicti XIV in collegio de Propagandâ Fide exposita fuit; *Edm. Voit* († 1780), cujus theologia moralis est valde practica; *P. Gury* († 1866), cujus *Compendium theologiæ moralis* et *Casus conscientiæ* sæpe prodierunt : opus breve, nitidum et perspicuum, sed mere casuisticum; varias editiones notis illustratas aut emendatas ediderunt *Cercia*, *Dumas*, *Sabetti*, præcipue *Ballerini*, qui insuper *Opus morale* scripsit valde eruditum quod publici juris fecit *Palmieri* (3ª ed. 1898); *Génicot*, qui Opus morale Ballerini meliori ordine ac breviter digessit (3ª ed. 1900); *Lehmkuhl*, cujus Theologia moralis (ed. 10ª, 1902) magis scientifica est et opiniones moderatas exhibet; *Noldin*, cujus Summa moralis (3ª ed. 1902) perspicuitate et soliditate doctrinæ insignis est.

52. (b) Ex ordine **Prædicatorum** : *Natalis Alexander* († 1724), scientiâ et eruditione præstans, qui, præter opera historica, Theologiam

[1] Theologi Societatis Jesu, paucis exceptis, probabilismum propugnant.

dogmaticam et moralem nitide digessit; *J. Mayol*, an. 1704, edidit Summam moralis doctrinæ thomisticæ, ubi moderatas opiniones propugnat; *Carolus R. Billuart* (1757), probabiliorista moderatus, scripsit cursum universæ theologiæ ad mentem S. Thomæ; *Benatus Drouin* († 1742) eruditum expolivit tractatum de re sacramentareâ; *Vinc. Ludovicus Gotti* († 1742), qui pariter doctrinam Angelici Doctoris lucide exposuit; *Daniel Concina* († 1756), rigidus probabiliorista, probabilistas impugnavit præsertim in opere; Della storia del probabilismo e del rigorismo, necnon in Theologiâ christianâ dogmatico-morali; *Joan. Vincentius Patuzzi* († 1769), probabilismi acerrimus impugnator : Ethica christiana; Trattato della regola prossima delle azioni umane, etc.; *M. A. Potton*, in opusculo de Theoriâ probabilitatis compensationis systema exposuit, an. 1874. Neque prætermitti potest *H. D. Lacordaire* († 1861), qui eloquenter de nonnullis christianis virtutibus sermonem habuit in suis Conferentiis.

(c) Ex ordine **Carmelitarum** prodiit celebris *Cursus theologiæ moralis Salmanticensis*, quem digesserunt *Franciscus a Jesu Maria*, *Andreas a Matre Dei*, *Sebastianus a S. Joachim*, *Alphonsus ab Angelis* (an. 1717.1724) : copiâ rerum et doctrinæ perspicuitate insignes, sed aliquando benigniores.

(d) Ex ordine **S. Francisci** : *Reiffenstuel* († 1703), qui non solum *Jus Canonicum*, sed etiam *Theologiam moralem* perspicuam et solidam scripsit; *Fr. Henno* elaboravit theologiam dogmaticam et scholasticam, in quâ præcipuas quæstiones exponit (11706-11713); *Patritius Sporer* († 1683) et *Benjamin Elbel* († 1756 scripserunt theologiam moralem, in quâ methodus scholastica simul et casuistica feliciter conjungitur; utrumque opus novis curis recenter edidit *Irenæus Bierbaum* (1894 et 1901; *Pius Van der Velden* († 1857); Principia theologiæ moralis, opus perspicuum et moderatum.

53. (e) **E. Congregatione SS. Redemptoris** : *S. Alphonsus de Ligorio* (1696-1787), qui inter modernos theologiæ moralis auctores merito princeps habetur. Ut viam mediam teneret inter excessus rigidorum et laxistarum, probabilismum temperavit expoliendo systema quod æquiprobabilismus vocatur, ut suo loco exponemus. Cujus præcipua opera sunt : Theologia Moralis[1]; Homo Apostolicus; Praxis confessarii; Examen ordinandorum. Scripsit insuper multa opuscula ascetica, in quibus tuto ostenditur via perfectionis. Inter recentes S. Ligorii interpretes recensentur : *A. Konings*, Theologia Moralis, ed. septima, Neo-Eboraci; *C. Marc*, Institutiones morales alphonsianæ, ed. 4, Parisiis, 1888; *Jos. Ærtnys*, Theologia Moralis, ed. 4ª 1896 : hi perspicue et moderate æquiprobabilismum exponunt.

[1] Criticam editionem Theologiæ Moralis edere incœpit *L. Gaudé*, cum antiquis editionibus diligenter collatam, in singulis auctorum allegationibus recognitam, notisque criticis et commentariis illustratam; t. I, Romæ prodiit 1905.

54. (f) Extra prædictas scholas, nonnulli pariter floruerunt theologi : imprimis *Prosp. Lambertini*, postea S. Pontifex *Benedictus XIV* († 1758), qui sapientissime de jure canonico scripsit, et non paucas morales quæstiones non minus solide quam erudite attigit in libris de Synodo diœcesanâ, Institut. ecclesiasticis, et in Tr. de Sacrificio missæ ; *L. Habert*, doctor Sorbonicus : Theologia dogmatica et moralis, 1707; *P. Collet*, Cong. Miss. : Institutiones theologiæ moralis, 1758; *Eusebius Amort*, canonicus regularis († 1795), probabilista moderatus et eclecticus, valde eruditus : Theologia eclectica moralis et scholastica; Ethica christiana; Moralium actionum regula; Idea amoris divini, seu expositio distincta primi et maximi mandati; *Gaspar Saettler* († 1779), probabiliorista moderatus, scripsit theologiam moralem universam et monita ad parochos; *Sailer* († 1832) multa sapienter scripsit de theologiâ morali, pastorali et asceticâ, præsertim *Handbuch* der chrislichen Moral; Vorlesungen aus der Pastoraltheologie; *J. B. de Hirscher* († 1865) edidit, inter alia opera, *Die chrisliche Moral*, ubi erudite quidem, sed non satis accurate, de vitâ christianâ disserit; *C. Werner*, in historiâ et litteraturâ theologicâ versatissimus, non solum historica opera edidit de Aquinate, de Suarezio, de Bedâ, Alcuino, etc., sed etiam *Enchiridion theologiæ moralis* et *System der chrisliche Ethik; Pruner*, moderatus æquiprobabilista, vulgavit *Lehrbuch der Kath. Moralth.*, 1875-77, cujus nova editio recenter typis recusa fuit; *Bouvier* († 1854), episcopus Cenomanensis, auctor gravis et probabilista moderatus, institutiones theologicas elaboravit, quæ ut Manuale in multis Seminariis Galliæ expositæ fuerunt; *Martinet* († 1874) Theologiam moralem scripsit, in quâ omnia, etiam sacramenta, ad Decalogum referuntur; *Jos. Carrière*, Cong. S. Sulpitii († 1864), erudite, solide ac moderate scripsit de justitiâ et jure, de contractibus et de matrimonio[1]; classica Compendia theologiæ dogmaticæ et moralis digesserunt *Vincent* et *Bonal*, ejusdem Congreg; *Ernestus Maria Müller* († 1888) Theologiam moralem edidit, quæ soliditate doctrinæ et styli perspicuitate insignis est : æquiprobabilismum propugnat; *Jos. d'Annibale* († 1892) Summulam theologiæ moralis concinnam et eruditam scripsit; *Thomas Jos. Bouquillon* († 1902), probabilista moderatus, valde eruditus, magnum opus Theologiæ moralis delineaverat quod complere nequivit; exstant sequentes Tractatus : Theologia Moralis Fundamentalis, ed. 3ª, 1903; De virtutibus theologicis, 1890; De virtute religionis, pars prima, 1880; *Æmilius Berardi*, probabilista, sapienter exponit practicas quæstiones in his præsertim operibus : De recidivis et occasionariis, ed. 5ª, Faventiæ, 1897; Praxis Confessariorum, ed. 4ª, 1903; — utile pariter compendium digessit *Joan. Morino*, Cong. Miss., ed. 5ª, Taurini, 1899.

[1] De quo aliisque S. Sulpitii sodalibus, vide *L. Bertrand*, Bibliothèque sulpicienne, Paris, 1900.

55. **Conclusio.** Ex hoc brevi historico conspectu inferri licet Theologiam moralem, tempore quo florebat, nempe Patrum quarti et quinti sæculi, Scholasticorum sæc. XIII, et Theologorum XVI sæc., non fuisse mere speculativam nec mere casuisticam, sed simul scientificam et practicam : principia morum tum naturali ratione tum auctoritate Scripturæ et Patrum solide probabantur, et ex eis regulæ practicæ inferebantur ad christianam vitæ ordinationem. Præterea non versabatur solummodo circa ea quæ stricte prohibentur, sed etiam circa virtutes quæ ad vitam vere christianam desiderantur. Et merito : accurate quidem definiendum est quid sub gravi, quid sub levi vetitum sit; sed non minoris momenti est motiva et media proponere ad vitia extirpanda virtutesque colendas : nisi enim christiani præ mente habeant *idealem perfectionem* quam Christus ipse verbis et exemplis exhibuit, paulatim refrigescunt et mox in peccatum labuntur. Quod quidam recentes theologi recte intellexerunt, quales sunt *Müller*, *Lehmkuhl*, *Bouquillon*.

In hoc igitur opere, horum vestigiis inhærentes, post exposita generalia morum principia, de virtutibus et officiis ita agemus ut animarum directoribus lucide innotescat non solum quid Christus stricte præceperit, sed etiam quid commendaverit, et quænam sint media ad proficiendum in virtutum praxi : " Qui justus est justificetur adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc [1]. " Quia vero brevitati studemus, lectores frequenter remittimus ad auctores qui fusius de christianâ perfectione egerunt, præcipue ad ipsum Evangelium.

[1] *Apoc.*, XXII, 11.

Theologia Moralis Fundamentalis.

Theologia Moralis Fundamentalis de actibus humanis disserit, quatenus in finem ultimum tendunt, videlicet : —

I. De **Ultimo fine** ad quem tendimus per actus humanos, ac consequenter de **normâ moralitatis,** quæ consistit in ordinatione actuum nostrorum ad hunc finem ultimum.

II. De **Actibus humanis** psychologice et moraliter spectatis, quatenus sunt media generalia ad finem.

III. De **Legibus** divinis et humanis, seu de **normâ externâ** quâ actus ordinantur ad finem.

IV. De **Conscientiâ,** seu de **normâ internâ,** cujus ope leges singulis individuis applicantur ad rectam vitæ ordinationem.

V. De **Peccatis,** seu actibus quibus voluntas a lege et ab ultimo fine deflectit, necnon de **Vitiis,** seu pravis propensionibus et habitibus quibus ad peccatum inclinatur.

VI. De **Virtutibus in genere,** seu de habitibus bonis, quorum ope ad recte vivendum inclinamur, ideoque ad finem ultimum prosequendum.

De Ultimo fine actuum humanorum,

SEU DE FUNDAMENTO MORALITATIS.

1. Tituli declaratio. Merito S. Thomas partem moralem Summæ theologicæ a consideratione *ultimi finis* incipit : ita enim apparet nexus inter theologiam moralem et dogmaticam; cùm enim actuum humanorum moralitas ultimo pendeat ab ultimo fine tum naturali tum supernaturali, hæc moralitas intelligi nequit nisi prius exponatur finis ultimus hominis. Ita etiam solvi potest quæstio de *fundamento* seu *normâ moralitatis* quæ hodie magno æstu agitatur : infra enim demonstrabitur ultimam moralitatis normam esse Deum ultimum finem. Quare in uno eodemque tractatu de *ultimo fine et de normâ moralitatis* agimus, quia hi sunt nonnisi duo respectus unius ejusdemque quæstionis.

Divisio. Duo igitur erunt articuli : prior de *ultimo hominis fine;* posterior *de normâ seu fundamento moralitatis.*

- I. De ultimo hominis fine
  - *Prænotanda :* de fine, bono, perfectione, beatitudine.
  - Deus *ultimus finis* quatenus
    - formaliter a nobis *glorificandus.*
    - nos *beatificans.*
    - per *Christum.*
  - Corollarium : de cooperatione Dei et hominis.
- II. De normâ moralitatis
  - Norma catholica
    - *Intrinsecum* discrimen inter bonum et malum.
    - Deus norma ultima *discriminans* boni et mali et conscientia norma proxima.
    - Deus norma ultima *imperans.*
    - Corollarium de *sanctione.*
    - Conclusio de *excellentiâ* normæ catholicæ.
  - Systemata acatholica
    - Utilitarismus { exponitur. / confutatur.
    - Kantismus { exponitur. / confutatur.
    - Ethica independens { exponitur. / confutatur.
  - Comparatio inter catholicam normam et alias.

Art. I. De ultimo hominis fine.

Cùm in Theologiâ duplici utamur lumine, *ratione* simul et *fide*, hic agitur de fine hominis cùm *naturali* tùm *supernaturali*. Præsupponimus itaque ea quæ in Philosophiâ dicta sunt *de fine* et quæ in *Synopsi Theol. dogmaticæ* statuimus de elevatione hominis ad statum supernaturalem.

Prænotanda.

Attamen, quo lucidius res intelligantur, in memoriam revocamus magis scitu necessaria : 1° de *fine*, præsertim de fine *ultimo;* 2° de *bono morali*, quo in finem tendimus ; 3° de *perfectione*, quæ est hujus boni completa evolutio; 4° de *beatitudine*, quæ ex perfectione oritur.

2. 1° **De fine.** (A) *Notio.* Finis in genere est *id in quod tendit aliquod ens.* Omne ens videlicet, quando agit, tendit ad aliquid certum, determinatum et definitum quod idcirco apte dicitur **finis,** quia *complet* et veluti *terminat* ipsum ; quare vocatur etiam *appetibile*, *bonum*, *perfectio* [1]. Et sane quævis natura actione suâ sponte quærit sui perfectionem et complementum. Sed præ aliis creaturis habet homo quod sit dominus suarum operationum et ita *non moveatur* tantum, sed adhuc *moveat seipsum* in finem et bonum suum. [2]

(B) *Species.* Duplex est finis : finis *operis* et finis *operantis.*

(a) Finis *operis* est id ad quod opus *suâ naturâ* destinatur, independenter ab intentione agentis : ita sublevatio pauperis est finis eleemosynæ. Qui dicitur : 1) *proximus*, seu *intermedius*, quando ad alium finem ulteriorem ipse ordinatur; 2) *ultimus* vero, quando ad aliud non ordinatur : ultimus *secundum quid*, quando talis est solummodo in aliquâ serie rerum (v. g. sanitas respectu medicinæ), *ultimus absolute* et *simpliciter*, quando talis est relate ad omnia entia.

---

[1] Proprie loquendo "bonum vel est finis, vel in ordine ad finem dicitur." *Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 56, a. 1, ad 2. Sed "*finis* principaliter habet rationem boni." Ibid., q. 72, a. 1, ad 1.

[2] **S. Thom.**, *De veritate*, q. XXII, a. 1.

Hic finis ultimus expressius a *S. Augustino* dicitur "finis boni nostri"[1], quasi plenum complementum boni nostri.

Hinc : a) ultimus finis, ex notione suâ, est necessario *unus;* b) cetera bona nequeunt appeti nisi ut *inchoationes* vel *media* relative ad ultimum finem, et ita ex appetitione ultimi finis; c) ultimus finis noster et nostra perfecta beatitudo *coincidunt :* "Beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum[2]."

(b) Finis *operantis* est *motivum* propter quod *agens* operatur : ita finis operantis in eleemosynâ potest esse amor proximi propter Deum vel vana gloria. Qui pariter dicitur *proximus* quando ita intenditur ut *aliud* per ipsum quæratur; *ultimus*, cum in eo sistitur, et quidem sive absolute, sive in aliquâ serie operationum.

3. 2° **De bono.** (A) *Notio.* Bonum in genere est id quod *alicui enti convenit*, seu id quod *terminat* et *quietat appetitum*, seu id quod *perficit ens.* Quæ notiones sese invicem complent : (a) merito quidem dicitur bonum quod alicujus naturæ *convenit;* (b) ens autem merito appetitum *quietat*[3] in apprehensione alicujus objecti sibi convenientis; (c) aliunde *perficitur* in assecutione hujus boni.[4]

(B) *Species.* Bonum triplex distinguitur : *honestum*, *delectabile* et *utile : honestum*, quod perficit ens rationale ideoque consentaneum est rectæ rationi; *delectabile*, quod aliquem delectationis sensum affert; *utile*, quod aptum tanquam *medium* est ad aliud bonum adipiscendum. — Cum vero bonum *utile* non appetatur *propter se*, sed quatenus *medium* ad aliquid aliud consequendum, duo tantum sunt genera bonorum : *honestum*, quod perficit naturam rationalem, et *delectabile*, quod appetitum delectat. Notandum est pariter hæc duo genera bonorum esse quidem *diversa*, non autem necessario opposita; aliqua enim delectatio honesta esse potest, quando scilicet rectæ rationi est conformis.

---

[1] *De Civit. Dei*, XIX, 1, *P. L.* XLI, 621.

[2] *S. Thomas.*, 1ª 2æ, q. 2, a. 8.

[3] Merito itaque scribit *S. Thomas* (I, q. 5, a. 1) : "Bonum consistit in hoc quod sit aliquid appetibile"; et *C. Gent.*, III, 3 : "Hoc est de ratione boni ut terminet appetitum."

[4] "Unumquodque dicitur bonum in quantum est perfectum" (1. q. 5, a. 5).

Bonum *honestum* dicitur etiam *morale*, et *est realitas quædam perficiens et complens hominem in ordine ad finem suum :* omne ens enim dicitur bonum in quantum finem suum prosequitur et ad eum propius accedit. — *Malum morale* ex adverso est defectus quidam entitatis, hominem aliquatenus minuens, eumque a fine suo avertens aut saltem retardans.

4. 3° **De perfectione.** (A) *Notio.* Perfectio alicujus entis *est ejus completa evolutio ;* nam, ut ait *S. Thomas*, " perfectum dicitur cui nihil deest [1] "; consistit proinde ultimo in consecutione finis : " Unumquodque dicitur esse perfectum in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio [2] ".

Unde " perfectio cujuslibet est bonum ipsius [3] "; nam perfectio oritur ex adeptione *finis*, qui et ipse est aliquod bonum.

(B) *Species.* Duplex est perfectio : *absoluta*, in quâ ens suum finem totaliter attingit; *relativa*, quâ ens in finem tendit quia eum assecutus fuerit. Merito itaque *S. Thomas :* " Unumquodque autem, si perfectione propriâ careat, in ipsam movetur, quantum in se est; si vero eam habeat, in ipsâ quiescit [4] ".

5. 4° **De beatitudine.** (A) Beatitudo, quæ soli naturæ intellectuali convenit, quando de homine agitur dicitur " bonum perfectum hominis [5] ", seu *stabilis possessio boni perfecti*; nihil enim aliud esse potest quam id quod perfecte ei convenit.

(B) Duplex esse potest : a) *inchoata*, quæ hominem sufficienter, sed non perfecte quietat; b) *perfecta*, quæ totaliter eum quietat, prout erit in alterâ vitâ. Perfecta, post *Boetium*, describitur *status omnium bonorum congregatione perfectus*, seu accuratius *stabilis possessio boni perfecti quod totaliter quietat animam.*

Divisio. Quibus prænotatis, demonstrabimus Deum esse ultimum hominis finem, et quidem duplici sensu : 1° quatenus tenemur ad eum libero motu tendere et glorificare; 2° quatenus in eo supremam invenimus beatitudinem;

[1] *In 4 Sentent.*, q. 1, a. 4. — [2] *S. Thom.*, 2ª 2æ, q. 184, a. 1.
[3] *Cont. Gent.*, III, 16. — [4] *C. Gent.*, III, 16.
[5] *Sum. theol.*, 1ª, q. 26, a. 1.

3° ostendemus Christum esse *mediatorem* ad Deum glorificandum et beatitudinem consequendam. Unde triplex erit thesis.

6. *Thesis I :* **Deus est finis hominis ultimus, in ordine tum naturali tum supernaturali, quatenus tenemur eum formaliter seu libero motu glorificare.** Certum est.

Declaratur. Creaturæ irrationales in Deum tendunt *necessitate naturæ* ejusque gloriam nonnisi *objective* promovent, in quantum sunt vestigium ejus perfectionum; creaturæ rationales, ut homo, *libere* in Deum moventur et *formaliter*, seu cum plenâ conscientiâ, Creatorem glorificant, laude, cultu, amore. — Hic agitur de gloriâ *externâ*, quæ definitur "clara notitia cum laude[1]", seu redditio honoris alicui personæ propter ejus excellentiam; non agitur autem de gloriâ internâ Dei, quæ in sui ipsius cognitione et amore consistit, nec augeri potest.

Cum homo, ex dictis in *Tr. de Deo Creante*, n. 152-176, ad finem *supernaturalem* destinatus fuerit, ad Deum tendere debet non solum in ordine naturali, sed etiam in ordine supernaturali. Jamvero finis hominis naturalis consistit in cognitione et amore Dei *humanæ naturæ viribus proportionatis;* homo autem naturaliter Deum non videt intuitive, sed eum cognoscit *deductive*, ejus existentiam et attributa ex iis quæ facta sunt aliquo modo intelligens. Adest autem alius modus Deum cognoscendi, videlicet modus quo Deus ipse seipsum cognoscit, suam essentiam directe, immediate, *intuitive* contemplando. Hic modus, utpote *vires proprias hominis ceterarumque creaturarum plane excedens*, *supernaturalis* merito dicitur.

7. **Probatur.** 1° *Deus est ultimus hominis finis in ordine* **naturali.**

(A) Deus hominem creando, utpote ens supreme intelligens, aliquem habuit finem : nam omne ens intelligens agit propter finem. Atqui Deus, summe et infinite perfectus, non potest propter alium finem creare quam seipsum; omnis enim alius finis, utpote inferior, eum omnino dedecet. Ergo Deus hominem propter seipsum creavit.

[1] *Sum. theol.*, Iª 2æ, q. 2, a. 3.

(**B**) Omne ens dominus est earum rerum quæ produxit, præsertim quando est auctor *totius* earum esse. Atqui Deus hominem ex nihilo creavit, totum esse ei dans, idemque continuo conservans; ergo dominus est totius hominis. Sed non esset vere ejus dominus, nisi homo ad Deum ordinaret vitam suam, eum cognoscendo, amando et colendo. Ergo homo tenetur Deum glorificare. — Aliis verbis : homo totus quantus est, a Deo est; ergo totus quantus est, ab eo pendet, et ad Eum tendere debet, Eum glorificando.

8. 2° *Deum esse ultimum hominis finem in ordine* **supernaturali,** constat ex dictis in *Tr. de Deo creante* et de *Deo consummatore*, ubi probatur hominem ad visionem beatificam destinari. Hic sufficiat præcipuos referre textus, ex quibus evincitur homines in cælo frui *visione Dei immediatâ*, jam esse *filios Dei adoptivos*, et *omnia ad Deum referenda esse.*

(**a**) Homines in cælo *Deum immediate et clare vident :* "Videmus nunc *per speculum in ænigmate;* tunc *autem facie ad faciem;* nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum [1]"; — "Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam, cum apparuerit, *similes ei erimus*, quoniam *videbimus eum sicuti est* [2]." In cælo igitur videbimus Deum *facie ad faciem*, id est, directe, immediate, intuitive ; videbimus *eum sicuti est*, eodem modo (sed non eodem gradu) quo seipsum videt. Atqui ex Philosophiâ constat id esse supra omnes vires et exigentias hominis.

(**b**) Tali elevatione non remanemus simpliciter Dei *servi*, sed divinæ efficimur consortes naturæ, et *filii Dei adoptivi*, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi [3]. Deus siquidem misit Filium suum ut adoptionem filiorum reciperemus [4], et quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri [5]. Et sane, quoniam sumus filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem : Abba Pater [6]; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei : si autem filii et *hæredes*, hæredes quidem

[1] I *Cor.*, XIII, 12. — [2] *I Joann.*, III, 2.
[3] Quod exposuimus in *Tr. de Gratiâ*, 139-145. — [4] *Galat.*, IV, 5.
[5] *Joan.*, I, 12. — [6] *Galat.*, IV, 6.

Dei, cohæredes autem Christi[1]. Unde merito exclamat *Joannes*[2] : "Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus." Porro adoptio divina necnon hæreditas homini minime debentur.

Ad hanc autem visionem beatificam, et amorem perfectum qui eam consequitur, disponimur in præsenti vitâ per praxim virtutum supernaturalium, præsertim vero fidei, spei et caritatis; et ita jam incipimus Deum glorificare.

9. (c) Exinde infert Scriptura 1) omnia propter Deum creata fuisse, ideoque omnia ejus dominio subjacere, et in ejus gloriam conspirare : "Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso (græce εἰς αὐτόν, id est propter ipsum) sunt omnia : ipsi gloria in sæcula[3]." Itaque velut *res* Dei sumus, et propter ipsum agere debemus : "Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus[4]." 2) Speciatim opera Incarnationis, Redemptionis et Sanctificationis in Dei gloriam tendunt : ita, Christo nascente, angeli canunt : Gloria in altissimis Deo[5]; Christus autem prope moriturus, Patri ait : "Ego te clarificavi super terram[6]"; Beati in cælo dicunt[7] : "Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem et virtutem"; tandem Christus ipse subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus[8]. — Ex quibus merito infertur Deum esse ultimum finem, ad quem tendere debemus, ejus gloriam promovendo : "Omnia vestra sunt, vos autem Christi; Christus autem Dei[9]."

10. *Thesis II :* **Deus est ultimus finis hominis in ordine naturali et supernaturali, quatenus in eo solo supremam invenimus beatitudinem.** Certum est.

Declaratur. *Vaticanum*[10] merito declarat Deum mundum creavisse "non ad augendam suam beatitudinem, *nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quæ creaturis impertitur...*" Deus enim, cum sit

[1] *Rom.*, VIII, 16-17. — [2] *I Joan.*, III, 1.
[3] *Rom.*, XI, 36; cfr. *Hebr.*, II, 10; *Apoc.*, XXI, 6; *Ps.* XVIII, 2.
[4] *Rom.*, XIV, 7-8. — [5] *Luc.*, II, 14. — [6] *Joan.*, XVII, 14.
[7] *Apoc.*, IV, 11. — [8] *I Cor.*, XV, 28. — [9] *I Cor.*, IV, 22-23.
[10] Sess. III, cap. I.

plenitudo entis, plane sibi sufficit, et in sui possessione est perfecte beatus; beatitudo siquidem consistit in possessione boni quod totaliter satiat et quietat appetitum; atqui Deus, seipsum possidendo infinite perfectum, hujusmodi bonum possidet, cum nihil sit extra Deum quod jam in ipso eminenter non contineatur; ergo Deus non creavit hominem ad aliquid sibi obtinendum. — Aliunde finem quemdam sibi proposuit; ergo suam perfectionem aliis aliquo modo *impertiri* voluit, eis nempe communicando aliquam participationem sui esse suæque beatitudinis.

11. **Probatur** : 1° *Ratione.* Ad veram beatitudinem duo requiruntur et sufficiunt : possessio *boni perfecti*, quod totaliter quietat omne legitimum desiderium, et *stabilis* seu *interminabilis* hujus boni possessio. Etenim (a) si *metaphysice* rem investigamus, bonum *imperfectum* non est appetibile *propter se*, sed tantum *propter aliud*, ideoque veram et integram beatitudinem non confert; aliunde si bonum possessum amittitur vel amitti potest, jam deficit beatitudo : quod enim transit, *immortalia* hominis desideria quietare nequit. (b) *Psychologice* idem constat : quando intimas aspirationes introspicimus, conscii sumus nos velle *beatitudinem perfectam* adipisci facultates nostras *plene* evolvendo, et velle non tantum diu sed *perenniter* vivere.

Atqui hæc possessio *boni perfecti* et *perennis* non invenitur in *bonis creàtis* sed in *solo Deo.*

12. (A) *Homo beatitudinem consequi nequit in bonis creatis*[1]. Hæc enim triplicis sunt generis : bona *externa fortunæ*, bona *corporis* et bona *animæ.* Atqui hujusmodi bona, quamvis sub multiplici respectu sint desiderabilia, duabus præfatis conditionibus carent.

(a) *Bona externa*, qualia sunt divitiæ, dignitates, honores, fama, etc. : 1) non sunt *per se* appetibilia, sed solum propter aliud, in quantum juvant ad comparanda animi vel corporis bona; ita divitiæ quæruntur ad sustentandam vitam aut voluptatibus fruendum, honores supponunt aliquam excellentiam homini inesse, sed eam non conferunt. — *Nec omnes legitimas hominis aspirationes explent;*

[1] *S. Thom.*, 1. 2., q. II, a. 1-8; Cont. Gent., lib. III, cap. 26-36; *Suarez*, De ultimo fine hominis, disp. V; *Meyer*, t. I, n. 59-60; *P. Lescœur*, La Science du Bonheur, Paris, 1873, pp. 9-44; 110-144; 321-341.

sæpe enim quo magis abundant divitiæ et honores eo magis desiderium incendunt; haud raro etiam, post aliquod temporis, nauseam et vitæ tædium ingerunt; præterea hæc omnia habentibus deesse possunt plura alia ad felicitatem necessaria, prout sanitas corporis, sapientia, animi tranquillitas, etc.

2) *Nec stabilia sunt;* facile enim aliquo infortunio amittuntur; hinc cum *sollicitudine* possidentur, et tandem aliquando mortis tempore transeunt.

13. (b) *Bona corporis*, quæ consistunt in sanitate, robore, pulchritudine et sensuum delectatione, veram felicitatem non conferunt: 1) naturâ suâ bonis animæ *subordinantur*, nec sunt vere utilia nisi in quantum animi operationibus et perfectioni inserviunt; quid enim prodest corporis robur, si mens sit imbecillis et voluntas prava? *Nec omnia hominis legitima explent desideria;* nam brutis et hominibus sunt communia, nec proinde nobiliores animæ facultates satiant; imo quando quis immoderate corporis delectationibus indulget, deprimuntur animi vires, mores corrumpuntur, et homo, cùm iisdem delectetur voluptatibus, et in eis, contra rectum rationis ordinem, quiescat, fit bruto similis.

2) Præterea quam incerta et *instabilia* sint nemo est qui non expertus fuerit.

14. (c) *Bona animi*, ea videlicet quæ per facultatum exercitium acquiruntur, ut *sapientia* et *virtus*, magis quidem ad hominis felicitatem conferunt, præsertim quando simul cum moderato et legitimo aliorum bonorum usu conjuncta inveniuntur, sed desideria nostra perfecte non satiant. Objectum enim adæquatum intellectûs et voluntatis non est verum aut bonum qualecumque, sed *universale* verum ac bonum, quod nonnisi in Deo invenitur. 1) Et sane *intellectus* noster ita comparatus est ut a cognitione entium finitorum ad cognitionem infiniti assurgat, et a notione particularium veritatum ad ipsam veritatem universalem aliquo modo pertingat. Hinc, quantacumque sit amplitudo rerum quas cognoscit, multo plura discere vult, et ignota curiose scrutari. 2) Idem dici debet de *voluntate*, quæ nonnisi in absoluto bono quiescere valet; quare amicitia, etiam perfectissima, quæ tot et tanta solatia amicis affert, saltem ad tempus, cordis desideria non explet; hinc nobilissimi homines cum *Augustino* exclamant : "Fecisti nos ad te (Deus), et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te"[1].

15. (B) *Homo suam beatitudinem invenit in consecutione ultimi finis, seu in perfectâ Dei cognitione et amore.*

Hic agitur de cognitione et amore Dei *relative* perfectis, id est cum respectu ad capacitatem cujuslibet hominis : soli enim infinito

[1] *S. August.*, Confess. lib. I, n. 1, ap. *Migne*, P. L., XXXII, 661.

absoluta perfectio competit. Homo autem vere est beatus, quando ejus capacitas, quæcumque sit, sufficienter expletur.

Probatur. Cujuslibet entis supremum bonum cognoscitur ex ejus *naturâ*, *facultatibus* et *legitimis tendentiis :* has enim sapientissimus Creator in eo posuit, tanquam manifestum signum ejus destinationis. Cum vero hominis *facultates propriæ* sint *intellectus* et *voluntas*, perfecte est beatus quando hujusmodi facultates in consecutione suí objecti quiescunt. Porro intellectus et voluntas hominis, ex dictis, sunt capaces *omnis veri* et *boni*, seu boni et veri *universalis*. Ergo perfecte satiantur quando, pro suâ capacitate, Deum cognoscunt et amant, qui solus est summum verum et summum bonum.

16. Declaratur. 1) Cognitionem et amorem Dei homo nonnisi *imperfecte* consequitur in *præsenti vitâ*, sive *naturaliter* per rationem, sive *supernaturaliter* per fidem : est enim in viâ relate ad perfectionem, et quotidie ad altiorem gradum pertingere debet; proindeque eo majorem felicitatem assequitur quo perfectius totam suam vitam in Deum ordinat.

2) Notandum est pariter ad perfectam beatitudinem desiderari facultatum hominis sensitivarum legitimam satietatem. Id quidem ad *essentiam* beatitudinis non spectat, sed ad ejus naturale complementum. Facultates enim sensitivæ sunt *vere pars hominis*, etsi intellectualibus potentiis *subordinatæ;* parti igitur *spirituali subjici* debent, et in assequendâ beatitudine eam juvare; et cum harum facultatum tendentiæ inter se diversæ sint, necnon sæpe altioribus animæ tendentiis contrariæ, in præsenti vitâ *mortificari* debent, quo facilius spiritualis homo suum finem attingere valeat. Attamen, quando voluntati subjiciuntur, quamdam propriam felicitatem, etiam in præsenti vitâ assequi possunt [1]; in futurâ autem vitâ, finito luctamine inter corpus et animam, sensitivæ facultates legitimis gaudiis plenius fruentur.

17. 2° *Auctoritate.* (A) In *Vet. Testamento* sæpe sæpius *Moyses* et *Prophetæ*, libri *Sapientiales* et *Psalmi* beatum eum dicunt qui Deum diligit ex totâ mente, ex toto corde, et omnibus viribus suis, infelicem vero eum qui a viâ Dei discedit.

Quod lucide declarat *Ecclesiastes :* " Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritûs " [2]. Divitiis siquidem et voluptatibus gavisus fuerat, sed in his omnibus nihil invenerat nisi vanitatem et afflictionem spiritûs : " Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos et plantavi vineas... Et omnia

[1] Res *historice* demonstrari potest, ostendendo eos, qui ad Deum sese convertunt, multo beatiores esse quam eos qui ab eo sese avertunt. Cfr. *Baunard*, op. cit., et *La Foi et ses victoires*, 7e éd., Paris, 1901-1902. — [2] *Eccles.*, I, 14.

quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur... Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, *vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi*, et *nihil permanere* sub sole " [1]. Quapropter ad contemplandam sapientiam transiit, et proposuit de omnibus investigare quæ fiunt sub sole, sed mox agnovit in his quoque esse laborem et afflictionem spiritûs, et unum eumdemque esse sapientis ac stulti interitum; unde iterum exclamat : " Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam?... Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem, et afflictionem spiritûs " [2].

(B) In *Novo Testamento*, Christus perfectæ et æternæ beatitudinis conditiones definit per totum Evangelium, sed præsertim in *montano sermone*, ubi beatos proclamat eos qui, rebus terrenis libenter abdicatis, soli Deo serviunt, Eum perfecte diligunt, proximumque propter Deum, et ita regnum Dei prosequuntur. Quare Apostolus de *pietate* scribens, quæ amorem Dei et proximi complectitur, eam tanquam terrenæ et æternæ beatitudinis efficacissimum exhibet : " Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ. " [3]

Ergo hominis beatitudo in solo Deo invenitur; ergo Deus est finis noster quatenus est beatitudinis nostræ auctor.

18. Conclusio. Exinde infertur *gloriam Dei* et *hominis beatitudinem* non solum *extrinsece* ex voluntate Dei, sed etiam ~~*in*~~*trinsece*, ex ipsâ rei naturâ, intime connecti et reapse in idem reincidere : homo enim Deum glorificando beatus est, et prosequendo veram beatitudinem Deum glorificat : nam iisdem actibus cognitionis et amoris Dei uterque finis acquiritur, et merito *S. Thomas* [4] dicit : " Deus suam gloriam non quærit propter se, sed propter nos. "

Si tamen unum finem cum altero comparamus, *gloria Dei* est finis ultimus *primarius*, hominis *beatitudo* finis *secundarius*, cùm hæc beatitudo suâ naturâ ad Deum glorificandum referatur eique subordinetur. Omnia igitur *ad majorem Dei gloriam* agamus, et eo ipso *beati* erimus.

Ad utrumque finem assequendum, *Christo mediatore* indigemus.

---

[1] *Eccles.*, II, 4-11. — [2] *Eccles.*, II, 15-18.
[3] *I Tim.*, IV, 8.
[4] *Sum. theol.*, 2ª 2æ, q. 131, a. 1 ad 1.

19. *Thesis III :* **Ad Deum glorificandum et æternam beatitudinem assequendam homo, in præsenti statu, indiget gratiâ Christi Redemptoris.** Certum est.

Declaratur. In *Tr. de Deo Creante* probavimus hominem, ad statum supernaturalem evectum, lapsum esse, et in *Tr. de Verbo Incarnato* eumdem redemptum esse infinitis satisfactionibus et meritis Christi, ita ut Dominus sit mediator necessarius ad Deum. Rem igitur alibi probatam satis erit breviter perstringere.

Probatur. 1° Christus est *perfectus religionis mediator* quo Deum glorificare valemus : " Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus "[1]. Hinc *S. Petrus* omnes hortatur ut Deum honorificent per Christum : " Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum. "[2]

Revera Dominus *sacrificium missæ* instituit, in quo denuo seipsum Patri offert tanquam *hostiam laudis*, non solum nomine suî sed nomine nostrî, cum sit vere caput corporis mystici cujus nos membra sumus. Insuper, per *sacram communionem*, seipsum nobis communicat cum *spiritu religionis*, ita ut *per ipsum* et *cum ipso* et *in ipso* non tantum ipso communionis momento, sed totâ die, Deum glorificare valeamus, actiones nostras tanquam totidem spirituales victimas cum Christo Patri offerendo.

2° Christus est etiam perfectus *mediator sanctificationis*, quatenus pro nobis meruit omnes gratias quibus perfectionem et beatitudinem assequi valeamus. Ipse enim non tantum nobis revelavit quam credere debemus *veritatem*, nec tantum virtutibus suis *viam* ostendit quam sequi debemus, sed etiam *gratias omnes meruit* quibus non solum a peccato liberari sed etiam virtutes omnes colere valemus, et ad æternam beatitudinem tendimus : " Ego sum via, veritas et vita[3]... Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate[4]... Benedictus Deus... qui benedixit nos in *omni benedictione* in cælestibus *in Christo*[5]... " — Jesus igitur est non solum causa *exemplaris*, sed etiam *meri-*

[1] *I Tim.*, II, 5. — [2] *I Petr.*, IV, 11. — [3] *Joan.*, XIV, 6.
[4] *Joan.*, XVII, 19. — [5] *Ephes.*, I, 3.

toria nostræ justificationis : " Hujus sanctificationis causæ, ait *Tridentinum* [1], sunt *finalis* quidem : gloria Dei et Christi ac vita æterna; *efficiens* vero : misericors Deus... *meritoria* autem dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit."

Adest igitur *obligatio* ad Deum finem ultimum tendendi, eum glorificandi et ita salutem consequendi *per Christum.*

20. *Corollarium.* Exinde sequitur media ad finem nostrum attingendum esse *cooperationem Dei et nostri.*

A) *Deus* scilicet essentiam ac facultates animæ quas creavit, ex superabundanti bonitate deiformes efficit per *gratiam habitualem, virtutes infusas* et *dona Spiritus Sancti;* insuper humanarum facultatum exercitium non tantum adjuvat per concursum naturalem, sed et congruenter elevat per *gratias actuales.* Hæc autem media interna supernaturalia præbet Deus, ut sese accommodet humanæ naturæ, ex animâ et corpore constitutæ, per media *externa*, præcipue per *Sacramenta.*

B) Sic elevatus et divinæ consors factus naturæ, *homo* sese movet *libere* ad finem, agendo sub Deo eoque cooperante, ad normam præceptorum a Deo tum naturaliter, tum supernaturaliter impositorum, duce et auxiliante Christo, omnium virtutum perfecto exemplari et causâ meritoriâ.

Quod quidem melius patebit ex dicendis de normâ moralitatis.

Art. II. De norma moralitatis.

Ut homo suum finem attingat, *regulâ* seu *normâ* indiget cui suos actus deliberatos conformes reddat. Quæ norma duplex esse potest : *generalis* seu *fundamentalis* quâ discrimen statuatur inter bonum et malum, actus obligatorios et non obligatorios; norma *specialis* quâ determinetur *in specie* quænam actiones sint licitæ vel non, præceptæ vel non. Hic agitur tantum de normâ *generali.*

Exponemus : 1° normam moralitatis *christianam;* 2° varia systemata *acatholicorum.*

§ I. Norma moralitatis catholica.

21. Status quæstionis. Ex dictis de ultimo fine inferre licet quænam sit vera *moralitatis norma*, seu illa *regula quæ*

[1] Sess. VI, cap. VII (*Denzing.*, 799.)

discrimen constituit inter actus bonos et malos, inter actus obligatorios vel non. Cum enim perfectio hominis in consecutione finis ultimi consistat, *bonæ* sunt actiones quæ ad Deum tendunt, *malæ* autem quæ nos ab eo avertunt; *obligatoriæ* quæ ad finem *necessariæ* sunt, *non obligatoriæ* quæ tantum utiles sunt. Tria expendemus : 1° num sit *intrinsecum* discrimen inter bonum et malum; 2° quænam sit norma *discriminans* inter bonum et malum; 3° quænam sit norma *imperans* seu obligationem imponens.

Quoad primam quæstionem quædam sunt prænotanda.

Aliquod esse *discrimen* inter bonum et malum, omnes philosophi sanæ mentis admittunt, sed de naturâ ejusdem minime consentiunt.

(A) Non pauci enim contendunt rationem hujus discriminis ab *ipso homine* ortam esse : (a) videlicet a *legibus civilibus*, juxta *Hobbes* (1588-1679), qui docet regulas boni et mali, justi et injusti, esse leges civiles, ideoque id pro bono habendum quod legislator præceperit, id pro malo habendum quod ipse vetuerit[1]; quam theoriam *J. J. Rousseau* renovavit ac multi hodierni politici amplectuntur; (b) ab *educatione*, juxta *Montaigne* (1533-1592); vel ab *opinione publicâ* et *traditione populorum*, ut tenuit *Saint-Lambert*[2] (1717-1803); aut ab *evolutione socialis sensûs*, ut tenent *evolutionistæ*.

(B) Nonnulli docent discrimen inter actus honestos et inhonestos in *liberâ Dei voluntate* reponendum esse, ita ut, ante omnem legem et extra Dei beneplacitum, quid sit bonum et quid sit malum definiri nequeat; ita *Scotus*, *Cartesius* et *Sam. Pufendorf*[3] (1632-1694).

Contra quos statuemus *quasdam* saltem actiones, *ex naturâ suâ*, independenter ab omni voluntate, esse bonas vel malas, — et hoc discrimen ultimo reponendum esse in *ratione* aut *naturâ divinâ*, quæ est suprema norma boni et mali.

---

[1] *Hobbes*, Elementa philosophica de Cive, c. XII, § 1.

[2] *St-Lambert*, Principes des mœurs chez toutes les nations, Paris, 1798. — Huc etiam spectat opinio eorum qui, cum *Lévy-Bruhl*, (La Science des mœurs, Paris, Alcan, 1904), tenent ethicam versari circa mores quales existunt, non circa officia implenda : hæc enim officia, inquiunt, nonnisi a sociali influxu (*pression sociale*) oriuntur; quos confutavit *A. Fouillée*, in periodico *Rev. des Deux Mondes*, 1er Oct. 1905, p. 519-550.

[3] *Pufendorf*, De jure naturæ et Gentium, l. I, c. 2, § 6.

22. *Thesis I :* **Quædam dantur actiones intrinsece bonæ vel malæ, etsi nullâ lege, etiam divinâ, præceptæ aut prohibitæ fuerint.** — Fatemur equidem multas esse actiones quæ ideo moraliter bonæ sunt quia aliquâ lege divinâ aut humanâ præceptæ, et alias similiter malas esse, quia prohibitæ; sed quædam sunt quæ ideo præcipiuntur aut prohibentur quia in se sunt honestæ vel inhonestæ. — Quod quidem *declaratur* potiusquam demonstratur.

23. 1° *Historice* et *psychologice* constat quasdam esse actiones quæ, ex *communi et perpetuâ hominum persuasione*, ut *essentialiter* honestæ aut inhonestæ semper habitæ fuerint; ita v. g. parentes amare, proximo benefacere, verum dicere, et alia hujusmodi merito bona reputantur; ex adverso parentes odio prosequi [1], innocentes absque legitimâ ratione occidere, amicos injuste prodere, mendacium proximo perniciosum proferre, aliaque ejusdem generis ut quid turpe et inhonestum merito æstimantur [2]. Quæ quidem persuasio apud omnes Gentes, etiam barbaras, viget, nec minuitur aut amittitur nisi minuto aut deleto sensu morali.

Atqui persuasio tam *constans* et *universalis*, alte *inhærens mentibus* tam diversis et circa omnia fere alia dissentientibus, non a *lege civili* oritur, quæ apud varias nationes diversa est, — nec ab *educatione* aut *publicâ opinione*, quæ pariter apud diversos populos eadem non est, — sed ab *ipsâ naturâ* derivatur. Etenim publica opinio nihil aliud est nisi manifestatio idearum quæ apud singulos cives vigent; educatio non transmittit nisi notiones quæ majoribus rationales visæ sunt; si igitur discrimen inter bonum et malum ab omnibus hodie agnoscitur, id sane oriri nequit nisi ex *communi persuasione* quod tale discrimen ita rationi est consentaneum ut *ab ipsâ naturâ* originem ducat.

---

[1] Sunt quidem Barbari qui pietatem erga parentes modo singulari colunt, v. g. occidendo senes, ne diutius acerbos dolores patiantur aut ab hostibus in captivitatem redigantur; ita errant quidem circa *modum* pietatem colendi, non autem circa *ipsam obligationem* parentes amandi.

[2] Fatetur *J. L. de Lanessan* (La Morale des Religions, Paris, Alcan, 1905, p. 557) in omnibus religionibus, sive antiquis sive modernis, hæc officia præscripta inveniri. — Patet aliunde ex infra dicendis, n. 213, de existentiâ legis naturalis.

Neque dici valet horum actuum moralitatem a *liberâ Dei institutione* pendere; sicut enim sunt veritates quædam speculativæ, quæ independenter ab arbitrio divino sunt veræ (v. g. quod est, est; duo et duo dant quatuor, etc.); ita pariter sunt actiones quædam morales quæ ex se tam honestæ aut inhonestæ sunt ut neque divinum arbitrium earum moralitatem mutare valeat; v. g. Deus facere nequit ut blasphemia sit actus laudabilis, neque ut pietas sit peccatum : quod ex sequenti argumento patebit.

24. 2° *Philosophice* constat discrimen *essentiale* admittendum esse inter bonum et malum. (a) Ex dictis enim omnis actio quæ tendit in Deum, supremum bonum et ultimum finem, non potest non esse bona. Atqui quædam actiones, *per se* spectatæ, independenter ab omni lege, hoc modo tendunt in Deum; v. g. amor Dei et proximi recte ordinatus ita se habet relate ad finem ultimum et bonum commune, ut nemo sanæ mentis dicere valeat hujusmodi actus esse pravos; ex adverso autem, contemptus Dei, positâ ejus existentiâ, injusta innocentium occisio et alia hujusmodi ita rectæ rationi opponuntur ut nunquam honesta esse valeant. Ergo, judicio rectæ rationis, hæ actiones *nonnisi bonæ* esse possunt, dum actus contrarii *mali necessario* sunt.

(b) Quod quidem ex *consectariis* adversæ sententiæ etiam patet; si enim nullum sit essentiale et objectivum discrimen inter bonum et malum, lata via scepticismo morali aperitur; id enim quod hodie ut malum habetur, cras, mutatis legibus aut traditione vel educatione, tanquam licitum haberi potest; ideoque vera notio obligationis moralis perit. Obligatio enim concipitur ut quid *permanens* et *universale*, non hypothetice, sed *categorice*, quasdam actiones præscribens, dum leges civiles traditionesve populorum sunt quid instabile et particulare, nec possunt nisi hypotheticam obligationem creare. Sublato igitur hoc discrimine, eo ipso ruit ordo moralis, ut magis etiam patebit ex infra dicendis de aliis ethicæ systematibus.

25. *Thesis II :* **Norma ultima discriminans moralitatis est ipse Deus, quatenus est supremum bonum et ultimus omnium finis; norma autem proxima est, pro homine, natura ejus rationalis integre spectata sive in se sive in suis relationibus cum aliis.**

Declaratur potiusquam probatur. Etsi omnes catholici quoad *substantiam* de normâ moralitatis consentiant, differunt tamen quoad *modum* eamdem exponendi. Omnes siquidem admittunt Deum esse normam moralitatis *ultimam;* sed, juxta quosdam, hæc norma est ipsa *essentia divina;* juxta alios, est *ratio divina* vel *lex æterna* [1], aut *conformitas cum divinâ ratione* vel cum naturali rerum ordine. Iterum quoad normam *proximam* pro homine, alii asserunt eam esse *naturam rationalem* hominis, alii *rectam rationem* seu *conscientiam* [2]. Hi autem sunt varii modi qui, rite explicati, in idem reincidunt [3].

1° Diximus normam ultimam moralitatis esse *Deum*, quatenus est *supremum bonum* et *ultimus finis.* (a) Illa est norma ultima moralitatis a quâ, tanquam a principio fundamentali, actus suam derivant bonitatem. Atqui Deus, suprema bonitas et fons totius perfectionis, eo ipso est principium fundamentale cujuslibet bonitatis. Ergo Deus est norma ultima moralitatis, ideoque nostræ actiones sunt bonæ aut malæ moraliter, prout sunt *conformes aut difformes cum divinâ bonitate.* (b) Illa est suprema moralitatis norma secundum quam actus suum consequuntur ultimum finem : nam, ex dictis, omne ens in tantum est bonum in quantum suum attingit finem ultimum. Atqui Deus est finis ultimus omnium, præsertim vero creaturæ rationalis, ideoque actuum humanorum. Ergo Deus est suprema moralitatis norma. Boni sunt igitur actus humani quando explicite vel implicite ad Deum tendunt, mali, quando ab ultimo fine declinant.

---

[1] Ita v. g. *S. Thomas* (1. 2æ, q. 21, a. 1) : " In his vero quæ aguntur per voluntatem, *regula proxima est ratio humana*, *regula autem suprema est lex æterna.* Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis et legis æternæ, tunc actus est rectus ; quando autem ab hâc rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum."

[2] De his variis systematibus, cfr. *Meyer*, op cit., n. 181-185 ; *Costa Rossetti*, op. cit., th. 22-23 ; *V. Cathrein*, Philosophia Moralis, 3ª ed., 1900, Friburgi, n. 84-95.

[3] Alii enim tradunt normam principaliter *objectivam* (*naturam Dei*, *naturam rationalem* hominis), alii normam directe *subjectivam* et indirecte objectivam (*rationem divinam*, *rectam rationem*); sed cum divina ratio infallibiliter percipiat ipsam divinam naturam, et recta ratio humana de rebus judicet secundum rationalem hominis naturam, discrimen est potius in modo loquendi quam in ipsâ re.

Itaque bonitas moralis nec exclusive nec primario pendet a Divino beneplacito, sed ultimo ab ejus sapientiâ et bonitate : Deus enim non vult nisi quod infinitæ ipsius sapientiæ consentaneum est, et sapientia non approbat nisi quod ipsi naturæ divinæ, seu infinito bono, consentaneum est. Errant igitur qui dicunt normam moralitatis christianam esse *arbitrariam*, utpote liberæ et cæcæ Dei voluntati innixam. Etiam quando Deus *positivas* leges promulgat, nihil præscribit nisi quod videt esse bonum, cum ejus voluntas realiter ab ejus sapientiâ et bonitate non secernatur.

26. 2° Diximus insuper normam moralitatis *proximam*, pro homine, esse ejus *naturam rationalem integre spectatam, in se* et *in suis relationibus cum aliis.*

(A) Norma proxima moralitatis est *natura rationalis.* Probatur : (a) modo *deductivo.* Omne ens est bonum in quantum suum finem attingit, ex dictis supra. Atqui finem suum non attingit nisi perficiendo actus conformes suæ naturæ; ergo homo bene agit naturam suam rationalem sequendo. Quod valet speciatim pro homine, qui, ad imaginem Dei creatus, ejus bonitatem aliquo modo participat. Sequendo igitur naturam nostram rationalem, eo ipso vivimus conformiter cum naturâ divinâ et tendimus ad finem nostrum ultimum.

(b) Modo *inductivo.* Bonum dicitur quod nos perficit, malum vero quod nos deprimit; atqui *experientiâ* constat nos perfici harmonico et hierarchico exercitio nostrarum facultatum, ita ut facultates sensitivæ, utpote inferiores, *superiori rationi subdantur*[1]. Ergo perficimur agendo secundum naturam nostram rationalem.

(B) Norma proxima moralitatis est natura *integre spectata,* id est secundum omnes suas partes, tum rationalem, tum sensitivam aut vegetativam, quatenus etiam hæ partes vere humanæ sunt et rationi subdi debent; imo et secundum notas *individuantes* cuique proprias, ejus nempe temperamentum, indolem, propensiones, specialia munera et officia, etc. Natura enim humana non in abstracto, sed *in concreto*

[1] *A. Eymieu*, La Loi de la Vie, multis factis id demonstrat, et concludit, p. 157 : "... La vie, toute vie composée d'éléments divers, n'existe, ne dure, ne se développe qu'à la condition, pour l'élément supérieur, de coordonner et donc de subordonner, de dominer les éléments qui la composent, de se les asservir pour s'en servir."

spectari debet : fieri enim potest ut quod uni licet, alteri illicitum evadat, quia attentis ejus indole aut conditione, est malum aut saltem ad malum proxime inducens.

(C) Iterum natura cujuslibet hominis debet considerari non solum in se, sed in suis *relationibus* cum aliis hominibus, necnon cum entibus ipsi inferioribus, aut superioribus, et præsertim cum Deo, cui tanquam fini suo subordinatur.

(D) Cum in statu præsenti homo ad finem *supernaturalem* destinetur per Christum Redemptorem, natura hominis ut *christiana* spectari debet, per gratiam adjuta et legibus supernaturalibus subdita.

27. Conclusio. (a) Quibus positis, actio bona merito dicitur quæ *vere consentanea est naturæ integræ hominis*, et rectæ rationi tanquam *honesta* exhibetur [1]. Quando enim prosequimur bonum naturæ nostræ rationali proportionatum, in quod naturaliter inclinamur, male agere nequimus in ordine morali; secus enim defectus in ipsum auctorem naturæ refunderetur. Merito igitur ait *S. Thomas* [2] : " Unicuique autem est bonum id quod est sibi *connaturale* et *proportionatum.*" — Ex quo sequitur antiquum præceptum "*vive secundum naturam,*" legitimum esse dummodo recte intelligatur, sensu exposito.

28. (b) Cùm ad ordinem *supernaturalem* evecti simus, Deus suam voluntatem nobis manifestavit non solum lumine rationis, sed etiam *lumine fidei*, quo divinam rerum ordinationem perfectiori et certiori modo cognoscimus. Imo Filius Dei, factus homo, vitam humanam duxit, virtutesque naturales ac supernaturales colendo, non solum præceptis, sed *exemplis* viam ostendit ad finem attingendum, atque ita vivam nobis tradidit morum regulam. Quæ regula his verbis breviter contrahitur : " Estote ergo vos perfecti, sicut et

---

[1] Dico *honesta*, quia *delectabile* aut *utile* non est semper rationi consentaneum, nec proinde bonum moraliter.

[2] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 27, a. 1 ; cfr. q. 29, a. 1. — Ut res *exemplis* declaretur, temperantia est quid bonum, intemperantia autem quid malum, quia naturæ rationali consentaneum est ut cibo et potu non utamur nisi moderate ad perficiendum totum hominem ; ita etiam justitiæ actus boni sunt, quia consentaneum est naturæ rationali in suis relationibus cum aliis spectatæ ut cuique reddatur jus suum.

Pater vester cælestis perfectus est"[1]. Cum enim perfectio nostra in consecutione finis ultimi, Dei scilicet supremi boni, consistat, divinos mores, pro posse, imitari debemus, Christi vestigiis inhærentes.

29. *Thesis III :* **Norma ultima moralitatis imperans** *(id est, obligationem moralem imponens)* **est Deus supremus legislator seu divinum imperium sapientiâ moderatum; norma proxima est necessarius nexus cum ultimo fine ratione perceptus.**

Probatur *1ª pars.* (A) Inter bona quæ nos ad finem ultimum conducunt, alia sunt quæ sive *ex se* sive ex sapiente Dei voluntate vere *necessaria* sunt ad finem attingendum, alia vero quæ sunt *tantum utilia.* Atqui Deus, infinite bonus et perfectus, *non potest non imperare* quæ sunt necessaria ad finem; secus non vere vellet ipsum finem. Ergo vult quædam bona esse vere obligatoria. — Alia vero bona, quæ tantum utilia sunt, non præcipit; et hæc sunt *de consilio.*

(B) Aliunde *solus* Deus, vi supremi dominii quo solus pollet in omnes voluntates, *jus* habet ea imponendi quæ sapienter tanquam necessaria judicat ad finem. Suam vero voluntatem manifestat tum *lege naturali*, per conscientiam manifestatâ, tum *lege positivâ :* de quibus in *Tr. de Legibus* agitur.

30. Prob. *2ª pars*, seu norma proxima est *nexus necessarius actionum cum ultimo fine.* Voluntas enim invincibiliter fertur in id quod est supreme appetibile, nempe in *beatitudinem* quæ in ultimo fine invenitur. Atqui dantur objecta quæ rationi apparent tanquam *necessario connexa* cum beatitudine seu ultimo fine. Ergo dantur objecta quæ rationi apparent ut necessario appetenda seu ut *moraliter obligatoria.* Ex alterâ parte, alia sunt bona quorum connexio cum beatitudine non constat, et hæc sunt tantum de consilio.

Norma igitur proxima *obligationis* est nexus necessarius actuum cum ultimo fine seu beatitudine ratione perceptus.

31. Corollarium. Præter normam moralitatis et obligationis, *admittenda est quædam sanctio, vi cujus honeste agentes aliquod præmium accipiunt et male agentes pœnas subeunt.*

[1] *Matt.*, V, 48.

(A) Ex dictis supra, n. 10, Deus voluit homines honeste agentes invenire in consecutione ultimi finis suam beatitudinem, atque perverse agentes invenire in amissione finis carentiam beatitudinis, ideoque supremam infelicitatem. Hæc est primaria et optima sanctio, *ex ipsâ naturâ rerum* et divinâ ordinatione, seu ex quâdam justitiâ immanente profluens, vi cujus virtus ultimo beatitudinem consequitur et vitium ejusdem privatione punitur.

(B) Aliunde recta ratio ostendit necessariam esse aliquam sanctionem; nam, (a) Deus, utpote infinite sapiens, bonus ac justus, ordinem constituere debet in ordine morali æque ac in ordine physico. Atqui ordo moralis postulat ut beatitudo non separetur a bono saltem in termino, cùm beatitudo nihil aliud sit nisi quieta possessio boni.

(b) Deus spectari potest ut *rector* et *custos* societatis moralis, cujus membra sunt singula entia rationalia, ideoque bono communi illius societatis providere debet; atqui id sapienter non præstaret, nisi bonos præmiaretur, malos autem puniret; positâ enim humanâ naturâ qualis existit, multi, passionibus illecti, ordinem moralem infringent et societatis pacem turbabunt, nisi metu pœnarum a malo deterreantur; aliunde, nisi præmium bonis concedatur, non pauci ex iis qui virtutem colere volunt, animo fracti, propter innumeras quibus obsidentur difficultates, nec spe roborati alicujus mercedis, perfectionis arduum tramitem deserent, et mox numerum augebunt legis violatorum. Ergo, ut sapiens provisor et rector societatis, Deus bonos præmiari et malos punire debet.

CONCLUSIO DE EXCELLENTIA NORMÆ CATHOLICÆ.

32. Ex hucusque expositis patet catholicam moralitatis normam, qualis exposita fuit, esse simul *rationi consentaneam* et *humanæ naturæ optime accommodatam.*

Ad hoc enim requiritur et sufficit ut hæc norma sit : 1° *lucida, completa* et *omnibus accommodata;* 2° *motiva* præbeat apta ad bonum faciendum; 3° *media suppeditet efficacia* ad officium adimplendum. Atqui hæc tria in catholicâ normâ inveniuntur :

1° Regula *nitida, completa, omnibus accommodata;* siquidem : (a) *clare* exponit discrimen inter bonum et malum, inter officia et consilia, ostendendo *bonum* esse id quod est consentaneum divinæ sapientiæ et voluntati, quatenus rectâ conscientiâ manifestatur, *malum* autem quod huic voluntati contrarium est; *officium* esse id quod sapienter a Deo præcipitur tanquam medium necessarium ad finem ultimum; *consilium* esse id quod est *utile* sed non necessarium ad finem.

(b) *Omnia officia* præcipit : 1) erga *Deum*, quem ut Creatorem, Dominum et Patrem, *revereri*, *amare* et *colere* debemus; 2) erga *proximum*, quem *diligere* debemus tanquam *filium Dei adoptivum* et *fratrem* in Christo, et cujus jura tueri debemus; 3) erga *familiam* et *societatem*, in parentibus et principibus ipsam auctoritatem Dei reverendo; 4) erga *nosmetipsos*, imaginem et similitudinem Dei, mentibus nostris impressam, virtutum praxi expoliendo.

(c) *Omnibus accommodatur :* suâ enim *perspicuitate* a simplicibus intelligi potest, cùm non abstracte sed concrete officia exponat; suâ *profunditate* philosophis placet, cùm rationes boni et mali, officii et consilii in altissimâ causâ reponat.

2° *Motiva præbet aptissima* ad bene agendum : ad deterrendum *a malo, timorem* Dei et pœnarum excitat; ad *colendas virtutes, spem* erigit præmiorum consideratione; ad *perfecte agendum, amorem* Dei et proximi fovet; et ita progressive homines e vitiis eripit et ad virtutum apicem tollit.

3° *Media efficacissima suppeditat*, videlicet :

1) *Exempla* Christi, B. Mariæ Virginis et Sanctorum, quæ efficacius quam verba ad perfectionem vitæ christianæ etiam debiles alliciunt;

2) *Gratias innumeras*, quæ sive per signa visibilia seu *sacramenta* sive *modo* mere *interno* nostras facultates perficiunt, vires spirituales augent, et non tantum possibilem sed etiam facilem reddunt mandatorum observantiam iis omnibus, qui propriæ imbecillitatis conscii, fiducialiter Dei auxilium invocant.

Quod etiam lucidius patebit ex simplici expositione systematum acatholicorum.

§ II. Systemata a christiana fide aliena de norma moralitatis critice expenduntur.

33. Innumera sunt systemata a variis philosophis excogitata de fundamento seu normâ moralitatis. Præcipua tamen ad duo genera revocari possunt, quæ *historice* et *critice* expendemus. Hæc autem sunt : 1° **utilitarismus**, cui successit hodiernus *evolutionismus*, juxta quem norma moralitatis est *utilitas* aut *voluptas*, sive *individualis*, sive *socialis;* 2° **rationalismus**, qui normam moralitatis ex *solâ ratione humanâ* repetit; cujus duplex est præsertim forma : *stoicismus*, sive antiquus sive modernus (*Kantismus*), qui contendit normam moralitatis esse *ipsam obligationem moralem*, seu *officium*, independenter a quâlibet utilitate aut voluptate, et independenter a Deo; et systema *ethicæ independentis*, quod varie a variis auctoribus exponitur, ut infra declarabitur.

I. De utilitarismo.[1]

1° *Exponitur utilitarismus.*

34. *Utilitarismus*, qui vocatur etiam *hedonismus*, (ἡδονή, *voluptas*, *plaisir*), aut *eudæmonismus* (εὐδαιμονία, beatitudo), ultimum hominis bonum ejusque ultimum finem reponit in felicitate, seu voluptate, ita ut *bonæ* dicendæ sint actiones quæ, prudenti factâ rerum æstimatione, plus afferunt *voluptatis* quam doloris. Suprema igitur regula est : " Voluptas expetenda, fugiendus dolor. " — Duplex distinguitur : utilitarismus *individualis*, qui solam voluptatem *individui* respicit; utilitarismus *socialis*, qui felicitatem etiam aliorum et totius generis humani respicit.

35. (A) Apud *antiquos*, præcipui fautores *individualis utilitarismi* fuêre *Aristippus Cyrenensis*, *Epicurus* (inde nomen *epicurismi*), *Democritus*, *Lucretius;* inter *modernos*, *Lamettrie*, *Condillac*, *Helvetius*, *Diderot*, *Feuerbach*, aliique. Summa *Epicuri* doctrinæ hæc est[2] : experientiâ constat supremam vitæ regulam, hominibus ac

[1] Utilitarismum historice simul et critice, magnâ cum eruditione, descripsit *L. Carrau*, La morale utilitaire, Paris, 1874; cfr. *M. de Baets*, Les Bases de la Morale, Paris et Gand, 1892, p. 37-79.

[2] *Guyau*, La morale d'Epicure et ses rapports avec les doctrines contemporaines, 4e éd., Paris, Alcan; cfr. *L. Carrau*, op. cit., p. 10-36.

brutis communem, esse *fugam doloris* atque *prosecutionem voluptatis* : ad id enim nos impellit natura. Attamen non omnem voluptatem amplectimur; animadvertimus enim aliquando ex voluptate majores sequi dolores, et ex toleratione dolorum sæpe majorem sequi delectationem; quare sapiens moderate utitur rebus, et illas actiones eligit quæ, omnibus attentis, per totum vitæ decursum plus demum afferunt voluptatis quam doloris. — Et in hoc distinguitur ab *Aristippo*, qui solam *præsentem* voluptatem ut normam moralitatis admittebat.

Nobiliorem eudæmonismi formam proposuerat *Aristoteles*, *Stagiris*, in Thraciâ oriundus, *Socratis* atque *Platonis* discipulus, juxta quem moralitatis norma in *summo hominis bono* sita est, quale in præsenti vitâ obtineri potest; illud autem bonum non in sensuum voluptate consistit, nec in aliquo animi statu aut potentialitate, sed in activitate homini rationali propriâ, cujus completio habetur in contemplatione rerum honestarum et divinarum [1].

36. (B) *Socialem utilitarismum* advocârunt, inter alios, *F. Baco* [2] (1561-1626), qui tenuit bonum commune, seu utilitatem publicam esse regulam morum; *Hartley* (1705-1757) et *Paley*, qui pariter docuerunt proprium commodum non sufficere ad moralitatem, sed requiri etiam benevolentiam erga alios, seu sympathiam [3]; sed illud systema perfecerunt ac compleverunt præsertim *J. Bentham* (1747-1832) et *Stuart Mill* (1806-1873). Tanquam principium generale propugnant normam moralitatis reponendam esse non solum in bono privato, sed etiam in *bono sociali*, seu in felicitate omnium hominum.

37. *Bentham* [4] solam *methodum observationis* experimentalis, a Bacone commendatam, in re morali adhibendam esse contendit : " Quod experientia est pro physico, ait, id observatio est pro moralistâ. "

(a) Jamvero observatione reperit omnes homines delectationem quærere et dolorem fugere; ergo, inquit, omnis delectatio est aliquod bonum et quæri debet, dum omnis dolor est aliquod malum quod vitandum est.

(b) Homo igitur tendere debet ad *maximam possibilem summam* delectabilis boni in totius vitæ decursu, adhibito rerum calculo, quem *deontologicum* appellat, comparative scilicet æstimando de-

[1] *L. Ollé-Laprune*, Essai sur la Morale d'Aristote, Paris, 1881.

[2] Ap. *Carrau*, p. 40-56; varia Anglorum systemata de re morali lucide exponit *Guyau*, La Morale anglaise contemporaine, Paris, Alcan.

[3] Ap. *Carrau*, p. 143-165.

[4] *Bentham*, Introduction to the principles of Moral and Legislation, 1789; Traités de Législation civile et pénale, ouvrage extrait des manuscrits de Bentham par *E. Dumont*, Paris, 1820; cfr. *Carrau*, p. 167-217

lectabilia et dolorifera secundum intensitatem, durationem, proximitatem, extensionem, puritatem et fecunditatem, quas modo arithmetico computat[1].

(c) Quamvis homo propter principium per *se egoisticum* agat, ad aliorum felicitatem aliquid confert; nam, posito quod homines in societate constituantur, intima ac necessaria relatio existit inter felicitatem generalem et individualem, ita ut felicitas unius in alios redundet et vice versâ. Supremum igitur moralitatis principium ad hoc reducitur : Ita tuam activitatem dirige, ut hæc maximam summam felicitatis, minimam vero doloris producat, non solum pro te, sed etiam pro aliis, aut saltem pro maximo numero aliorum hominum. In casu autem *collisionis*, tuam felicitatem aliorum felicitati antepone.

38. *Stuart Mill*[2] illud systema expolivit lateque propagavit; docuit siquidem bona delectabilia non solum *quantitative*, sed etiam *qualitative* mensuranda esse, et ea quæ sunt altioris ordinis multo præstantiora esse et longe majoris æstimanda quam ea quæ sunt infimi ordinis; ex quo infert felicitatem, quæ in exercitio virtutis invenitur anteponendam esse voluptati quæ ex sensibus oritur. Præterea, juxta ipsum, primum quidem aliis benefacimus ut nostram felicitatem procuremus; postea vero, abstrahendo a proprio commodo, aliorum felicitatem directe intendimus; quæ quidem dispositio educatione in junioribus potest ac debet augeri. Ita expositus, utilitarismus non multum differt a systemate *eclectico*, in quo norma morum in rectâ ratione sita est.

---

[1] Ita comparat ebrietatem et sobrietatem, seu temperantiam :

Ebrietas : intensitas + 30; duratio + 10; certitudo + 10; proximitas + 20; puritas — 20; extensio — 20; fecunditas — 10 = 20.

Sobrietas : intensitas + 20; duratio + 10; certitudo + 10; proximitas + 20; puritas + 30; extensio + 20; fecunditas + 20 = 130. Ergo sobrietas pluris valet quam ebrietas. — Quid vero intelligendum sit per hujusmodi characteres, ipse declarat : " La valeur des peines et des plaisirs peut être estimée par leur intensité, leur durée, leur proximité, leur certitude et leur étendue. Leur intensité, leur durée, leur proximité et leur certitude regardent les individus. Leur étendue concerne le nombre des personnes placées sour leur influence... Un plaisir fécond est celui qui a la chance d'être suivi de plaisirs du même genre. Une peine féconde est celle qui a la chance d'être suivie de peines du même genre. Un plaisir pur est celui qui n'a pas la chance de produire des peines. Une peine pure est celle qui n'a pas la chance de produire des plaisirs. (Déontologie, t. I, p. 77; Traités de législation, t. I, p. 58.)

[2] *S. Mill*, Utilitarianism, *gallice* redditum, L'Utilitarisme, Paris, Alcan; cfr. *Carrau*, p. 227-268. — Recenter eidem systemati adhærebat *Sidgwick*, Methods of Ethics; cfr. *Fouillée*, Critique des syst. de Morale contemporains, 3e éd., Paris, 1893, p. 36-38.

39. (C) Utilitarismo *sociali* successit alia utilitarismi forma, quæ theoriis evolutionis accommodatur; cujus præcipui fautores fuerunt in *Angliâ : Herbert Spencer*[1] (1820-1904), et *C. Darwin*[2] (1809-1882); in *Galliâ* vero, *A. Comte*[3], *Littré* et *Taine*[4] idem fere systema, sub nomine *positivismi*, propugnârunt : quibus addi possunt *M. Guyau*, qui pro regulâ morum habet *vitæ intensitatem* et *expansionem*[5]; *Bourgeois*, *Payot*, multique alii qui hodie *solidaritatem* advocant[6].

Fundamentum hujus systematis est *theoria evolutionis*, vi cujus entia superiora ab inferioribus longo processu procedunt : ita viventia a non-viventibus, animalia a plantis, homines a brutis originem duxerunt; homines ipsi primum in statu barbariæ diu vixerunt, postea vero paulatim magis exculti facti sunt. Jamvero *mores* eamdem fere secuti sunt evolutionem. Initio quidem homines, vix a brutis distincti, brutorum mores imitabantur, et nihil quærebant nisi proprium commodum; postea vero, gregatim viventes, paulatim intellexérunt se non posse suam voluptatem quærere *cum aliorum detrimento :* hi enim, quibus injuria infertur, pœnas repetere non dubitant; ad quas vitandas, melius est aliquid

---

[1] *H. Spencer*, The Principles of Ethics, London and New-York, 1900; *id.*, Les Bases de la Morale évolutioniste, Paris, Alcan; cfr. *F. H. Collins*, Résumé de la Philosophie de H. Spencer, trad. par *H. de Varigny*, Paris, 1891, p. 513-542; *J. Halleux*, L'Evolutionisme en Morale, Louvain, 1901.

[2] *Darwin*, The origin of species; The descent of man; *gallice :* L'origine des espèces; La Descendance de l'homme, trad. par *E. Barbier*, Paris, Schleicher.

[3] *A. Comte*, Cours de Philosophie positive; Politique positive; *L. Levy-Bruhl*, La Philosophie d'A. Comte, Paris, 1900, p. 349-394.

[4] *Littré*, La Science au point de vue philosophique; *Taine*, Les Philosophes français au xixe siècle; cfr. *Fouillée*, Critique des systèmes de Morale, p. 39-56.

[5] *Guyau*, Esquisse d'une Morale; *id.*, Education et hérédité, Paris, Alcan.—Homo, inquit in op. cit., bonum prosequitur ex eo quod naturaliter exoptat vitam suam expandere : quando enim conscius fit virium suarum, eas vult exercere; instinctu et educatione intelligit necessitatem non solum sibi sed aliis vivendi; difficultates vero superat quodam naturali desiderio obviam eundi periculis et rebus arduis; et ita quotidie progreditur.

[6] *L. Bourgeois*, Solidarité, Paris, (Colin); *id.*, Essai d'une Philosophie de la solidarité Alcan; *Payot*, Cours de Morale, Paris, 1904.

pati, seu ab aliquâ voluptate abstinere; et ita sub influxu societatis in quâ coadunantur homines, ex *egotismo* nascitur *altruismus* seu inclinatio ad promovendam aliorum felicitatem, quo melius procuretur proprium commodum [6].

40. Quibus positis, sic explicari potest origo idearum boni et mali. Homines primum animadvertunt quosdam actus societati *utiles* esse, alios vero *nocivos;* priores laudantur et quandoque aliquod præmium accipiunt, posteriores autem reprobantur et pœnis plectuntur. Exinde infertur quasdam actiones esse vere *laudabiles* et præmio dignas, alias autem *vituperandas* et puniendas : quod quidem nihil aliud est nisi idea *meriti* et *demeriti.* Ex eâ sequitur idea *boni* et *mali :* bona scilicet declaratur actio laudabilis, seu societati utilis, mala autem actio demeritoria, seu societati nociva. — Quæ quidem ideæ, semel ortæ, *hæreditate* et *educatione* multum radicantur.

Præterea primævi homines excogitârunt aliqua esse entia invisibilia quæ *deos* vocârunt; et, cum virtus sæpe in terrâ mercedem non accipiat, nec vitium sufficienter puniatur, ad deos spectat actus bonos præmiari in alterâ vitâ, et vitiosos punire. Hæc omnia, inquiunt, nihil aliud esse nisi somnia, scientia hodierna demonstravit.

41. Attamen evolutionistæ utilitarismum rejiciunt ut incompletum : non enim exponit *quomodo* et *quare* quædam actiones sint utiles, aliæ vero perniciosæ. Ipsi rem scientifice exponunt evolutionis ope. Cum enim natura tota in quamdam *vitæ evolutionem* tendat, illæ actiones vere utiles et bonæ sunt quæ vitæ expansionem promovent in quolibet ordine physico, biologico, psychologico et sociologico, seu quando recte ordinantur ad suum finem, scilicet *præsentis vitæ evolutionem;* perniciosæ autem et malæ quæ huic fini

[6] Alio modo altruismi originem explicare conatur *Littré :* duæ sunt, inquit, essentiales functiones in homine, *nutritio*, quâ vita individui servatur, et *generatio* quâ propagatur humana species. Jamvero nutritio producit quidem egotismum, sed generatio promovet altruismum, amorem fovendo. (Ap. *Fouillée*, op. cit., p. 41.) Quod merito rejicit *Fouillée;* nam altruismus, qui ex generatione oritur, ad paucos tantum extenditur, et sæpe egotismum, imo et odium contra extraneos excitat. Ipse vero putat amorem erga alios oriri ex ideâ pure intellectuali, quæ utpote *universalis*, ad humanitatis amorem nos impellit; ita præsertim in opere *La Psychologie des Idées-forces*, Paris, 1893.

plus minusve obstant. — Aliunde historice constat humanum genus constanter progredi in quolibet ordine, et præsertim altruismum, seu *solidaritatis* sensum, in dies prævalere ; quare tempus veniet quando, vi perfectæ solidaritatis, homines maxime boni et felices evadent.

42. Hic operæ pretium est notare quomodo Darwin *conscientiæ remorsum* explicet. Modo generali *sensus altruisticus* in homine prævalet; attamen, sub influxu violentæ passionis, *egotismus* quandoque vincit. Urgente enim passionis motu, voluntas ita vehementer appetit objectum sibi placens ut altruisticum sensum non amplius attendat. Si quis in hoc casu voluptati cedat, jam quietatur appetitus cessatque violentæ passionis motus; quapropter homo, jam sedatus, percipit se aliquid fecisse quod altruismo repugnat, et ex hâc perceptione quamdam tristitiam experitur quæ conscientiæ remorsus appellatur.

2° *Utilitarismus critice expenditur.*

43. Aliquid veri esse in recentioribus utilitarismi formis non diffitemur; verum est quidem aliquem *nexum* esse inter *virtutem* et *felicitatem*, præsertim quando hæc non in voluptate sensuum reponitur, sed in expletione nobiliorum mentis desideriorum, et in bono totius societatis. Attamen illud systema, etiam quale exponitur a *Stuart Mill* et *H. Spencer*, est mancum et imperfectum, nec veram tradit moralitatis normam.

(A) Imprimis *methodus*, quâ utitur, videlicet *experimentalis observatio, est incompleta;* ad determinandam morum regulam, utilis est quidem historica et psychologica factorum et actionum observatio, sed minime sufficit; non enim solum quæritur quid homines *fecerint* aut *faciant*, sed etiam et præcipue quid *facere debeant.* Jamvero ad hoc non sufficit experientia, sed requiritur ipsius rationis exercitium : nam perscrutari debemus quænam sit *origo* et *causa* hujus *obligationis moralis* cujus conscii sumus.

Insuper plerique utilitaristæ nonnisi imperfecte methodo observationis utuntur; quando asserunt nullum esse hominem qui non ultimo agat propter proprium commodum, et aliud quærat nisi suam felicitatem, non satis attendunt quosdam esse viros qui, propter Deum et concives, se suaque omnia expendunt. — Pariter, si plerique homines propter felicitatem agunt, habent tamen *ideam recti ac justi*,

ab ideâ *felicitatis* omnino distinctam, atque concipiunt quosdam actus esse bonos, imo optimos et heroicos, qui, nedum voluptatem afferant, tristitiam et detrimentum causent : hujus facti explicationem non reddunt[1]; ideoque *normam moralitatis* non explicant.

44. (B) *Utilitarismus non est vera ac suprema moralitatis norma*, cum neque *universalis*, neque *immutabilis* aut *efficax* dici valeat.

(a) *Non universalis.* Non enim omnibus facile accommodatur; siquidem, juxta *Bentham*, quisque debet ponderare et mensurare commoda et incommoda, quæ ex tali talive actione sequuntur, antequam judicare possit utrum hæc sit bona an mala; quis autem id cito simul ac sapienter præstare poterit? Difficultas augetur si, juxta *Stuart Mill* et positivistas, non solum proprium commodum, sed etiam totius societatis, imo humani generis bonum considerare debeat. Et, cum ipse sit ultimus judex, nonne timendum est ne sibi faveat, cum aliorum detrimento? Nonne sæpius altruismus egotismo cedet, et bonum privatum bono publico anteponetur?

Neque pariter omnes actus honestos explicat, præsertim eos qui *sui abdicationem* important. Omnes siquidem cordati viri merito approbant rationem agendi eorum, qui se suaque expendunt ob aliorum utilitatem; ita medicus qui, quando lues viget, vitam suam sæpius in discrimen offert ad aliis subveniendum, recte agere censetur. Jamvero, si sola felicitas sit norma moralitatis, cur talis agendi ratio bona dici debet? Si propria felicitas quæratur, sane melius et tutius est fugere civitatem lue infectam. Respondent utilitaristæ medicum in hoc casu suam felicita-

[1] Quod *Kantius* sic egregie declarat (Critique de la Raison prat., ed. Picavet, p. 63) : " Celui qui a *perdu* au jeu peut bien se fâcher contre lui-même et son imprudence, mais s'il a conscience d'avoir *triché* (quoiqu'il ait gagné par ce moyen), il doit se *mépriser* lui-même dès qu'il se compare à la loi morale. Celle-ci doit donc être bien autre chose que le principe du bonheur personnel. Car pour être obligé de se dire à soi-même : je suis un *infâme*, quoique j'aie rempli ma bourse, il faut avoir une autre règle de jugement que pour s'approuver soi-même et se dire : je suis un homme *prudent*, car j'ai enrichi ma caisse ".

tem invenire in sese pro aliis devovendo. Hoc quidem intelligo si virtus *propter se* sit laudabilis, vel propter altiorem finem; minime vero, si solummodo propter felicitatem quam affert; multi enim medici se *feliciores* esse existimabunt, si ipsis liceat urbem lue infectam deserere. Ibi quidem manent, non propter felicitatem, sed propter *officium adimplendum*, quia vox conscientiæ dictat illud esse bonum.

45. (b) *Nec immutabilis;* cum enim felicitas sit quid *subjectivum* et *relativum*, non eodem modo ab omnibus concipitur, sed pro variis temporibus, regionibus et hominibus diverso modo intelligitur, ita ut nihil sit magis mutabile quam hujusmodi regula. Revera nonnulli felicitatem vocant quidquid sensibus placet; alii vero contendunt sensuum voluptatem esse contemnendam, et nobiliorem felicitatem mentis esse quærendam; non pauci putant satis esse proprium commodum consequi, dum alii tenent ad bonum aliorum attendendum esse. Jamvero, nisi recursus habeatur ad altius principium, quis poterit definire quodnam ex his systematibus sit anteponendum? Unus quidem dicet majorem felicitatem obtineri in promovendo publico bono quam privato; sed alius id negabit, ac seliget quietam vitam ducere potiusquam periculum mortis obire ad aliis succurrendum. Revera quam pauci sunt qui de bono publico sollicitius curent quam de proprio bono? Nisi igitur ad *superius* et *objectivum* principium recurratur, omnia incerta et instabilia erunt.

46. (c) *Neque efficax ad obligationem moralem imponendam.* Suprema moralitatis norma *imperativa* esse debet, seu apta ad obligationem moralem producendam. Atqui sola temporalis felicitas, quam *utilitaristæ* advocant, nullam obligationem imponere valet. Si enim de *propriâ* felicitate agitur, quis unquam me adstringere potest ad illam prosequendam : tendimus quidem naturaliter ad beatitudinem, et forsan insipientes vocari possumus, si hanc non prosequimur; sed quo argumento probari potest nos ad temporalem felicitatem consequendam moraliter obligari? Idea *officii* minime sequitur ex ideâ *beatitudinis;* volumus quidem modo generali esse beati, sed hæc volitio seu inclinatio minime demonstrat nos ad id vel illud faciendum adstringi,

sed solum nos beatiores fore si talem actionem de facto eliciamus. — Si vero agitur de felicitate aliorum, res etiam difficilior evadit. Cur enim obligatio nobis incumbit bonum aliorum promovendi, cum nostro detrimento? Cur v. g. *egenus* tenetur abstinere *a furto?* Cur felicitatem divitis potiusquam suam curare debet? Tu mihi dicis majorem beatitudinem inveniri in benefaciendo aliis et præsertim societati. Sed, si sola felicitas sit norma morum, ego dicam nihil mihi magis placere quam propriam beatitudinem prosequi, etiam cum aliorum detrimento, aut saltem abstrahendo a communitatis bono : alii bono patriæ se devoveant, si velint! ego vitam quietam prosequor et in eâ felicitatem invenio.

47. Ex quo sequitur mancam esse explicationem *remorsûs* quam tradit *Darwin*, supra, n. 42; sat feliciter quidem exponit quomodo *emotio sensibilis* diversa sit instanti quo urget passio et tempore quo, expletâ voluptate, quietatur animus. Sed conscientiæ remorsus aliquid nobilius importat, videlicet tristitiam de *morali obligatione* violatâ, quam minime explicat Darwin : urgente enim passione, homo obligationem moralem rejiciendi voluptatem propter aliorum utilitatem, minime percepit, ideoque conscius non fuit violati officii; proinde moralem tristitiam experiri non deberet.

Nil dicimus de ipsâ theoriâ evolutionis, quæ alibi expenditur [1]; sed notare liceat evolutionistas errare dum asserunt ideam boni et mali ex eo ortam fuisse quod dantur actiones quæ sint utiles et aliæ nocivæ societati; nam inter *utile* et *bonum* sæpe adest maxima contrarietas : perjurium v. g. aliquando utile esse potest etiam alicui societati, sed nemo dicet illud bonum esse.

Propius quidem veritatem accedit *Spencer*, dicendo bonitatem actuum desumi ex eo quod ordinantur ad *finem*, scilicet ad vitæ evolutionem; sed finis hujusmodi, scilicet temporalis vitæ evolutio non est nisi finis subordinatus, et nemo probare potest nobis incumbere *officium* talem finem prosequendi : id sane *utile* est, sed cur sit *obligatorium* Spencer non explicat.

Neque dici potest, cum *Guyau*, bonum necessario sequi ex *vita intensitate* et *expansione;* vita enim, etiam intensissima, non est semper bona, sed aliquando injustitiæ, imo et crudelitatis plena; necesse est igitur ut alia norma inveniatur, quâ vita ad bonum honestum ordinetur.

[1] *Synopsis Th. Dogm.*, De Deo Creante, n. 35-51.

II. De Rationalismo.

1° *Stoicismus præsertimque Kantismus exponitur.*

48. (A) Apud veteres[1], stoicismus primum Athenis, postea Romæ floruit. Fundator fuit *Zeno* (336-264), ex insulâ Cypro oriundus, ejusque schola *stoica* dicta fuit ex porticu (στοά) in quo ejus discipuli convenire solebant. Huic scholæ adhæserunt, inter *Græcos*, *Cleanthes*, *Chrysippus*, *Antipater*, *Posidonius* aliique; inter Romanos, *Persius Flaccus*, *Seneca*, *Epictetus*, *Marcus Aurelius*, etc. Fundamentum moralitatis, juxta Stoicos, est *secundum rationem et naturam vivere;* nomine vero naturæ intelligunt non solum naturam hominis *individualem*, sed etiam naturam *universalem* totius mundi quam participat homo. Virtus in eo consistit quod voluntas *totis viribus* et *constanter* vivere conformiter naturæ conatur; eo perfectior est quo *intensior* et *constantior* est conatus; hinc summum bonum est *vita sibi concors*. Bonum, quod a pulchro non differt, propter seipsum amandum et quærendum est, non propter aliud; est proinde *finis in se;* cætera vero, ut sanitas, divitiæ, indifferentia sunt; attamen sanitas et divitiæ sunt res utiles, seu commoda quæ potiora sunt ægritudine et paupertate. — Verus autem sapiens hanc regulam sequitur · *sustine*, *abstine :* omnia incommoda patienter *sustinet;* a vanis gaudiis se *abstinet;* omnes animi affectus et passiones rationi subdit, et, per quamdam *impassibilitatem*, ita super omnia elevatur ut nullo influxu doloris aut voluptatis turbari possit[2].

49. (B) Antiquo stoicismo successit modernus *kantismus*[3], quamvis ab illo non parum differat. In utroque

---

[1] *Ritter*, Hist. de la Philos. ancienne, Paris, 1836, t. III, p. 516-583; *Card. Gonzalez*, Hist. de la Philosophie, trad. par *P. de Pascal*, Paris, 1890, t. I, p. 355-367; *J. C. Meyer*, Commentatio in quâ doctrina Stoicorum ethica cum christianâ comparatur, Gottingæ, 1823; *A. Chollet*, La Morale stoïcienne en face de la Morale chrétienne, Paris, *Lethielleux*.

[2] Stoico proinde accommodari potest descriptio justi ab *Horatio* delineata (Od., III, 3, 8) :

> Justum ac tenacem propositi virum,
> Non civium ardor prava jubentium,
> Non vultus instantis tyranni
> Mente quatit solidâ, neque Auster,
> Dux inquieti turbidus Hadriæ,
> Nec fulminantis magna Jovis manus;
> Si fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinæ.

[3] *Kant*, Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, 1785; Kritik der praktischen Vernunft, 1788; opera *gallice* reddita : Fondements de la

systemate, officium *propter seipsum* est implendum; sed, juxta Stoicos, *conformiter naturæ* vivere debemus, dum, si *Kantium* audiamus, *contra naturam* semper pugnare debemus [1].

Emmanuel Kant (1724-1804), *criticæ philosophiæ* auctor, postquam demonstrare conatus est *purâ ratione speculativâ* certo probari non posse Dei existentiam animæque immortalitatem, aliâ viâ ethicæ fundamentum statuere decrevit, *rationis practicæ* ope.

Jamvero fundamentum ethicæ est *officium;* quod sic declarat : Inter res mundanas, una est quæ *vere* et *in se* bona sit, scilicet *bona voluntas.* Hæc autem voluntas bona est non ex objecto quod intendit, sed *ex motivo* quo movetur ad agendum; illud vero non aliud esse potest nisi *officium adimplendum.* Officium non est nisi *conformitas* cum *lege morali universali*, quæ in *ratione practicâ* insculpta est. Voluntas igitur, ut sit bona moraliter, facere debet *quod* imperatur, et *quia* imperatur; nam si legem adimplet propter aliquam felicitatem vel utilitatem consequendam, jam *utile*, non bonum prosequitur, nec proinde bona est moraliter.

50. *Lex* moralis est vere *imperans* non conditionaliter et hypothetice (si velis esse beatus, hoc agas), sed absolute et *categorice :* bonum facias; hinc vocatur *imperativum categoricum;* et huic obedire debemus simpliciter, absque ullo respectu ad consectaria actûs aut præmium obtinendum, et absque ulteriori inquisitione in ejus auctoritatem. Nam lex moralis procedit a naturâ rationali, quæ est *finis in se*, ita ut homo non possit tamquam medium ad alium finem ordinari. Debemus igitur agere ex *solâ reverentiâ legis*, abstrahendo etiam a divinâ voluntate, quia voluntas nostra *autonoma* manet.

Ut voluntas huic categoricæ legi obedire valeat, *libera*

métaphysique des mœurs, trad. *Barni*, Paris, 1848; Critique de la Raison pratique, trad. *Picavet*, Paris, 1902. Cfr. *Théod. Ruyssen*, Kant, Paris, 1900, p. 191-285; *A. Cresson*, La Morale de Kant, Paris, 1904, *A. Fouillée*, Le moralisme de Kant et l'amoralisme contemporain, Paris, Alcan, 1905; *Delbos*, La Philosophie pratique de Kant, Paris, 1905; *H. Sidgwick*, Lectures on the philosophy of Kant, London, Mac Nillan.

[1] Comparationem inter stoicismum et kantismum invenies ap. *Cresson*, op. cit., p. 171- 179.

esse debet : si enim *cogeretur* ad agendum, bona *moraliter* esse nequiret [1].

51. Quibus positis, regula fundamentalis a *Kantio* statuta, hæc est : " Ita age ut regula tuæ voluntatis fieri possit regula universalis ", id est, antequam agas, sedulo perpende utrum aliquid absurdum sequeretur ex tuâ actione, posito quod omnes juberentur eodem modo agere, et ita de facto agerent. Quam regulam alibi sic exponit : " Ita age ut teipsum aliosque habeas tanquam finem, non autem tanquam medium quo uteris " ; si enim te et aliis tanquam *medio* utaris, eo ipso propter utilitatem vel voluptatem, non propter officium, agis. Ex quibus principiis multas conclusiones infert, quas hic referre non est locus.

52. Kantismum in Galliâ docuit ac propagavit *Renouvier*[2], paucis tamen mutatis : admittit quidem aliquod esse *imperativum categoricum*, sed ejus vim obligatoriam ex ratione humanâ *abstractâ et universali* repetit, nec reprobat eos qui non propter officium tantum, sed etiam propter præmium honeste agunt. — Merito tamen animadvertit *Fouillée* hanc abstractam et universalem rationem realiter non existere nisi in Deo[3].

Inter discipulos *Kantii*, nonnulli, ut *Schopenhauer* et *Hartmann* in *pessimismum* inciderunt; putantes siquidem felicitatem non posse obtineri, et officii praxim esse impossibilem, tenuerunt hujus vitæ miserias mitigandas esse per quemdam *compassionis affectum* erga alios, sed earum cessationem obtineri non posse nisi per suî annihilationem, seu ingressum in *nirvana*[4].

---

[1] Exinde assurgit philosophus ad Deum et animam immortalem : supremum bonum, inquit, consistit in intimâ et permanenti conjunctione inter beatitudinem et virtutem; atqui, in præsenti vitâ, talis nexus minime existit, cum plerumque contra naturales tendentias agere debeamus ad virtutem colendam; necesse est igitur ut adsit altera vita, in quâ Deus supremam felicitatem concedet iis qui virtutem excoluerunt.

[2] *Renouvier*, La science de la Morale, Paris, 1869; *G. Séailles*, La Philosophie de Ch. Renouvier, Paris, Alcan, 1905.

[3] *Fouillée*, Critique des systèmes de Morale, p. 222.

[4] *Schopenhauer*, Fondement de la Morale, 1841; traduction franç. de *Burdeau*, 1888. — Pessimismum simul et sensualismum docuit *F. Nietzche* (Par delà le bien et le mal; La Généalogie de la Morale, traduit par *H. Albert*, Paris, 1900); duo sunt, inquit, genera hominum : priores, docti et nobiles, qui *supra-humani* dicuntur, nullâ lege indigent, et suas propensiones libere sequi possunt, quæcumque sint; posteriores, seu inculti, suas passiones frenare debent, ut humiliter prioribus serviant. Quantum rectæ rationi tale systema adversetur, nemo est qui non videat. Cfr. *Fouillée*, Nietzche et l'immoralisme, Paris. 1903.

2° *Kantismus critice expenditur.*

53. Nil dicimus de veterum stoicismo, qui jam antiquatus est; aliunde præcipua argumenta quæ contra *Kantium* afferemus, valent etiam contra *Zenonem.*

Kantismus sane veritatem propius accedit quam utilitarismus : merito siquidem asserit legem moralem esse absolutam, universalem ac vere obligatoriam; *officium* pariter egregie describit, motivumque assignat voluntati humanæ quod multo perfectius est quam utilitas aut voluptas. Attamen hujusmodi systema mancum est et plurimis scatet erroribus.

54. (A) *Methodus*, quâ utitur, videlicet sola methodus *a priori*, est incompleta; ratio sane necessaria est ad definiendum quid agere debeamus, ut supra diximus, n. 43; sed observatio historica et psychologica humanæ naturæ respui nequit; secus, regula morum viribus humanis non erit proportionata. Ita *Kantius* declarat actum in se honestum, qui elicitur cum spe præmii aut metu pœnæ, non esse moraliter bonum : jamvero historice simul et psychologice constat paucissimos esse homines qui bonum faciant, sine ullo respectu ad beatitudinem, aut qui a vitio deterreantur absque metu alicujus pœnæ; ergo hujusmodi norma humanæ infirmitati non est accommodata. — Insuper, rationis speculativæ incapacitatem ad verum attingendum propugnando, eo ipso rationis practicæ vim ad bonum cognoscendum multum deprimit : cur enim certiores sumus de existentiâ obligationis moralis quam de veritatibus mere speculativis?

55. (B) Affirmat *Kantius* legem moralem esse *universalem*, *absolutam*, et *obligatoriam*, sed rationem non reddit hujus obligationis. Eam non repetit ex Deo, sed solum ex humanâ ratione[1] : hæc autem non est universalis, sed indi-

[1] Postea quidem agnoscit, semel admissâ Dei existentiâ, *rationis* imperium spectari posse ut *divinum* imperium (*Raison pratique*, pp. 235, 238); sed obligationis fundamentum statuit antequam Dei existentiam demonstraverit. — Quidam christiani, dum errores Kantii rejiciunt, quædam principia ab eo tamen mutuantur ut ad christianam fidem perducant eos qui subjectivismo et criticismo favent; cfr. *Fonsegrive*, Le Kantisme et la pensée contemporaine, in periodico *La Quinzaine*, 1er mars 1904, p. 86-107.

vidualis, — nec absoluta, sed relativa et finita, suas perfectiones a Ratione increatâ mutuans, — nec concipitur quâ auctoritate tam categorice imperare valeat. Id enim explicari nequit, nisi ratio nostra nihil aliud sit nisi manifestatio increatæ Rationis, quæ utpote infinite sapiens et suprema omnium rerum domina, legem *universalem* et *categoricam* condere potest. Hoc autem negat *Kantius*, dum asserit rationem esse autonomam. — In alium errorem cadit, dicendo humanam naturam esse *finem in se* : cum enim sit finita et creata, ad suum Creatorem necessario referri debet. — Falso pariter supponit illas solas actiones esse bonas *quas* lex moralis absolute præcipit, et *quia* eas præcipit. Sæpe enim ut honestæ merito habentur actiones, quæ nullo modo præcipiuntur, v. g. si quis ultro se totum operibus misericordiæ devoveat. Insuper cur bonæ non essent actiones quæ fiunt, non quia præcipiuntur, sed ex motivo caritatis, quia utiles sunt proximo?

56. (C) *Kantius* sibi contradicit, asserendo ex unâ parte, actum, propter spem beatitudinis elicitum, non esse moraliter bonum, — et ex alterâ, supremum bonum în conjunctione virtutis et beatitudinis situm esse. Nam, si supremum bonum veram beatitudinem importat, cur prohibemur eam exoptare et quærere? Sane malum esse nequit prosequi quod perfectius est; porro, teste *Kantio*, perfectius est virtutem colere simulque beatitudine frui; et nihilominus; si de beatitudine cogitamus et illam appetimus, actio nostra cessat esse moraliter bona!

3° *Varia ethicæ independentis systemata exponuntur.*

Omnia hujusmodi systemata in eo concordant quod *independentia* esse volunt; diverso tamen *gradu* diversoque *modo*, ut ex sequentibus patebit.

57. (a) Quidam nempe tenent ethicam esse quidem independentem a *religione revelatâ*, non autem a Deo[1]. De his modo non agimus; quemdam codicem legum moralium solâ ratione statui posse minime negamus; sed, ut probatum est in *Tr. de Verâ Religione*, n. 50, in statu præsenti, genus humanum non potest moraliter, sine aliquâ revelatione, cognoscere expedite, firmâ certitudine

[1] Ita *Ravaisson; Franck; P. Janet*, La Morale; *J. Simon*, Le Devoir, Paris, 1854; *E. Caro*, Problèmes de Morale sociale, 2e éd., Paris, 1887, p. 15-95, ubi diserte reprobat et confutat systema *ethicæ a Deo independentis.*

et nullo admixto errore, veritatum moralium codicem completum et perfectum.

58. (b) Alii dicunt eam *independentem esse etiam a Deo*, quatenus essentialia principia morum tuto ac certo definiri possunt, quin demonstretur existentia Dei, ex solâ consideratione *ordinis moralis*, qualis *ratione* detegi valet, solâ admissâ hominis libertate[1]. Libertatis siquidem existentiam solâ conscientiâ agnoscere possumus, absque ullis metaphysicis disquisitionibus; cum vero libertas sit potestas inviolabilis, *jus* aliquod supponit cui respondet *officium* : et ex duplici ideâ juris et officii tota ethica deduci valet.

Aliunde maximi interest ethicam a *theodiceâ* et *metaphysicâ* minime pendere : tot enim sunt dissensiones de rebus metaphysicis ut nisi ethicæ fundamentum sit extra has controversias positum, regulam morum communiter receptam invenire jam impossible evadat.

59. (c) Alii contendunt regulam morum omnino independentem esse ab ipsâ *ratione speculativâ*, et in *sensu morali* reponendam esse : illud siquidem honestum aut inhonestum dici debet quod plurium *sympathiam* aut *antipathiam* excitat; seu, ut aliis placet quod sensui morali conforme aut difforme est. Siquidem, quidquid dicatur de veritatibus mere speculativis, homines communiter consentiunt de certis regulis moralibus quas *sensu morali* ut veras agnoscunt. Ille autem sensus aliquando vocatur *sensus communis*, *moralis instinctus*, quandoque *sympathia et antipathia moralis*, aut simpliciter *conscientia*. In omnibus quidem existit, sed excoli potest ac debet, præsertim *sympathiam* erga alios excitando : tunc bonum facile cognoscitur et quodam naturali instinctu perficitur[2]. Quæ schola præcipue in *Anglià* floruit, etsi non paucos discipulos in aliis regionibus assecuta fuerit.

4° *Systema ethicæ independentis critice expenditur.*

60. Aliquid veri in his systematibus inveniri non negamus : quasdam sane morum regulas *recta ratio* invenire potest ex ipsâ contemplatione rerum et finis ad quem destinantur; verum est pariter nonnulla officia nobis manifestari, absque ullo discursu, quodam sensu morali, qui dicitur *vox*

---

[1] Ita *C. Coignet*, La Morale indépendante, Paris, 1869; *M. Ferraz*, Philosophie du Devoir, 2e éd., Paris, 1869; *Beaussire*, Les principes de la Morale, Paris, 1888.

[2] Ita, inter alios, *Shaftesbury*, An inquiry concerning virtue and merit, 1699; *Adam Smith*, Theory of moral sentiments; *T. Reid*, Inquiry into the Human mind, or the principle of common sense, Edinburgh, 1765; *F. Hutcheson*, System of Moral Philosophy, Glasgow, 1755; *Höffding*, Morale, Essai sur les principes théoriques et leur application, trad. de l'allemand par *L. Poitevin*, Paris, 1903.

conscientiæ. Sed quam incompleta et imperfecta sit norma moralitatis independenter a Deo constituta, ex sequentibus patebit.

61. (A) Norma suprema morum debet esse *absoluta* et *universalis;* jamvero ratio humana et sensus moralis, si independenter a Deo spectentur, *nihil absoluti et immutabilis* præ se ferunt : ratio, utpote creata et finita, veritatem nonnisi finito et imperfecto modo percipit, et, nisi divinæ rationi innitatur, sæpe fallitur; hinc historice constat non pauciores fuisse philosophorum dissensiones de principiis morum quam de veritatibus metaphysicis, ut constat ex variis systematibus jam supra expositis. Ratio igitur humana, si seorsum spectetur a ratione divinâ, sæpe incerta erit, diversasque proponet regulas secundum diversa tempora aut varias gentes; proindeque essentialiter mutabilis et subjectiva erit.

62. (B) Præterea *auctoritate caret ad imponendam moralem obligationem;* hæc enim intelligi nequit sine ente superiore. Si recta ratio sit quædam participatio divinæ rationis, et ordo naturalis apprehendatur ut manifestatio divinæ voluntatis sapienter omnia disponentis, jam exsurgit obligatio vivendi et agendi secundum hunc ordinem a supremo omnium Domino constitutum; sed si ratio in se consideretur, absque ullo respectu ad Deum, percipere quidem potest aliquem actum esse honestum, sed obligationem imponere nequit illum faciendi, cum ratio non sit homini superior, sed solum pars hominis. Idem a fortiori dicendum est de *sensu morali :* si idem sit ac practica ratio, majorem vim non habet; si vero habeatur ut sensus specialis, a ratione distinctus, minori etiam potietur auctoritate, cum sensus sit aut debeat esse rationi subordinatus. — Fatemur equidem *sensum moralem* recte informatum *signum* esse alicujus obligationis, sed hanc creare aut inducere nequit.

63. (C) In illo pariter systemate *deficit sanctio* ad incitandum hominem ad bonum. Deus quidem, utpote justus ac supremus remunerator, bonis præmium malisque pœnas tribuere valet, ut eos ad virtutem alliciat et a vitio deterreat. Sed, si abstrahatur a Deo, quænam erit sanctio? *Non humana felicitas :* haud raro enim justi opprimuntur ac mali divitiis et voluptatibus affluunt. Neque *conscientiæ remor-*

sus; nisi enim hic ut vox Dei habeatur, malos parum terret : imo quo hi scelestiores sunt, eo minus remorsum sentiunt, et longâ vitii consuetudine vox conscientiæ tandem muta redditur. Nulla igitur erit sanctio vere efficax; jamvero si pauci homines, inter nobilissimos, legem sine sanctione adimplere non dubitant, plerique tamen eam contemnere solent.

CONCLUSIO HUJUS TRACTATUS.

64. Criticâ expositione horum systematum non parum confirmatur catholica moralitatis norma. Quidquid enim veri et honesti illa continent, in catholicâ doctrinâ invenitur. Ita cum *utilitarismo* admittimus beatitudinem esse finem, non quidem primarium, sed secundarium hominis, et quidem veram et perfectam beatitudinem quæ perfecte quietat omnes ejus legitimas aspirationes; eamdem esse non quidem moralitatis normam, sed unum ex motivis quibus ad bene agendum adjuvamur. Cum *kantismo* fatemur legem moralem esse absolutam, universalem et categorice obligatoriam; sed rationem exhibemus cur res ita se habeat, quia videlicet lex moralis nihil aliud est nisi manifestatio divinæ rationis et voluntatis. *Rationalistis* concedimus rectam rationem sequendam esse, tanquam normam moralitatis *proximam;* sed simul ostendimus id fieri non posse nisi quia ratio nostra est quædam participatio divinæ rationis, quæ est ultima et infallibilis morum regula. Neque negamus alicujus *sensus moralis* existentiam, ejusque influxum in mores humanos, sed ostendimus hunc sensum nihil aliud esse nisi judicium rectæ rationis, et signum altioris normæ, videlicet ipsius rationis divinæ, quæ falli nequit.

Cum *evolutionismo* tenemus aliquem *progressum* admittendum esse sive in individuis[1], sive in societate; ita lex nova perfectior est antiquâ lege, atque ipsa christiana societas quotidie proficere potest, melius intelligendo atque colendo virtutes christianas; hic autem progressus non cæcâ necessitate, sed sapienti Providentiâ dirigitur. Iis assenti-

[1] "Et qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc." (*Apoc.*, XXII. 11.)

mur qui, cum *Guyau, vitam intensissimam* promovent[1]; sed vitam ordinamus in Deum, supremum et infinitum bonum.

Aliunde catholica regula sedulo vitat errores et scopulos aliorum systematum, ut supra ostendimus; ergo est admittenda. Ergo in toto decursu Theologiæ moralis nihil amplius manet nisi expendere quomodo, juxta lumen rationis ac fidei, actus nostri ad Deum, finem ultimum, ordinari possint.



[1] "Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant." (*Joan.*, X, 10.)

De Actibus humanis.

65. Ad finem ultimum tendimus per actus *liberos*, *morales* et *meritorios*, qui proinde dicuntur *vitæ æternæ semina*. (a) *Liberi* quidem esse debent, quia finis ultimus per modum præmii et mercedis obtinetur, ideoque per actum liberum, qui solus præmio aptus est; (b) *morales* et *honesti*, quia Deus actus malos remunerari nequit; (c) *meritorii*, seu illis conditionibus vestiti quæ ad supernaturale meritum desiderantur, quia *de facto* ad finem *supernaturalem* destinamur. Dicemus igitur :

I. De actibus *liberis*, seu de *libertate* actûs humani.

II. De actibus *moralibus*, seu de *moralitate* actûs humani.

III. De actibus *meritoriis*, seu de *merito*.

- De actibus *liberis*
  - Notio et species.
  - Principia quæ eos producunt.
  - Causæ in eos influentes.
- De actibus *moralibus*
  - Elementa e quibus moralitas derivatur.
  - Extensio moralitatis ad
    - voluntarium indirectum.
    - cooperationem.
- De actibus *meritoriis*
  - Conditiones ex parte
    - operantis;
    - operis;
    - Dei.

Caput j.

DE ACTIBUS LIBERIS.

66. **Status quæstionis.** Inter actus qui ab homine perficiuntur, alii sunt *voluntarii*, alii *involuntarii*. Priores peraguntur a voluntate cum præviâ cognitione intellectûs. Posteriores autem sine præviâ cognitione aut voluntate fiunt. Hujusmodi sunt actus plene *somniantis*, *ebrii* aut *delirantis*, qui incapaces sunt consciæ cognitionis[1]; — pariter actus *vitæ vegetativæ*, ut alimentorum digestio aut sanguinis circulatio, qui voluntati non subduntur; — necnon actus hominis *plene distracti* qui, quamvis sit attentionis capax, de facto non animadvertit ea quæ facit, quia ejus attentio ad alia divertitur. — Priores actus, scilicet voluntarii, vocari possunt *actus humani*, quia ab homine, ut homo rationalis est, procedunt; posteriores autem dicuntur *actus hominis*, quia procedunt quidem ab homine, sed non quatenus est rationalis, cum fiant sine advertentiâ et voluntate[2].

Hic agimus de actibus *voluntariis*; nec de aliis erit sermo, nisi ut a prioribus distinguantur. Inter actus *voluntarios*, alii sunt *necessarii*, alii autem *liberi* seu *deliberati*. Priores procedunt quidem a voluntate cum præviâ cognitione, sed

---

[1] Ita actus *voluntarii* distinguuntur a *spontaneis*, qui cum cognitione *mere sensitivâ* fiunt, quales sunt actus infantium aut amentium.

[2] Aliquando tamen actus *humani* ii soli dicuntur qui vere sunt *liberi*, ideoque a voluntate deliberatâ procedunt, secundum ea quæ infra exponuntur. Ad rem *S. Thomas*, 1. 2., q. 1, a. 1 : " Actionum quæ ab homine aguntur, illæ solæ dicuntur *humanæ* quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem... illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur quæ ex voluntate deliberatâ procedunt. "

ita ut *voluntas ab eis abstinere non possit;* sic *bonum in communi* volumus necessario [1]; malum enim non amplectimur nisi sub specie boni, seu quatenus aliquo modo bonum esse nobis apparet. Econtra actus liberi ita procedunt a voluntate, ut voluntas pro libitu suo actum ponere vel non ponere possit. Ita *voluntarium* est veluti genus, quod sub se duas species continet : voluntarium *necessarium* et voluntarium *liberum* seu *deliberatum;* sed, cum prius non versetur nisi circa bonum *in communi*, sæpe voluntarium et liberum promiscue sumuntur. — Quod quidem fusius declarabimus, exponendo : 1° *notionem* ac *species* actûs liberi; 2° *principia* quæ ad ejus *productionem* concurrunt; 3° *causas* quæ in actum liberum *influunt.*

Art. I. Notio ac species actuum liberorum [2].

I. Actuum liberorum notio.

67. 1° **Definitio.** Liber dicitur actus qui *immunis* est *a coactione et necessitate.*

(a) Libertas seu immunitas *a necessitate*, quæ dicitur etiam libertas *exercitii*, seu *liberum arbitrium*, est *facultas eligendi unum præ altero, ita ut agens non sit intrincese determinatus ad unum.* Ad libertatem minime requiritur ut voluntas sit in statu *indifferentiæ;* sed sufficit ut, non obstantibus variis causis, sive externis sive internis, quæ in eam influunt, ultimo alterutram partem eligere valeat. — Triplex est : libertas *contradictionis*, quæ exercetur circa contradictoria, v. g.

[1] Quidam tamen putant hominem esse liberum etiam circa *bonum in communi*, quia, inquiunt, ad illud *naturaliter* quidem, sed non *ex necessitate* tendit; ita *Piat*, La Liberté, t. II, Le Problème, p. 262-269. — Attamen *psychologice* constat quoddam esse discrimen inter appetitionem beatitudinis quam omnes implicite saltem eliciunt, et volitionem mediorum quæ ad eam conducunt : cum enim hæc sint diversa, et consequenter bona limitata, non necessario nostrum assensum sollicitant. — Cæteroquin, in praxi, parum refert, dummodo admittatur nos vere esse liberos circa electionem mediorum ad beatitudinem consequendam.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 8-17; *Suarez*, Tr. de voluntario et involuntario, disp. I, II, VI-X; *Salmanticenses*, De principiis moralitatis, cap. I, n. 9-21; *Billuart*, De actibus humanis, diss. I-III; *Bouquillon*, n. 318-330; *Ballerini-Palmieri*, t. I, n. 1-34.

quando eligere possumus inter *amare* et *non amare;* libertas *contrarietatis*, quæ eligit inter contraria, v. g. inter *amare* et *odisse*, *bonum* et *malum;* libertas *specificationis*, cujus est eligere inter objecta specie diversa, ut sunt *edere* et *ambulare.* Jamvero ad essentiam libertatis sufficit sola facultas eligendi inter contradictoria, seu inter agere et non agere.

(b) Libertas *a coactione*, seu libertas *executionis* est *expedita facultas pro libitu agendi*, ita ut agens *externâ violentiâ* non cogatur ad agendum, nec ab agendo impediatur. *Necessitas* igitur ipsam *internam* eligendi facultatem afficit, dum *coactio* solummodo ligat *externam* exsequendi potestatem.

68. 2° **Existentia.** (A) Libertatis existentiam hodie negant *deterministæ*[1] qui contendunt omnes actiones hominis a circumstantiis, præcedentibus aut concomitantibus, ita pendere ut vere ab eis determinentur, non autem libere a voluntate eligantur. Nostri non est propositi contra eos liberi arbitrii existentiam vindicare; id præstant Philosophi.

69. Præcipua eorum argumenta in memoriam revocare sufficiat: (a) *Psychologica*[2]. Ex intimo conscientiæ testimonio constat nos, in multis saltem actibus, vere liberos esse. Non obstantibus enim variis motivis quæ ad agendum hoc aut illo modo nos impellunt, possumus, pro arbitrio nostro, hæc motiva *attente* considerare vel non, et de eis judicium practicum ferre; — conscii sumus nos inter bonum *delectabile* et bonum *honestum* eligere posse; — eo ipso instanti quo bonum eligimus, sæpe ad malum allicit voluptas, ideoque *conatum*, id est actum voluntatis voluptati contrarium exigit officii adimpletio; — si bonum facimus, nobis ut *veris auctoribus* actionem ut

[1] Ita, inter alios, *A. Fouillée*, La liberté et le déterminisme, 4e éd., Paris, Alcan, 1895. Ipse tamen fatetur nos paulatim liberos fieri : conceptum enim habemus libertatis; atqui omnis conceptus eo tendit ut tandem aliquando in actum erumpat, atque *realis* evadat. Ceteroquin deterministæ plerique fatentur nobis aliquam potestatem inesse circumstantias immutandi, et ita indirecte quod volumus assequendi.

[2] *Piat*, Le problème de la liberté, p. 37-127; *Mercier*, Psychologie, t. II, n. 203-206; *Meyer*, op. cit., n. 109-114; Fonsegrive, Essai sur le libre arbitre, 2e éd., Paris, Alcan, 1896, p. 434-452, ubi psychologicum et metaphysicum argumentum simul conjungit.

laude dignam imputamus; si male egimus, nos tanquam *vituperio* dignos reprobat conscientia. Tandem aliquando discrimen percipimus inter actus ex invincibili propensione ortos et eos qui libere peraguntur. Nisi igitur manifesto nos decipiat conscientia, vere liberi sumus saltem in multis.

Quod confirmatur ex conceptu *officii* adimplendi, qui omnibus inest, ut supra ostensum est. Officio enim *non cogimur* nec *determinamur*, sed *sollicitamur* ad agendum; hinc aliquando officii imperio resistimus, reluctante conscientiâ; aliquando eidem consensum præbemus, reluctante concupiscentiâ; in priori casu, nos pœnitet ordinem naturæ violâsse; in posteriori, gaudemus de bono libere electo.

(b) *Metaphysica.* Objectum proprium et adæquatum voluntatis est bonum *universale;* quare, si proponitur voluntati aliquod objectum quod sit, et evidenter appareat universaliter bonum, secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendet, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum. Si vero proponitur aliquod objectum, quod non secundum omnem considerationem sit et appareat bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud. Jamvero particularia bona quælibet, in quantum non sunt universale bonum, sed ab aliquo bono deficiunt, possunt accipi ut non bona; et secundum hanc considerationem, possunt repudiari vel approbari a voluntate[1].

Subjectum igitur libertatis est proprie *voluntas*, cujus est eligere inter agere et non agere, hoc vel illud facere. *Radix* vero libertatis est *ratio*, quæ potest habere diversas conceptiones boni[2]: *summum bonum* concipit ac voluntati proponit ut quid *necessarium; particularia* autem bona concipit ac proponit ut *desiderabilia* in quantum cum beatitudine plus minusve connectuntur.

70. (B) *Theologi* pariter, contra *Lutheranos*, *Calvinistas* et *Jansenianos*, probant voluntatem humanam, etiam in statu naturæ lapsæ et sub influxu gratiæ, manere liberam a necessitate[3]. (a) Id sane constat ex generali modo loquendi *Scripturæ;* præcepta siquidem homini dantur; facientibus bonum præmia promittuntur, malis autem pœnæ infliguntur; peccatores ad pœnitentiam vocantur, justi monentur ne, nimium sibi fidentes, in peccatum labantur; duo sunt in nobis propensionum genera sibi mutuo opposita, quibus ad bonum et ad malum allicimur[4]; sed, si sine Dei auxilio, nihil ex nobis possumus facere, omnia possumus in eo qui nos confortat[5].

---

[1] Ita *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 10, a. 2.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 17, a. 2 ad 2; I, q. 83, a. 1.

[3] Quod probavimus in *Tr. de Gratiâ*, n. 94-98.

[4] *Rom.* VII, 15-25.

[5] *Philip.*, IV, 13. — Doctrinam Scripturæ et Patrum de libertate exponit *Fonsegrive*, op. cit., p. 79-124.

(b) *Tridentinum* igitur merito declarat Adæ prævaricatione liberum hominis arbitrium, *viribus licet attenuatum et inclinatum, minime extinctum esse*, illudque gratiæ Dei *dissentire posse*, si velit[1]. Tanquam hæretica pariter reprobata est propositio 3ª *Jansenii :* "Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione."

II. Actuum liberorum species.

71. Primaria distinctio actuum liberorum desumitur ex *principio* a quo procedunt : alii quidem sunt *eliciti* et alii *imperati.* **Eliciti** seu *immanentes* a voluntate immediate procedunt et in eâ perficiuntur ac consummantur[2], ut volitio, intentio, electio, etc.; **imperati** ii sunt qui non immediate procedunt a voluntate, sed, ex ejus imperio, ab aliâ potentiâ sive internâ sive externâ, ut cogitare, ambulare, etc. De quibus pauca dicenda, quo melius natura actûs liberi intelligatur.

72. 1° **De actibus elicitis.** Sex generatim distinguuntur voluntatis actus eliciti, quando non præcipitanter, sed prudenter et mature agimus : *simplex volitio, intentio, consensus, electio, usus, fruitio.*

(a) Quando intellectus aliquid ut bonum apprehendit, voluntas in illud fertur tanquam in se *amabile*, et illa inclinatio dicitur *simplex volitio*, seu *complacentia*, aut *amor.*

(b) Hæc autem volitio movet intellectum ad expendendum utrum illud bonum sit *subjecto conveniens* et *possibile;* et si revera intellectus judicat rem ita se habere, nascitur *intentio*, quâ voluntas tendit in finem ut assequibilem.

(c) Vi hujus intentionis, intellectus inquirit de mediis fini obtinendo congruis, et voluntas præbet *consensum*, seu appetit media ad rem consequendam utilia.

(d) Vi hujus consensûs, applicatur intellectus ad discernendum quæ sint aptiora media ad objectum assequendum, et ex parte voluntatis fit *electio*, quâ unum medium præ aliis approbat.

---

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 1 et can. 4-5 (*Denzing.*, nn. 675, 696, 697).

[2] Modo generali *eliciti* dicuntur actus qui ab illâ facultate perficiuntur, quæ est proprium subjectum illorum actuum; ita actus fidei est *elicitus* ab intellectu et imperatus a voluntate. In re autem *morali*, actus elicitus dicitur relate ad *voluntatem*, cujus est moraliter agere.

(e) Electo jam medio, voluntas, dirigente intellectu, imperat executionem hujus medii, proindeque applicat potentias executivas ad actum; quod quidem vocatur *usus activus*, seu *imperium voluntatis* ad agendum.

(f) Tandem, quando voluntas bonum assecuta est, in eo quiescit, eoque fruitur, et inde nascitur *fruitio*, seu jucunda quies in fine possesso.

73. 2° **De actibus imperatis.** Ad recte judicandum de libertate, proindeque de moralitate horum actuum, maximi interest ut definiatur *quibus facultatibus* voluntas imperare possit, et *quali* imperio. Duplex enim distinguitur imperium: unum *absolutum*, seu *despoticum*, cui resisti nequit; et alterum *non-absolutum* (quod *politicum* a Scholasticis vocabatur), cui resistere possumus.

(a) Jamvero voluntas nullum imperium exercet in illas *intellectûs apprehensiones* quæ omnem volitionem *antecedunt*, v. g. impedire nequit quin ratio *percipiat* veritatem ipsi propositam; directe non influit in *judicium* quod fertur de re *evidenter* verâ aut falsâ, sed *indirecte*, quatenus animi *affectus* aliquo modo judicium inclinant in eam partem quæ magis placet. — Intellectus liberæ voluntati subjacet quoad *applicationem*, quatenus tali vel tali objecto applicari potest, *non tamen absolute*, ut patet ex animi divagationibus quibus obnoxii sumus; et aliquo modo quoad *adhæsionem*, quando veritas non evidenter patet, v. g. in mysteriis fidei; tunc enim voluntas imperare valet assensum firmiorem quam meretur pondus rationum quæ in medium proferuntur [1].

74. (b) Voluntas imperium exercere nequit in *primas imaginationis* repræsentationes aut *memoriæ* recordationes, quæ aliunde non fuerunt volitæ, nec in *primos appetitûs sensitivi* (seu passionum) motus; hæc enim omnia ejus actum antevertunt. Sed quoad ceteros harum facultatum actus aliquod imperium exercere valet; potest siquidem phantasias, recordationes aut passiones excitare, et ex adverso concupiscentiæ motus aliquo modo compescere, his facul-

[1] Patet ex damnatione hujus propositionis ab *Innocentio XI*: "Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium." (*Denzing.*, n. 1036.)

tatibus imperando ut ad alia objecta se divertant. Sæpe tamen phantasmata, recordationes aut passionum motus, etiam contra imperium voluntatis, redeunt: "Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis"[1].

(c) Idem fere dicendum est de *sensibus externis:* a voluntate pendent quoad *applicationem*, aut aversionem ab objectis, non autem quoad *sensationem*, seu impressionem: sensus enim ita disponuntur ut producatur sensatio, quoties objectum sensibile organa percellit; ex illâ autem sensatione necessario sequitur quædam *voluptas* aut *tristitia*. Attamen sæpe voluntas, quando deliberationi locus est, indirecte prævenire potest sensationes et motus ex illis consequentes, sensibus imperando ut a certis objectis se avertant. Exortâ vero voluptate aut tristitiâ, voluntas libere potest consentire vel dissentire.

75. (d) *Vis autem motrix* externorum corporis membrorum voluntatis imperio fere absoluto subjacet, dum modo non impediatur aliquo vitio, ut paralysi, aut aliquo statu extraordinario, ut somno hypnotico aut obsessione diabolicâ.

(e) *Vitæ vegetativæ* functiones quædam, ut nutritio, nonnisi *indirecte* a voluntate pendent, quatenus v. g. hæc imperare potest ut talis vel talis cibus edatur; quædam tamen, ut respiratio, a voluntate *diriguntur;* omnes *remote* alicui voluntatis imperio subjacent, quatenus animi dispositiones, ut gaudium vel tristitia aliæque passiones, in harum facultatum exercitium haud parum influunt.

Quæ quidem omnia præ oculis habenda sunt ad recte judicandum de libertate et moralitate actuum qui a voluntate plus minusve imperantur.

76. Ratione *manifestationis*, actus humani sunt *mere interni*, quando ab animæ potentiis perficiuntur absque ullo exteriori signo, ut cogitatio, imaginatio, volitio; *externi*, quando per externa corporis organa exercentur, ut deambulatio, capitis inclinatio, etc.; *mixti*, qui a potentiis, externis et internis simul exercentur, ut pia rosarii recitatio, devota genuflexio, etc. — Aliæ sunt divisiones, de quibus infra suo loco dicemus.

[1] *Rom.*, VII, 23.

Art. II. De principiis quæ ad actûs liberi productionem concurrunt.

77. Quando agitur de actu *mere naturali*, principia interna quæ ad ejus productionem concurrunt, sunt variæ facultates quæ in *Psychologiâ* describuntur; si agitur de actu *supernaturali* et *meritorio*, requiruntur insuper quædam dona supernaturalia, quibus facultates complentur et elevantur; quæ fusius in *Tr. de Gratiâ* declarantur. Hic in memoriam revocare sufficiat quæ magis utilia sunt ad intelligentiam actûs liberi et meritorii.

§ I. De principiis naturalibus ad actum liberum concurrentibus [1].

Quamvis omnes hominis facultates aliquomodo ad actûs liberi productionem concurrant, duæ sunt tamen quæ *proxime* eum producunt, *intellectus* scilicet et *voluntas* : prior *cognoscit* objectum, de ejus morali bonitate aut malitiâ judicat, illudque voluntati *proponit : nil volitum quin præcognitum;* posterior bonum *prosequitur* ab intellectu propositum. — Aliæ quidem facultates ad actum liberum concurrunt, sed solum in quantum voluntate diriguntur, ex dictis supra, n. 73-75.

I. De cognitione ad actum liberum requisitâ.

78. Ut actus vere et quoad omnia sit liber, cognitio seu advertentia mentis præcedere debet voluntatis electionem; et agens duo advertere debet : ipsum *actum* ut *moralem*, variaque *elementa* quæ ejus *moralitatem* afficere possunt: et *quo perfectior cognitio, eo liberior est actus*, quia voluntas eo liberius elicit actum quo lucidius ipsi proponuntur motiva agendi.

1° Agens *conscius* esse debet *ipsius actionis* quam elicit, ut hæc sit libera; cum enim actus liber sit in potestate operantis, agens ita dispositus esse debet ut actum ponere vel non ponere, continuare vel abrumpere possit; atqui id præstare nequit nisi conscius sit se agere et talem actum

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 9-15; *Suarez*, op. cit., disp. VI, VIII; *Billuart*, diss. III. Confer Philosophos, ubi de *Psychologiâ* disserunt.

perficere. Nec sufficit ut ipsum *materialem* actum advertat, sed requiritur ut ejus *moralitatem* percipiat.

79. (a) Ratione ipsius *subjecti*, advertentia est *plena* aut *semi-plena :* **plena,** quando nihil ex parte intellectûs impedit quominus actus advertendi eliciatur, cum illâ perfectione quam prudentes in rebus alicujus momenti adhibere solent, v. g. quando quis evigilans, suî compos, nec turbatus nec distractus, ad rem attendit; — **semi-plena,** seu potius **non-plena,** quando aliquid mentem impedit ne actus advertendi perfectus sit, v. g. quando quis de re aliquâ cogitat nondum plene e somno excitatus, vel sui non plene compos, aut aliis rebus distractus.

Pro diversâ mentis advertentiâ, triplicis generis actus distingui solent : *motus* **primo-primi,** seu *indeliberati* qui omnem advertentiam præveniunt, v. g. motus naturalis aversionis, iræ, vindictæ cum excitantur antequam advertantur; *motus* **secundo-primi,** seu *semi-deliberati*, quorum nonnisi imperfecte conscii sumus, quia non plene evigilati, aut aliquo modo distracti; *motus* **secundi,** seu *deliberati*, qui cum plenâ advertentiâ eliciuntur, ab eo scilicet qui est omnino suî compos et ad rem plene attendit.

80. (b) Ratione *objecti*, advertentia est **distincta,** quando objecti *moralitas* clare percipitur, — **confusa,** quando non apprehenditur nisi obscure. Ita qui e fenestrâ lapidem projicit, prævidens fore ut ex eo vulneretur transiens inimicus, *distincte* malitiam hujus actionis advertit; si vero id faciat, suspicans quidem aliquem forsan prætereuntem posse vulnerari, nesciens autem utrum quis reipsa transeat, nonnisi *confuse* vulnerationem proximi advertit. — Quæ quidem distinctio maximi momenti est, cum effectus *confuse* tantum prævisus multo minus agenti imputabilis sit quam ille qui clare percipitur [1].

81. 2° Ut agens libere velit omnes circumstantias actûs, eas advertere debet; cum enim *nil sit volitum quin præcognitum*, si in aliquo objecto plura sint elementa moralia quæ agens non percipit, eadem libere non vult. Ita si quis

[1] Quod lucide exponit *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XX, 1898, p. 1025-30.

patrem occiderit, putans eum esse hominem sibi infensum, reus est quidem *homicidii*, non autem *parricidii*, quia, propter tenebras aliamve causam, non advertit hunc hominem suum esse patrem ; si eum occiderit inter venandum, existimans id quod videbat *feram* esse, nec parricidii, nec homicidii reus est.

II. De volitione ad actum liberum requisitâ.

Cum actus liber directe a voluntate eliciatur, de ipsâ volitione dicendum manet, quo melius dignoscatur quandonam sit vere libera.

82. 1° Ratione *deliberationis* et *adhæsionis*, volitio, sicut ipsa cognitio, **perfecta** vel **imperfecta** dicitur, prout fit cum *plenâ* aut *semi-plenâ* advertentiâ, simulque cum *pleno* vel *semi-pleno* consensu. Itaque in voluntario, seu libero, plures gradus esse possunt, prout plus minusve perfecta est cognitio, aut volitio. Quidam putant perfectionem volitionis a *solâ cognitione* pendere; sed alii, quibus assentimur, censent esse gradus in *ipso consensu*. Etenim aliquando *nullus* datur consensus, etsi plena sit advertentia, ut in casu *abouliæ*, infra, n. 128. Quandoque *semi-plenus* est consensus, quamvis plena sit advertentia, ut in casu habitûs jam retractati, n. 125. Alias voluntas nonnisi *reluctanter* consentit, sub influxu metûs : ita christianus qui, mortis metu, exterius fidem denegat; aut officialis, qui, ut munus servet, reluctanter contra conscientiam agit. Quo casu, si advertentia est plena, volitio non desinit esse libera, et quidem satis plene ad peccatum mortale committendum : tunc enim agens *deliberate* præfert bonum temporale et transitorium bono spirituali et æterno, quod sub gravi præcipitur. Illustratur comparatione : mercator qui, exortâ tempestate, suas merces in mare projicit ad vitam servandam, id quidem *reluctanter*, sed tamen *libere* et efficaciter facit, quia vitam divitiis anteponit; ita qui ex metu consentit peccato, *libere*, etsi *reluctanter* agit. — Alias autem consensus totâ animâ, toto corde præbetur. Sunt igitur varii gradus in ipso consensu.

83. 2° Ratione *manifestationis*, volitio est **expressa**, quando distincte verbis vel aliis signis externe declaratur; **tacita**, quando consensus elicitur quidem, sed distincte non manifestatur, et solum ex aliquo facto vel facti omissione

adesse colligitur : ita, si superior, sciens aliquid contra legem fieri, illud non prohibeat, quando facile potest, consentire videtur. — Exinde natum est axioma : *qui tacet, consentire videtur;* notandum est tamen solam taciturnitatem *ex se* non significare consensum, sed ex *adjunctis* ejus sensum definiendum esse, secundum regulas quæ in toto decursu operis tradentur.

A voluntario seu consensu *tacito* sedulo distinguendum est voluntarium *præsumptum*, quod quis de facto non elicuit, sed eliciturus esset, si res ipsi proposita fuisset; v. g. si in casu particulari lex positiva sine gravi incommodo servari nequit, præsumi potest dispensatio legislatoris.

84. 3° Ratione *modi* quo exprimitur, volitio est **positiva,** quando terminatur ad aliquem *actum*; **negativa,** quando in aliquâ *omissione* consistit; v. g. pater qui advertit suum filium furari bonum alienum, et non impedit, *negative* vult huic furto cooperari. Hæc autem omissio vera *libera* est et imputabilis, quando quis *agere potest* et *tenetur.*

Hic notari potest omissionem voluntariam multiplici modo fieri posse. Si agatur v. g. de missâ audiendâ : (a) quis expresse dicere potest : nolo audire missam; (b) aut eligere actionem cum auditione missæ incompossibilem, v. g. venationem; (c) vel *positive* se determinare ad nullum actum eliciendum sive volitionis sive nolitionis; (d) aut omnino *passive* se habere, ut accidit iis qui in statu indifferentiæ seu *abouliæ*, ut aiunt, versantur. In tribus prioribus modis, omissio libera est; in quarto, controvertitur : *aboulia* siquidem est morbus psychologicus, qui sæpe voluntarius fuit *in causâ*, sed valde minuit et quandoque tollit libertatem.

Aliæ divisiones voluntarii seu liberi *directi* et *indirecti; actualis, virtualis* et *habitualis* opportunius infra declarabuntur.

§ II. De principiis supernaturalibus ad actum meritorium concurrentibus.

85. Facultates naturales, divino concursu adjutæ, sufficiunt quidem ad actum naturaliter bonum eliciendum, dummodo nimis arduus non sit [1]; sed, cum de facto ad finem supernaturalem ordinati simus, quædam obiter dicere juvat

[1] Quid possit, quid nequeat homo lapsus, sine gratiâ, quoad opera ethice bona, declaratum est in *Tr. de Gratiâ*, n. 33-48. — In eodem Tractatu fusius exponuntur ea omnia quæ ad actum meritorium concurrunt.

de illis principiis quæ ad actum meritorium efficiendum naturæ nostræ superadduntur.

1° **Christianus,** baptismum suscipiendo, constituitur filius Dei adoptivus, hæresque regni cœlestis, et quamdam recipit participationem divinæ naturæ, **gratiam** scilicet **habitualem,** vi cujus natura humana ad statum supernaturalem elevatur, et *radicaliter* fit capax meritorie agendi; — **virtutes** simul infunduntur animæ *potentiis*, quæ eas perficiunt et *proxime habiles* reddunt ad eliciendos actus supernaturales; quibus adduntur **dona Spiritûs Sancti,** ad opera perfectiora et magis ardua divino quodam instinctu peragenda. Tandem, ut facultates nostræ, virtutibus et donis supernaturalibus jam exornatæ, prorumpant in actum operaque supernaturalia de facto eliciant, ipsis præbentur auxilia indebita, quæ **gratiæ actuales** dicuntur. Ita in christianis natura perficitur gratiâ; facultates complentur virtutibus et donis infusis; concursus, quo Deus actibus nostris cooperatur, est supernaturalis; ita non solum honeste, sed etiam supernaturaliter et meritorie agere valemus.

Quando vero peccato mortali amittitur *gratia habitualis* et *caritas*, manent in animâ *fides* et *spes*, dummodo quis graviter contra has virtutes non deliquerit; nec ei denegantur *gratiæ actuales*, quarum ope actus supernaturales[1] timoris Dei, spei, pœnitentiæ et amoris elicere valet, gratiamque sanctificantem recuperare.

86. 2° **Infideles** autem, qui baptismali regeneratione justificati non fuerunt, tempore opportuno accipiunt auxilia indebita, quorum ope legem naturalem adimplere possunt. Quando per aliquod tempus hanc legem servaverunt, Deus, juxta communem sententiam, ipsis benigne largitur, non ex justitiâ, sed ex misericordiâ, quasdam gratias actuales illuminationis, quibus si consentiant, pedetentim ad fidem, spem, caritatem et justificationem perducentur; justificati autem, christianis æquiparantur, atque vere mereri possunt. — Quæ quidem omnia fuse exponuntur in *Tr. de Gratiâ*[2].

[1] Hi actus peccatoris sunt quidem supernaturales, sed non meritorii de *condigno*, ut declaratur in *Tr. de Gratiâ.*

[2] Cum nonnisi obiter hæc attingere in præsenti Tractatu valeamus, professor, pro variis adjunctis, plus minusve eadem discipulis suis exponet.

Art. III. De causis quæ in actum liberum influunt, ad libertatem minuendam vel augendam.

87. Post ea quæ exposuimus de principiis quæ actum liberum producunt, inquirendum manet de causis quæ in eumdem *influunt*, ad ejus libertatem augendam, aut minuendam, vel penitus tollendam. Generatim theologi agunt solummodo de actûs liberi *impedimentis*, quæ a *S. Thoma* quatuor numerantur : *ignorantia*, *concupiscentia*, *vis* et *metus*. Alia tamen alibi recensentur, de quibus pauca hic dicere juvat, ut confessarius æquior esse valeat in dijudicandis pœnitentium operibus. Magis opportunum vero ducimus hic agere non solum de *impedimentis* libertatis, sed de præcipuis causis quæ in eam influunt ad eam minuendam aut augendam. Jamvero quædam sunt causæ quæ **magis proxime** in voluntarium influunt : 1° *directe* quidem in **intellectum**, et *indirecte* in voluntatem, ut *error* et *ignorantia;* 2° *directe* et principaliter in **voluntatem**, ut *passiones;* 3° *directe* in **volitionis executionem**, et indirecte in intellectum et voluntatem, ut *violentia*. — Aliæ vero sunt causæ quæ **magis remote** in intellectum et voluntatem influunt, ut *hæreditas* et *temperamentum*, *educatio*, *habitus* necnon *morbidi quidam status*, corpus aut animam afficientes. De quibus seorsim dicendum.

§ I. De causis magis proxime in actum liberum influentibus.

Cum actus liber ab *intellectu* et *voluntate* pendeat, id omne quod utramque facultatem afficit, eo ipso libertati prodesse vel nocere potest.

I. De causis directe in intellectum influentibus, et præsertim de errore et ignorantiâ[1].

88. Quædam sunt dispositiones mentis et corporis, in quibus homo non est suî compos, et de quibus nihil speciale

[1] *S. Thom.* 1. 2æ, q. 76; *Suarez*, disp. IV; *Salmant.*, op. cit., cap. XIV; *S. Alphons.*, De act. hum. n. 26-29; *Billuart*, diss. I., art. 9; *Bouquillon*, n. 332-334; *Ballerini P.*, n. 35-58; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du clergé*, XX, 1898, p. 1153-1161; *Didiot*, Morale surnaturelle Fondamentale, n. 383-432.

hic dicendum occurrit, videlicet : defectus rationis in *infantibus;* in adultis vero, *amentia* sive totalis, sive partialis (monomania), *somnus* sive plenus sive semiplenus, *ebrietas*, *hallucinatio*, *obsessio diabolica*. In his omnibus, si omnino deficiat rationis usus, deerit libertas; si quædam maneat advertentia, actus plus minusve liber erit secundum ipsum gradum cognitionis. — Sed, cum *ignorantia* et *error* multo frequentius in actus humanos influant, de his speciatim agendum est.

I° *Ignorantiæ notio et species.*

89. (A) **Notio.** Ignorantia in genere est *carentia alicujus cognitionis in subjecto cæteroquin capaci;* vocatur *negativa*, seu *simplex nescientia*, quando est carentia scientiæ quam acquirere *non tenemur*, v. g. ignorantia medicinæ in rustico; *privativa* dicitur, si est carentia *debitæ scientiæ*, ut est ignorantia theologiæ in sacerdote; de posteriori hic agitur.

Ignorantia differt ab *errore*, qui, præter carentiam cognitionis, involvit judicium veritati contrarium, ut si quis putet odium inimicorum esse quid honestum. Differt etiam ab *inadvertentiâ*, quæ in eo consistit quod mens *actu* ad rem non attendit, etsi hanc habitualiter cognoscat, ut occurrit in divagationibus : proinde inadvertentia est carentia actualis attentionis, dum ignorantia statum *habitualem* denotat. — Sed, in re *morali*, principia quæ de *ignorantiâ* trademus, *errori oblivioni* et *inadvertentiæ* applicari possunt, cum hoc tamen discrimine quod facilius excusatur *inadvertentia*, propter humanæ mentis infirmitatem.

90. (B) **Divisio.** (a) Ratione *objecti*, ignorantia duplex est : ignorantia *juris*, quando *ipsa lex* ignoratur, v. g. si quis nesciat in vigiliâ Assumptionis jejunium esse servandum; et ignorantia *facti*, quando quis nescit legem, cæteroquin cognitam, *in casu* esse applicandam, quia v. g. non advertit hanc diem esse vigiliam Assumptionis [1].

91. (b) Ratione *subjecti*, ignorantia est : 1) **vincibilis,** ideoque *culpabilis*, quando *morali adhibitâ diligentiâ* depelli

[1] Quidam præterea admittunt ignorantiam *pœnæ*, delicto annexæ, v. g. si quis nesciat *excommunicatione* puniri lectionem libri hæresim propugnantis : hæc autem revocari potest ad ignorantiam juris.

potest et debet. Moralis diligentia, de quâ agitur, non est *summa* diligentia, sed ea quam prudentes adhibere solent in rebus hujusmodi : hæc enim pro variis circumstanstiis personæ, rei, loci, etc. diversa esse debet, nec mathematice definiri valet, sed moraliter ex modo agendi prudentum in iisdem adjunctis. — Insuper ignorantia *vincibilis moraliter* non dicitur, nisi quando agens *animadvertit* aut saltem *suspicatur* obligationem eam deponendi, et *voluntarie* occasionem inquirendi dimittit : *ignoti enim nulla cupido.*

Gradus igitur esse possunt in vincibili ignorantiâ; si quis *ex industriâ* velit ignorantiam, quo liberius legem, si forte existat, violare possit, hæc dicitur ignorantia *affectata;* v. g. si quis dubitans num hodie sit jejunandum, interrogare non vult, etsi facile possit, ne forte conscius fiat obligationis jejunandi. — Quando quis vero debitam inquisitionem omittit, non quia rem vult ignorare, sed ex negligentiâ, verecundiâ, animi levitate aut aliâ simili causâ, ignorantia dicitur *simpliciter vincibilis;* si *nulla* aut *fere nulla* diligentia adhibita fuerit, vocatur *crassa* vel *supina.*

92. 2) **Invincibilis,** ideoque *inculpabilis* dicitur ignorantia quæ, morali adhibitâ diligentiâ, expelli nequit, et a fortiori ea quæ ita radicatur ut ne *suspicio* quidem oriatur inquirendi. Si nullo modo cognitio acquiri potuerit, ignorantia est *absolute invincibilis* (de quâ tamen vix agitur in re morali); si nonnisi ægre ac cum extraordinariâ diligentiâ deponi potuerit, est *moraliter invincibilis.* — Jamvero multos esse hodie qui hâc ignorantiâ in rebus religiosis et moralibus laborent, non solum inter rusticos, sed etiam inter viros in rebus profanis cæteroquin doctos, optime nôrunt qui sacro ministerio, per aliquod temporis, operam dederunt. Et hæc quidem ignorantia versatur non solum circa leges mere positivas, ecclesiasticas aut divinas, sed etiam circa juris naturalis secundarii principia.

93. (C) Alia divisio, minoris tamen momenti, apud theologos invenitur, videlicet in ignorantiam *antecedentem, concomitantem* et *consequentem;* quæ tamen non est *membris opposita,* sed diverso modo accipitur.

1) Ratione *operis* circa quod versatur, ignorantia est *antecedens,* quando est vere *causa* operis, ita ut agens actionem non poneret, si veritatem sciret; ita venator, qui occidit amicum, quem putat esse

feram, et certe eum non occidisset, si novisset eum esse amicum; — *concomitans*, quando non est causa operis, quia operans ita dispositus est ut actionem poneret, etiamsi rem sciret : talis est venator qui occidit inimicum, quem putat esse feram, sed aliunde occidisset si novisset.

2) Ratione *voluntatis*, ignorantia est *antecedens*, quando omnem voluntatis actum *præcedit*, ideoque est omnino *invincibilis*, ut est ignorantia jejunii in eo qui de jejunio minime cogitat; *consequens*, quæ est aliquomodo volita, proindeque *vincibilis*, ut existit in eo qui de jejunio cogitans, de eo inquirere negligit, cum facile possit.

2° *Principia de influxu ignorantiæ in actus liberos.*

94. (A) *Ignorantia moraliter invincibilis, sive actualiter sive in causâ, tollit liberum, ideoque imputabilitatem, circa id quod ignoratur.* Etenim, vi principii *nil volitum quin præcognitum*, libere non volumus id quod nescimus; atqui quod invincibiliter ignoratur, non cognoscitur *in se*, ut patet, neque etiam *in causâ*, cum ignorantia supponatur invincibilis, nec proinde moraliter dispelli possit[1].

Dicitur *circa id quod ignoratur;* fieri enim potest ut operans *aliquam* actûs moralitatem percipiat, etsi *non totam;* ita qui occidit innocentem, quem nescit esse sacerdotem, *non* est quidem *sacrilegii* reus, sed *homicidii*, quia scienter hominem injuste occidit.

Ex hoc capite, sæpe pueri et rudes, qui inhonesta peragunt, quorum malitiam non bene intelligunt, secundum gradum ignorantiæ plus minusve a peccato gravi excusantur.

95. (B) *Ignorantia actualiter vincibilis liberum non tollit, sed minuit, saltem si non est affectata.* — Dicitur *actualiter* vincibilis, ut distinguatur ab ignorantiâ quæ *olim* vincibilis fuit, etsi *hic et nunc* invincibilis sit.

(a) Ratio *prioris* est quia ignorantia vincibilis, ut patet ex ipsâ notione, supponit aliquam saltem cognitionem aut cogitationem de obligatione inquirendi; jamvero qui negligit inquirere, quando ad id tenetur, eo ipso libere intendit, saltem confuse, effectus qui ex ejus actione sequi prævidentur Ita, si venator, sclopetum explodit in aliquod objectum, nesciens utrum sit fera an homo, satis libere in homicidium

[1] Quid sit voluntarium *in se* et *in causâ*, necnon imputabilitas (*responsabilité*) fusius exponetur, ubi de *moralitate* actuum humanorum.

consentit; si putat esse feram, suspicans esse hominem, minus libere, sed tamen aliquo gradu consentit.

96. (b) Ratio *posterioris* est quia eo minus aliquid liberum est quo minor habetur illius cognitio; atqui, in casu nostro, non habetur nisi cognitio confusa, aut probabilis, vel etiam mera suspicio; ergo minuitur liberum et culpa, et quidem eo magis quo minor est cognitio.

Dictum est *saltem si non est affectata;* nam communius theologi, post *S. Thomam*[1], tenent ignorantiam *affectatam* non minuere, sed *augere* peccatum, cum agens liberius peccare intendat. Id tamen nonnulli negant cum *Lugone*[2], quia, inquiunt, pejus est violare præceptum notum quam nolle illud cognoscere ut sine remorsu violetur : aliquid enim reverentiæ et timoris ostenditur in secundo casu. — In *praxi*, res pendet ab *intentione* agentis eo instanti quo inquirere non vult : si reipsa nihil intendit nisi liberius et audacius peccare, ejus culpabilitas non minuitur; si vero inquirere negligit ex quâdam reverentiâ erga legem, quam violare timet, minuitur culpa.

97. (C) *Ignorantia hic et nunc invincibilis, quæ olim tamen vincibilis fuit, tollit quidem liberum actuale et in se, sed relinquit voluntarium in causâ.*

Fieri siquidem potest ut ignorantia fuerit *olim* vincibilis et culpabilis, quin tamen *hic et nunc* advertatur; puta, si confessarius non satis theologiam excoluerit, aut hujus studium diutius et culpabiliter intermiserit, erroneam decisionem pœnitenti tradere potest, quin hujus erroris conscius sit. Quo casu non est liber, nec peccatum incurrit eo instanti quo pœnitentem inadvertenter decipit; si vero, dum theologiæ studeret, omissæ diligentiæ conscius fuerit, ac prævideret, saltem in confuso, pravos effectus ex incuriâ secuturos, eo ipso illos effectus voluit, plus minusve libere et culpabiliter secundum gradum cognitionis; et ita illi effectus non sunt actualiter et in se liberi, sed tantum in causâ.

Hinc, si quis ignorantiæ culpam olim commissam, per congruam pœnitentiam et debitam diligentiam, retractave-

[1] *S. Thom.* 1. 2æ, q. 76, a. 4.
[2] *Lugo*, De Pœnitentiâ, disp. XVI, n. 183.

rit, æquiparari potest ei qui invincibili ignorantiâ laborat[1]. Attamen si, etiam post pœnitentiam, ignorat ea quæ necessaria sunt ad munus obeundum[2], ab illo exercendo abstinere debet, donec necessariam scientiam acquisierit; nam munus sine scientiâ competente libere exercendo, novum peccatum committeret.

98. *Corollarium.* Cum voluntas eo liberior sit quo perfectior est cognitio, maximi interest veram scientiam acquirere, præsertim earum rerum quæ ad honeste et religiose vivendum prosunt. Quia vero scientia eo magis influit in voluntatem quo vividius agenti occurrit, ad recte vivendum haud parum inservit nobilium rerum frequens recogitatio seu *meditatio;* cum enim voluntas sit cæca, nec nonnisi ab intellectu illuminetur, qui recte cogitat, ad recte agendum pronus est; et frequenti rerum honestarum meditatione consuetudo honeste vivendi paulatim efformatur[3]. Multum pariter expedit serio *cogitare* de actûs moralitate in se et in suis effectibus antequam agamus, ut, omnibus sedulo perpensis, quod melius est eligamus.

II. De passionibus directe in voluntatem influentibus[4].

Internæ causæ quæ præcipue movent voluntatem, sunt *passiones :* in intellectum quidem influunt, plus minusve judicium turbando, sed insuper et præsertim voluntati vires

[1] *Gury-Ballerini*, t. I, nota ad n. 37; *Bouquillon*, nn. 277, 333.

[2] Hic agitur de scientiâ *competente*, non de scientiâ *eminente*, quæ in doctissimis reperitur; confessarius, judex, medicus, etc., qui illâ pollent et proportionatâ diligentiâ utuntur, munus exercere possunt absque culpâ, etiamsi aliquoties errent.

[3] Quam meditationis utilitatem agnoverunt non solum *mystici*, sed etiam rationalistæ et positivistæ, ut *J. Payot*, Education de la volonté, Paris, 1904, p. 92-134, et *Fouillée*, in op. cit., Les idées-forces.

[4] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 22-48; q. 6, a. 6-8; *Suarez*, disp. III; *Senault*, De l'usage des Passions, Paris, 1664; *Billuart*, Tr. de Passionibus, diss. I; *id.* de Actibus hum., diss. I, art. 7-8; *Meyer*, I, n. 119-129; *Bouquillon*, n. 335-343; *Alibert*, Physiologie des Passions, Paris, 1827; *Letourneau*, Physiologie des Passions, Paris, 1868; *Belouino*, Des Passions, Paris, 1883; *A. Bain*, The Emotions and the will, *gallice* redditum auctore *P. Le Monnier*, Les Emotions et la volonté, Paris, 1885; *Mercier*, Psychologie, 6e éd., Louvain, 1904, n. 134-137; *Ribot*, La psychologie des sentiments, Paris, Alcan.

addunt aut minuunt, eam ad bonum aut malum vehementer impellendo.

99. 1° **Passionum notio et partitio.** (A) *Lato* sensu, passiones dicuntur quicumque animi affectus, etiam mere interni. Apud *vulgus*, passio denotat quamlibet inordinatam seu excessivam propensionem voluntatis : quo sensu avaritia dicitur passio[1]. *Philosophice* communiter passiones vocantur *animi affectus, qui ex appetitu sensitivo oriuntur cum quâdam organicâ corporis commotione ;* ita amor, odium, ira, etc., non solum sensitivum appetitum, sed etiam corpus commovent ; v. g. cor dilatatur gaudio, contrahitur tristitiâ.

100. De partitione passionum, quæ a pluribus modernis vocantur etiam *emotiones*, non consentiunt philosophi.

Communior divisio ea est quam tradit *S. Thomas*, post *Aristotelem*. Undecim distinguuntur, quarum sex ad appetitum *concupiscibilem* spectant, et *delectationem* prosequuntur : amor et odium, desiderium (seu concupiscentia) et horror seu fuga, gaudium et tristitia ; quinque vero ad appetitum *irascibilem* referuntur, quæ ad bonum *arduum* et ad *pugnam* contra obstacula tendunt : spes et desperatio, audacia et timor (seu metus), necnon ira, cujus non est contrarium.

Ratio divisionis hæc est : in homine, sicut in animalibus, duo sunt genera inclinationum, quibus ad bonum sensibile movemur, prout illud est simpliciter *delectabile* aut *arduum*. Appetitu *concupiscibili* tendimus in bonum, quatenus est *delectabile ;* **amore** videlicet inclinamur in bonum, abstrahendo utrum sit præsens aut absens ; **desiderio** prosequimur bonum quatenus *absens*, et **gaudio** in bono *præsenti* delectamur ; ex adverso autem, **odio** malum absolute aversamur, **horrore** malum *absens* refugimus, et **tristitiâ** de malo *præsenti* dolemus. Quando vero agitur de bono sensibili *arduo*, quod non sine strenuo conatu adipisci valemus, *appetitu irascibili* illud prosequimur : si bonum, quamvis arduum, sit obtentu *possibile*, oritur **spes ;** si *impossible* appareat, nascitur **desperatio ;** si agatur de malo futuro facile fugiendo, surgit **audacia ;** si vero repulsu difficile appareat, serpit **timor ;** tandem si premat malum *præsens vindicandum*, exardescit **ira.**

Bossuet luculenter ostendit quomodo omnes passiones ab *amore*

[1] Quam notionem suam faciunt quidam hodierni philosophi, ut *Rabier*, Psychologie, 6e éd. Paris, 1898, p. 516.

procedant et ex amore causentur[1]; cui jam præierant *S. Thomas* et *S. Augustinus;* hic enim ait[2] : "Amor inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens, lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est."

101. Aliæ divisiones a modernis propositæ sunt, quin tamen rem magis lucide explicent. Ita *Cartesius* sex *originarias* passiones recenset: admirationem, amorem, odium, desiderium, gaudium et lætitiam[3]. Juxta *Hume*[4], duæ sunt species passionum; aliæ *directæ :* desiderium, aversio, tristitia, gaudium, spes, timor, desperatio et securitas; aliæ *indirectæ :* superbia, humilitas, ambitio, vanitas, amor, odium, invidia, commiseratio, malitia, generositas. Secundum *Ribot*[5], quinque sunt originariæ, videlicet metus, ira, sensibilis amor (*tendresse,*) sui ipsius amor, sexualis amor : ex quibus aliæ, quâdam evolutione, derivantur[6].

102. (B) In re *morali*, sedulo distinguendum est inter passiones *voluntarias* et *non voluntarias.* (a) Voluntariæ esse possunt diverso gradu : *directe* et *in se*, 1) quando studiose excitantur, 2) quando sponte ortæ libere admittuntur, 3) quando ex vehementi affectu voluntario redundant; — aliquando sunt *actualiter* quidem voluntariæ, sed tantum *indirecte*, ut si quis ex merâ curiositate librum legat, prævidens exinde pravas cogitationes orituras esse; quandoque sunt *præcedenter* voluntariæ, non autem actualiter, quia videlicet causa olim libere posita retractata fuit. (b) *Involuntariæ* dicuntur, quando neque olim neque actualiter, nec in se nec in causâ, volitæ sunt, sed sponte exsurgunt sive ex fortuitâ occasione, sive ex corporis dispositione, absque deliberatione et consensu.

Juxta loquendi modum theologorum, passiones dicuntur *antecedentes*, quando voluntatem præveniunt et alliciunt ad actum; *consequentes*, quando ab ipsâ voluntate excitantur, ideoque consensum voluntatis subsequuntur.

103. 2° **Passionum influxus in actum liberum.**[7] (A) *Pas-*

[1] *Bossuet*, Connaissance de Dieu et de soi-même, ch. I, n. 6.

[2] *S. August.*, De Civ. Dei, lib. XIV, c. 7, ap. *Migne*, P. L. XLI, 410.

[3] *Descartes*, Les passions de l'âme, 2e partie.

[4] *Hume*, Tr. on human nature, B. II, p. I, sect. I.

[5] *Ribot*, La psychologie des sentiments, Introduction.

[6] Aliæ divisiones exponuntur ap. *A. Bain*, op. cit., pp. 68-75 et 568-581.

[7] De quo disserunt theologi ubi de *concupiscentiâ;* tæpe enim hoc nomine omnes passiones appetitûs concupiscibilis designant.

sio antecedens auget quidem intensitatem actûs, sed minuit liberum, et quandoque illud tollit.

(a) Ratio primi asserti est quia, sub influxu passionis, vividius bonum sensibile apprehendimus, ita ut majus appareat quam antea, et voluntas nostra in illud fertur cum vehementiori propensione, ut ex attentâ suiipsius consideratione quisque colligere potest.

(b) Sed exinde *minuitur liberum;* nam eo minor est libertas quo magis ratio a deliberando quiete ac sapienter impeditur, et quo magis voluntas in unam partem inclinatur; atqui motus antecedens passionis plus minusve turbat rationem, eamque impedit ne attente ac perseveranter motiva opposita consideret; vehementer etiam voluntatem sollicitat ad consentiendum, et dum auget vires ad prosequendum bonum propositum, vim resistendi non parum minuit[1]. Quod quidem psychologice ex eo constat quod, passionis motu sedato, jam res diverso modo a ratione percipitur ac sæpe voluntas vehementer dolet de consensu præstito.

(c) Imo quandoque, licet raro, passio adeo vehemens est ut mentem penitus disturbet, et rationis judicium de moralitate actûs impediat : tunc agens non est proprie suî compos, sed per aliquod tempus veluti insanit. Porro, ubi nulla adest deliberatio, actio non est vere libera[2]. Ita præsertim in iis qui *hysteriâ* laborant, ut infra dicetur, aut qui *irâ* vehementer incenduntur.

Plerumque tamen passio usum rationis non penitus aufert; et tunc minuitur tantum libertas. Quare, in praxi, si pœnitentes dicant se non potuisse vehementi passioni resistere, interrogandi sunt utrum media adhibuerint necne ad eam vincendam, et ex omnibus adjunctis dijudicabitur num et quatenus liberi et culpabiles fuerint.

104. (B) *Passio consequens, quæ ex imperio voluntatis oritur, non minuit liberum, sed signum est intensæ volitionis.*

(a) Ratio *prioris* est quia passio fuit libere volita; v. g. si

[1] Quod innuit *S. Jacobus* (I, 14) : "Unusquisque vero tentatur a concupiscentiâ suâ *abstractus et illectus.*"

[2] "Si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur quod concupiscentia voluntarium tolleret." (*S. Thom.*, 1. 2æ, q. 6, a. 7, ad 3.)

quis deliberate recogitat injuriam sibi illatam ut exinde iracundiam concipiat, jam libere vult iræ consentire.

(b) Imo talis agendi ratio est signum *intensæ* volitionis; ideo enim quis passionem in se excitat, quo efficacius ac vehementius objectum intentum assequatur.

Attamen fieri potest ut, vehementi passione semel excitatâ, agens sit minus suî compos et ulterius progrediatur quam prius prævideret, v. g. occidat eum quem vulnerare volebat; quo casu prædicta passio, in quantum movet ad actus non prævisos nec intentos, quasi antecedens dici potest relate ad illos actus.

105. Speciatim de metu. (A) Inter passiones quæ mentem perturbant et voluntatis vires minuunt, merito recensetur metus; in re autem morali metus non est tantum passio, sed etiam *affectio quædam spiritualis*, quæ definiri solet *trepidatio mentis, instantis vel futuri periculi causâ.* Oritur quidem ex apprehensione mali ab intellectu percepti, sed voluntatem afficit, et quidem duplici modo : vires ejus *deprimit*, simulque movet ad strenue *fugiendum* malum imminens[1]; quare voluntas, sub influxu metûs, sæpe eligit quod alias noluisset; ita nauta, naufragii metu, in mare projicit quæ cæteroquin servare voluisset; æger, propter metum mortis, brachii amputationem, quamvis reluctanter, eligit.

Ratione *intensitatis*, metus est *gravis* vel *levis*, prout mentem multum perturbat vel non. Generatim ad *gravem* metum duo requiruntur : apprehensio *gravis* mali, cum *periculo vere probabili* illud incurrendi; non enim valde timemus mala quæ possibilia, sed non probabilia sunt. Attamen, ad judicandum de gravitate metûs, attendendum est etiam ad *indolem personæ;* mala enim quæ unam leviter tantum commovent, graviter alteram turbare valent; unde *in re morali* distinguitur metus *absolute* gravis, qui serio turbare potest etiam virum fortem et constantem, ut metus mortis aut exilii; et metus *relative* gravis, qui, omnibus attentis circumstantiis sexûs, ætatis, indolis, etc., graviter

[1] Metûs psychologicam notionem, indolem et effectus describit *A. Bain*, Les émotions et la volonté, p. 147-167.

turbare potest personam de quâ agitur. Hinc etiam metus *reverentialis*, quo parentum aut superiorum indignatio timetur, ex adjunctis gravis aliquando judicari potest. — Ratione *influxûs* in actum, metus dicitur *antecedens* quando vere est *causa* actûs, qui proinde elicitur *ex* metu; vel *concomitans*, qui non est causa actionis sed tamen cum eâ coexistit, ita ut hæc fiat *cum* metu. Ita viator qui crumenam dat latroni, agit *ex* metu mortis; latro autem qui viatorem exspoliat, quandoque agit cum *metu* ne a satellitibus arripiatur.

106. (B) De influxu metûs in actum liberum. (a) *Metus qui adeo vehemens est ut usum rationis omnino perturbet, tollit liberum.* Etenim ubi non est deliberatio ex parte intellectûs, ibi non est libertas; jamvero qui ita vehementer turbatur, non deliberate sed sub influxu vividæ impressionis agit. — Id tamen raro contingit; nam generatim timor non tollit omnem deliberandi facultatem, sed solum eam aliquatenus impedit.

(b) *Actus positus* ex *metu, etiam gravi, non tollit liberum, sed ordinarie illud minuit.* Nam operans *ex* metu deliberate eligit actionem tanquam medium ad vitandum majus malum ideoque vere vult quod facit, quamvis affectum retineat ad oppositum; ita mercator, qui, ex metu mortis, projicit merces, libere id facit, etsi reluctanter, quia deliberate vitam divitiis anteponit [1].

Attamen metus minuit libertatem, et quidem eo magis quo gravior est; minuit enim indifferentiam voluntatis, hancque movet ad eliciendum quod secus non elegisset. — Dicitur *ordinarie*, quia quandoque actus, ex metu gravi inceptus, sine ullâ repugnantiâ completur; v. g. potest quis, ex metu gehennæ, a peccandi occasione secedere, posteaque omnino libere peccatum detestari.

(c) Metus *levis*, sive in se sive relative, minuit quidem liberum, sed multo minus quam metus gravis, cum rationis usum ac deliberationem minime impediat; quare in *foro externo* non attenditur, quia parum pro nihilo reputatur.

[1] Quandonam vero metus ab obligatione legem servandi et a peccato excuset, infra declarabitur, ubi *de Peccatis*, *de Fide*, *de Contractibus*, *de Matrimonio*, etc.

107. De recto passionum usu[1]. Passiones, *in se* spectatæ, nihil inhonesti præ se ferunt, cum ex hominis naturâ sensitivo-rationali, ex intimâ scilicet unione corporis organici cum animâ spirituali oriantur, et aliunde ab ipso auctore naturæ nobis inditæ fuerint; revera vires constantiamque humanæ activitati addunt, ita ut homo his omnino orbatus, veluti inermis appareat, et *apathiæ* deditus. Sæpe tamen, quando non recte ordinantur, nos ad peccatum alliciunt, contra rationis dictamen. Quare eas vincere, atque voluntatis imperio subdere, non minus *fides* quam *ratio* nobis præcipit : " Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis; si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.[2] " Cum enim ratio corpori et sensibili appetitui præcellat, passiones rationi obedire debent.

Media vero quibus passiones recte ordinare possumus sunt : (a) statim ac strenue *mentem avertere* ab objecto delectabili quod sensus aut imaginatio nobis proponunt, et quidem non solum negative, sed etiam *positive*, de re honestâ attente cogitando, animoque revolvendo illa motiva superioris ordinis quæ nos ab inhonestis delectationibus dissuadent[3]. (b) Sedulo *abstinere ab actibus externis* ad quos provocat passio, et actus contrarios exercere : cum enim per actus externos excitentur actus interni ejusdem generis, qui exterius lascivum se habet, libidini multo facilius indulget quam qui modestiam colit[4]. (c) *Externas occasiones fugere*, quæ, ex

[1] Hâc de re disserunt *mystici*, ut *Schram*, Instit. Theologiæ mysticæ, Parisiis, 1868, t. I, § 90; necnon *philosophi*, ut *Payot*, L'éducation de la volonté, p. 66-108, ubi hic, quanquam positivista, non pauca mutuatur a catholicis ascetis; *medici* etiam, ut *Descuret*, La médecine des passions, 3e éd., Paris, 1860; et *Surbled*, La Morale dans ses rapports avec la Médecine, t. III, p. 16-56.

[2] *Galat.*, V, 24-25.

[3] Ad rem etiam agnosticus *Payot*, op. cit., p. 87 : " On doit même souvent renoncer à la lutte directe, et par exemple calmer l'émoi sensuel en se levant, en partant se promener, en allant rendre une visite, etc., en un mot en tâchant d'éliminer l'idée fixe, de l'user, de la déranger, de l'obliger du moins à partager la conscience avec d'autres états introduits ainsi artificiellement."

[4] Quod sic illustrat *Payot*, op. cit., p. 80 : " Un désir, une tendance sont absolument séparés du monde extérieur; ils ne peuvent s'assouvir que par des actes musculaires : la colère se satisfait par des injures ou des coups; l'amour par des étreintes, des baisers, des caresses; mais

communiter contingentibus, passiones commovere solent [1]; ita iracundi de illis rebus tacere debent quibus facilius et vehementius ad iram provocantur. (d) *Optimum* tandem medium est passiones *ordinare ad meliora bona :* cum enim *vires* voluntati addant, multum proficiet voluntas si eis utatur ad bonum strenue prosequendum. Ita qui *amore sensibili* facilius capiuntur, ad Christum, sub speciebus eucharisticis delitescentem, se convertant, et in sinu ejus dulciter recumbant; *ambitiosi* gloriam Dei et salutem animarum flagranti zelo promoveant; *pavidi* non homines eorumque vana judicia timeant, sed "eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [2]"; et ita *prudenter* fugiant peccati occasiones; *audaces* fortitudinem *colant; invidia* in nobilem æmulationem vertatur; *tristitia* in pœnitentiam, et ita de ceteris.

III. De violentiâ quatenus liberæ volitionis executionem impedit[3].

108. 1° **Notio.** Præter causas quæ in intellectum et voluntatem agunt, dantur quæ *directe* volitionis executionem impediunt, et *indirecte* in ipsam voluntatem influunt : talis est *violentia*, quæ definitur *motio quædam ab extrinseco impressa contra voluntatis inclinationem* [4]. Hæc est violentia *physica*, et distinguitur a violentiâ *morali*, quæ in minis, increpationibus aliisque hujusmodi consistit, et in *metum* recidit : ex his enim comminationibus oritur mentis trepi-

---

nos muscles dépendant dans une large mesure de notre vouloir : et puisque tous nous pouvons refuser momentanément le ministère de nos membres à une passion, il est clair que nous pourrons développer notre pouvoir et parvenir à enterrer l'émotion en nous-mêmes."

[1] De his fusius in parte morali *Tr. de Pœnit.*, n. 451-469.

[2] *Matt.*, X, 28. — Cfr. *Feuchtersleben*, Hygiène de l'âme, Paris, 1904, p. 188-247; *Senault*, op. cit., p. 132-140.

[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 6, a. 4-5; *Suarez*, De voluntario, disp. II; *Salmant.*, de volunt. et involunt., disp. v.; *Billuart*, diss. 1, art. 5-6; *Frins*, De actibus hum., n. 247-280; *Bouquillon*, n. 344-346; *Ball. P.*, n. 67-72.

[4] Pauci quidem *violentiam* adesse dicunt, quoties imaginatio turpia experitur phantasmata, aut appetitus patitur motus concupiscentiæ inordinatos, contra voluntatis inclinationem; sed melius hæc omnia vocantur actus *primo-primi*, de quibus supra, n. 79.

datio. Ex quo patet violentiam *non proprie cogere voluntatem*, sed cadere solum in illos actus qui a voluntate imperari possunt. Attamen indirecte in consensum influere valet, quatenus actus externus, quem agens efficere cogitur, consensum voluntatis sollicitat. Ita, si quis vinum suave et generosum bibere cogatur, sensibilem delectationem experitur, cui consentire voluntas aliquomodo inclinatur; ita mulier, vi oppressa, in periculum incidit voluptati interius consentiendi.

109. 2° **De influxu violentiæ in actus liberos.** Quando fit alicui violentia, ejus voluntas diverso modo se habere potest.

(A) *Si resistat interne et externe, quantum moraliter potest*, violentia dicitur *absoluta*, et actus ita patratus *nullo modo liber est*, nec proinde imputabilis : talis est is, cujus genua vi externâ coram idolo incurvantur, et manus moventur ad incensum falsis diis offerendum, contra ejus inclinationem; aut is qui violenter cogitur contractum aut testamentum subscribere, contra ipsius assensum.

110 (B) *Si vero agens externe quidem vi illatæ resistat, sed interius consentiat, minuitur quidem liberum, sed per se non tollitur.*

(a) *Minuitur liberum*, nam in tali casu mens quiete deliberare nequit, nec voluntas suæ indifferentiæ relinquitur, sed ad consensum præstandum allicitur, et quidem eo vehementius quo vividius sentitur delectatio quæ veluti necessario actum externum comitatur; unde multum minuitur libertas et imputabilitas; talis est casus mulieris cui vis infertur.

(b) *Nec tamen ex se tollitur;* nam, etiamsi voluntas potenter alliciatur, et mens non tam facile possit deliberare, attamen, dummodo rationis exercitium non penitus impediatur, voluntas dissentire valet, ut optime notat *S. Anselmus*[1] : " Ligari potest homo invitus, quia nolens potest ligari; torqueri potest... velle autem non potest invitus, quia *velle non potest nolens velle;* nam omnis volens suum velle vult ".

111. (C) *Si agens exterius omnino passive se habeat, nec consentiens nec resistens, quamvis interius dissentiat, libere permittit actum externum*, qui proinde ipsi *imputatur* quoties *resistendi obligatio adest.*

[1] *S. Anselmus*, De lib. arb., c. 5.

Fieri siquidem potest ut obligatio adsit etiam *externe* resistendi, sive ob scandalum præcavendum, v. g. in causâ fidei, sive ad removendum periculum interius consentiendi, ut in materiâ castitatis; quo casu non licet se *permissive* habere, ut patet. Si vero nulla adsit hujusmodi obligatio, resistentia externa judicari potest inutilis, nec proinde imputabilis. Quare ex omnibus circumstantiis judicari debet utrum agens peccaverit necne.

In praxi, quando delectatio, quæ actum externum comitatur, est vehemens, obligatio incumbit externe resistendi, in quantum fieri potest, ne voluntas voluptate illecta, interius consentiat.

§ II. De causis quæ magis remote in actum internum influunt.

Præcipuæ sunt : 1° *hæreditas* et *temperamentum ; 2° educatio; 3° habitus; 4° status quidam pathologici*, in quibus minuitur aut tollitur libertatis exercitium.

I. De propensionibus hæreditariis et temperamento.

Hæc duo simul comprehendimus, quia quod vocatur *temperamentum*, ex ipsis parentibus, vi *hæreditatis*, sæpe traducitur.

1° *De propensionibus hæreditariis*[1].

112. (A) Facta exponuntur. Hæreditate quasdam transmitti propensiones omnes admittunt, et solum de *extensione* hujus legis controvertitur.

Jamvero, etsi multa hâc de re incerta sint, generatim eo facilius et efficacius traducuntur propensiones quo magis proxime ab organismo pendent; ita frequenter physici morbi aut defectus necnon corporeæ qualitates ad posteros transmittuntur, ita ut quædam familiæ certis anatomicis et physiologicis characteribus per plura sæcula signentur[2]; eodem fere modo, quamvis non tam efficaciter,

[1] Theologi pauca hâc de re habent, præsertim ubi de transmissione originalis peccati; ita *S. Thomas*, 1. 2æ, q. 81, a. 1; inter modernos, cfr. *Ribot*, L'hérédité psychologique, 4e éd., Paris, 1890; *M. Guyau*, Education et hérédité, 4e éd., Paris, 1895; *P. Vallet*, La vie et l'hérédité, Paris, 1891.

[2] Exempla habes apud *Ribot*, p. 3-14; *P. Lucas*, Traité philosophique et physiologique de l'hérédité naturelle, Paris, 1847-1850.

traducuntur quædam sensitivæ facultates, ut acuitas in visu, facilis memoria, etc.[1] — *Mentis* etiam aptitudines haud raro, licet minus frequenter, hæreditate a parentibus in filios transeunt, quales sunt specialis habilitas ad artem musicam, vel ad mathematica problemata solvenda[2]. — Quoad *morales* propensiones, certum videtur quasdam pariter in filios transfundi, eas præsertim quæ magis ab organismo pendent, quales sunt inclinationes ad iracundiam, ebrietatem, vitia carnis, etc.; revera, in plerisque regionibus, exempla allegantur familiarum, in quibus quædam virtutes aut vitia per multas generationes transmissa fuerunt[3].

113. Ambo parentes ad hanc transmissionem qualitatum aut defectuum concurrunt, non tamen eodem gradu : haud raro filii matris dotes, filiæ vero patris propensiones hæreditate accipiunt; plerumque tamen prolis inclinationes temperantur ex quâdam veluti mixturâ qualitatum utriusque parentis. Quandoque etiam hæreditaria transmissio non est immediata, sed mediata, videlicet ab avis ad nepotes, quo casu *atavismus* dicitur[4].

Facile quidem intelligitur quomodo *physicæ* dotes simul cum substantiâ corporeâ et sanguine traducantur; aliæ vero *mediate* in prolem transeunt, propter intimam et substantialem unionem corporis et animæ, ex quâ fit ut physicus organismus, præsertim vero nervi et cerebrum maxime influant in sensus tum externos cum internos, et, mediantibus sensibus, in intellectum et voluntatem[5].

114. (B) De influxu hæreditatis in libertatem. (a) Non

---

[1] Cfr. *Ribot*, p. 38-64; *Darwin*, The descent of man; *gallice :* La descendance de l'homme; *H. Spencer*, Principles of Biology, § 82; *gallice :* Principes de Biologie, Paris, Alcan.

[2] *Ribot*, p. 65-85; *Galton*, Hereditary genius, London, 1869.

[3] *Ribot*, p. 86-102; *Aubry*, La contagion du meurtre, 2e éd., Paris, 1894, p. 17-51; *R. L. Dugdale*, The Jukes, New York, ubi describitur per quinque generationes historia familiæ americanæ, cujus omnia fere membra vitio publice indulserunt.

[4] Leges hæreditariæ transmissionis hucusque notas exponit *Ribot*, p. 157-262.

[5] Quod declarat *S. Thomas*, 1a, q. 118, a. 1-2 et q. 119, a. 1-2, ad 2, ubi hæc inter alia habet : "Assimilatio generantis ad genitum non fit propter materiam, sed propter formam agentis, quod generat sibi simile. Unde non oportet ad hoc quod aliquis assimiletur avo, quod materia corporalis seminis fuerit in avo, sed quod sit in semine aliqua virtus derivata ab avo, mediante patre". Et alibi, Quæst. disp., de Pot., q. III, a. 9, ad 7 : "Dicendum quod ipsam dispositionem corporis sequitur dispositio animæ rationalis, tum quia anima rationalis accipit a corpore, tum quia secundum diversitatem materiæ diversificantur et formæ". Cfr. *P. Vallet*, op. cit., p. 315-334. — Varias hypotheses ad hæreditariam transmissionem explicandam recenset et expendit *Ribot*, p. 385-409.

pauci hodierni *deterministæ* contendunt hæreditatis lege perimi libertatem : nam, ex unâ parte, propensiones traducuntur in filios absque eorum consensu, et ex aliâ, his resistere moraliter impossibile est; ad quod probandum, exempla quædam adducunt familiarum, in quibus vitium per plures generationes hæreditarium esse videtur.

Quod tamen non minus factis historicis quam testimonio conscientiæ repugnat. Fatemur equidem hæreditariis propensionibus *minui* liberum arbitrium, quatenus illis obnubilatur ratio et vis voluntatis aliquo modo enervatur, prout diximus de passionibus quibus hæreditariæ inclinationes assimilari possunt. Nec diffitemur quandoque a parentibus vitiosis traduci quamdam amentiæ speciem, quæ penitus libertatem tollit. Sed quoties manet rationis usus, eo ipso manet potestas deliberandi et eligendi. Quod constat *historice;* nam, etiam in his familiis quæ vitio deditæ videntur, filii inveniuntur qui recte vivant [1], præsertim quando bonam educationem adepti sunt; dum ex adverso inter honestissimas familias reperire est filios qui turpiter agant. — Præterea, etiam urgentibus hujusmodi propensionibus, quidam eisdem consentiunt, alii autem resistunt; imo unus idemque homo quandoque se vinci patitur, alias autem strenue obsistit; ergo etiam *psychologice* constat libertatem non penitus extingui [2].

115. (b) Attamen, cum hæc attenuetur et ad malum inclinetur, cum magnâ benignitate excipiendi sunt qui pra-

[1] Exempla habes ap. *Aubry*, op. cit., pp. 42, 48, 50.

[2] Quod fatetur *Ribot* (op. cit., p. 324), saltem pro multis casibus : " Le premier cas est celui où les tendances héritées n'ont pas un caractère irrésistible. L'homme, héritant des modes de sentir et de penser de ses pères, est sollicité à vouloir et par suite à agir comme eux. Cette hérédité des impulsions et des tendances constitue pour lui un ordre d'influences internes au milieu desquelles il vit, mais qu'il a la faculté de juger et de vaincre. Elles n'entraînent pas plus que les autres circonstances internes ou externes la suppression, l'anéantissement du facteur personnel (quelle qu'en soit la nature), la nécessité irrésistible des actes." — Postea tamen addit in quibusdam casibus illas propensiones esse irresistibiles : quod tamen non evenit nisi quando suspenditur rationis exercitium. — Cfr. *Guyau*, op. cit., pp. 16-32 et 70-80, ubi ostendit hæreditarias propensiones per educationem reformari posse.

vas inclinationes a parentibus acceperunt, atque suaviter hortandi ut impigro constantique conatu eas vincere satagant, mediis utendo supra descriptis, ubi de passionibus. — Insuper, ubi agitur de electione statûs vitæ, qui speciales requirit virtutes, animarum directores his propensionibus attendere debent; ita Ecclesia non facile sacerdotio cooptat illegitimos filios, ne paternam incontinentiam imitentur; idem dici potest de ebriosorum filiis, qui ad ebrietatem haud raro vehementer inclinantur.

2° *De temperamento et morali charactere*[1].

116. (A) **Notio.** Complexus illarum propensionum quæ, sive ex hæreditate sive ex organismo cuique proprio, alicui individuo competunt, ejusque specialem indolem constituunt, vocatur **temperamentum.** Nativæ autem hujusmodi dispositiones educatione, externis circumstantiis, propriisque conatibus aliquo modo immutantur. Exinde oritur **character,** seu complexus nativarum propensionum *quatenus educatione aut propriâ voluntate immutatæ sunt, et aliquam stabilitatem acquisierunt.* — Quandoque tamen temperamentum et character promiscue sumuntur[2].

De speciebus temperamentorum minime consentiunt physiologi et moralistæ. Quatuor olim distinguebantur, secundum quatuor præcipua elementa corporis humani, videlicet : *sanguineum*, in quo prævalebat sanguineum systema; *nervosum*, ubi *nervi* dominabantur; *biliosum*, in quo *bilis* plus valebat; *lymphaticum*, seu *phlegmaticum*, ubi pars aquea sanguinis præcipue existebat. Hodierna vero physiologia hanc divisionem rejecit, utpote fundamento carentem; hucusque vero nullum aliud scientificum fundamentum inveniri potuit.

117. Satis communiter tamen quatuor præcipua temperamenta distinguuntur, quæ, quoad *psychologicas* notas, proxime accedunt divisionem superius traditam. Inter homines siquidem, alii sunt *magis sensitivi*, quia vividius sentiunt, et alii *magis activi*, quia

---

[1] Quoad *antiqua* systemata, cfr. *Debreyne-Ferrand*, La Théologie morale et les sciences médicales, Paris, 1884, p. 9-46; quoad *nova*, cfr. *Fouillée*, Tempérament et Caractères, Paris, 1895; *Paulhan*, Les Caractères, 2e éd., Paris, 1902; *Malapert*, Les éléments du caractère et leurs lois de combinaison, Paris, 1897; *E. Ledos*, Traité de la Physionomie humaine, 2e ed., Paris, 1904, t. I, p. 85-161.

[2] Haud raro etiam temperamentum aliquid *physiologicum*, et character aliquod *psychologicum* designat.

vehementius in sensationes *re-agunt* (*réagissent*). Iterum inter *priores*, alii *sanguinis* abundantiâ, alii *nervorum* organisatione pollent; inter *posteriores*, alii promptius et intensius ut *cholerici*, alii nonnisi tarde et remisse agunt, ut *phlegmatici*. Quatuor igitur distinguuntur temperamenta [1] : —

(a) Qui *sensitivi* sunt et *sanguinei* prompte et vivide sentiunt, non autem intense et perseveranter; quare multum instabiles sunt; facile peccant et contritionem concipiunt, sed, promissorum obliti, mox in peccatum labuntur. Inter quos recensentur *Marcus Antotonius*, *Ludovicus XIV*, *Mirabeau*, etc.

(b) Qui *sensitivi* sunt et *nervosi* multo intensius et durabilius sentiunt; in eis proinde passiones, sive ad bonum sive ad malum ordinentur, multo vehementiores sunt; ideoque moralis eorum character maxime pendet ab *objecto* ad quod sese vertunt; aliquam pariter instabilitatem habent, ex diversis *emotionibus* quibus dediti sunt orientem : ita *Voltaire* et *Fridericus*, rex Borussiæ. Aliquando *melancholici* fiunt, quando idealem perfectionem, quam prosequuntur, attingere nequeunt : ita *Pascal*.

(c) *Cholerici* non solum intense sed perseveranter cum maximâ vi agunt; ambitiosi sunt, aliis dominari volunt et gloriam quocumque modo adipisci : tales fuêre *Cæsar*, *Cromwell*, *Napoleo*.

(d) *Phlegmatici* magis frigide et lente, sed cum magno robore et invictâ constantiâ agunt; ita multi *Batavi*, sed præsertim, inter ipsos *Gulielmus*, Bataviæ dux, Angliæ rex factus.

Hæc autem quatuor genera sæpe *mixta* in uno eodemque individuo inveniuntur, et quidem variis gradibus.

118. (B) Influxus temperamenti in libertatem. De quo jam dixerat *Aquinas* [2] : "Anima regit corpus et repugnat passionibus quæ complexionem sequuntur; ex complexione enim aliqui sunt magis aliis ad concupiscentias vel iras apti; qui tamen magis ab eis abstinent, propter aliquid refrænans, ut patet in continentibus." — Revera *historice* constat non paucos fuisse qui, ex temperamento ad iram proni, mitissimi facti sunt, ut *S. Franciscus Salesius;* alios, ad ambitionem inclinatos, humiles ac zelo animarum plenos factos fuisse, ut exemplo *S. Francisci Xaverii* patet. — Quod non minus evidenter *experientiâ* probatur; nam unus idemque homo sæpe agit secundum suum characterem, quandoque autem contra eumdem [3]; insuper temperamen-

[1] Ita *Fouillée*, op. cit., p. 3-80; aliam partitionem proponit *Paulhan*, op. cit. — [2] Sum. Cont. Gentil., lib. II, cap. 63.

[3] Unde haud raro de aliquâ actione dicitur : "*c'est contraire à son càractère.*"

tum haud raro educatione mutatur, ita ut nonnulli ex eis qui primum sensibilitate pollebant, postea maximâ gaudeant activitate.

Ergo, si temperamento sæpe *minuitur* liberi arbitrii exercitium, *non penitus tollitur*. Educatores vero et confessarii totis viribus conentur juniores juvare ut quidquid boni in suo charactere est, assidue excolant, quidquid mali contrariis actibus corrigant, ut dictum est ubi de passionibus [1]. — Confessariis vero quædam variorum characteris generum psychologica notio maxime utilis est, quo tutius suos pœnitentes ad praxim virtutum dirigant : *sanguineis* suadendum est ut omnia magis deliberate et constanter perficiant, ne transeunti ardore permoti aliquid supra vires assumant, et postea animo dejecti in desperationem cadant; *nervosi* et *cholerici* moderandi sunt ne, præ nimio ardore, excessibus indulgeant, sed præsertim monendi ut suas passiones ad bonum finem vertant; *melancholici* solatio indigent, ne tristitiâ et desperatione opprimantur; *phlegmatici* excitandi sunt, ne sopiti, pigri et laxi fiant.

II. De educatione quatenus in libertatem influit [2].

119. Hæreditariæ propensiones, naturalesque inclinationes quæ ex temperamento oriuntur, et ex charactere firmantur, *educatione* multum augentur aut minuuntur. Anima enim juniorum est veluti cera mollis quæ facile externas impressiones accipit et in se retinet.

Jamvero juniores instituuntur non solum a parentibus et magistris, sed etiam ab omnibus quibuscum conversantur et ab ipsâ societate : leges enim civiles animos flectunt ad id quod præscribunt : si ebrietati, divortio aliisque vitiis faveant, eo ipso multos ad illa peccata inducunt; ex adverso autem, si vitia proportionatis pœnis plectantur, non pauci, justæ castigationis metu, ab iis deterrentur.

---

[1] De quo etiam vide *A. Martin*, L'Education du caractère, Paris, 1889.

[2] *Dupanloup*, De l'Education, 7e éd., Paris, 1866, t. I, p. 89-402; t. II, p. 108-484 et p. 547-599; *Martin*, Educ. du caractère, p. 126-365; Cfr. *Marion*, Leçons de Psychologie appliquée à l'éducation, 8e éd., Paris, 1895; *H. Spencer*, Education, New-York, 1885; *gallice* De l'Education, 7e éd., Paris, 1888.

120. Triplici præsertim modo in liberum arbitrium educatio influit : *principia* inculcando, *exemplum* præbendo, et *passiones* excitando.

1° *Principia inculcando.* Cum enim, ex dictis, voluntas non agat nisi ab intellectu illuminata et mota, ille qui ideas atque emotiones inspirare potest, eo ipso voluntatem flectit. *Experientiâ* constat quantum, præsertim in rebus religiosis et moralibus, valeant præjudicia juniorum mentibus vivide impressa; sic quidam, inter protestantes et socialistas, ita præjudiciis contra Catholicos a pueritiâ imbuti sunt ut eos cujuslibet criminis reos esse judicent, ideoque eos contemptu et odio prosequantur; pariter non pauci, inter anarchistas, persuasum habent nihil magis ordini sociali prodesse quam divitum bona diripere. Alii vero, propter moralis educationis defectum, ignorantiâ laborant etiam circa quædam legis naturalis præcepta et actus ex se malos bonâ fide patrantur.

Jamvero, in his aut similibus casibus, ad dijudicandum utrum actus, *ex se* pravi, dici possint liberi et imputabiles necne, principia applicanda sunt superius exposita de ignorantiâ et errore, n. 94-98. Cæteroquin *mitius* cum his agendum est, ut, benignâ et sincerâ veritatis expositione, dispellantur præjudicia, et voluntas ad meliora vertatur.

121. 2° *Exemplum præbendo.* Dupliciter exempla in libertatem influunt : *indirecte*, intellectum paulatim inducendo ad approbandum id quod fit a pluribus, præsertim vero ab iis qui aliquâ auctoritate fulgent; *directe*, consensum voluntatis trahendo, quia, ut fert adagium, *verba movent, exempla trahunt :* homines siquidem, præsertim juniores, naturali quâdam propensione, imitari exoptant quod ab aliis patratum vident. Ita non pauci pueri, bonæ cæteroquin indolis, ad blasphemandum, furandum aut inhoneste agendum majorum exemplis sæpe inducuntur; ita pariter, in carceribus ubi juvenes atque adulti promiscue includuntur, plerique exeunt pejores quam antea erant, quia aliorum verbis et exemplis ad multa vitia allecti sunt.

His omnibus sane *minuitur* potestas mature deliberandi vel libere agendi, non autem extinguitur. Quare partim excusandi sunt qui, pravis exemplis decepti atque seducti, vitio indulserunt; totisque viribus conandum est ut, malis

sociis relictis, alios frequentent in bono stabiles, quorum conversatione et exemplo ad meliora revertantur.

122. 3° *Passiones excitando* aut *moderando.* Sicut enim optimâ educatione passiones moderantur et ad bonum diriguntur, ita pariter malâ educatione excitantur et ad malum feruntur. Sic, v. g., qui libros accipiunt et legunt, in quibus extollitur quidquid est veri, pulchri ac boni, multo facilius passiones suas ad virtutis praxim vertunt; e contra, si iisdem legendi præbeantur libri *amatorii*, in quibus vitia vivide describuntur, curiositas eorum excitatur, desideria inflammantur, viaque libidini paratur.

Hic igitur applicanda sunt principia superius tradita de *passionibus*, n. 103-104, quæ plerumque non tollunt, sed *minuunt* libertatem.

III. De habitibus quatenus in actum liberum influunt[1].

123. 1° **Notio.** Præter temperamentum et educationem, *habitus* naturales in libertatem influunt; cum enim *repetitis* actibus acquirantur, *inclinationem* augent ad similes actus perficiendos. — Hic non agimus nisi de habitibus *naturalibus*, qui repetitis actibus acquiruntur, — non autem de supernaturalibus qui divinitus infunduntur, — et quidem in quantum actum liberum afficiunt.

Quo sensu, habitus definitur *constans inclinatio iteratis actibus comparata ad similes actus efficiendos.* Jam primo actu quædam acquiritur initialis facilitas ad eumdem repetendum; sed, quando iidem actus sæpe iterantur, brevi intervallo, cum attentione et voluntatis propensione, præsertim si agitur de re delectabili, mox vehemens efformatur et radicatur inclinatio; quæ haud raro *lege avitæ hæreditatis*, de quâ supra, multo facilius acquiritur ac roboratur. Hæc inclinatio variis facultatibus superadditur, ideoque afficere potest non solum appetitum sensitivum, sed etiam intellectum et voluntatem.

---

[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 49-54; *Suarez*, Disput. metaphysicæ, disp. XLIV; *Meyer*, t. I, n. 130-139; *Bouquillon*, n. 338; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, XXI, 1899, p. 529-593, 673 sq.; *Rabier*, Psychologie, p. 571-587; *F. Ravaisson*, De l'habitude (thèse), Paris, 1838.

In re *morali*, sedulo distinguendum est inter habitum *voluntarium* et *involuntarium*. (a) Quando habitus scienter et libere comparatus fuit, nec efficaciter retractatus [1], dici potest *actualiter* voluntarius; imo, si inadvertenter comparatus fuerit, actualiter fit voluntarius, quando non est retractatus postquam agens hujus habitûs conscius evasit. (b) Quando inclinatio inadvertenter comparata fuit et retractata statim ac operans ejusdem fuit conscius, *omnino* involuntaria dici debet. (c) Si advertenter acquisita aut retenta fuerit, sed postea efficaciter retractata, vocatur *antecedenter voluntaria et actualiter involuntaria*, nec agenti moraliter imputatur.

124. 2° **De influxu habituum in libertatem.** (A) *Quod fit ex habitu* **voluntario,** *nondum retractato, liberum est, et imputabile :* **in se** *quidem, si habitus sit* **actualiter** *voluntarius ;* **in causâ,** *si sit* **antecedenter** *voluntarius.*

(a) Etenim qui *actualiter* vult retinere habitum, cujus conscius est, eo ipso *libere* vult frequenter elicere actus quos prævidet ex illo habitu naturaliter secuturos ; secus enim, habitum retractaret.

(b) Si vero actualiter non velit positive habitum retinere, sed olim libere eumdem acquisierit, quin unquam eum retractaverit, actus qui ex habitu procedunt dici possunt voluntarii *in causâ*, quatenus agens, libere acquirendo inclinationem, eo ipso libere voluit effectus quos prævidebat inde secuturos. Sed, ut supra notavimus, n. 97, liberum *in causâ* minus imputabile est quam liberum *in actu.*

(c) Imo habitus actualiter volitus auget voluntarium, proindeque meritum aut demeritum ; qui enim conscius est alicujus habitûs, boni aut mali, ac positive vult eum retinere, eo ipso ostendit quam vehementer intendat actus ex habitu procedentes ; sciens enim eos *frequenter* et *intensive* ex habitu oriri, vult tamen habitum retinere, ideoque hanc frequentiam et intensitatem intendit.

125. (B) *Quod fit ex habitu involuntario aut efficaciter retractato, minus est liberum et imputabile.*

[1] Efficaciter retractatur quando media adhibentur apta ad superandam consuetudinem, etiamsi non statim hæc vincatur.

Nam, ex unâ parte, habitus ipse non est voluntarius, et ex alterâ, ita rationis deliberationem impedit, et voluntatem allicit, ut vires hujus enervet valdeque libertatem minuat. — Imo, quandoque tam vehemens est habitus ut, cum in actum erumpit, judicium rationis præveniat liberumque consensum, præsertim si afficiat *potentias executivas*, ut constat exemplo eorum qui formulas blasphematorias proferunt, absque ullâ deliberatione. Haud raro etiam consuetudo altissimas radices misit, ita ut, etsi non penitus tollat rationis usum, illum tamen libertatis gradum aufert, qui ad peccatum grave requiritur, ut videri potest apud quosdam ebriosos qui, etiam post habitum retractatum, propensione quasi invincibili ad bibendum impelluntur.

Quare, ubi habitus prævalet, ex omnibus adjunctis moraliter dijudicari debet quantus libertatis gradus in agente maneat.

126. 3° **De ratione agendi quoad habitus.** Ex quo intelligi datur quanti momenti sit bonos habitus acquirere malos autem eradicare. Consuetudine enim vires voluntatis centies augentur, actusque promptius, facilius, perfectius et delectabilius perficiuntur, et sic via paratur ad verum et constantem progressum : nam cum minori conatu major producitur effectus.[1] Qui igitur pietatis ac virtutis consuetudinem adepti sunt, vias Domini expedite ambulant et perfectionis arduas semitas corde magno ascendunt; qui

[1] De utilitate habitûs dicit *A. Lemoine*, apud *Rabier*, Psychol., p. 587: "S'il fallait que la volonté fît toujours les mêmes efforts pour diriger les mouvements des membres, s'il ne restait aucune trace aujourd'hui de l'exercice d'hier, l'homme ne marcherait pas; il se traînerait à peine comme l'enfant en bas âge. Il ne parlerait pas, il bégayerait. Il verrait sans regarder, il apprendrait sans jamais savoir. S'il lui fallait toujours vaincre la même résistance des instincts et des passions sans que la passion perdît de sa force, sans que celle de la volonté s'accrût, le plus vaillant serait vite à bout d'énergie morale; il succomberait à cette lutte sans cesse renouvelée et la vertu ne serait qu'un mot. C'est grâce à l'habitude que l'homme peut courir au lieu de ramper, que les sciences se constituent et s'enrichissent; que la vertu s'acquiert, qu'en toutes choses le progrès s'accomplit. A mesure que l'acte n'exige plus pour être répété qu'un simple effort, l'excédent de puissance, que la cause ne dépense pas pour le reproduire, devient en quelque façon disponible pour des efforts nouveaux et supérieurs."

vero pravos habitus formaverunt, in peccata facile labuntur, passionum tyrannidem subeunt, et nonnisi ægre heroicisque conatibus ad virtutis praxim redire valent. Felices igitur qui, jam a pueritiâ, honestatem, pietatem, sui ipsius abnegationem et caritatem erga alios cæterasque virtutes, repetitis actibus colere discunt!

Si vero pravi habitus jam altas radices miserunt, non est tamen desperandum : *consuetudo consuetudine vincitur.* Quo efficacius prava consuetudo vincatur, (**a**) præire debet attenta consideratio seu meditatio omnium motivorum quæ nos movere debent ad illam penitus eradicandam; (**b**) urgente malâ inclinatione, mentem ad alia divertere debemus, externamque occasionem, si adsit, statim fugere totamque attentionem ad aliquid honesti dirigere; (**c**) media adhibere superius descripta, n. 107, ad superandas passiones[1].

IV. De statibus pathologicis qui in libertatem influunt[2].

127. Propter intimum nexum inter corpus et animam, quidam sunt *status pathologici*, in quibus libertas minuitur aut tollitur. Omnes hujusmodi status *directe nervosum systema* afficiunt, et *indirecte voluntatem.* Inter quos, agemus : 1° de *aboulià* et *invincibili propensione*, quæ in statu vigiliæ *maxime* libertati nocent; 2° de *neurastheniâ*, *hysteriâ* et *epilepsiâ*, quæ in eodem statu *minus* libertatem lædunt; 3° de *somno hypnotico* et *suggestione.*

1° *De aboulià et invincibili propensione.*

128. (**A**) *Aboulia* (voluntatis carentia) consistit in quâdam incapacite *efficaciter* volendi quod exoptatur. Hunc esse ipsius voluntatis morbum *positivistæ* inferunt ex eo quod invenitur in viris cæteroquin apparenter sanis et robustis, qui *proprio marte* non possunt aut nolunt velle id quod

[1] Quomodo præsertim *sensualitas voluptasque* a junioribus vinci possint exponit *Payot*, op. cit., p. 200-222, post ascetas.

[2] *Ribot*, Les maladies de la volonté, 18e éd., Paris, 1904; *anglice* versum auctore *Fitzgerald* " The diseases of the will "; brevius *Rauh* et *Revault*, Psychologie appliquée à la Morale, Paris, 1900, p. 282-286.

cæteroquin perficere exoptant et valent. Sed ex his factis conclusio erui nequit : nam, etiam in iis qui sani esse videntur, latere potest nervorum aut cerebri morbus. Quare ii omnes qui spiritualitatem animæ admittunt, docent abouliam oriri ex quodam statu pathologico corporis, vi cujus organa non sunt in eâ conditione ut voluntas expedite suas operationes exercere valeat.

Quandoque hæc impotentia est universalis, quandoque ad quosdam actus, aut certa tempora limitatur [1].

De causâ hujus morbi nihil certi cognoscitur [2]; sed periculum in eum incidendi incurrunt qui promptius et facilius, absque sufficienti ratione, propriam voluntatem abdicant et segnes se ostendunt; aut qui soporiferis medicamentis, v. g. *opio*, abutuntur [3].

Quidquid est, quando morbus invaluit, multum minuitur libertas, et quandoque tolli videtur saltem quoad certos actus; ideoque omissio actuum qui præscribuntur, *in se* aut parum aut nullo modo libera est; est autem libera *in causâ*, quando quis scienter ac libere hunc statum suâ culpâ induxit. — Neque talis dispositio est omnino incurabilis; juvantibus enim proximis et amicis, qui *abouliâ* laborant, faciliora velle et exequi incipiunt, et pedetentim etiam difficiliora, dummodo ipsis suadeatur id haud arduum esse [4].

129. (B) *Vehemens et invincibilis propensio* [5]. Hic agitur de illis propensionibus quæ motu quasi ineluctabili impellunt aliquem ad faciendum id quod cæteroquin abhorret. Aliquando tam subito et vehementer quidam istis impulsibus ita premuntur, ut conscii non sint eorum quæ patrantur; alii vero conscii sunt hujus violentæ propensionis, et ad amicos confugiunt ut, ab ipsis incarcerati vel vincti, malam actionem, ad quam impelluntur, vitare valeant [6]. Ita qui-

[1] Abouliæ exempla multa refert *Ribot*, op. cit., p. 38 59.

[2] Physiologicam explicationem tradit *Ribot*, p. 50-56.

[3] Hoc modo notissimus *T. de Quincey* in *abouliam* inciderat; cfr. *Ribot*, p. 40-43; *T. Quincey*, Confessions of an opium-eater.

[4] *Ollé-Laprune*, Le prix de la vie, Paris, 1896, ch. 24, p. 304-317.

[5] *Ribot*, op. cit. p. 73-95.

[6] " Ces impulsions irrésistibles sont les unes inconscientes, subites, suivies d'exécution immédiate, sans que le sujet ait eu seulement le

dam ad suicidium, homicidium, furtum, ebrietatem inviti feruntur toto tempore quo *crisis* perdurat, posteaque, *crisi* superatâ, hæc omnia detestantur suîque compotes efficiuntur.

Unde ex omnibus adjunctis dijudicandum est utrum, in his casibus, solummodo minuatur, an tollatur libertas. In praxi vero, statim ac quis *conscius* est occurrentis *crisis*, amicos rogare debet ut curent ne invincibilis propensio in actum transeat. — Insuper ea omnia sedulo vitari debent quibus ejusmodi propensiones induci possunt.

2° De neurastheniâ, histeriâ et epilepsiâ.

130. (A) **Neurasthenia** est status quidam pathologicus, in quo nervi apparent debilitati et exhausti, ita ut agens, quamvis suî compos, maximâ inconstantiâ laboret, multumque physice et mentaliter deprimatur. Generatim hujusmodi status variis *excessibus* causatur, sive nimis laborando, sive voluptatibus indulgendo, aut quibusdam *narcoticis* medicamentis abutendo [1]; aliquando tamen *hæreditate* transmittitur. Totum corpus afficit, ideoque non tam morbus quam *morborum cohors* vocari potest.

Ex hâc nervorum debilitate voluntas fit valde infirma et instabilis, inepta ad fortiter maiis propensionibus resistendum; quare *minuitur*, quin tamen tollatur, libertas. — Præter physica medicamenta, quæ medici præscribunt,

---

temps d'en prendre connaissance, sans qu'il soit informé de son action ni avant ni après; les autres sont pleinement conscientes : le malade sent qu'il n'est plus maître de lui-même, qu'il est dominé par une force intérieure, invinciblement poussé à commettre des actes qu'il réprouve et dont il a horreur. Un jeune homme adore sa mère et est hanté de l'idée de la tuer; pour s'empêcher d'exécuter son atroce désir, il est obligé de supplier qu'on l'attache dans la grange comme un loup." (*Rauh et Revault*, op. cit., p. 283).

[1] " Toutes les passions ou même les sentiments excessifs, sont susceptibles d'entraîner la neurasthénie; que ce soit l'amour ou l'ambition ou l'affection filiale, ou encore la cupidité qui entre en jeu, il va suffire que leur développement soit entravé pour que se déclare un état neurasthénique consécutif. Dans la sphère intellectuelle, tous les excès de travail pourront être incriminés, et, s'il s'y joint, ce qui n'est pas rare, des préoccupations morales, la combinaison des deux ordres de causes entraînera la neurasthénie plus facilement encore". (Dr Block, cité par *H. Vigouroux*, Traité de Médecine, t. III, p. 125.)

multum prosunt spiritualia remedia, qualia sunt fiducia in Deum [1], firma voluntas et spes morbum istum depellendi, moderatio in agendo, quieta vita longe a civitatum tumultu, societas amicorum qui suaviter ægrotum solari et fortiter ad bene et quiete agendum sæpe hortari valeant.

131. (B) **Hysteria** (a græcâ voce ὑστέρα, uterus, quia olim putabatur hunc esse uteri morbum) est etiam deordinatio nervosi systematis, sed multo gravior quam neurasthenia; in eo præsertim consistit quod nervorum *sensibilitas* minuitur aut ad tempus extinguitur in quibusdam corporis partibus (*anesthesia*), dum in aliis multo intensior redditur (*hyperesthesia*). Hæc nervorum irritabilitas totam hystericorum naturam commutat, mentem perturbat, voluntatem debilitat, atque viam aperit hallucinationibus : phantasmata sibi vivide repræsentant, quæ statum inducunt exstasi aut somnambulismo affinem. Ad diversos contrariosque affectus proclives, atque summâ inconstantiâ laborantes, a risu ad lacrimas, ab amore ad odium illico transeunt. Sæpe ad mendacium recurrunt : simulant animi sensus quos non habent, pietatem atque imaginarias visiones; quandoque falso affirmant sibi vim illatam fuisse a personâ, cujus nomen patefaciunt, minutas criminis circumstantias describendo, proptereaque discordias et scandala excitant. Haud raro ad furtum proclives sunt, et quidquid ipsis placet, facile surripiunt. — Caveant igitur sacerdotes ne ab istis decipiantur.

Non solum mulieres, sed etiam viri hysteriam incurrere possunt : ad eam disponunt vita mollis, abstinentia a phy-

[1] Quod candide agnoscit vir cæteroquin incredulus, qui de nervosis morbis scripsit : " La foi religieuse pourrait être le meilleur préservatif contre ces maladies de l'âme et le plus puissant moyen pour la guérir, si elle était assez vivante pour créer chez ses adeptes un vrai stoïcisme chrétien. Dans cet état d'âme, hélas ! si rare dans les milieux bien pensants, l'homme devient invulnérable. Se sentant soutenu par son Dieu, il ne craint ni la maladie ni la mort. Il peut succomber sous les coups d'une maladie physique, mais moralement il reste debout au milieu de la souffrance; il est inaccessible aux émotions pusillanimes des névrosés". *Dubois*, Les Psychonévroses et leur traitement moral, Paris (Masson), 1904, p. 245-246; ibidem describuntur varia media *therapeutica* et *moralia* ad illos morbos curandos; cfr. *Feuchtersleben*, Hygiène de l'âme, Paris (Baillière), 1904, p. 147.

sicis exercitationibus, lectio librorum *romanensium* qui phantasiam excitant et cor perturbant, præcox et excessivum studium, libidinosi excessus, uno verbo quidquid debilitationem physicam inducit et nervosum systema commovet. — Varii sunt hysteriæ gradus, variaque stadia, quæ a physiologistis describuntur; aliquando morbus invalescit, et paroxismum attingit [1], qui a medicis dici solet *magna hysteria* (*la grande hystérie*).

Difficile est admodum definire num et quo gradu hysterici maneant liberi. Unde, in praxi, nonnisi ex omnibus circumstantiis, et ipsorum hystericorum declaratione (cui tamen non est omnino fidendum), probabiliter cognosci potest quæ libertas in ipsis maneat. — Remedia vero duplicis sunt generis : *physica*, quæ *sapiens* [2] medicus præscribet, v. g. physicæ exercitationes, assiduus, etsi moderatus, labor;

[1] *P. Richer*, Etudes cliniques sur l'hystéro-épilepsie; *Axenfeld* et *Huchard*, Traité des névroses, p. 967-1012; *Ribot*, op. cit., p. 115-125; *Surbled*, op. cit., t. IV, p. 72-78; *Antonelli*, Medicina Pastoralis, Romæ, 1905, t. I, n. 436-449. — *Physiologice* ita describitur hysteria : " L'hystérie est une névrose à manifestations nombreuses et variées. Les trois principales sont : la sensation d'une *boule* qui part du ventre et remonte à la gorge où elle détermine un sentiment de constriction; des *accès nerveux* s'accompagnant de cris, de perte de connaissance; des *anesthésies* ou des paralysies partielles ". (*Vigouroux*, op. cit., p. 95). — *Psychologice* ita describitur a *Huchard*, ap. *Ribot*, p. 117 : " Leur caractère change comme les vues d'un kaléïdoscope, ce qui a pu faire dire avec raison par Sydenham que ce qu'il y a de plus constant chez elles, c'est leur inconstance. Hier, elles étaient enjouées, aimables et gracieuses; aujourd'hui, elles sont de mauvaise humeur, susceptibles et irascibles, se fâchant de tout et de rien, maussades et boudeuses par caprice, mécontentes de leur sort; rien ne les intéresse, elles s'ennuient de tout. Elles éprouvent une antipathie très grande contre une personne qu'hier elles aimaient et estimaient, ou au contraire témoignent une sympathie incompréhensible pour telle autre... Parfois leur sensibilité est exaltée par les motifs les plus futiles, alors qu'elle est à peine touchée par les plus grandes émotions... Tour à tour douces et emportées, bienfaisantes et cruelles, impressionnables à l'excès, rarement maîtresses de leur premier mouvement, incapables de résister à des impulsions de la nature la plus opposée, présentant un défaut d'équilibre entre les facultés morales supérieures, la volonté, la conscience, et les facultés inférieures, instincts, passions et désirs ".

[2] Dico *sapiens;* nam, cum hysterici facilius quam alii in somnum hypnoticum cadant, quidam medici, experimenti causâ, illos *hynotisant* et sæpe eorum conditionem reddunt pejorem.

et *spiritualia*, præsertim vero conatus satis constans ad vana phantasmata statim compescenda, et passiones refrenandas, dum hysterici sunt sui compotes.

132. (C) **Morbus epilepticus** est pariter nervorum quædam dcordinatio, quæ, interpositis longioribus intervallis, *crisim* plus minusve diuturnam inducit, in quâ æger non est suî compos. Jamvero, inter epilepticos, alii sunt qui nihil moraliter mali peragunt; alii vero, qui ad aliquid inhonesti vehementer impelluntur, v. g. ad injurias aliis inferendas, ad furandum, ad blasphemandum, aut turpiter loquendum vel agendum, quin ullam horum omnium memoriam retineant. Quo casu liberi non sunt [1]; nec eis imputari possunt delicta sic patrata, dummodo non sint voluntaria *in causâ*.

3° *De somno hypnotico et suggestione* [2].

133. Quibus pathologicis statibus addi debet *somnus hypnoticus*, quo perdurante, imperia suggeruntur vel statim vel post aliquod intervallum adimplenda.

(A) **Facta describuntur.** Somnus hypnoticus variis inducitur mediis, vocis imperio, oculorum aspectu, manuum contrectatione, præsertim premendo zonas quæ hypnogenæ dicuntur aut etiam simplici mentali suggestione. Generatim asseritur neminem, in

[1] " Quelques malades se mettent tout à coup à proférer des paroles incohérentes, des grossiéretés, des injures aux personnes qui les entourent. D'autres commettent des actes de brutalité, frappent les personnes, brisent les objets. Sous l'influence de l'*impulsion*, l'épileptique est capable de blesser, de tuer les personnes qui l'approchent; et il est d'autant plus terrible que sa vigueur, dans ces moments, est prodigieuse, et qu'il frappe avec une sûreté remarquable... Au bout de quelques instants le malade revient à lui, ne conservant aucun souvenir de ce qui s'est passé ". (*Féré*, L'épilepsie, p. 51-52). Cfr. *Surbled*, op. cit., p. 78-82.

[2] *Charcot*, Leçons sur les maladies du système nerveux, Paris, 1887; et Œuvres complètes, t. V; *P. Richer*, Etudes cliniques sur la grande hystérie, Paris, 1885; *Bernheim*, De la suggestion et de ses applications à la thérapeutique, Paris, 1886; *A. Moll*, Der hypnotismus, opus *anglice* redditum " Hypnotism ", 1893; *E. Morselli*, Il magnetismo animale, la fascinazione e gli stati ipnotici; *Coconnier*, L'hypnotisme franc, Paris, 1897; *Grasset*, L'hypnotisme et la suggestion, Paris (Doin), 1903. — Brevem synopsim invenies ap. *Lelong*, La vérité sur l'hypnotisme, et *Guibert*, Etude sur l'hypnotisme, Paris, Retaux, s. d.; *Tanquerey*, Synop. Theol. Dogmat., *De Deo Creante*, n. 108-115.

statu vigiliæ, hypnotisari posse, nisi prius consensum saltem implicitum præbuerit; sed somnus naturalis in hypnoticum mutari potest, absque dormientis consensu. Non omnes hypnotisari possunt, sed multi tamen, nec solum feminæ sed etiam viri, præsertim ii qui voluntate debiles sunt, vel nervoso morbo laborant.

Hypnotismi phænomena triplicis distinguuntur generis : *somatica*, *intellectualia*, vel *mixta*. (a) Priora, quæ sic vocantur quia corpus (σῶμα) præsertim afficiunt, sunt *catalepsis*, *lethargia* et *somnambulismus*. In statu *cataleptico*, corpus immobile manet, statuæ instar, illumque modum sese gerendi servat qui ipsi imprimitur; omnino iners et insensibile apparet. In statu *lethargico*, oculi antea clausi aperiuntur et ad hypnotisantem quasi necessario sese vertunt; membra veluti ceream flexibilitatem acquirunt. Si aliquis motus membris imprimitur, eumdem perficit aut complet hypnotizatus; ita si manus jungantur, ut fit generatim orationis tempore, totum corpus sese habet perinde ac si mens contemplationi vacaret. Tandem, in statu *somnambulismi*, hypnotisatus videtur esse quasi e somno excitatus : audit, videt, loquitur et agit; sed non est sui compos, nam imperio hypnotisantis fere absolute paret.

(b) In ordine *intellectuali*, præcipuum phænomenon est *mentalis suggestio*, quæ præsertim in statu somnambulismi fieri potest. Videlicet hypnotisatus ea omnia audit et exsequitur quæ ab hypnotisante suggeruntur et imperantur; v. g. objectum vere in cubiculo præsens videt vel non, *ad nutum* hypnotisantis; si hic jusserit ut furtum committatur, primum quidem resistit, sed plerumque victus a potentiori voluntate, furtum patratur. Imo suggestiones post hebdomadem vel mensem exequendas, fideliter adimplet præfixo tempore.

(c) Phænomena *mixta* dicuntur ea quæ in corpore, mediante imaginatione, producuntur, v. g. sudor sanguineus, quem, suggerente hypnotisante, quis patitur.

134. Causa horum factorum diversa a diversis auctoribus assignatur[1]. Multi ea explicant per analogiam quamdam cum naturali somno. Siquidem sæpe sæpius dormientibus contingit ut imaginarias rerum similitudines, quæ in eorum phantasiâ repræsentantur, tanquam *reales* habeant, variosque actus sub earum influxu peragant; quod quidem ex eo procedit quod ratio, ad recte judicandum de veritate rerum, sensuum perceptione caret, quæ ipsi necessaria est. Jamvero qui permittit se ab alio hypnotisari, ejus imperio se subdit, in phantasiâ suâ vivide percipit similitudines rerum quæ ab eo suggeruntur, easque tanquam reales existimans, eodem modo agit ac si res ipsas vere perciperet.[2]

---

[1] Cfr. *Wundt*, Hypnotisme et suggestion, trad. de l'allemand par *Keller*, Paris, 1902.

[2] Quod feliciter exponit *Coconnier*, op. cit., p. 347-380.

135. (B) **De libertate hypnoptisati**[1]. (a) Certum est et ab omnibus admissum libertatis exercitium somno hypnotico et suggestione multum minui; imo penitus fere tollitur, juxta omnes, quamdiu perdurat somnus; nam si persona honesta primum resistat suggestioni aliquid furandi, id fit vi habitûs antea acquisiti; sed, si hypnotisans iterum atque iterum idem jusserit, mox furtum perficitur; non manet igitur illa libertas quæ ad moralem imputabilitatem sufficit.

(b) Si vero agitur de suggestione postea adimplendâ, in statu vigiliæ, schola Parisiensis contendit non penitus tolli, sed solum minui libertatem; dum, juxta scholam Nanceiensem, etiam in hoc casu, hypnotisatus non potest moraliter suggestioni resistere. Quare, in praxi, hic sedulo et caute interrogari debet, ut, ex ipsius testimonio, dignosci possit utrum et quatenus in actione perficiendâ liber fuerit.

(c) Ex quo patet malas actiones quas hypnotisatus patratur, aliquando esse liberas in *causâ*, quando videlicet libere suam voluntatem abdicavit, et somno hypnotico consensum præbuit, prævidens hujusmodi actiones esse suggerendas. — Quapropter non potest indiscriminatim permitti hypnotismi usus sed solum ob gravissimas rationes, et cautelis adhibitis ne quid moraliter mali occurrere possit, ut infra exponetur, n. 916.

Conclusio totius capitis : de voluntatis educatione.

136. Cum libertas sit necessaria conditio ad moraliter et meritorie agendum, et aliunde una e nobilissimis facultatibus, maxime refert eam contra varia impedimenta munire ac roborare. Præcipua vero media ad id assequendum, hæc sunt :

(a) *Rationem recte excolere :* cum enim hæc maxime in actum liberum influat, quidquid intellectum perficit eo ipso voluntatem roborat. Ideis siquidem maxima vis inest ad excitanda *desideria ;* hæc autem ad actionem tendunt[2].

---

[1] De quo vide *J. Liégeois*, De la suggestion et du somnambulisme, Paris (Doin) 1889, n. 507-575; *Gilles de la Tourette*, L'Hypnotisme, Paris (Plon), 1889; *Mercier*, Psychologie, 1904, n. 203.

[2] Cfr. *Dr P. E. Lévy*, L'éducation rationnelle de la volonté, 4e éd., Paris, Alcan, 1904, p. 22-57; *Payot*, Education de la volonté, p. 35-45 et 66-127.

Quare, si honestas, nobiles et christianas *concipimus* ideas, easque non perfunctorie, sed assidue et attente eisdem *immoramur*, eo ipso bonum perficere vehementer exoptamus et strenue conamur. Ex adverso autem *error* et *ignorantia*, cum *præjudiciis* ex quocumque fonte imbutis, sedulo dispellantur *studio* et *meditatione* veritatum quæ ad mores recte informandos multum juvant. *Inadvertentia animique levitas* corrigantur consuetudine nil agendi nisi propter motivum honestum, imo et supernaturale, serio consideratum : cogitandum ergo antequam agendum, ut non ex cæco impulsu, sed deliberate omnia fiant.

(b) *Passiones moderare et ad bonum dirigere;* cum enim vires voluntati addant, non sunt quidem extinguendæ, sed, præeunte ratione, voluntati tanquam famulæ obedire debent. — Si vero pravi habitus jam efformati fuerint, contrariâ consuetudine vincantur, atque repetitis actibus gradatim acquiratur habitus bonum prompte et expedite faciendi.

(c) Quia vero corporis debilitas, præsertimque nervosi systematis perturbatio status pathologicos inducere valent, qui liberum voluntatis exercitium multum retardant aut impediunt, excessus cujuslibet generis vitandi sunt, ut vere sit *mens sana in corpore sano.*

(d) Tandem, cum voluntas minuatur nisi eam exerceas, actus deliberatos et liberos voluntatis sæpius eligere expedit; nec proinde, ad strenue agendum, expectandæ sunt maximæ opportunitates, quæ raro occurrunt, sed in minimis, quæ quotidie contingunt, vis voluntatis est exercenda; ita enim vitatur cunctatio animique fluctuatio, ex quâ induci potest *aboulia;* aliunde, ut Christus ipse animadvertit, "qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est[1]."

(e) Neque prætermittenda sunt media *supernaturalia*, præsertim vero *oratio* et *sacramentorum* frequens receptio, quibus obtinetur gratia, atque voluntas roboratur, juxta illud : "Omnia possum in eo qui me confortat[1]."



[1] *Luc.* XVI, 10. — Cfr. *Guibert*, La formation de la volonté, Paris, 1903. — [2] *Philip.*, IV, 13.

Caput ij.

DE MORALITATE ACTUS HUMANI.

137. **Status quæstionis.** (A) Hucusque de actu libero *psychologice* spectato; idem vero actus dicitur *moralis* quando spectatur in suâ relatione cum regulâ morum. Jamvero, ut supra probatum est, n. 25-26, norma proxima morum est natura rationalis hominis, normaque ultima est Deus, quatenus est supremum bonum et ultimus finis. Quapropter **moralitas** definitur *actûs humani conformitas vel difformitas cum naturâ rationali et divinâ bonitate*[1].

Ratione igitur moralitatis, actus humani sunt *boni* vel *mali* prout ad Deum summum bonum et finem ultimum tendunt, vel ab eo avertuntur. — *Indifferentes* autem vocantur qui nec boni, nec mali sunt, quia nullam habent relationem cum normâ moralitatis. Utrum vero tales sint actus non solum *objective*, sed etiam *in individuo*, infra expendetur. Interea notari potest *indifferentiam* non esse proprie moralitatis speciem, sed moralitatis negationem.

138. (B) Hic agitur de actu *naturaliter* seu *ethice* bono, non autem de actu *supernaturali* et *meritorio*. Homo quidem ad statum supernaturalem elevatus est, et actus supernaturales quandoque elicere debet; sed non tenetur, sub pœnâ peccati, ad agendum supernaturaliter *in omnibus;* aliunde, cum actus *moraliter*, seu *ethice* bonus, præsupponatur tanquam una e conditionibus ad meritum, prius de illo disserendum est, ut definiatur quandonam actus sit moraliter bonus.

(C) Distinguitur moralitas *intrinseca* et *extrinseca :* prior exsurgit ex relatione actus ad naturalem ordinem rerum;

---

[1] Quidam moralitatem definiunt *conformitatem aut difformitatem cum lege æternâ per rationem manifestatâ;* lex enim æterna nihil aliud est nisi divina sapientia quatenus est directiva omnium actuum, ideoque non realiter distinguitur a divinâ bonitate.

posterior, ex relatione ad solam regulam positivam. Unde *intrinsece mala* dicitur actio quæ *ex se* adversatur naturali rerum ordini, qui independenter a quâlibet lege necessario existit, ut est v. g. odisse Deum, innocentem injuste occidere; *extrinsece mala* vocatur actio quæ non opponitur nisi ordini libere per legem positivam constituto, qualis est violatio diei sabbati, præcepti communionis aut legis jejunii.

Quibus positis, dicemus : I de *elementis* actûs humani a quibus *derivatur moralitas;* II de *extensione moralitatis*, ad quos videlicet actus se extendat, pauca addentes *de actu indifferenti.*

Art. I. De elementis ad moralitatem actûs concurrentibus [1].

139. Quando voluntas elicit actum humanum, tendit in *objectum*, propter aliquem *finem*, in quibusdam *circumstantiis* determinatis, et sæpe sub ejus imperio efficitur *actus externus.* Quatuor igitur sunt elementa quæ in moralitatem influere possunt : *objectum*, *finis*, *circumstantiæ*, *actus externus*, de quibus seorsim dicendum.

§ I. De objecto actus humani.

140. 1° **Notio.** (A) Quando voluntas deliberate agit, in aliquod objectum tendit; proindeque *objectum* actûs humani est *id in quod* **primario** *et* **per se** *actio tendit;* ita distinguitur a *circumstantiis*, quæ nonnisi *secundario* et *per accidens* attinguntur, — necnon a *fine*, qui est motivum *propter* quod agens operatur. Si v. g. copiosam eleemosynam largior pauperi vulnerato, propter amorem Christi, eleemosyna est *objectum* morale in quod primario tendit actio mea, — abundantia eleemosynæ, et conditio paupertatis proximi vulnerati, sunt *circumstantiæ* actûs, — et amor Christi est *finis*, seu motivum propter quod pauperem sublevo.

141. (B) Objectum vero, ratione moralitatis, triplex esse potest : (a) *bonum*, si *in se* regulæ morum consentaneum

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 18-20; *Suarez*, De bonitate et malit. human. act., disp. IV-X; *Billuart*, diss. IV; *S. Alphons.*, n. 34-40; *Ball. P.*, n. 81-102; *Bouquillon*, n. 351-374; *Lemkk.*, n. 27-36; *Noldin*, n. 56-65.

est, v. g. amare Deum, proximum diligere; (b) *malum*, si e contra *in se* huic regulæ adversatur, quale est odium Dei, injusta innocentis occisio; (c) *indifferens*, si ex se nullam habet relationem cum regulâ morum, ut est ambulare, scribere, legere, comedere. Merito tamen animadvertit *Bouquillon*, n. 356, objectum hujusmodi non manere indifferens, nisi quando consideratur *indeterminate*, abstrahendo videlicet a circumstantiis et præsertim a fine; nam ambulare *sanitatis causâ*, est actus naturaliter bonus; *scribere* ad alios in veritate erudiendos, est quid valde honestum, — dum ex adverso legere pravos libros est quid inhonestum.

142. Hic autem animadvertere licet quædam esse mala *absolute*, ita ut nunquam bona aut indifferentia fieri valeant, v. g. odium Dei aut proximi; — quædam vero esse mala *relative*, et quidem dupliciter : propter *defectum juris* in agente, ut si quis bonum alienum aufert domino rationabiliter invito; aut propter *periculum peccandi* quod incurritur, v. g. si quis legit libros fidei vel bonis moribus nocivos.

143. (C) Objectum vero, sive bonum sive malum, dupliciter spectari potest : (a) *objective*, seu *materialiter*, quatenus consideratur *in se*, relative ad *remotam* morum regulam, independenter autem a conscientiâ; (b) *formaliter*, quatenus ejus bonitas vel malitia percipitur ab agentis conscientiâ, et libere a voluntate intenditur. Ita res aliena auferri potest, quin injustitia talis actionis cognoscatur, et in hoc casu talis actio *materialiter* est mala, sed non formaliter; si vero quatenus injusta advertitur et intenditur, mala est *formaliter*. Exinde intelligi datur quid sit peccatum *materiale* et *formale* : prius committitur sine cognitione aut consensu; posterius cum cognitione et consensu[1].

144. 2° **De moralitate ab objecto derivatâ.** *Actus humani suam primariam et essentialem moralitatem accipiunt ab objecto formaliter sumpto.*

Objectum *materiale per se objectivam* moralitatem actûs constituit; quidam enim actus ex se, ratione *objecti*, boni sunt, ut amare Deum et proximum; quidam ex se meliores

[1] De quo vide *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, XXI, 1899, p. 1105-1109; de peccato materiali infra dicetur, n. 507.

sunt aliis; ita amor Dei, ratione objecti, perfectior est amore proximi. — Attamen, quando actus consideratur *in concreto*, prout ab agente perficitur, primaria et essentialis moralitas desumitur ex objecto *formaliter* sumpto; nam cum moralitas proprie dicta sit conformitas vel difformitas cum regulâ morum quatenus ratione percipitur, actus non est vere moralis, nisi *advertatur* illa relatio.

Moralitas autem, quæ ex objecto *formali* derivatur, *primaria* dicitur, quia concipitur ante omnem aliam quæ ex fine et circumstantiis provenit, et, si de malitiâ agitur, perseverat etiam mutatis fine et circumstantiis. Ita *deliberata rei alienæ ablatio, domino rationabiliter invito*, concipitur ut injusta, antequam considerentur finis et circumstantiæ, nec honesta reddi potest etiam mutatis fine et circumstantiis, etsi v. g. quis furaretur ad faciendam eleemosynam.

Dicitur etiam *essentialis*, quia ipsi actioni intrinsece inest; sic amor Dei deliberate elicitus est bonus bonitate ipsi objecto inhærente, dum ex adverso odium Dei libere volitum est malum vi ipsius objecti formaliter spectati.

145. Corollaria. (a) Ut actus humanus *bonitatem* accipiat ab objecto bono, *voluntas in illud tendere debet, saltem confuse, propter ejus honestatem;* nam, si hujusmodi bonum non intenditur, saltem confuse, ut *honestum*, intendetur ut aliquid *delectabile* vel *utile;* actus proinde moraliter bonus non erit, quia nullam formalem relationem habebit cum regulâ morum, quæ in delectatione aut utilitate minime sita est : ita sacro adesse *unice* curiositatis causâ. Sufficit autem *confuse* hanc bonitatem intendere; quod fit quoties objectum *de se honestum* non appetitur *ultimo* tanquam delectabile aut utile; ita recte agit qui facit eleemosynam, formaliter quidem non cogitans de ejus honestate, sed neque propriam delectationem aut utilitatem exclusive quærens: quod melius intelligetur ex dicendis ubi de fine.

146. (b) Ut actus humanus contrahat objecti *malitiam, non requiritur ut hæc etiam confuse in se appetatur, sed sufficit quod sit cognita et iuterpretative volita*, seu logice per modum *consecutionis*. Nam malitia adeo adhæret ipsi objecto ut ab eo divelli nequeat etiam per bonam intentionem. Ita qui novit prohibitum esse vesci carnibus feriâ sextâ, et

nihilominus, absque sufficienti ratione, eis vescitur, peccat, etiamsi nolit malitiam actûs : tunc enim vere vult legem frangere, quamvis nollet peccare; idem dicendum de eo qui se inebriat, solam intendens delectationem ex potu, non autem malitiam ebrietatis : dum enim prævidet se ebrium fore ex potu, eo ipso vult, interpretative saltem, ebrietatis malitiam.

§ II. De fine actus humani.

147. **Notio.** (A) Finis, de quo agitur, *non est finis operis*, qui non distinguitur ab objecto formaliter sumpto, sed *finis operantis*, seu *intentio*, *motivum* propter quod agens operatur (supra n. 4). Ita, si quis eleemosynam facit, finis *operis* est sublevatio pauperis, finis autem *operantis* potest esse amor proximi propter se, amor Dei aut Christi, intentio redimendi peccata, aut vana gloria, etc. Imo unus idemque actus ab eodem agente, eodemque instanti, perfici potest propter multiplicem intentionem; ita eleemosynam quis largiri potest ad pauperem sublevandum, quia hic amatur propter Christum et Deum, simulque ad obtinendam peccatorum remissionem, etc. — Hinc finis *operis* aliquando idem est ac finis *operantis*, quando videlicet agens intendit ipsam bonitatem intrinsece actui inhærentem, v. g. sublevationem pauperis in casu eleemosynæ. — Intentio ipsa *necessario* bona est vel mala : cum enim sit deliberata, si ordinatur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis et bona est; secus, mala est[1].

(B) Cum fine connectitur *medium*, seu id *per quod* agens vult finem consequi. Medium, *quatenus* medium[2], non est *per se* appetibile seu bonum, quia voluntas in eo non sistit; sed percipitur ut quid *utile* ad finem consequendum, proindeque non propter se, sed propter finem intenditur. Exinde

[1] Ita *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 18, a. 9 : " Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativâ procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem." Cfr. *Didiot*, op. cit., n. 440-454.

[2] Dicitur *quatenus* medium; nam si spectatur non in ordine ad finem, sed *in se*, in quantum est actus independens, suam moralitatem habet ex objecto, fine proprio et circumstantiis.

natum est axioma : *qui vult finem, eo ipso vult medium ; et qui vult medium, ut medium est, eo ipso vult finem.* Etenim finis obtineri nequit sine medio, proindeque nemo sincere vult finem quin eo ipso velit media ad finem attingendum necessaria. Pariter medium, ut medium est, non intenditur nisi in quantum ad finem conducit ; nemo igitur sincere vult medium ut tale, nisi simul finem assequi velit. Ita qui vult occidere Petrum, eo ipso vult media ad hoc homicidium perpetrandum necessaria ; pariter qui scienter vult adhibere aut revera adhibet media ex se apta ad Petrum occidendum, eo ipso vult Petrum occidere.

Finis igitur et medium, ratione moralitatis, indivulse connectuntur, iisdemque regulis subjiciuntur.

I. De moralitate a fine derivatâ.

148. 1° **Principium :** *Actus humanus aliquam moralitatem principalem accipit a fine, seu intentione propter quam fit.* Nam ex hâc intentione effici potest ut actio sit rectæ rationi conformis vel difformis : vi enim intentionis, actus ex se *indifferens* potest fieri bonus aut malus, actus *bonus* fieri melior aut malus, actus *malus* fieri pejor. Ita deambulatio, ex se indifferens, bona est, si fiat ad liberius postea labori vel orationi vacandum, mala autem, si ad quærendas peccandi occasiones ; eleemosyna, in se bona, melior redditur si fiat ex amore Christi, mala autem, si ad pauperem a verâ fide avertendum ; furtum, in se malum, pejus evadit, si committatur ebrietatis aut libidinis causâ.

Hanc autem moralitatem, ex fine derivatam, etsi non primariam seu fundamentalem neque essentialem, esse *principalem*, sic declarat *S. Thomas*[1] : "Ad secundum dicendum quod finis, etsi non sit de substantiâ actûs, est tamen causa actûs principalissima, in quantum movet agentem ad agendum ; unde et maxime actus moralis speciem habet ex fine."

149. 2° **Corollaria.** (A) Actus *ex objecto bonus*, et in *finem bonum relatus*, præter *objectivam bonitatem* quam retinet aut *retinere potest*, *novam*, eamque aliquando *multiplicem*, *ab intentione* seu *fine* acquirit bonitatem.

Ita eleemosyna pauperi data, ad eum sublevandum, propter amorem Dei, simulque in satisfactionem pro peccatis, triplicem habet

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 7, a. 4, ad 2.

bonitatem, *misericordiæ* ab objecto, *caritatis* ex intentione Deum amandi, necnon *pœnitentiæ*, propter motivum satisfaciendi pro peccatis : hanc enim triplicem bonitatem vere appetit agens, ejusque actio est virtualiter et moraliter triplex.

Diximus : *actus suam objectivam bonitatem retinere* **potest** : eam siquidem de facto *retinet*, si hæc *implicite* saltem intenditur; si vero nullomodo intenditur, et sola *finalis* bonitas appetitur, actus suam moralitatem desumit solummodo ex fine; ita si quis a vino se abstineat, non propter moralem bonitatem abstinentiæ, de quâ minime curat, sed ad sanitatem corporis facilius servandam.

Ex quo sequitur eos qui volunt in vitâ spirituali progredi, majoraque merita acquirere, de *puritate* et *perfectione* suæ intentionis præsertim curare debere, pluresque bonos fines amplecti : quo enim purior est, perfectior, et magis multiplex intentio (dummodo hâc de re nimia anxietas vitetur), eo perfectior agendi modus.

150. (B) *Actus ex objecto bonus, sed in finem malum relatus*, (a) *totaliter malus evadit*, si intentio prava est causa *totalis et adæquata* eum ponendi, v. g. si quis eleemosynas largitur unice ad pauperes a verâ religione avertendos; tunc enim agens vult bonum, non ut bonum est, sed ut medium ad finem malum, ideoque ut quid malum.

(b) Si vero actus ex se bonus perficitur *partim propter finem bonum, et partim propter finem leviter culpabilem, probabilius non totus vitiatur*, sed est partim bonus et partim malus; v. g. si quis dat eleemosynam tum ad sublevandum pauperem, tum ad captandam laudem. Tunc enim voluntas vere fertur in objectum bonum, et illa tendentia non destruitur per intentionem leviter culpabilem, quæ minime nos a Deo avertit[1].

Si vero intentio mala, etsi non adæquata actûs causa, *graviter* tamen sit culpabilis, — ut est eleemosyna data partim ad sublevandos pauperes, sed partim ac præsertim ad eos a fide avertendos, — actus est totaliter malus, saltem multo probabilius; illa enim intentio nos a Deo avertit, proindeque impedit quominus actus ipse Deo placeat.

151. (C) *Actus ex objecto malus, et ut talis cognitus, etiam in bonum finem relatus, remanet malus, minus tamen quam si ob malum finem eliceretur.*

---

[1] Ita *Billuart*, diss. IV, art. 4, § 2; *Collet*, De act. hum., cap. IV, art. 2, sect. 1, conclus. 1; Gury, n. 30; *Ball. P.*, I, n. 98; *Noldin*, n. 65. — Contrariam vero sententiam propugnant *Suarez*, op. cit., disp. 8, sect. I; *Vasquez*, in 1. 2., disp. 70, cap. 2; *Walsh*, n. 546-561.

(a) *Remanet malus;* nam si objectum malum est, et ut tale cognoscitur, finis bonus non impedit quominus voluntas malum appetat; v. g. si quis furatur ad sublevandum amicum, in extremâ necessitate minime positum, eo ipso vult malitiam furti, etsi sublevatio pauperis sit bona. Quo sensu *Apostolus* dicit[1] : "*Et non* (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) *faciamus mala ut veniant bona.*" — Non licet igitur medium ex se malum adhibere ad finem bonum assequendum[2].

(b) *Attamen finis bonus minuit malitiam actûs*, quia ostendit minorem esse affectum ad malum, quod non appetitur nisi ex amore alicujus boni, seu tamquam medium ad honestum finem assequendum; ita, in casu allato, minor est malitia furti ad benefaciendum commissi quam ad nocendum proximo. — Ex adverso autem finis malus *novam* malitiam addit actui objective malo, quia duplici modo a regulâ morum difformis est, ut si quis furatur ad se inebriandum.

152. (D) Actus *ex objecto indifferens*, sed in finem *bonum* relatus, accipit a fine quamdam *bonitatem;* si vero in finem *malum* ordinetur, ab eo moralem *malitiam* accipit. Ita cantare ad Deum laudandum est actus religionis, dum cantare ad libidinem excitandam est peccatum scandali : in priori enim casu voluntas quid bonum, in posteriori quid malum vere intendit.

Ex quo intelligi datur quanti momenti sit honestum finem sibi præfigere in omnibus actionibus, etiam indifferentibus, ut omnes moraliter bonæ efficiantur.

II. De obligatione finem ultimum et finem honestum intendendi.

Exposito influxu finis seu intentionis in moralitatem, jam alia exsurgit quæstio, num videlicet ad moralitatem actûs requiratur intentionis ordinatio ad finem ultimum, vel saltem ad finem moraliter honestum.

---

[1] *Rom.* III, 8.

[2] Catholicos igitur calumniantur qui ipsis adscribunt hoc effatum : *La fin justifie les moyens.* Illud enim reprobant theologi; dum quidam acatholici idem approbant, inter quos *Matthew Prior*, qui scripsit ex fine bono legitima fieri media etiam mala, eumque solum peccare qui pravam habet intentionem :

> " The end must justifiy the means,
> He only sins who ill intends. "

Cfr. The works of the english poets, London, 1810, t. X, p. 155; *Etudes des PP. Jésuites*, 5 août 1904, p. 357.

153. 1° **De relatione actûs in Deum.** *Baius, Jansenïani*, et quidam doctores *Lovanienses*, rati per peccatum originale penitus vitiatam esse humanam naturam, docuerunt ad moralem bonitatem actûs requiri ut in Deum referatur, tanquam ultimum finem, et quidem non solum *implicite*, sed etiam *explicite* [1]. Jamvero relatio actûs ad finem ultimum est *explicita*, quando agens de eo cogitat eumque intendit; *implicita*, quando finis ultimus non in se intenditur, sed in alio, puta in objectivâ actûs bonitate.

154. **Thesis :** *Ad bonitatem moralem actûs non requiritur relatio ad Deum explicita, sed sufficit implicita.* Ita communis et vera sententia.

(A) Hic enim agitur de opere in se bono, et propter honestum motivum peracto. Porro qui bonum facit ex honesto fine, eo ipso agit modo consentaneo rectæ rationi, et consequenter ipsi rationi divinæ. Ergo tale opus ex se, proprio pondere, tendit in gloriam Dei, proindeque vere, quamvis implicite, fit propter Deum.

155. (B) Neque in contrarium valet argumentum ab adversariis desumptum ex verbis *S. Pauli*[2] : "Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite." Utrum illa verba de *præcepto* an de *consilio* intelligenda sint, inter theologos controvertitur. Sed etiam ii qui, cum *S. Thomâ*, ea de præcepto audiunt, nihil aliud requirunt nisi ut omnia opera *implicite* et *objective* in Deum referantur, prout jam expositum est. — Quod optime sic declarat *Augustinus*[3] : "Suggero remedium, unde totâ die laudes Deum, si vis : quidquid egeris, *bene* age, et *laudasti* Deum... Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli ebriari et laudasti Deum... Negotium agis? noli fraudem facere, et laudasti Deum."

Et sane, si præfata verba *universale* præceptum significarent *explicite* omnes actus in Deum referendi, sequeretur omnia infidelium opera esse peccata, cum hi in Deum verum explicite ea non referant; quod tamen merito ab Ecclesiâ reprobatum est[4]. — Si

[1] Juxta *Baium* et *Jansenium*, peccat qui agit sine caritate aut delectatione cœlesti, quia non datur medium inter caritatem et vitiosam cupiditatem; Doctores *Lovanienses* doctrinam Baii amplectebantur licet eam tanstisper emollire conarentur. Cfr. *Vacant-Mangenot*, Dict. de théol., t. II, voce *Baius*.

[2] *I Cor.*, X, 31.

[3] *S. August.*, in psalm. 34, serm. II, n. 16, *Migne*, P. L., XXXVI, 341.

[4] Siquidem a *Pio V*, 1 oct, 1567, damnata est ad minus ut scandalosa hæc propositio 25 Baii : "Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia." (*Denzinger*, Enchiridion, n. 905).

vero dicatur hic agi de præcepto *particulari*, solos fideles ligante, jugum intolerabile eis imponitur : plerique enim sæpissime agunt quin cogitent de ordinatione suorum operum in Deum; imo ipsis persuasum est se bene agere dum v. g. eleemosynam præbent ad sublevandum pauperem, quin de ultimo fine cogitent. Talis igitur interpretatio fidelium communi sensui et praxi adversatur.

N. B. Etsi non teneamur *omnes* nostros actus in Deum referre, datur tamen præceptum se convertendi ad Eum aliquoties in decursu vitæ, ut infra exponetur, ubi de *virtute caritatis*. — Præterea *expedit* sane non solum mane, sed etiam sæpius in die, omnes actus suos Deo offerre, quo *perfectiores* evadant.

156. 2° De relatione actûs ad finem positive honestum. Ut supra notavimus, n. 5, distinguitur bonum *honestum* a bono *delectabili* vel *utili*. Quare exsurgit quæstio utrum agere debeamus propter finem *honestum*, an liceat agere propter bonum *delectabile* aut *utile*. Inter ipsos theologos res controvertitur.

(A) Quidam enim docent minime requiri ut voluntas positive finem honestum intendat, sed sufficere ut eum *non excludat*, seu apprehendat se nihil agere quod fini honesto contrarium sit; nam, inquiunt, ad actionem honestam, non requiritur ut semper intendatur finis honestus, sed sufficit ut sit ex circumstantiis bona, modo finis non sit malus; ita bene agit qui ludit ad se recreandum, quin de honestate hujus actionis cogitet.[1]

157. (B) Alii autem *communius* ac *verius* docent bonum delectabile vel utile non appetendum esse nisi *propter honestum finem, positive volitum saltem implicite*. Etenim delectatio a Deo, auctore naturæ, primario ordinata est ad homines alliciendos in operationes necessarias vel utiles quibus annexa est; ita delectatio quædam ciborum usui annectitur ut homo exinde ad manducandum alliciatur et vitam suam servet; ergo inordinate agit qui, saltem implicite, hanc delectationem non refert ad suî conservationem, sed *unice* comedit propter voluptatem[2]. Idem dicendum de bono *utili*,

[1] Ita *Ballerini-Palmieri*, t. I, n. 112-129; *Génicot*, I, n. 39; *Noldin*, n. 69.

[2] Huc pertinet propositio 8ª ab *Innocentio XI*, 2 martii 1679, damnata tanquam scandalosa et in praxi perniciosa : " Comedere et bibere usque ad satietatem, *ob solam voluptatem*, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus

quod ex naturâ suâ ad finem ulteriorem referri debet. — Implicite vero propter finem honestum intendit, qui moderate agit : moderatio enim a *rectâ* ratione procedit.

Attamen intendere possumus bonum utile aut delectabile, *non solum quatenus est honestum*, sed etiam *quatenus est utile aut delectabile*, dummodo ratio honesti non negligatur, nec debitus ordo invertatur. Nam *delectabile* et *utile* sunt quid bonum, etsi honestati subordinatum; licet igitur utrumque intendere non quidem primario, sed secundario tanquam finem *intermedium* ad bonum honestum.

Hinc intentio boni proprii, etiam *delectabilis*, non reddit actionem malam, dummodo voluntas in illo non quiescat tanquam in *fine ultimo;* nihilominus *perfectius* agit qui, delectationibus *affective* renuntians, non intendit nisi bonum proprie universale et rectæ rationi consentaneum, bonum videlicet honestum.

§ III. De circumstantiis actus humani.

I. Notio et species.

158. (A) Circumstantia est quid accidentale, actui humano, jam in suâ substantiâ constituto, accedens, eumque aliquo modo afficiens [1]. Quæ quidem, si actum *moraliter* respiciat, moralis dicitur. Ita in furto, triplex elementum substantiam actûs moraliter constituit : res *aliena*, ejus appropriatio *invito domino*, ab eo qui *jus non habet* rem auferendi; jamvero multæ conditiones triplici huic elemento accedere possunt, et in ejus moralitatem influere, v. g. utrum res *aliena* sit *sacra* an *profana*, *pretiosa* an *vilis;* utrum dominus sit *omnino invitus* an aliquid de jure suo

---

frui." Nam, juxta *Viva* (in h. prop., n. 7), propositio damnata est non solum quia hic agitur de *immodicâ* voluptate, sed etiam quia supponit licitum esse *voluptate frui*, eam *unice* ac *ultimate* intendendo. Cfr. *Denzing.*, n. 1025.

[1] Cujus nominis originem declarat *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 7, a. 1 : "Nomen *circumstantiæ* ab his quæ in loco sunt, derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo quæcumque conditiones sunt extra substantiam actûs, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, *circumstantiæ* dicuntur."

cesserit; utrum fur sit *pauper* an *dives*, *laicus* an *sacerdos*, etc.

(B) Septem solent recenseri circumstantiæ, hoc versu contentæ

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Octavam tamen addiderat *Aristoteles*, scilicet *circa quid;* rem sic exponit *S. Thomas*[1] : " Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actûs existens, ita tamen ut aliquo modo attingit ipsum. Contingit autem hoc fieri tripliciter : uno modo, in quantum attingit *ipsum actum;* alio modo, in quantum attingit *causam* actûs; tertio modo, in quantum attingit *effectum*. Ipsum autem *actum* attingit vel per modum *mensuræ*, sicut tempus et locus (*quando*, *ubi*); vel per modum *qualitatis* actûs, sicut modus agendi (*quomodo*). Ex parte autem *effectûs*, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero *causæ* actûs, quantum ad causam *finalem*, accipitur *propter quid* (cur); ex parte vero causæ *materialis*, sive objecti, accipitur *circa quid;* ex parte autem causæ *agentis principalis* accipitur *quis* egerit; ex parte vero causæ *agentis instrumentalis*, accipitur *quibus auxiliis.*" — Una ex his circumstantiis est *causa finalis* (cur), de quâ jam dictum est.

II. De moralitate ex circumstantiis derivatâ.

159. 1° **Principium :** *Actus humanus aliquam moralitatem, licet minus principalem, accipit a circumstantiis.* Etenim (a) Christus ipse declaravit paupercm viduam, quæ misit in gazophylacium *duo minuta*, plus dedisse quam divites qui multa jactabant; quod quidem non aliter explicatur nisi ratione circumstantiarum, quia videlicet "de *penuriâ suâ* omnia quæ habuit misit, totum victum suum[2]." (b) *Tridentinum* definivit necessarium esse confiteri *circumstantias* peccatorum, quæ peccati speciem mutant[3]; sane, quia moralem malitiam augent. (c) Circumstantiæ enim, quando spectantur in suâ relatione ad *talem* actum determinatum, possunt esse regulæ morum *conformes* vel *non;* haud raro enim lex determinat quo loco, tempore, modo, etc., hic actus sit peragendus. Jamvero, si rectæ rationi sint *conformes*, aliquam habent bonitatem quam actui conferunt; si vero *difformes*, actui quamdam malitiam addunt.

160. 2° **Applicationes.** Quadruplici modo circumstantiæ moralitatem actui humano tribuere possunt :

[1] *Ibid.*, a. 3. — [2] *Marc.*, XII, 41-44. — [3] *Trident.*, sess. XIV, can. 7.

(a) Actus *ex objecto indifferens* fieri potest *bonus* aut *malus* ex circumstantiis; ita *temperate* manducare, ad vires reficiendas, bonum est; id cum *excessu* facere, malum.

(b) Actus *ex objecto bonus*, ex circumstantiis quandoque *malus* redditur, *graviter* aut *leviter*, secundum gradum malitiæ quæ ipsis inest; ita v. g. exercitium mercaturæ in *loco sacro*, labor servilis *die dominicâ*, matrimonium initum cum personâ *castitatis voto ligatâ*, etc., ratione circumstantiarum, aliquid mali præ se ferunt.

(c) Actus *ex objecto bonus vel malus*, *novam* bonitatis vel malitiæ *speciem* a circumstantiis accipere potest; v. g. qui *ex voto* continentiam servat, non solum *castitatis*, sed etiam *religionis* bonitatem assequitur; ex adverso qui rem sacram e loco injuste eripit, non solum *furti*, sed *sacrilegii* malitiam contrahit. Hujusmodi circumstantiæ vocantur *mutantes speciem*.

(d) Actus *ex objecto bonus vel malus*, a circumstantiis *aliquem* bonitatis aut malitiæ *gradum acquirere* potest, vel e contra *amittere*. Siquidem sunt circumstantiæ quæ, etsi speciem actûs non mutent, ejus tamen bonitatem aut malitiam *augent* vel *minuunt*. Ita *pauper*, eleemosynam præbens, excellentiorem actum misericordiæ facit, ceteris paribus, quam *dives; sacerdos* eumdem intemperantiæ actum committens ac laicus, gravius delinquit; qui furatur quia in quâdam *gravi necessitate* versatur, minus graviter peccat quam qui opibus jam abundat.

161. 3° **Conditiones requisitæ.** Ut actus moralitatem ex circumstantiis desumat, duo requiruntur : (a) circumstantiæ aliquam *bonitatem* aut *malitiam* præ se ferre debent : si enim indifferentes sunt, non influunt moraliter in actum; ita parum refert generatim utrum furtum commissum fuerit feriâ *secundâ* aut *tertiâ;* (b) tanquam *morales* apprehendi debent et intendi saltem *implicite* et *in confuso;* secus, quamvis *in se* bonæ aut malæ, non appetuntur sub hoc respectu.

N. B. Circumstantia *graviter mala* totam actûs bonitatem tollit; secus, si *leviter mala* sit, ut dictum est supra quoad intentionem, n. 150. — A circumstantiis differunt actiones, internæ aut externæ, quæ, durante actione principali, aliquando fiunt : v. g. verbum otiosum inter orandum,

actus impatientiæ inter laborandum; hi sunt actus vere distincti, qui mali esse possunt, sed principalis actionis bonitatem non auferunt.

§ IV. De moralitate actus externi.

162. 1° Status quæstionis. Quæ hucusque diximus de moralitate, ad actum humanum sive internum sive externum spectant. Sed hic exsurgit quæstio num actus *exterior*, seu executio actûs interioris, huic addat specialem bonitatem aut malitiam. (a) Supponimus hic agi de actu *interno efficaci*, cui plenus consensus datus est, et de actu *externo* qui nihil aliud est nisi *mera executio* hujus actûs interioris; nam, juxta omnes, inter desiderium *plus minusve inefficax* et ejus executionem magnum est discrimen; pariter, si actus externus aliquid addat desiderio mere interno, — ut haud raro contingit, — eo ipso novam moralitatem inducit. (b) Omnes concedunt actum externum augere *per accidens* bonitatem aut malitiam actûs interni, et quidem triplici præsertim modo : ratione *intensitatis*, quatenus voluntas, in ipsâ executione actûs, cum majori vehementiâ in objectum fertur, propter delectationem vel difficultatem quæ in eo reperitur; ratione *durationis*, quatenus exsequens, actum voluntatis continuando quousque opus perfecerit, diutius in eo perseverat; ratione *multiplicationis*, quia sæpe, occasione actûs externi, pluries renovatur actus internus, qui exinde fit melior vel pejor.

163. 2° Scotistarum opinio. Quibus positis, *Scotistæ* dicunt actum externum *per se* augere moralitatem actûs interni. Etenim, (a) actus interni et externi diversis Decalogi præceptis prohibentur; ita septimo præcepto prohibetur actus *externus* furti: *non furtum facies;* decimo vero ipsum furti *desiderium: non concupisces;* ergo furtum exterius patratum specialem *ex se* habet malitiam.

(b) Ex communi sensu fidelium, accusari debet actus externus peccati, nec furi sufficit dicere : *efficaciter volui furari;* atqui, si actus externus nullam addat malitiam actui interno, cur illum confiteri tenemur?

(c) Si vera sit sententia opposita, sequitur aliquid falsum; v. g. si quis habeat efficax desiderium mille homines occidendi, æque graviter peccat ac si revera illos occiderit; si e contra efficacem habeat voluntatem mille pauperes alendi, æque meretur ac si de facto eos aleret; quod nemo tamen admittit.

164. 3° **Thomistarum aliorumque communis sententia.** *Thomistæ*, quibus hâc in re plerique consentiunt theologi, docent actum exteriorem, ut est præcise executio actûs interioris vere efficacis, huic non addere *per se* novam bonitatem aut malitiam.

(a) Huc enim pertinent verba Christi [1] : " Omnis qui viderit mulierem ad *concupiscendam* eam, *jam mœchatus est* eam *in corde suo* "; ibi enim actus mere internus actui externo æquiparatur. Quod revera multi Patres explicite declarant, præfata verba exponendo.

(b) Non datur moralitas sine libertate; atqui *tota libertas* actûs externi ab *interno* procedit, ita ut, si ille actus fiat absque libero consensu voluntatis, nec liber sit nec imputabilis; ergo actus externus *ex se* nullam moralitatem habet, nec proinde bonitatem aut malitiam interioris consensûs augere potest.

Hinc si *desiderium* et ejus *executio* diversis præceptis prohibentur, exinde non sequitur hæc duo distinctam habere malitiam, sed Deum voluisse ut populus rudis, qualis erat Israeliticus, melius intelligeret non tantum actum externum, sed etiam desiderium internum, etsi ab ejus executione separatum, malum esse.

165. (c) Si vera esset *Scotistarum* sententia, posset quis alium invitum privare bonitate morali, actum externum impediendo; v. g. posset fur, auferendo pecuniam eleemosynis ab aliquo destinatam, hunc privare bonitate speciali externo actui eleemosynæ annexâ; quod quidem omnino repugnat.

Neque absonum est dicere eum, qui efficaciter vult mille pauperes, alere, — etsi ab hoc præstando per furtum aliamve causam prohibeatur, — bonitatem assequi tali actioni annexam; Deus enim intuetur cor, et ipsam volitionem æque ac ejus executionem remunerat : ita Abraham dixit, qui filium suum immolaverat solum intentionaliter : " Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito, propter me, benedicam tibi. [2] " — Attamen actus externus in confessione declarari debet, non quia *per se* distinctam habet malitiam, sed quia plerumque *per accidens* gravior evadit, et aliunde confessarius vix munere suo fungi potest circa occasiones vitandas, restitutionem imponendam, aut remedia suggerenda, nisi simul cum interno consensu, actio externa candide exponatur.

[1] *Matt.*, V, 28. — [2] *Gen.*, XXII, 16.

166. **Conclusio.** *Speculative* loquendo hæc posterior sententia probabilior videtur. *In praxi* autem plerumque executio interioris actûs intensiorem supponit volitionem, majoremque bonitatem aut malitiam, ut supra expositum est, n. 162. Unde multum deciperetur qui parum de actibus externis curaret. (a) Si agatur de actibus *bonis*, hæc præ oculis habenda sunt : volitio non est vere efficax, quæ, ubi potest, non transit ad actum externum; aliunde externe agendo, ipsam voluntatem roboramus, bonos habitus efformando; tandem multi externi actus positivis legibus præscribuntur, et merito, cum actus exterior sæpe suggerat interiorem.

(b) Si de *malis* actibus quæstio est, ex eorum executione haud raro sequuntur scandala, restitutionis obligatio, pravi habitus atque major facilitas ad peccandum.

Proinde, etsi de actibus internis recte ordinandis præcipue curandum sit, prætermitti nequit recta actuum externorum ordinatio.

167. **Corollarium de sensu axiomatis** : *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu.* Illud axioma, quod invenitur in operibus *S. Dionysio Areopagitæ* adscriptis [1], a theologis communiter receptum est eo sensu quod bonitas moralis non convenit actui qui, sive ex *objecto*, sive ex *fine* aut *circumstantiis*, malus est. Quod tamen intelligendum est cum restrictionibus superius expositis.

(A) Ad **objectum** quod spectat, actus *ex objecto malus* et qua talis cognitus, non potest ex fine aut circumstantiis fieri bonus, n. 151. Sed actus *ex se indifferens*, ex fine aut circumstantiis bonus evadere potest, nn. 152, 160. Ad bonitatem actûs, non requiritur proinde ut objectum sit ex se bonum, sed sufficit ut aliquam bonitatem a fine aut circumstantiis accipiat.

(B) Si agitur de **fine**, intentio *totaliter et adæquate mala* sufficit ad vitiandum actum ceteroquin ex objecto et circumstantiis bonum, n. 150; pariter intentio *graviter culpabilis*, licet non sit adæquata actûs causa, eum vitiat; sed intentio *leviter* culpabilis concomitans intentionem bonam, *probabilius* totum actum non vitiat, n. 150.

[1] Lib. de divinis nominibus, cap. 4, ap. *Migne*, P. G., t. III, 730.

(C) Quando de circumstantiis sermo est, circumstantia *graviter* mala totum actum vitiat, non autem *leviter* mala, nn. 150, 161.

Ex quo pariter intelligitur *conditiones* requisitas ad *moralem honestatem* esse : 1° ut actus sit liber; 2° ut objectum non sit malum saltem *formaliter* seu in cognitione; 3° ut actus sit bonus saltem ex parte finis sive operis sive operantis; 4° nec aliunde vitietur aliquâ circumstantiâ graviter malâ.

Art. II. De extensione moralitatis.

168. **Status quæstionis.** Quæ de moralitate diximus, respiciunt actum *in se* seu *directe* volitum; sed, cum dentur effectus qui nonnisi *in causâ* seu *indirecte* sunt voluntarii, inquirendum manet utrum hi sint etiam *morales* et agenti *imputabiles*. Ad cujus intelligentiam, pauca sunt prænotanda.

(A) Illud est voluntarium *in se*, seu *directe*, quod voluntas *immediate* et *expresse* intendit sive ut *finem*, sive ut *medium;* ita sane voluntaria est *in se* mors inimici quam homicida intendit ut *finem*, aut occisio viatoris quam fur intendit ut *medium* ad pecuniam capiendam. — Id vero voluntarium est *in causâ*, seu *indirecte*, quod neque ut finis neque ut medium intenditur, sed *prævidetur ex actu directe volito secuturum*, proindeque ipsi aliquo modo imputatur; ita qui ex curiositate pravum librum legit, prævidens ex hujusmodi lectione oritura dubia circa fidem, eo ipso *indirecte*, seu in *causâ* vult hæc dubia experiri. — Iterum effectus potest esse voluntarius *in causâ* dupliciter : *positive*, si *ponitur actio*, ex quâ prævidetur effectus secuturus; et *negative*, si *omittitur actio*, prævidendo effectum ex hâc omissione secuturum; sic qui videt domum incendio conflagrantem, et nihil facit ad ignem extinguendum, quando aliquid præstare posset, *indirecte* et *negative* vult incendium.

169. (B) Quibus positis, quæritur num effectus voluntarius *in causâ* vere sit *voluntarius*, et agenti *imputari* debeat. Actus videlicet *imputabilis* est, quando ejus bonitas aut malitia agenti, tanquam proprio auctori, tribui potest ac debet; porro ut proprius auctor hujus actionis haberi potest, quando libere eam posuit, cum prævia cognitione ejus moralitatis.

Attamen hâc in re, sedulo distinguendum est inter effectum *bonum* et *malum*. Effectus **bonus**, *in causâ tantum* volitus, non imputatur agenti; ita qui scribit librum lucri faciendi causâ, prævidens simul bonos effectus ex ejus lectione secuturos, sed eos non intendens *in se*, etiam confuse, non facit actum *moraliter* bonum, quia propriam utilitatem, non vero honestatem intendit; patet ex dictis supra, n. 145. — Effectus autem **malus**, *in causâ tantum volitus*, agenti imputari *potest;* ex dictis enim n. 146, actus malitiam objecti contrahit quoties hæc est cognita et interpretative volita; — quandonam autem revera imputari *debeat*, ex infra dicendis patebit.

(C) Voluntarium indirectum dupliciter occurrere potest: (a) aliquando effectus malus, *in causâ* volitus, sequitur ex actu directe volito **sine** *concursu* alterius agentis liberi: tunc dicitur *voluntarium indirectum simpliciter*. (b) Quandoque vero effectus malus producitur **cum** *concursu alterius agentis liberi:* tunc vocatur casus *cooperationis*, quia videlicet duo (vel plures) ad productionem hujus effectûs concurrunt. — De utroque seorsim dicendum.

§ I. De moralitate effectus indirecte voliti[1].

170. Prænotanda. Ut judicetur de moralitate effectûs, inquirendum est primario quomodo cum causâ connectatur.

(a) Aliquando causa ita *determinatur* ad *unum* effectum producendum, ut hic *necessario* sequatur: tunc effectus *directe* intenditur, et agenti merito imputatur; ita qui scienter applicat ignem ad ligna, directe vult ea comburere, quia ex se ignis ad comburendum determinatur.

(b) Quandoque vero causa *duplicem* producit effectum, ita tamen ut unus alteri *subordinetur*, et necessario ex eo sequatur; ita si quis *scienter* et *volenter* in *patrem familias* sclopetum explodit, certo prævidens ex ejus morte filios sustentatione privandos esse, duplex effectus (mors patris et misera filiorum conditio) merito agenti imputatur, quia

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 64, a. 7; *Suarez*, De volunt., disp. I, sect. 5; *Billuart*, diss. I, a. 4; *Elbel-Bierbaum*, t. I, n. 23; *Walsh*, n. 88-192; *Laloux*, De Act. humanis, diss. 8; *Ball. P.*, I, n. 26-32; *Bouquillon*, nn. 328, 371-374; *Noldin*, n. 33-38.

prior *directe* intenditur ut *medium* ad finem, scilicet vindictam, posterior *indirecte* ut *effectus* qui *necessario* sequitur ex medio directe volito.

(c) Effectus a causâ producti ita *coordinati* esse possunt ut æque immediate procedant, quia causa ad utrumque producendum *ex se* determinata est; ita si medicus mulieri gravidæ præbeat medicinam, quæ eam sanare potest, et simul abortum causare; quo casu effectus uterque dicitur sequi *per se*. Si vero unus effectus non æque immediate ex causâ procedat, quia hæc non *ex se* determinatur ad talem effectum producendum, hic sequitur *per accidens* : ita si quis librum scribat bonum aut indifferentem, lucri faciendi causâ, cujus tamen lectione alius, propter suam fragilitatem, scandalizatur. — Jamvero quæstio est *num* et *quandonam* hujusmodi effectus, qui sive *per se* sive *per accidens* ex causâ procedunt, et *in causâ* fuerunt voliti, sint agenti imputabiles.

Duplex erit principium : prius declarat quandonam *imputabilis* sit effectus malus, posterius quandonam *permitti* possit.

171. I^um^ Principium : *Effectus malus, in causâ tantum volitus, est moraliter imputabilis quando hæc tria simul concurrunt*, videlicet : **1° agens effectum prævidit saltem in confuso; 2° potuit non ponere causam; 3° effectum impedire debuit.** Explicatur et probatur per partes.

1° *Requiritur ut agens effectum præviderit saltem in confuso;* si enim illum nullo modo præviderit, effectus non est voluntarius, nec proinde imputabilis : *nil volitum quin præcognitum.* — *In confuso* autem prævidet effectum qui *novit*, etiam *obscure* vel indistincte, aut saltem *suspicatus est* effectum secuturum esse; ita qui suscipit officium medici, judicis, confessarii, etc., advertens se scientiâ omnino requisitâ ad tale officium carere, vere, quanquam indistincte, prævidet malos effectus inde secuturos; pariter venator qui *suspicatur* id quod videt esse hominem, et tamen in illud explodit, *confuse* prævidet homicidium exinde secuturum.

Ex adverso autem qui se inebriat ex modico haustu liquoris cujus vim non suspicabatur, ebrietatis malitiam non incurrit.

Ex hoc intelligi datur quandonam imputari debeant peccata in ebrietate commissa : si quis experientiâ noverit se, in statu ebrietatis, obnoxium esse iræ, rixis, blasphemiis, etc., et nihilominus libere se inebriaverit, reus est hujusmodi peccatorum, quia ea prævidit; si vero hæc committere non soleat, eadem non possunt ei imputari, si forte occurrant, quia prævisa non fuerunt[1].

172. 2° *Requiritur ut agens potuerit non ponere causam :* si enim *moraliter* tenetur causam ponere, ab illo actu abstinere nequit, nec proinde effectus moraliter ei imputabilis est; siquidem ad impossibile nemo tenetur. — Ita reus non est sacrilegii sacerdos qui præbet communionem peccatori, cujus indignitatem nonnisi ex confessione novit, quia tenetur sigillum sacramentale fideliter custodire.

173. 3° *Requiritur ut agens malum effectum impedire teneatur;* si enim ad id minime teneatur, effectum potius *permittit* quam *efficit;* et aliunde, si justam et proportionatam habeat rationem illum permittendi, talis effectus ei non est imputandus.

Jamvero effectum impedire tenetur, si hic *ex se* fluit ex causâ : tunc enim qui vult *antecedens* vult et *consequens.* Si vero effectus sequitur *per accidens*, videlicet ex aliis causis independentibus a voluntate agentis, ita ut actus positus sit potius *occasio* quam *causa* mali effectûs, agens non tenetur hunc effectum impedire abstinendo ab actu ceteroquin bono, qui est tantum occasio mali effectûs. Ita medicus, qui in exercitio suæ artis, non paucis concupiscentiæ motibus obnoxius est, non est horum reus, etsi eos prævideriit, quia exercitium medicinæ non *ex se*, sed *per accidens* istos motus producit.

174. Quando vero tres præfatæ conditiones concurrunt, effectus malus, etsi indirecte volitus, vere est liber ac proinde imputabilis. Tunc autem committitur peccatum non eo instanti quo sequitur malus effectus, sed eo instanti quo iste prævisus fuit atque intentus; ideoque, etiamsi effectus non sequatur, peccatum jam commissum est, quia volitum.

[1] Quidam theologi asserunt ad imputabilitatem sufficere ut agens effectum *prævidere potuerit ac debuerit;* quod in idem recidit, nam non potuit nec debuit prævidere, si nullo modo revera prævidit.

Ita qui alteri venenum præbet, prævidens mortem inde secuturam, hoc ipso instanti in suo corde homicidium committit, etiamsi, propter medici interventum aliamve causam, mors de facto non sequatur. Ita qui advertit se ulteriore potu inebriatum iri, et experientiâ novit se in ebrietate multa peccata committere, hæc omnia peccata implicite intendit eo instanti quo ulteriorem potum bibere intendit.

Unde, ad judicandum de gravitate peccati indirecte voliti, attendi debet ipsa malitia actûs interni : quo distinctior ac certior fuit prævisio mali effectûs, eo gravior est culpa; quo minus distincta ac certa, eo levior est culpa. Unde multi excusantur a gravi peccato, quia, propter animi levitatem, nonnisi confuse pravos effectus suarum actionum apprehendunt[1].

175. II^um^ **Principium** : *Licet ponere actum* **in se bonum aut indifferentem,** *ex quo sequitur* **duplex effectus,** *alter bonus et alter malus, dummodo effectus bonus non producatur* ~~nisi~~ **mediante malo,** *adsit* **ratio proportionate gravis,** *et* **finis agentis sit honestus.**

Quatuor proinde requiruntur conditiones :

1° *Ut actus sit in se bonus aut indifferens;* si enim sit *in se* malus, nunquam fieri potest licitus, etiamsi bonus ex eo sequatur effectus, et *a fortiori* si malus sequatur effectus — Ad dijudicandum autem utrum actus sit *in se* malus necne, attendi debet num malitia *ex circumstantiis* oriatur, an *in ipso actu* inveniatur, juxta prudentûm communem æstimationem : si prius, actus censetur in se bonus aut indifferens; si posterius, in se malus judicari debet. — Ita, cum somnus hypnoticus sit malus non in se, sed ex circumstantiis, quandoque, licet raro, permitti potest propter gravem rationem, dummodo debitæ cautiones adhibeantur ad pravos effectus arcendos.

176. 2° *Ut bonus effectus non producatur* ~~nisi~~ *mediante effectu malo;* nam, si ex causa *immediate* sequatur effectus *malus*, et, nonnisi *mediante* illo effectu malo, oriatur bonus, non licet causam ponere : tunc enim malus effectus assumitur ut *medium* ad bonum, ideoque directe intenditur[2]. Ita illi-

[1] Quod rite exponit *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, XX, 1898, p. 1121-1129.

[2] Quidam tamen necessitatem hujus secundæ conditionis negant; nam, inquiunt, injustum aggressorem occidere licet ad propriam vitam

cite agit qui famulo potum inebriantem præbet ut exinde aliis horrorem ebrietatis injiciat.

177. 3° *Ut adsit ratio proportionate gravis* ponendi causam et malum effectum permittendi, ita ut bonus effectus compenset malum. Etenim recta ratio dictat melius esse carere *minori bono* quam illud obtinere per actum, ex quo *majus* sequitur malum; ex adverso autem, si bonus effectus superat aut saltem compensat malum, jam cessare videtur lex quæ malum effectum prohibebat.

Tota difficultas est definiendo quænam ratio sit *proportionate gravis.* Hoc autem, in singulis casibus, nonnisi ex *judicio prudentûm* dignosci potest, *omnibus attentis circumstantiis.* Præcipua vero adjuncta sedulo expendenda, ad hæc reducuntur : —

(A) Non unice inspiciendum est commodum vel incommodum in casu *particulari* oriturum, sed etiam illud quod *toti societati* impenderet, si talis actio generatim permitteretur aut prohiberetur. Sunt enim actiones, pro quibus non videtur esse ratio sufficiens, si attendatur ad casum *particularem;* adesse vero agnoscetur, si respiciatur ad *universalitatem* casuum, attento bono publico, seu totius societatis.[1] Ita bonum sociale exigit ut injustus aggressor occidi possit, quando alia media propriæ vitæ servandæ desunt, etiamsi aggressor vitam non solum temporalem, sed æternam forte amittat; secus enim sicarii, latrones et impii, scientes bonos ad vitam tutandam nunquam occisuros, audaciores evaderent, et familias ipsamque societatem homicidiis et latrociniis perturbarent, ut exponitur *De Justitiâ*, n. 325.

178. (B) Attendendum est ad *gravitatem mali effectus* :

---

tuendam; jamvero in hoc casu bonus effectus, videlicet propriæ vitæ conservatio, non obtinetur nisi mediante effectu malo, id est, morte aggressoris. Ita *Walsh*, n. 143-144. — Res difficultate non caret; attamen dici potest in hoc casu mortem *injusti aggressoris* non esse effectum *moraliter in se malum :* jure naturali et divino prohibetur quidem *innocentis* occisio, non vero nocentis. — Aliunde qui, ad se tuendum, aggressorem occidit, hujus mortem non *intendit* ut *medium* ad vitæ conservationem, sed percutit aut explodit eo fine ut eum inermem reddat, nocendique incapacem, prævidens tamen forsan mortem aggressoris inde secuturam.

[1] Cfr. *Laloux*, diss. 8, p. 217; *Walsh*, n. 136-137.

quo *gravius* est *malum* prævisum, eo major esse debet ratio excusans. Ita si quis injustum aggressorem repellit *mortem* ei inferendo, major requiritur ratio quam si *vulnus non lethale* infligit : in priori casu, requiritur ut bona defendenda maximi sint momenti, dum in posteriori possunt esse minoris momenti (*De Justitiâ*, n. 329-331).

179. (C) Inspici debet etiam *influxus actionis in effectum sive bonum sive malum.* Ideo enim malus effectus compensandus est ab agente, quia ipsius actio in istum influit; ergo compensandus est eâ proportione quâ in effectum influit. — Mensura vero influxûs a pluribus pendet, videlicet a *proximitate, probabilitate*, modo *positivo* aut *negativo* agendi. Generatim quo *proximius*, quo *probabilius*, quo *magis positive* actio in malum effectum influit, eo major requiritur ratio ad illam licite ponendam.

(a) Eo *proximior* causa dicitur quo pauciora sunt intermedia inter ipsam et effectum; v. g. si quis *legere discat*, prævidendo se forsan periculum incurrere libros pravos legendi, et exinde tentationes experiendi, — hic ultimus effectus omnino *remote* sequitur ex actu; si quis vero *reipsa legat* pravum librum, concupiscentiæ motus magis proxime ex hâc lectione sequuntur; major proinde requiritur ratio.

(b) Eo *probabilius* causa influit in effectum, quo *verosimilius* hic ex causâ secuturus prævidetur; v. g. si quis e fenestrâ lapidem projiciat in civitate et viâ, ubi multi transeunt, multo probabilius secutura est vulneratio proximi quam si id faciat in pago ubi pauci admodum iter faciunt; multo major igitur requiritur ratio.

(c) Eo *magis positive* agens in effectum influit quo *magis active* se habet ; ita major requiritur ratio ad aliquid *agendum* quam ad aliquid *omittendum*, ex quo malus effectus secuturus est.

180. (D) Attendi debet etiam *connexio plus minusve necessaria* inter causam et effectum ; sic, ad locandum hæreticis aliquod ædificium in quo suos errores spargent, major requiritur ratio, si nullum aliud ædificium in loco invenire nequeunt, quam si facile alia locare valent.

(E) Pariter præ mente habendum est *jus* aut *officium* quod agenti inest actum ponendi : *minor* certe desideratur ratio, si agitur de illis qui speciale *jus*, aut a fortiori *officium* habent actum faciendi ; v. g. si medicus aut sacerdos prævideat se aliquam tentationem experturum libros legendo quos jus et officium habet legendi, ad munus suum rite

adimplendum, multo minor sufficit ratio quam si agatur de alio qui nonnisi ex curiositate eosdem libros vult legere.

181. 4° *Requiritur ut finis agentis sit honestus*, id est, ut agens non intendat effectum malum, quem prævidet, nec postea eum approbet, sed relate ad eum *permissive tantum* se habeat; quare in pravo effectu complacere nequit, sed ita dispositus esse debet ut vellet eum non produci, si aliter obtinere posset bonum effectum quem intendit. Patet ex dictis ubi de fine, n. 150; qui enim pravum finem intendit, aut in eo complacet, eo ipso vult aliquod malum.

182. Quando quatuor præfatæ conditiones simul concurrunt, effectus malus indirecte tantum volitus agenti non imputatur; nam ille effectus, *quatenus malus*, *moraliter involuntarius* censeri debet, cum voluntas eum non intendat, neque in eo complaceat[1]. Agens malum quidem effectum prævidet ac permittit, seu tolerat, sed ob justam ac proportionatam causam, sicut Deus ipse malum tolerat propter rationes graves. Jamvero *bonum publicum* postulat ut actus, ceteroquin bonus aut indifferens, non prohibeatur propter effectum malum, si gravis adsit ratio eum ponendi, ut constat exemplis jam allatis aliisque in toto decursu operis afferendis.

§ II. De cooperatione ad actum malum[2].

183. **Status quæstionis.** (A) *Cooperari* in genere est *cum alio operari;* ideoque, si agatur de re malâ, cooperatio est *concursus præstitus actioni pravæ alterius.* Potest autem quis dupliciter alterius peccato cooperari : influendo in *ipsam voluntatem* consiliis, exemplis, adulationibus, etc. : quod genus cooperationis proprie dicitur *scandalum*, de quo agetur ubi de caritate; *juvando* alterum, jam ad peccandum

[1] Hâc de re agunt theologi plerique ubi de *caritate;* ita *S. Alphons.*, lib. III, n. 59-80; *Elbel-Bierbaum*, t. I, p. 11, n. 361-464; *Bouquillon*, De virt. theologicis, n. 545-555; cfr. *Waffelaert*, La coopération au mal, 2e éd., Bruges, 1892; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, XXIII, 1901, pp. 721, 785, 961, 1025, 1073 sq.

[2] " Nihil prohibet unius actûs esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est præter intentionem." (*S. Thom.*, 2. 2æ, q. 64, a. 7).

determinatum, *in perpetratione peccati :* et hæc est *proprie cooperatio*, de quâ aliquid dicendum habemus.

(B) Hæc autem cooperatio potest esse *intentionalis* seu *formalis*, vel *materialis* tantum : prior adest, quando cooperans *scienter et volenter* ad actionem concurrit, *quatenus mala est*, ideoque ejus malitiam vere intendit sive *explicite*, sive *implicite*, opus exercendo quod ad pravam actionem directe ordinatur, v. g. librum scribendo ac vendendo qui ex se ad corrumpendos mores ordinatur. Tunc enim sibi proponit finem malum, proindeque peccat[1], juxta principia superius tradita, n. 150. — *Materialis* est, quando concurrit ad actionem alterius, quatenus *physica* est, sine intentione cooperandi ad peccatum. Ita qui furi tradit claves domûs, quo facilius hic furari possit, *formaliter* et *culpabiliter* cooperatur; *materialiter* autem, si id facit, eo tantum fine ut proprium damnum vitet, v. g. mortem, nullomodo intendens furto cooperari. Hic non agitur de *formali* cooperatione, quæ evidenter *directe* mala est; sed solum de *materiali cooperatione*, quæ, ut patet ex notione traditâ, reincidit in casum *voluntarii indirecti*. Siquidem cooperans vult *directe* propriam utilitatem, v. g. vitam servare, et *indirecte* tantum vult actionem malam, v. g. furtum quod prævidet ex traditione clavis secuturum.

184. (C) Quæ quidem *materialis* cooperatio potest esse *immediata*, si quis partem habeat in *ipsâ actione pravâ*, juvando v. g. furem ad tollendam arcam in quâ continentur nummi alieni; aut *mediata*, si cooperans concurrat tantum ad illos actus qui ipsum peccatum præcedunt vel subsequuntur, v. g. ostium domûs furi aperiendo, ut ingredi vel exire valeat. — Iterum cooperatio mediata potest esse *plus minusve proxima*, prout ex naturâ suâ vel ex circumstantiis plus minusve connectitur cum peccato alterius; v. g. famulus qui feriâ sextâ coquit carnes, minus proxime cooperatur ad violationem legis abstinentiæ quam caupo qui easdem vescendas hospitibus præbet.

---

[1] Illud peccatum *duplicem* habet malitiam, alteram contra caritatem, proximum inducendo ad peccatum, alteram contra specialem virtutem quæ per cooperationem lædítur.

185. **Principia.** (A) *Qui materialiter tantum ac* **mediate,** *etiam proxime, in actione malâ cooperatur, non peccat, dummodo actus quem perficit non sit intrinsece malus, et aliunde proportionata habeatur ratio cooperandi.*

Qui enim hoc modo cooperatur, non vult effectum malum nisi *indirecte* et *permissive;* atqui, ex dictis supra, n. 175, id licet quando adest ratio proportionate gravis. — Aliunde, deficiente sufficienti ratione, peccato cooperari non licet, etiam materialiter; nam aliquid inordinatum invenitur in actu quo ad peccatum concurritur[1].

186. (B) *Cooperatio* **immediata** *non est semper ac necessario illicita, sed aliquando permittitur modo adsit ratio proportionate gravis.* Ita *probabilius.*

Id negant quidam theologi, cum *Billuart,*[2] quia immediata cooperatio est *intrinsece* mala; nonne enim qui furem adjuvat ad pecuniam alienam auferendam, et ipse furatur? — Quod tamen argumentum non valet in omnibus casibus. (a) Sumatur casus *furti*, de quo agit *Billuart;* si quis non possit vitare mortem nisi fures juvando in pecuniâ alienâ auferendâ, ablatio rei alienæ in his adjunctis non est *moraliter* furtum. Nemo enim tenetur, secluso speciali pacto, *propriam vitam* amittere ad tuenda *bona fortunæ alterius;* irrationabiliter enim invitus esset dominus rei ablatæ, si id exigeret, saltem quando cooperans ad rem custodiendam speciali pacto non obligatur. (b) Iterum quando quis sacramenta petit, ob gravem rationem, *a ministro indigno*, minime peccat, juxta communem theologorum sententiam, quamvis vere et immediate sit particeps actionis quâ peccat

[1] Quare ut *scandalosa* et in praxi *perniciosa* damnata est ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679, sequens propositio (51) : "Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur." (*Denzing.*, n. 1068; *Viva*, in hanc propos.) Cum enim in casu cooperatio sit *proxima*, requiritur ratio *valde gravis*, quæ deficit; nam famulus hic supponitur potuisse alium dominum invenire; debuisset saltem alium *quærere*, ne *multoties* cogeretur ad actionem pravam cooperari.

[2] *Billuart*, De Justitiâ, diss. VIII, art. 13, § 6.

minister; ratio est quia *tota malitia* actûs se tenet ex parte ministri, qui potest, si velit, statum gratiæ contritionis actu recuperare; ideoque cooperatio petentis in illis adjunctis, non est illicita.

Ergo dici nequit in omni casu immediatam cooperationem illicitam esse. — Attamen multi sunt casus, in quibus *immediata* cooperatio est peccatum; ita nunquam licet *immediate* participare in *injustâ occisione innocentis*, cum talis actio concrete sumpta sit intrinsece mala.

Res igitur dijudicanda est ex ipsâ naturâ actûs mali ad quem concurritur, aut ex circumstantiis; videlicet, si talis actus in concreto spectatus, ita intrinsece malus est, ut quis ejus perpetrationi physicæ cooperari nequeat, quin implicite saltem ejus malitiam intendat, illicita est cooperatio.

187. (C) Ad dijudicandum num ratio sit proportionate gravis, attendendum est *ad gravitatem peccati cui cooperatur, ad propinquitatem et influxum cooperationis, necnon ad obligationem impediendi peccatum.*

(a) *Ad gravitatem peccati :* quo *gravius* est peccatum ad quod aliquis cooperatur, eo *major* esse debet ratio excusans : ita major requiritur causa ut quis cooperetur ad homicidium quam ad furtum.

(b) *Ad propinquitatem cooperationis :* quo *magis proxima* est cooperatio, eo major requiritur ratio; ita cooperatio *remota* excusatur propter *leve* incommodum; *propinqua*, ob *grave* incommodum; *proxima*, ex causâ *valde gravi; immediata*, ex causâ *gravissimâ*. Sic qui *chartam* vendit editori pravos libros imprimenti, nonnisi *remote* cooperatur, et excusatur ex solo motivo lucrandi pecuniam; operarius, qui *machinas* movet, propinque cooperatur, nec excusatur nisi ob grave incommodum, v. g. amissionem notabilis lucri; qui vero *typos* collocat, proxime cooperatur, et non excusatur nisi ob causam valde gravem, v. g. maximam difficultatem inveniendi alium dominum.

188. (c) *Ad influxum cooperationis;* videlicet si cooperatio ita influit in effectum malum, ut, sine ipsâ, peccatum non fieret, major causa requiritur quam si peccatum committeretur, absque illâ cooperatione; v. g. minor requiritur ratio ad vendenda arma ei qui prævidetur eisdem abuturus,

si præsto sunt multi alii mercatores qui arma vendunt in hoc loco.

(d) *Ad obligationem impediendi peccatum;* ita si quis *ex officio* pietatis, ut pater, aut justitiæ, ut magistratus, aliquod peccatum impedire teneatur, multo major requiritur causa ut illud permittat.

De specialibus cooperationis casibus quoad religionem, caritatem, justitiam, temperantiam, etc. in decursu operis agemus.

Scholion : de actu indifferenti in individuo.

189. 1° **Status quæstionis.** Post dicta de moralitate actûs *directe* aut *indirecte voluntarii*, inquirendum manet num detur actus qui neque bonus, neque malus sit, sed *indifferens* respectu morum. De quo acriter in scholis disputatum est. — Ut certa ab incertis secernamus, pauca sunt prænotanda : —

(A) Actus humanus spectari potest *in specie*, seu *in abstracto*, vel in *individuo*, seu *in concreto :* priori modo consideratur, quando in suo *objecto* inspicitur, sepositis circumstantiis et fine operantis : ita *ambulare*, *comedere*, *ludere*, etc.; *in individuo* spectatur, quando non solum objectum, sed simul circumstantiæ et finis operantis inspiciuntur : ita comedere *moderate*, *ad vires renovandas et melius laborandum.* Jamvero omnes concedunt dari aliquos actus indifferentes *in specie*, saltem quando objectum inspicitur *in abstracto*, absque illis notis quæ objectivam moralitatem inducunt, puta *ambulare*, *ludere*, absque ullâ aliâ determinatione; hinc ait *S. Thomas*[1] *:* "Contingit autem quod objectum actûs non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terrâ, ire ad campum, et hujusmodi et tales actus secundum speciem suam sunt indifferentes."

190. (B) Hic agitur de merâ honestate *naturali;* nam, in ordine *supernaturali*, dantur actus qui *neque meritorii*, *neque demeritorii* seu peccaminosi, sunt : sic opera infidelium, vel eorum qui in peccato *mortali* versantur, non sunt vere meritoria, seu præmium æternum non merentur, quanquam

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 18, a. 8.

moraliter bona esse possunt (v. g. eleemosyna ex naturali affectu misericordiæ data).

(C) Insuper agitur de actibus *deliberatis*, id est cum cognitione et advertentiâ factis; omnes enim fatentur dari posse actus *indeliberatos etiam in individuo indifferentes :* hi enim non sunt vere humani, neque morales.

191. 2° **Doctrina S. Thomæ.** Quibus positis, *S. Thomas* (a) explicite docet *non dari actus deliberatos in individuo qui naturaliter sint indifferentes;* oportet enim quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam per quam trahatur ad bonum vel ad malum, ad minus ex parte intentionis. Nam actus a ratione deliberativâ procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, cujus est recte ordinare, et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem [1].

(b) *Non exigit* tamen, ad honestatem actûs, ut hic *explicite referatur in Deum*, sed solum ut intendatur illa naturalis bonitas quæ est rectæ rationi conformis. Jamvero opera *ex se* indifferentia sunt rationi *consentanea*, quando moderate fiunt, absque ullo excessu; nam *in medio stat virtus* [2]; quare bene agit qui comedit et bibit, *servato modo temperantiæ*, aut qui ludit ad recreationem, *servato modo eutrapeliæ*, quæ *medium* tenet in ludis, vel quiescit *ad reparandas vires* corporis [3]. Quare verba otiosa non reprehenduntur nisi quia *carent ratione justæ necessitatis aut piæ utilitatis :* " Quod enim fit propter justam necessitatem vel propter piam utilitatem, laudabiliter fit et est bonus actus[4]." Ita, v. g., si agatur de ludo aut conversatione, actus erit moraliter bonus, si hæc tria servantur: si delectatio non quæritur in operationibus vel verbis turpibus vel nocivis; nec totaliter gravitas animæ resolvitur, seu, aliis verbis, si

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 18, a. 9; cfr. Quæst. disp., de malo, q. 2, a. 5.
[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 64, a. 1.
[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 18, a. 9, ad 3; 2. 2æ, q. 168, a. 2-4; in 4 Sentent., dist. 49, q. 1. 5.
[4] *S. Thom.*, Quæst. disp., de malo, q. 2, a. 5.

moderate quis ludit aut fabulatur; — si recreatio congruit personæ, tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinatur [1].

(c) Opera *ex se indifferentia*, quando deliberate fiunt ab homine *justo* (i. e. qui in *statu gratiæ* versatur), non solum moraliter bona sunt, sed etiam *meritoria* præmii supernaturalis : " Contingit quandoque quod homo non ordinet aliquem actum in Deum, *cum tamen actus ille de se non contineat aliquam deordinationem* ratione cujus non sit in Deum referibilis, et quia mens hominis est habitualiter relata in Deum, actus ille non solum non est peccatum, sed etiam est actus meritorius." Ille enim qui gratiâ habituali fruitur, modo generali totam suam vitam in Deum ordinat, ideoque justi actus, qui præ se fert nihil inordinati, eo ipso in Deum tendit [2].

192. 3° **Opinio multorum Thomistarum.** Multi tamen *Thomistæ* ulterius progrediuntur, aut forsan modo explicatiori rem declarant, dicentes actum non esse bonum nisi in Deum referatur saltem *virtualiter* et *implicite : virtualiter*, id est, vi intentionis actualis, saltem generalis, antea habitæ et adhuc perseverantis; et *implicite*, quæ scilicet continetur in generali intentione recte vivendi et semper agendi secundum rationem [3]. Quod quidem probant ex duplici textu Scripturæ : (a) ex verbis Apostoli [4] : " Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite "; ibi enim, inquiunt, includitur præceptum omnes actus in Deum referendi, saltem virtualiter et implicite. (b) Præterea Christus ipse declaravit rationem reddendam esse de *omni verbo otioso* [5]; atqui verbum dicitur otiosum, non quia habet malum finem, sed quia non habet finem bonum et honestum. (c) Revera homo deliberate agens non potest agere nisi propter delectationem aut propter finem honestum : si *propter delectationem* agat et in eâ sistat, inordinate agit, cum delectabile subordinari debeat ut medium alicui fini ; si propter *finem honestum*, actio bona est, utpote implicite ad Deum ordinata.

193. 4° **Scotistarum opinio.** Scotistæ vero, post *S. Bonaventuram* [6], tenent dari posse *actus indifferentes in individuo*, ideoque vim præfatorum argumentorum elidere conantur.

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 168, a. 2.

[2] *S. Thom.*, Quæst. disp., de malo, q. 9, a. 2.

[3] Ita *Billuart*, diss. IV, art. 6. — [4] *I Cor.*, X, 31. — [5] *Matt.*, XII, 36.

[6] *Scotus*, in II lib. Sentent., dist. 40-41; *S. Bonaventura*, in l. II Sentent., dist. 41, a. 1, q. 3; *Vasquez*, in 1-2æ, disp. 52; *Arriaga*, De act. hum., disp. 21; *Henno*, Theologia, Coloniæ Agrippinæ, 1718, De Act. hum., disp. III, q. 6.

(a) Verba *S. Pauli* superius allata intelligunt de *consilio*, non autem de *præcepto;* aliunde, inquiunt, S. Paulus hic loquitur de caritate *supernaturali* et de *supernaturali* relatione actuum ad Deum, non autem de naturali eorum honestate.

(b) Quod *Christus* dicit de verbo *otioso*, intelligendum est non de verbo *mere otioso*, sed de verbo *mendaci* et *calumniatorio*, tum ex contextu, tum juxta multorum Patrum sententiam [1]; ergo exinde minime infertur homini incumbere obligationem omnes actus omniaque verba positive in Deum referendi.

(c) Neque hæc obligatio *ratione* probatur. Verum est quidem hominem esse rationalem, ideoque nil facere debere contra rationem; sed ex hoc minime sequitur ipsi officium incumbere *semper* suas actiones in finem honestum dirigendi; cum enim homo sit ex animâ et corpore compositus, ejusque natura sit spiritualis et corporalis, aliquando potest agere propter bonum corporale, seu propter delectationem, dummodo malum finem non appetat.

194. 5° Conclusio. (A) Cum *Angelico Doctore* putamus *per se non dari actus deliberatos moraliter indifferentes in individuo;* nam finis, quem homo deliberate operans intendit, vel aliquo modo subordinatur fini ultimo, vel non; si aliquomodo subordinatus sit, mediate vel immediate, implicite vel explicite, actus bonus est; si vero nullo modo, videlicet si quis *ultimo* quiescat in delectatione, actus est deordinatus, ac proinde malus [2].

(B) Attamen illis *Thomistis* non assentimur, qui tenent ad actum bonum requiri *positivam* relationem actûs in Deum, etiam virtualem et implicitam; censemus enim actus *ex se indifferentes*, qui non carent ratione justæ necessitatis aut veræ utilitatis, qui ceteroquin per excessum aut defectum *a medio* non recedunt, esse moraliter bonos, juxta principia ipsius *Doctoris Angelici* superius exposita, etsi ad ulteriorem finem honestum positive non referantur; nam hujusmodi actus in concreto spectati, sunt rationi conformes, proindeque veluti *proprio pondere* in Deum tendunt.

Per accidens autem dari possunt actus indifferentes in individuo, videlicet si sint indeliberati, aut fiant sine advertentiâ ad eorum moralitatem.

---

[1] Quos refert *Cornelius a Lapide* in h. loc.

[2] Quo sensu doctrinam *S. Thomæ* amplectuntur non solum Thomistæ, sed plerique alii theologi, ut *Suarez*, De bonit. et malit., disp. IX, sect. 3; *Costa Rossetti*, op. cit., th. 26, p. 84-90; *Meyer*, op. cit., t. I, n. 193; *Bouquillon*, n. 377; *Walsh*, n. 674-688; *Noldin*, n. 74.

NOTANDUM PRO PRAXI.

195. *In praxi* vero, etsi non constet de *præcepto* omnes actus ad Deum referendi, nihil magis ad spiritualem profectum expedit quam *sæpe* et *explicite* seipsum et *omnes suas cogitationes, affectiones, verba et opera in Deum referre, propter se dilectum.* Hæc est nobilior, utilior, securior ac compendiosior via ad perfectionem : " Quæ si serio et perseveranter servetur, hominem facile ac suavissime perductura est ad apicem perfectionis christianæ intra proprium uniuscujusque statum, et subinde ad sublimem ac præstantissimum gradum gloriæ; si autem non servetur, quamvis aliæ adhibeantur, vix potest mediocris profectus in vita spirituali obtineri [1]."



[1] Card. *De Aguirre*, S. Anselmi Theologia, t. III, tr. VII, disp. 130, n. 149 sq.

Caput iij.

DE MERITO ACTUS HUMANI[1].

196. **Prænotanda.** Ut supra dictum est, n. 8, finis ad quem tendimus *supernaturalis* est, et a nobis attingitur per modum *remunerationis*, n. 29. Non sufficit igitur *honeste* agere, sed actus *supernaturales* et *meritorios* elicere oportet.

Quando quis, actione liberâ et honestâ, alteri *indebitum emolumentum* affert, apud eum *mereri* dicitur, seu jus acquirit ad aliquam retributionem; ex adverso autem si quis libere et injuste aliquod *detrimentum* alteri infert, *demeretur*, seu obligationem incurrit aliquam pœnam subeundi. Attamen ut præmium possit *stricto* jure exigi, necesse est ut pactum aliquod implicite saltem ineatur, vi cujus unus e contrahentibus aliquod determinatum opus in gratiam alterius promittat, alter vero determinatum præmium spondeat in retributionem operis. Etsi enim actio bona et libera, in gratiam alterius peracta, *ex se* apta sit ad aliquod præmium consequendum, stricta obligatio illud conferendi, necnon hujus præmii natura, quantitas et qualitas minime *per se* determinantur; necesse est igitur ut pactum ineatur ad hæc determinanda.

Exinde quæritur num *homo* mereri possit *apud Deum*. Ratio dubitandi est quia, cum a Deo totum suum esse acceperit, nihil facere potest quod Deo non debeatur. Attamen, cum homo sit sui juris et libertate polleat, *aliquid sui* Deo præstare potest, liberum scilicet voluntatis actum (supra, n. 30); et, quanquam hæc libera submissio essentialiter debetur, Deus tamen optimus eam acceptare dignatur

---

[1] Hâc de re agunt theologi dogmatici in *Tr. de Gratiâ*, videlicet *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 114; *Suarez*, lib. XII, c. 2 sq.; *Salmant.*, disp. I-II, aliique quos recensemus in *Synopsi Th. Dogmat.*, De Gratiâ, n. 184-204.

tanquam præmio dignam, et immarcessibilem gloriæ coronam promittit iis omnibus qui libere bonum operantur. Quâ positâ promissione, jus acquirimus ad retributionem, non quidem ex pacto explicito, sed ex *fidelitate*, quâ Deus sua promissa semper adimplet. — Quia vero ad statum supernaturalem evecti sumus, non de naturali retributione, sed de merito supernaturali hic agemus, exponentes ejus *naturam*, necnon *conditiones* requisitas ad meritum ex parte *operantis*, *operis* et *Dei*.

I. Natura supernaturalis meriti.

197. 1° **Notio.** Actus *meritorii* a *supernaturalibus* distinguuntur in eo quod plures conditiones ad meritum proprie dictum requiruntur quam ad supernaturale.

Supernaturales dicuntur omnes honesti actus qui *a principio supernaturali* procedunt (i. e. a facultate per *gratiam* sive habitualem sive actualem elevatâ), simulque *ex motivo per revelationem cognito* eliciuntur [1] : hinc quidam infidelium actus, quibus se præparant ad justificationem, supernaturales sunt, quin sint tamen proprie meritorii, ex dicendis.

Actus autem *meritorius* est *opus bonum et supernaturale propter Deum factum, ex quo, positâ divinâ ordinatione, oritur jus ad supernaturalem retributionem.*

Dicitur (a) opus *bonum et supernaturale*, ut sic distinguatur a merito *naturali* quo quis præmium mere naturale consequi potest; ita *infidelis*, honeste agendo, aliquam mercedem naturalem obtinere potest. Opus autem meritorium debet esse supernaturale tum ratione *principii*, quatenus fit sub influxu gratiæ, tum *probabilius* ratione *finis*, quatenus fit implicite saltem propter finem supernaturalem, ut infra declarabitur. (b) *Propter Deum;* si enim aliquod opus propter Deum non fiat, nulla est ratio cur retributio ab ipso exspectetur. (c) Ex quo oritur *jus...;* in hoc consistit essentia me-

[1] Quidam theologi, cum *Noldin* (n. 79-80), asserunt priorem sufficere conditionem, nec requiri ut motivum sit supernaturale; nam, quando radix et principium actûs est quid supernaturale, etiam fructus vel effectus supernaturalis esse debet. Alii tamen *communius* illam sententiam rejiciunt; cum enim actus ab objecto formali specificentur, opera supernaturalia a naturalibus differunt ratione objecti formalis, seu motivi. — Ad componendam litem, forsan dici posset actum, sub influxu gratiæ actualis elicitum, jam *inchoative* esse supernaturalem, sed non fieri *totaliter* supernaturalem, nisi accedente motivo fide cognito.

riti, et distinguitur ab *impetratione;* siquidem meritum dat jus quoddam ad retributionem, dum impetratio non dat jus, sed favorem obtinet ex merâ misericordiâ. (d) Attamen additur, *positâ divinâ ordinatione;* nisi enim Deus voluisset nobis dare supernaturalem retributionem propter bona opera nostra, nullum jus ad illam haberemus : omne quod habemus vel facimus a Deo est et Deo debetur, nec proinde ullum jus strictum habere possumus relative ad Deum, nisi ipse tale jus nobis conferat. (e) Ad *supernaturalem retributionem;* in hoc distinguitur meritum a *satisfactione;* satisfactio enim compensat injuriam Deo illatam, dum meritum ad præmium obtinendum ordinatur[1].

198. 2° **Species.** Duplex meritum distingui solet : (a) meritum de *condigno* illud est cui debetur præmium ex *justitiâ*, vel saltem ex *fidelitate :* ex justitiâ, quando opus *ex se* adæquat præmium; ex fidelitate, quando adest *promissio*, vi cujus præmium, etsi excedens opus, infallibiliter tamen conceditur. Meritum de condigno est verum meritum seu meritum simpliciter et proprie dictum, ideoque theologi de illo loqui intendunt quotiescumque aliud expresse non significant.

(b) Meritum de *congruo* illud est cui debetur præmium non ex justitiâ, aut fidelitate, sed *ex merâ decentiâ.* — Ad explicandam differentiam inter utrumque, quidam theologi hâc utuntur comparatione : miles qui valde strenue se gessit in bello, duplex habet meritum : meretur de condigno stipendium militantibus promissum; meretur autem de congruo, præter ordinarium stipendium, ut ad aliquam dignitatem promoveatur.

In *Tr. de Gratiâ* (n. 193-204), probatur hominem justificatum, id est in statu gratiæ versantem, vere mereri posse augmentum gratiæ et vitam æternam; hic igitur sufficiet

[1] Triplex igitur valor operibus nostris inesse potest : *impetratorius*, qui ex *petitione* oritur debitis vestitâ conditionibus, et partim *misericordiâ* Dei, partim ejus promissionibus fundatur; *meritorius*, qui oritur ex ipso opere supernaturali propter Deum facto, et partim *justitiâ*, partim *promissione* divinâ fundatur; *satisfactorius*, quatenus est opus *pœnale*, quod a Deo accipitur ut compensatio injuriæ Ipsi illatæ. In oratione *justi* triplex hujusmodi valor inveniri potest : quatenus decentia a Deo postulat, eadem *impetrare* potest; quatenus opus supernaturale Deo acceptabile perficit, gratiam *mereri* potest; quatenus vero opus difficile et laboriosum agit, pro peccatis suis *satisfacit.*

exponere conditiones ad meritum requisitas, præsertim vero conditiones requisitas ad meritum *de condigno;* nam conditiones ad meritum de congruo eædem sunt, duabus exceptis, scilicet statu gratiæ et promissione Dei, quæ non requiruntur ad meritum de congruo. — Hujusmodi conditiones sumuntur : 1° ex parte *operantis;* 2° ex parte *operis;* 3° ex parte *Dei.*

II. Conditiones ad meritum ex parte operantis.

199. Ad meritum *de condigno*, duo requiruntur : *status viæ* et *status gratiæ.*

1° **Status viæ.** (A) Deus siquidem *voluit* ut homo vitam æternam *mereretur* dum esset in terrâ degens, seu in statu probationis. (a) Id sane probant illi Scripturæ textus in quibus *Prophetæ, Christus* et *Apostoli* hortantur fideles ut, dum vivunt, bonum operentur, et ita sese præparent ad judicium, seu ad Christi adventum; siquidem, ut ait *S. Paulus*[1], " omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque *propria corporis*," id est ea quæ in corpore, seu durante vitâ mortali, peracta sunt. Hæc enim supponunt post mortem non dari pœnitentiæ aut merito locum. (b) Quod quidem confirmatur non solum ex *unanimi consensu Patrum ac theologorum* omnium scholarum, qui id docuerunt et docent ut unam e primariis christianis veritatibus; sed etiam ex *intimâ persuasione omnium fidelium*, qui ideo bene agere in præsenti vitâ aut cum Deo ante mortem reconciliari volunt, quia credunt post mortem nullam esse redemptionem. Quare dici potest hanc veritatem *ordinario et infallibili Ecclesiæ magisterio* implicite definitam fuisse.

(B) Id vero *decere* ratio ostendit. Necesse est enim ut tempus probationis, per quod homo mereri vel demereri potest, finem accipiat; atqui omnino convenit ut illud tempus finem accipiat in puncto mortis : quamdiu enim anima est conjuncta corpori corruptibili, ex unâ parte non est capax visionis beatificæ, et ex alterâ est in statu aptissimo ad merendum, quia corpore uti potest ad perfectionem

[1] *II Cor.*, V, 10.

acquirendam, et in miseriis hujus vitæ ampliores invenire opportunitates ad merendum; ergo. Fatemur tamen illud argumentum esse solum argumentum *convenientiæ*, quia tempus probationis ex solâ voluntate Dei pendet.

200. *Requiritur insuper status gratiæ sanctificantis.* Certum est : (a) *Script.* Dicit enim *Christus :* "Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis" [1]; atqui nemo manet in Christo nisi per gratiam habitualem; ergo. Item *S. Paulus* [2]: "Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.... caritatem autem (ac proinde gratiam habitualem) non habuero, nihil mihi prodest".

(b) *Trad.* Ex decreto *Trident.*, in quo declaratur *hominis justificati* opera vere mereri [3]; homo enim justificatus dicitur qui gratiâ habituali ornatur; et ex damnatione propositionis *Baii* negantis gratiam sanctificantem esse necessariam ad meritum [4].

(c) *Rat. theol.* Repugnat sane aliquem mereri de condigno apud Deum, quando aliunde est inimicus Dei, et dignus pœnâ æternâ; atqui peccator, nondum justificatus, est Deo odibilis, et pœnâ æternâ dignus; ergo, non potest eodem tempore vitam æternam mereri. — Insuper quædam proportio inter opus et præmium esse debet; præmium autem de quo agitur, est intra ordinem filiationis supernaturalis; ergo in tantum vitæ æternæ heredes esse possumus in quantum filii Dei adoptivi sumus, "si filii, et heredes [5]"; atqui nonnisi per gratiam habitualem filii Dei adoptivi efficimur; ergo nonnisi per hanc gratiam meremur [6].

III. Conditiones ex parte operis.

201. Tres sunt : opus videlicet debet esse *liberum, honestum* et *supernaturale.* 1° *Opus meritorium debet esse liberum, tum a coactione tum a necessitate. De fide* est contra

---

[1] *Joan.*, XV, 4. — [2] *I Cor.*, XIII, 3.

[3] "Si quis dixerit hominis justificati bona opera... non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ... consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; A. S." (*Trid.*, sess. VI can. 32).

[4] Ap. *Denzinger*, n. 895; cfr. nn. 882, 892.

[5] *Rom.*, VIII, 17. — [6] *S. Thom.*, 1. 2., q. 114, a. 3.

Jansenianos. Nam sequens propositio *ut hæretica* damnata est : " Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione [1]." Et revera nemo remuneratur aut punitur nisi sit dominus actuum suorum; atqui homo non est dominus suorum actuum nisi sit vere et intrinsece liber. — Hoc tamen non impedit quin opera præcepta meritoria esse possint; nam Deus, pro bonitate suâ, mercedem etiam illis operibus *præceptis* promisit; ita v. g. dilectio inimicorum præcipitur, et est tamen opus valde meritorium, juxta illud : " Diligite inimicos vestros.... et erit merces vestra multa [2] "; imo, præceptum, ceteris paribus, auget meritum, operi addendo meritum obedientiæ.

202. 2° *Insuper debet esse honestum, seu naturaliter bonum, ex parte objecti, finis, et circumstantiarum;* nam malum opus non potest evidenter remunerari, sed e contra est pœnâ dignum; opus autem indifferens, si aliquod sit in individuo, ex se nihil meretur aut demeretur; ergo solum opus bonum remunerari potest. Attamen opus *ex se* indifferens, bonum reddi potest per intentionem supernaturalem; imo opus materialiter malum potest, juxta communem sententiam, fieri bonum et meritorium, si sit honestum in mente agentis : Deus enim intuetur cor.

203. 3° *Supernaturale* (a) ratione *principii*, eo sensu quod fieri debeat sub *influxu gratiæ;* quod ab omnibus admittitur. Sed quænam gratia requiritur? Quidam theologi, antiqui et moderni [3], dixerunt gratiam habitualem sufficere, absque gratiâ actuali, quia actus sub influxu gratiæ habitualis et virtutum infusarum elicitus, satis jam supernaturalis est ratione principii. — Communis tamen sententia est requiri gratiam actualem; nam Christus Apostolis, jam gratiâ sanctificante ornatis, dixit : " Sine me nihil potestis facere " [4]; quæ quidem verba non solum de gratiâ habituali,

[1] Ap. *Denzing.*, n. 968. — Status *naturæ lapsæ* ille est in quo versatur post originale peccatum; cfr. *De Deo Creante*, n. 197-200.

[2] *Luc.*, VI, 35.

[3] Ita *D. Soto*, De nat. et grat., l. III, c. 4; *Terrien*, La Grâce et la Gloire, Paris, 1897, t. II, 56-62.

[4] *Joan.*, XV, 5.

sed etiam de gratiâ actuali interpretantur a Patribus. Huc etiam veniunt omnes textus in *Tr. de Gratiâ* (n. 50-60) allati, ex quibus constat hominem etiam justum nil facere posse in ordine supernaturali sine actuali gratiâ. Item *Tridentinum* declarat opera justorum non esse meritoria sine virtute Christi quæ illa antecedit, comitatur, et subsequitur; atqui gratia antecedens, comitans etc. est gratia actualis [1]. — Cæteroquin illa gratia hominibus bonæ voluntatis nunquam deest.

(b) Ratione *finis* seu motivi, juxta *communem* sententiam, eo sensu quod fieri debeat non ex motivo humano, sed cum relatione saltem implicitâ ad Deum aut ad vitam æternam, juxta illud: "Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem" [2]: idem probant omnia loca ubi dicitur nos propter Deum agere debere.

Imo, juxta *Thomistas*, requiritur ut opus illud sub influxu *caritatis* fiat; sufficit tamen *virtualis* influxus, qui permanet quamdiu actus caritatis, erga Deum semel elicitus, non fuit retractatus. Sic enim arguunt [3]: ut actus alicujus virtutis sit vitæ æternæ meritorius, debet a gratiâ habituali procedere; sed a gratiâ nullus actus procedit nisi mediante caritate: nam omnis motus et influxus gratiæ in Deum finem ultimum supernaturalem tendit; ergo nullus actus vitæ æternæ meritorius esse potest quin caritate virtualiter saltem referatur in Deum finem ultimum supernaturalem. — Quod tamen a theologis non paucis negatur, præsertim *Suarez* et *Vasquez* [4]; nam, teste Scripturâ, vita æterna non solum caritatis actibus, sed etiam aliis supernaturalibus promittitur operibus, videlicet obedientiæ, paupertati, mansuetudini, ceterisque bonis operibus in genere [5]. Aliunde quodlibet opus supernaturale, in statu gratiæ peractum, sufficientem proportionem habet cum vitâ æternâ. Et hæc videtur esse mens *S. Thomæ*, qui sæpe docet omnem actum *honestum*, ab eo peractum qui versatur in *statu gratiæ* atque elicit caritatis actum quoties id præcipitur, esse *meritorium*, quia *habitualiter* et *implicite* ad Deum refertur (supra, n. 191) [6]. — Controversia est magis in modo concipiendi quam in re ipsâ; nam Thomistæ tenent omnes actus ab eo elicitos qui habet caritatem, seu est in statu gratiæ, *virtualiter*

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 16. — [2] *Coloss.*, III, 23.
[3] *Salmantic.*, disp. IV, n. 7.
[4] *Suarez*, lib., XII, c. 9-10; *Vasquez*, t. 2., disp. 127.
[5] *Marc.*, III, 35; *Matt.*, V, 3-6; *Rom.*, II, 6; *I Tim.*, VI, 17.
[6] *S. Thom.*, de Malo, q. 2, a. 5; de Carit., q. un. a. 11, ad 2.

fieri sub influxu caritatis, ac esse meritorios, nisi id impediatur per aliquam inordinationem actûs. Aliunde melius est, juxta omnes, sæpe actiones nostras ex motivo caritatis Deo offerre : sic enim valde augetur meritum.

IV. Conditiones ex parte Dei.

204. Ut opera nostra sint vere meritoria requiritur *positiva Dei ordinatio.* Nam per meritum *de condigno* verum acquirimus *jus* ad præmium; atqui creatura nullum jus strictum acquirere potest erga Deum, nisi suppositâ aliquâ Dei positivâ ordinatione : omnes enim actus nostri jam Deo debentur multiplici titulo dependentiæ, gratitudinis etc.; hinc, juxta *Tridentinum*, vita æterna est " tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis justorum operibus reddenda [1] ". Aliunde opera nostra, etiam supernaturalia, *ex se* non adæquant præmium nobis concessum, videlicet visionem beatificam; ideoque meritum nostrum non est ex *merâ justitiâ*, sed partim ex justitiâ et partim ex fidelitate.

Quod quidem illustrari potest comparatione : si quis operarius sponte suâ in agro extraneæ personæ laboraverit, quin ab eo conductus fuerit, strictum jus ad mercedem non habebit; si autem hoc ex pacto fecerit, ad præmium jus strictum habebit. Ita et nos, dum in vineâ Domini laboramus, jus habere nequimus ad præmium *supernaturale*, nisi Deus prius nos miserit in vineam suam, mercedemque tali labori adnexam esse declaraverit. Convenit tamen Deum ita agere, quia dignus est operarius mercede suâ, et decet ut virtus felicitatem consequatur.

205. Corollarium. Ex hoc intelligi datur quænam circumstantiæ meritum augere possint : 1° major *excellentia* ipsius actûs, quæ desumitur tum ex *objecto formaliter sumpto;* v. g. actus caritatis objective melior est actu humilitatis; tum ex *quantitate* operis, v. g., in casu eleemosynæ; tum ex ejus *difficultate :* sic magis meritorium est gravi quam levi tentationi resistere; 2° *finis*, seu *intentio* operantis; sic magis meretur qui ex motivo caritatis quam qui ex motivo spei aut timoris agit; 3° *major intensitas*, seu fervor, in eo consistens quod totis viribus, corde magno et animo volenti agimus; pariter *constantia* in operando, quæ majorem magisque assiduum supponit conatum; 4° *intimior con-*

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 16.

junctio cum Christo; nam qui se intimius cum eo unitum servat, ab illo majorem merendi virtutem derivat; ipse est enim omnium meritorum fons et origo; et qui ipsi conjunguntur multum fructum afferunt, secundum ipsius Christi verba[1]: "*Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.*"

Libere igitur, *honeste* ac *meritorie* agamus, per Christum, et cum Christo et in Christo; et opera nostra vere erunt *æternæ vitæ semina.*

[1] *Joan*, XV, 5.

De Legibus.

206. Actus humani ad finem ultimum tendere nequeunt nisi conformes sint *normæ moralitatis*, quæ, ex superius dictis, n. 25, duplex est, videlicet *Deus*, supremum bonum et finis ultimus, necnon *natura rationalis* hominis. De priori nunc agendum est. Deus est *ultima* mòralitatis norma; infallibiliter enim videt quid sit bonum et quomodo actiones humanæ ad finem ultimum ordinari valeant; insuper, vi supremi sui dominii, imperat quidquid necessarium judicat ad consecutionem finis nostri. Hæc autem ordinatio nobis manifestatur per *leges*, quibus mens voluntasque divina significatur. Jamvero, inter leges, aliæ sunt *divinæ*, quia *directe* et *immediate* a voluntate divinâ dimanant, aliæ vero *humanæ*, quia directe ab auctoritate humanâ dimanant, sive ecclesiasticâ sive civili. Attamen etiam leges humanæ, quando justæ sunt, a Deo *mediate* procedunt, cum Deus ipse legitimis superioribus potestatem leges condendi tradiderit: "*Non est enim potestas nisi a Deo*[1]." — Ex quo sequitur actus humanos *legibus conformes* esse debere, ut nos ad finem ultimum perducant. — Dicemus igitur :

I. De conceptu legis *in genere;*

II. De lege *divinâ;*

III. De lege humanâ *ecclesiasticâ;*

IV. De lege humanâ *civili.*

[1] *Rom.*, XIII, 1.

Art. I. De conceptu legis in genere[1].

I. Notio.

207. 1° Lex a *S. Thomâ* definitur : "*quædam rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.*"

Dicitur : — (a) *Ordinatio*, seu norma vel regula, vi cujus actus subditorum ordinantur ad finem debitum; (b) *rationis*, quia ad rationem pertinet *finem* cognoscere, *mediaque* ad hunc finem attingendum proportionata; rationi tamen accedit *voluntas*, ad imperandum quod ratio *æquum* judicavit; ex quo patet normam quæ *justa non est*, non posse vere dici legem, quia non est ordinatio rationis. (c) *Ad bonum commune*, proindeque *non ad malum :* tunc enim non esset ordinatio neque lex, sed tyrannica oppressio; ad bonum *commune, non* autem *particulare* alicujus privati vel aliquot membrorum societatis : alioquin esset *præceptum*, non lex; quod quidem bonum potest esse spirituale, aut temporale, vel utrumque, et ad ultimum finem mediate saltem et implicite tendit; (d) *ab eo qui curam habet communitatis :* non enim quilibet talem ordinationem *authentice præcipere* potest, sed solum qui communitati præest, id est, Deus ipse, et ii quibus Deus commisit potestatem regendi societatem; (e) *promulgata*, seu authentice divulgata et imposita a Principe, vel ejus nomine et auctoritate; ut enim regula possit esse utilis, applicari debet subdito; applicari autem nequit nisi cognoscatur, et cognitio fit per promulgationem.

2° Quæ quidem definitio ut *magistralis* merito habetur. Attamen in eâ non explicite declaratur *obligatio* quam lex imponit, quia S. Doctor jam antea (a. 1) statuerat legem esse *regulam*, quæ *obligat* ad agendum. Facile igitur definitio compleri potest, his verbis : " et *subditos obligans ad aliquid faciendum vel omittendum.*" Et ita lex a consilio distinguitur.

208. Juxta *S. Thomam*[2], lex obligationem imponit quadruplici modo, videlicet *præcipiendo, vetando, permittendo, puniendo : imperat* siquidem quosdam actus virtutum; *prohibet* actus malos; *permittit* eos qui indifferentes sunt, et ex hac permissione sequitur obligatio non impediendi ne alii illos actus perficiant; *punit* transgressores legis, ideoque judici-

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 90-93; *Suarez*, de Legibus, lib. I et lib. II, c. 1-4; *Salmant.*, Tr. XI, De Legibus, c. 1; *Billuart*, De Legibus, diss. 1-11; *Bouquillon*, n. 53-64; *Haine*, t. I, de Legibus, q. 1-4; *Ball. P.*, 1, n. 236-239; *Bautain*. Philosophie des Lois, Paris, 1860, ch. I-II; *Didiot*, n. 588-607; *Farges*, op. cit., p. 252-265.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 92, a. 2.

bus imponit obligationem pœnam infligendi, et subditis obligationem pœnam subeundi; quandoque etiam *irritat* actum, eum *invalidum* reddens, ut efficacius eumdem prohibeat.

II. Discrimen legis a præcepto.

209. Præceptum *particulare* a lege differt: — (a) Ratione *subjecti*, cui obligatio imponitur: præceptum siquidem *uni* vel pluribus *personis privatis* imponitur, ob bonum *particulare;* lex *toti societati* aut communitati, et quidem in bonum *commune.* (b) Ratione *auctoris:* ad legem ferendam requiritur auctoritas *publica* et jurisdictio in aliquam communitatem; ad præceptum sufficit auctoritas *privata*, v. g. auctoritas parentum in filios, viri in uxorem, domini in famulos. (c) Ratione *durationis:* præceptum, cum in bonum privatorum injungatur, morte eorum quibus impositum est perit, nec proinde est *ex se* perpetuum; dum lex, quæ in bonum societatis fertur, ex naturâ suâ nata est durare; potest quidem abrogari, sed *ex se* non perit, legislatoris aut primorum subditorum morte: tamdiu durat quamdiu explicite aut implicite revocata non fuerit. Si ergo legislator effectum legis ad determinatum tempus restringat, non est proprie lex, sed præceptum. (d) *Ratione loci:* cum lex detur communitati, directe afficit *territorium*, nec proinde subditos obligat qui extra territorium legitime versantur; præceptum vero, cum ad *subditos* dirigatur, directe eos afficit, eosque obligat, etiamsi e finibus territorii Principis egrediantur: est quid *personale*, personisque adhæret quocumque vadunt.

Notandum est tamen quandoque, apud auctores, nomina *legis*, *præcepti* aut *statuti* indiscriminatim sumi, ita ut nonnisi ex contextu et variis adjunctis sensus determinari possit.

III. Discrimen inter legem æternam et legem proprie dictam.

210. 1° Lex æterna, juxta *S. Thomam*[1], est "ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et

[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 93, a. 1. — Legem æternam, de quâ pagani nonnisi obscura locuti sunt, Scripturæ describunt nomine præsertim *sapientiæ* aut *sermonis* Dei: *Job.*, XXXVIII-XXXIX; *Prov.*, VIII-IX; *Sap.*, VI-XII; *Ps.* CXVIII. Cfr. *Corluy*, La sagesse dans l'Anc. Testament, *Congrès scient. catholique*, 1888, t. 1, p. 61-91.

motionum." Videlicet Deus ab æterno decrevit creaturas ex nihilo condere, easque, secundum infinitam suam sapientiam, ad finem ordinare et dirigere. Has autem dirigere voluit secundum propriam cujusque naturam : *inanimatas*, per vires et proprietates ipsis impressas; *sensibiles*, per instinctus et tendentias iisdem inditas; *intellectuales*, per illuminationem intellectûs, et motionem quâ voluntatem dirigit, quin ejus libertatem lædat. Jamvero *illa omnium rerum in finem ultimum ordinatio*, prout *in mente divinâ* ab æterno existens consideratur, vocatur *lex æterna*. Ejus existentia logice infertur ex dogmatibus *creationis* et *providentiæ*.

Lex quidem dici potest *lato sensu*, quatenus est ordinatio rationis, in bonum commune, ab eo volita qui curam communitatis habet; sed non est lex *stricto sensu* superius exposito; ab æterno enim *deest communitas* cui illa ordinatio imponatur, deest pariter *promulgatio*[1]. Ex hoc capite jam differt lex æterna a ceteris legibus : non est enim proprie lex, sed fons omnium legum.

211. 2° Leges proprie dictæ a lege æternâ derivantur, quatenus nobis manifestant hanc ordinationem quæ ab initio in mente divinâ existit. Quod quidem patet quoad leges *divinas*, quæ Dei voluntatem nobis significant. Leges autem *humanæ* ab æternâ triplici ratione derivantur : (a) tanquam a causâ *exemplari*, quia leges, ut sint justæ, legi æternæ conformes esse debent; (b) tanquam a causâ *efficiente*, quatenus omnis potestas legislativa a Deo promanat; (c) tanquam a causâ *dirigente*, eo sensu quod ratio divina, mediante lumine rationis aut fidei, dirigit legislatores ut videant quæ et quando leges sint instituendæ pro diversitate personarum, temporum, locorum et circumstantiarum. Quare divina Sapientia merito ait : "Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam[2]."

[1] Non enim vocari potest *vera promulgatio* ea quæ, juxta *Billuart*, fit per Verbum æternum et librum vitæ ab æterno scriptum; hic enim, ni fallimur, est modus loquendi metaphoricus.

[2] *Prov.*, VIII, 15-16.

Art. II. De lege divina.

212. Lex divina duplex est : *naturalis*, quæ in ipsa rerum *naturâ* fundatur, a Deo necessario fertur, et promulgatur in *conscientiâ* humanâ; *positiva*, quæ *libere* a Deo fertur variisque externis modis promulgatur : de utrâque seorsim dicendum.

§ I. De lege divina naturali[1].

Hic nonnisi magis generalia tradimus, cum varia legis naturalis præcepta in decursu operis sint exponenda. Quare dicemus : 1° de *conceptu* et *existentiâ* legis naturalis; 2° de ejus *objecto* et *indole*; 3° de ejus *promulgatione* et *cognitione*.

I. De conceptu et existentiâ legis naturalis.

1° *De conceptu legis naturalis.*

213. **(A) Notio.** (a) Lex naturalis, juxta *S. Thomam*[2], "nihil aliud est quam *participatio legis æternæ in rationali creaturâ.*" Deus siquidem ab æterno cognoscit et ordinat quidquid naturæ cujuslibet entis consentaneum est, et illa ordinatio, ex dictis supra n. 210, vocatur lex æterna. In tempore vero creaturas rationales condidit, iisque manifestavit hanc legem æternam. Porro lex naturalis nihil aliud est nisi *manifestatio* seu *promulgatio legis æternæ* in rationalis creaturæ conscientiâ. Potest igitur definiri : *divina ordinatio creaturæ rationalis in finem ultimum, in ipsâ naturâ fundata, et naturali lumine percepta.*

Naturalis dicitur ex duplici ratione : quia videlicet non amplectitur nisi præcepta quæ in ipsâ *rerum naturâ* fundantur, et insuper *naturali* lumine cognoscitur. Ita distinguitur a lege Dei *positivâ*, quæ versatur circa res, non *ex se*, sed ex *voluntate Dei*, ad finem ultimum consequendum necessarias, et nonnisi *revelatione* innotescit.

Lex igitur naturalis ea omnia *præcipit* quæ naturâ suâ

---

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 94; *Suarez*, De legibus, lib. II, c. 5-17; *Gonet*, Clypeus Theol. thomisticæ, tr. VI, disp. 3; *Billuart*, diss. II., art. 2-4; *Müller*, t. I, § 30-35; *Meyer*, t. I, n. 242-286; *Bouquillon*, n. 65-83; *Noldin*, n. 91-95; *Bautain*, op. cit., ch. 3-6, p. 46-129; *Didiot*, op. cit., n. 736-760.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 91, a. 2.

honesta sunt et ad finem ultimum necessaria; *prohibet* vero ea omnia quæ *naturâ suâ* mala sunt. Hinc ab *Augustino* ita describitur[1]: "Lex vero æterna est ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans."

214. (b) Proinde lex naturalis *non est sola Dei voluntas libera*, ut aiebant *Nominalistæ:* non enim ideo actiones bonæ vel malæ sunt, quia a Deo præcipiuntur vel prohibentur, sed ideo præcipiuntur vel prohibentur quia ratio divina, quæ falli nequit, videt eas esse bonas vel malas (supra, n. 22).

Neque est *dictamen rationis humanæ practicæ*, aut *imperativum categoricum voluntatis autonomæ;* nam ratio humana non est regula obligans, sed solum obligationem exhibens et manifestans (supra, n. 26); voluntas autem humana non est autonoma, sed essentialiter a Deo pendet.

2° *De existentiâ legis naturalis.*

215. Legem aliquam naturalem existere sensu superius exposito, ii omnes admittunt qui Dei existentiam et providentiam agnoscunt; eam vero rejiciunt *athei*, *positivistæ* et *evolutionistæ*, quorum systemata jam exposuimus, n. 34-42.— *Traditionalistæ* admittunt quidem existentiam legis naturalis, sed asserunt eam, in præsenti hominis lapsi statu, nonnisi *supernaturali* fidei aut traditionis lumine nobis innotescere.

Thesis: *Agnoscenda est lex moralis quæ merito naturalis dicitur, quia naturæ indita est a Deo, et naturali rationis lumine, saltem quoad primaria principia, cognosci potest.* — De fide est existere legem naturalem, cum id clare doceat magisterium ordinarium Ecclesiæ; certum est hanc legem naturaliter cognosci posse.

216. (A) *Auctoritate* probatur. *S. Paulus*, postquam Judæos redarguerat qui, non obstante lege Dei positivâ, graviter peccaverant, de Gentibus, quæ revelationem non acceperant, scribit: "Cum enim gentes, quæ legem (mosaicam) non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt *opus legis scriptum in cordibus suis*, testimonium reddente illis *conscientiâ* ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus

[1] *S. August.*, Contra Faustum, l. XXII, c. 27, P. L., XLII, 418.

occulta hominum, secundum evangelium meum, per Jesum Christum [1]." Jamvero (a) ibi declaratur gentiles, qui lege *mosaicâ* carebant, quædam tamen legis *naturalis* præcepta servavisse, quia videlicet hujusmodi lex in ipsorum cordibus scripta erat, ejusque observationem urgebat conscientia malum reprobans bonumque approbans; quæ quidem lex non erat mere humana, sed *divina*, cum, juxta illam, Deus gentiles judicaturus sit. (b) Insuper Apostolus minime docet hanc legem *traditione* notam fuisse, sed ratione naturali, cum scripta sit in corde atque conscientiæ testimonio firmetur.

217. Quam *Pauli* doctrinam Patres confirmârunt; ita *Tertullianus* ait [2]: "Quæris igitur Dei legem? habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare... ut cum *ad Romanos* naturâ facere dicens nationes ea quæ sunt legis, et *legem naturalem* suggerit et naturam legalem." — Iidem pariter docent hanc legem esse *inscriptam in cordibus* digito Dei, innatam, insertam, implantatam, ideoque humano ingenio naturaliter cognosci; ita *S. Ambrosius* [3]: "Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur; nec aliquâ percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur." Nec aliter *Chrysostomus* [4]: "Ab initio Deus hominem formans, *legem ipsi naturalem indidit.* Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis impressit, et a naturâ inditam esse voluit bonorum et contrariorum scientiam." — Quod breviter contrahit *Leo XIII*: "Talis est princeps omnium *lex naturalis* quæ scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere jubens et peccare vetans [5]."

218. (B) Idem *psychologice* et *historice* constat. (a) Intimo enim conscientiæ testimonio novimus quasdam esse actiones ex se bonas, aliasque pravas (supra, n. 22), — has esse vitandas, illas autem esse faciendas, eas saltem quæ ut necessariæ et a supremâ auctoritate præceptæ apprehenduntur, — ita ut qui huic mandato paret animi pacem assequatur, dum qui idem prætergreditur conscientiæ stimulis agitatur. Porro hæc omnia supponunt aliquam existere legem naturalem, in cujusque conscientiâ promulgatam, cui

[1] *Rom.*, II, 14-16. — Quem textum de *paganis* intelligendum esse probavimus *De Gratiâ*, n. 35, not. 10.

[2] *Tertul.*, De coronâ, VI, ap. *Migne*, P. L., II, 83.

[3] *S. Ambros.*, Epist. 73, n. 3, *Migne*, P. L., XVI, 1251.

[4] *S. Chrysost.*, homil. XII, de statuis, *Migne*, P. G., XLIX, 131.

[5] Encycl. *Præstantissimum*, 20 Jun. 1888.

obedire tenemur, et quidem *universalem* et *absolutam :* hæc enim *omnibus* et *inconditionate* quorumdam officiorum adimpletionem imperat *auctoritative*, independenter a quâlibet lege civili [1].

(b) Cujusque intima experientia haud parum firmatur *unanimi populorum consensu*, qui, etsi de nonnullis moralibus præceptis diverse sentiant, consentiunt tamen in admittendo morali discrimine inter bonum et malum; — tenent legem aliquam esse quæ non a regibus, nec a plebis senatûsve placitis oritur, sed ab ipsâ *naturâ* aut *divino numine;* — ejus violatores sollicitudinibus vexari, etiam quando humana supplicia vitare possunt; — ex eâque alias leges suam vim haurire, ita ut ipsi conformes esse debeant.

219. Ita, inter *Græcos*, *Sophocles* legem naturalem sic commendat [2]: "Utinam mihi adsit fortuna sanctam assequendi integritatem verborum operumque omnium, de quibus propositæ sunt *leges sublimes, cœlesti in æthere genitæ, quarum Olympus pater est solus, neque eas mortale genus peperit*, neque sane unquam oblivio consopiet : *magnus in his inest Deus*, neque senio marcescit." Inter *Latinos*, audiatur *Cicero* [3]*:* "Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, *legem neque hominis ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum;* sed *æternum* quiddam, quod *universum mundum regeret*, imperandi prohibendique sapientia... Orta autem simul est *cum mente divinâ*. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad jubendum et ad vetandum *ratio est recta summi Jovis.*' Inter *Sinenses* admittitur pariter *regula morum universalis*, quæ cœlum terramque regit, et in omnium corde inscripta legitur [4]. Similia apud varias Gentes etiam barbaras inveniuntur [5].

---

[1] *J. Simon*, Le Devoir, 3e p., ch. 1, p. 233-262.

[2] *Sophocles*, Œdip., v. 863-871; cfr. *Antigon.*, v. 446-460. Similia vide ap. *Platonem*, Respub., l. IV, p. 427, ed. *Stephan.*

[3] *Cicero*, De Legibus, II, 4. cfr. *Pro Milone.*, IV, 10; *Philipp.*, XI, c. 12, n. 28; legatur pariter fragmentum apud *Lactantium* servatum, Instit. VI, 8, *Migne*, P. L., VI, 660-661.

[4] "La règle de conduite morale de l'homme est la loi de toutes les intelligences; elle illumine l'univers dans le plus haut des cieux, comme dans les plus profonds abîmes. La règle de conduite morale du sage a son principe dans le cœur de tous les hommes, d'où elle s'élève à sa plus haute manifestation pour éclairer le ciel et la terre de ses rayons éclatants." (Apud *J. L. De Lanessan*, La Morale des Philosophes Chinois, Paris, Alcan, 1896, p. 44-45.)

[5] Cf. *Quatrefages*, L'unité de l'espèce humaine; L'espèce humaine, Paris, Alcan; *Carbonnelle*, L'aveuglement scientifique, in period. *Revue des Quest. scientif.*, VII, 193.

220. (C) *Ratio* suffragatur. Positâ siquidem hominis creatione, jam lex naturalis evadit necessaria. Deus enim, sapientissimus omnium creator et ordinator, omnia entia in finem dirigere debet ad quem ab ipso destinata fuerunt. Atqui entibus *libertate* præditis nullum aliud directivum principium competit nisi *regula moralis*. Entia quæ libertate carent, necessario quodam instinctu divinitus impresso ad suum finem tendunt; sed homo, cum sit liber, nonnisi libere in suum tendit; ideoque non cæco et necessario impulsu duci debet, sed *morali regulâ* quæ viam ipsi ostendat sequendam, quin ejus adimat liberum arbitrium. Hæc autem regula, omnibus communis, non potest esse nisi quædam participatio seu manifestatio legis æternæ, seu aliis verbis *lex naturalis*.

II. De objecto et indole legis naturalis.

Probatâ existentiâ legis naturalis, ejus *objectum* et *indolem* describere juvat.

1° *De objecto seu materiâ legis naturalis.*

221. Lex naturalis modo generali ea complectitur quæ rationali naturæ ita conveniunt vel repugnant ut ab Auctore naturæ præcipi vel prohiberi debeant.

(A) Jamvero, respectu *logici nexûs* quo ad invicem connectuntur, præcepta legis naturalis triplicis sunt generis : —

(a) Quædam enim sunt *universalissima*, ita ut ab eis cetera dimanent; ita hæc et similia : *bonum est prosequendum et malum vitandum; summum bonum est amandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; rectæ rationi conformiter vive.*

222. Inter philosophos et theologos quæritur quodnam sit *summum principium* ex quo cetera logice fluunt. *S. Thomas* asserit hoc esse : *bonum est faciendum et malum vitandum*[1]. Juxta alios : *Naturæ humanæ, secundum omnes suos essentiales respectus consideratæ, conformiter vivas*[2]. Illud proponit *Berti*, ad mentem *S. Augustini : Ama Deum ut finem et cetera propter ipsum*[3]. Aliis placet hæc formula : *Imaginem Dei absolute sancti per modum naturæ rationalis tibi impressam, liberis quoque actionibus exhibe*[4]. Hanc

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 94, a. 2. — [2] Ita non pauci Scholastici.
[3] *Berti*, Theolog. discipl., lib. XX, c. 4, prop. 3.
[4] *Carl Aeger*, Moralphilosophie, 1873, S. c. 63 ff.

vero proponit *Meyer*[1]: *Rectum naturæ rationalis ordinem tanquam divinitus sanctum servato.*

Ex his, formula *S. Thomæ* est simplicissima et maxime perspicua; ultima, licet non tam perspicua, magis completa et scientifica videtur; *Augustiniana* in se perfectissima est, sed in ordine cognitionis non est prima, nec explicite omnibus nota. Ceteroquin omnes quoad sensum substantialiter conveniunt.

223. (b) Secundo loco veniunt illa præcepta quæ ex universalibus principiis *immediate* ac *facili discursu* deducuntur; v. g. *honora patrem et matrem, non furtum facies, non occides*, ceteraque in *Decalogo* contenta, si excipias sanctificationem diei sabbati, quæ est lex positiva.

(c) Tertio loco procedunt illa præcepta quæ *remote* et nonnisi *diligenti studio* et *difficiliori discursu* deducuntur ex primis principiis, v. g. *injuria alicui illata, in bene ordinatâ societate, non est propriâ auctoritate vindicanda.* Cum hujusmodi præcepta non facile ab omnibus cognoscantur, sæpe lege positivâ clarius et certius proponuntur.

224. (B) Respectu *necessitatis*, præcepta legis naturalis alia sunt *primaria* et alia *secundaria:* priora ita bono particulari aut sociali necessaria sunt ut, sine illis, ordo moralis sit impossibilis; ita juri naturali *primario* adversantur blasphemia, injusta occisio innocentis, falsum testimonium, etc. — Secundaria autem ea sunt quæ bono particulari aut sociali valde utilia, non autem necessaria sunt, ita ut ordo moralis sine illis, quanquam minus perfecte, subsistere valeat; ita polygamia et divortium juri naturali *secundario* adversantur.

225. (C) Ratione *objecti* circa quod versantur, præcepta naturalia respiciunt: (a) *Deum*, qui colendus et amandus est; (b) *proximum*, cui debentur reverentia, justitia et caritas; (c) *nosmetipsos*, in quantum sensitivas facultates rationi subjicere debemus, et rationem Deo.

2° *De indole legis naturalis.*

226. Lex naturalis est *universalis, immutabilis* et *indispensabilis;* ratio est quia non ex voluntate Dei positivâ, sed ex ipsâ naturâ rerum defluit. Quod tamen declaratione indiget.

[1] *Meyer*, op. cit., n. 284.

(A) Lex naturalis est *universalis*, quatenus illos omnes adstringit qui *usu rationis gaudent;* nam, ex unâ parte, promulgatur *in conscientiâ* cujuslibet entis rationalis, et ex alterâ pro quâlibet rationali creaturâ fertur.

Quæritur tamen num etiam *infantes* et *amentes* attingat. Controversia hâc de re habita sic componi potest : lex naturalis *ex se* illos afficit, quatenus hi sunt *radicaliter* et *potentialiter* rationales; sed illos *non obligat moraliter*, sub pœna peccati [1] : ii enim soli moralis obligationis et imputabilitatis capaces sunt, qui usu rationis gaudent.

227. (B) Lex naturalis est *immutabilis*, eo sensu quod *in se* mutari nequit, etsi aliquot mutationes in suâ *applicatione* admittat.

(a) *In se quidem mutari nequit:* fundatur enim in ipsâ naturâ entis rationalis, spectatâ in suis relationibus cum fine ultimo; atqui natura rerum earumque relationes ad finem ultimum eædem semper manent. — Attamen ad recte intelligendam hujusmodi immutabilitatem, legem naturalem considerare debemus non in aliquo principio abstracto et insufficienter determinato, sed cum omnibus adjunctis quæ moralitatem constituunt. Ita jure naturali prohibetur homicidium, et nihilominus multi sunt casus in quibus alios occidere licet. Paulo autem attendenti patet non prohiberi quodlibet homicidium, sed solum *injustam occisionem*, seu occisionem innocentis auctoritate privatâ, absque necessitate; proinde, quando occiditur injustus aggressor, aut malefactor capite damnatur, non mutatur lex naturalis, cum hæc minime prohibeat legitimam sui aut societatis defensionem : circumstantiæ, adjuncta mutantur, lex ipsa eadem manet.

Quod verum est etiam de *secundariis* præceptis; sumatur v. g. *polygamia*, quæ juri naturali secundario adversatur, et tamen apud nonnullos Patriarchas viguit; lex ipsa nullam *in se* mutationem passa est; in omni siquidem tempore *secundariis* finibus matrimonii contraria fuit, præsertim vero familiarum paci; sed, cum fini primario matrimonii non

[1] Peccant vero *adulti*, ratione utentes, qui illos impellunt ad agendum contra legem naturalem.

obstaret, procreationi nempe atque educationi prolis, permitti aut tolerari potuit, media adhibendo quibus præcaverentur abusus [1].

(b) In suâ vero *applicatione*, *aliquot mutationes* patitur, quando agitur de *secundariis* præceptis. Ita Deus toleravit, quibusdam sub conditionibus, polygamiam et divortium; in iis enim quæ non sunt absolute necessaria, sed solum valde utilia, fieri potest ut, mutatis circumstantiis, applicatio legis etiam valde utilis non urgeatur; v. g. apud Judæos toleratum est divortium, ad vitandos pejores abusus, adulterium scilicet aut conjugicidium; sed divortium *ex se* manebat contrarium perfectæ contractûs æqualitati, optimæ prolis educationi, familiarum paci, etc.

228. (C) Lex naturalis *non est proprie dispensabilis;* et sane si Deus ipse legem naturalem non mutat, nullus super terram, nec ipse Christi vicarius, in hâc lege dispensare valet [2]. Potest tamen Ecclesia eam *declarare* et *interpretari*, idque infallibiliter; nam a Christo accepit potestatem docendi, proindeque exponendi et interpretandi leges divinas, definiendo utrum in his aut illis adjunctis vere obligent. Ita indissolubilitas matrimonii ad jus naturale secundarium spectat; sed Ecclesia, diuturnâ praxi, implicite declaravit hanc indissolubilitatem non competere matrimonio *simpliciter rato.*

[1] Quidam antiquiores scholastici scripserunt legem naturalem mutari posse quoad remotiores conclusiones; exemplum afferunt *depositi*, quod jure naturali reddi debet, et aliquando tamen reddi nequit, quia v. g. prævidetur dominum deposito gladio usurum esse ad inimicum occidendum. — Sed in hujusmodi casu nulla est mutatio legis naturalis; lex enim non statuit in *omni casu* reddendum esse depositum, sed *vetat* ne reddatur eo tempore quo dominus re suâ abusurus est.

[2] Quidam pariter veteres theologi dixerunt aliquam *dispensationem* n lege naturali secundariâ admitti posse; exemplum afferunt licentiæ Hebræis datæ asportandi res Ægyptiorum; sed ex hoc nil inferri potest quoad thesim expositam : cum enim Deus sit supremus omnium bonorum dominus, poterat dominium quorumdam bonorum transferre ab Ægyptiis in Hebræos, ob rationem publici boni, aut per modum compensationis pro laboribus præstitis.

III. De promulgatione et cognitione legis naturalis.

1° *De promulgatione legis naturalis.*

229. Lex naturalis sane obligat omnes creaturas rationales statim ac sufficienter in eorum conscientiâ *promulgata fuit :* nihil enim aliud est nisi manifestatio divinæ rationis ac voluntatis, cui omnes parere debent.

(A) Jamvero, ex parte *Dei*, ad sufficientem promulgationem duo requiruntur et sufficiunt : (a) ut *universalissima* legis principia facile cognosci possint ab eo qui usu rationis fruitur; (b) ut ex his, per media naturalia, interna et externa, individualia et socialia, deduci possint illæ *practicæ conclusiones* quæ ad rectam vitæ institutionem necessariæ sunt. Minime vero requiritur ut omnes homines *æquali* facilitate has notiones sibi acquirere valeant, aut conclusiones singulas absque erroris admixtione cognoscant; id enim naturali hominum inæqualitati et infirmitati contradiceret. Sufficit igitur ut qui minori ingenio gaudent, ab iis qui potentiori ingenio pollent, veritates ad recte vivendum necessarias discere queant.

Ad factum quod spectat, homo quidem *physice* capax est, propriis viribus, legem naturalem cognoscendi; sed, ut ait *Vaticanum*,[1] "divinæ revelationi tribuendum est ut ea quæ, in rebus divinis, humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione, ab *omnibus expedite*, firmâ certitudine, et nullo admixto errore, cognosci possint." — Si in statu *pure naturali* mansisset homo, Deus *speciali concursu naturali* hominibus præbuisset medium ad legem naturalem magis expedite cognoscendam.

230. (B) Ex parte vero *hominis*, quædam necessaria sunt ad cognitionem juris naturalis adipiscendam : (a) media *positiva*, videlicet veritatis studium proprium, recursus ad sapientiores in rebus difficilioribus, oratio ad Deum, qui est pater luminum; hæc enim omnia suggerit recta ratio; (b) media *negativa*, seu remotio impedimentorum, quorum præcipua sunt animi levitas et irreflexio, præjudicia, pravæ consuetudines quæ mentem obnubilant, et mala consilia ab aliis accepta.

---

[1] *Vatic.*, sess. III, cap. 2 de Revelatione; quod decretum exposuimus in *Tr. de Verâ Relig.*, n. 50.

Si, non obstantibus illis mediis serio adhibitis, cognitio alicujus naturalis præcepti moraliter acquiri non potuerit, ignorantia est *invincibilis;* secus, *vincibilis* dicitur, juxta superius exposita, n. 91-92.

2° *De cognitione legis naturalis.*

231. Exinde intelligi datur quænam ignorantia admitti possit quoad præcepta juris naturalis.

(A) *Prima et universalissima principia legis naturalis ab adulto, qui rationis plene compos est, invincibiliter ignorari nequeunt.* Etenim hæc principia se habent ad rationem practicam sicut prima principia demonstrationum se habent ad rationem speculativam : utraque sunt *per se* nota; ita nemo sui compos ignorare potest bonum esse faciendum, malum autem vitandum.

232. (B) *Præcepta particularia, quæ ex primis principiis immediate ac clare deducuntur, ab eo qui ratione convenienter evolutâ utitur, ad longum tempus invincibiliter ignorari nequeunt.* Talia sunt : *honora patrem tuum, non occidas innocentem, non furtum facias,* etc. Hæc enim, cum ex principiis notis obviâ et facili illatione fluant, diu ignorari nequeunt ab eo cujus ratio sufficienter fuit exculta. Potest quidem fieri ut, præjudiciis ab infantiâ imbutis, pravis suasionibus et exemplis, necnon malis habitibus, mens aliquod tempus obnubiletur; sed, quando quis bonâ fide veritatem prosequitur, et de regulâ morum serio cogitat, oritur saltem dubitatio de liceitate actuum his naturalibus præceptis contrariorum; dubium autem parit obligationem ulterius de veritate inquirendi, et Deus inquirentibus illuminationis auxilium non denegat. Si vero prætermittatur veritatis inquisitio, ignorantia culpâ non vacat : hujus autem gravitas dijudicatur ex dictis n. 95-97.

233. (C) *Legis naturalis conclusiones remotæ invincibiliter ignorari possunt etiam ab eo qui ratione convenienter evolutâ utitur.* Nam hujusmodi conclusiones nonnisi præmisso *diligenti studio,* et magnâ cum *difficultate,* cognosci valent; quare haud raro ab iis ignorantur qui veritatis studio diligenter vacare nequeunt, sive propter mentis imbecillitatem, sive propter defectum temporis, aut necessitatem aliis rebus

vacandi. Præterea, in remotioribus legis naturalis conclusionibus, sæpe adest aliqua obscuritas et incertitudo : quo magis enim a primis principiis recedimus, eo frequentius est periculum errandi aut saltem dubitandi. Hinc sæpe inter theologos ipsos disputatur num tale vel tale præceptum ad jus naturale spectet; ita v. g. *Scotus* docuit præcepta secundæ tabulæ non esse juris naturalis[1], dum plerique alii aliter tenent; disputatur num adsit obligatio naturalis omnes actus in Deum referendi, num omne mendacium sit per se malum, etc.; quid mirum igitur si indocti multa alia ignorent?

Revera confessarii, qui sacrum tribunal frequentârunt, optime nôrunt quosdam pænitentes maximâ ignorantiâ laborare quoad remotiores conclusiones legis naturalis, v. g. quoad malitiam actuum internorum[2], aut etiam mendacii officiosi, perjurii ad vitam tuendam[3], quorumdam actuum contra castitatem[4], etc. — Prudenter igitur interrogandi sunt pænitentes, benigne tractandi, quando in ignorantiâ versantur, — et discrete instruendi.

§ II. De lege divina positiva.

234. Cum cognitio perfecta legis naturalis, absque erroris admixtione, sit generi humano valde difficilis, *utilis* evadit quædam clara et positiva hujus legis declaratio per revelationem. Imo, posito quod homo ad statum supernaturalem elevatus fuit, *necesse* est ut per legem *divinam positivam* ad finem supernaturalem dirigatur : media siquidem fini proportionari debent. — Revera Deus, per revelationem hominibus factam, promulgavit *quædam præcepta juris naturalis*, necnon *præcepta positivâ ejus voluntate imposita.* In illâ revelatione *triplex stadium* distingui solet : lex *primæva*, protoparentibus et patriarchis manifestata, ideoque ad totum genus humanum destinata; lex *vetus*, seu *mosaica*, per Moysen populo Israelitico manifestata; lex *nova*, seu *christiana*,

[1] *Scotus*, in III Sentent., dist. 37.

[2] Cfr. *Lacroix*, lib. I, n. 135; *S. Alphons.*, De conscientiâ, n. 9.

[3] *Sanchez*, De præceptis Decal., lib. I, c. 16, n. 33.

[4] *S. Thomas*, Quæst. disp., de malo, q. 3, a. 8, putat contingere posse ut quis invincibiliter ignoret prohibitionem fornicationis. Cfr. *Ball. P.*, I, n. 48.

a Verbo Incarnato, seu Christo, pro toto genere humano promulgata. — De lege *primævâ* nil speciale dicendum hic occurrit, cum pauca admodum de illâ nota sint; quare de lege *veteri* et *novâ* breviter disserendum est.

I. De lege veteri, seu mosaicâ.

235. Nostri non est propositi *historicas* quæstiones de lege mosaicâ hodie, non solum inter rationalistas, sed etiam inter catholicos magno cum æstu agitatas, expendere : id enim ad historiam revelationis spectat[1]. Pauca tamen 1° de *indole* et *fine* hujus legis, 2° de ejus *objecto*, 3° de *obligatione* et *abrogatione*, delineare oportet, quo melius intelligatur novæ legis perfectio.

1° *De indole et fine legis mosaicæ.*

236. Cum lex *naturalis*, mentibus impressa, et lex *primæva* protoparentibus et patriarchis data, paulatim obnubibatæ fuissent, sive propter peccatum, sive propter diuturnam Israelitarum in Ægypto commorationem, opportunum erat ut præcipua utriusque præcepta de novo solemniter promulgarentur et complerentur per alia, quibus populus electus efficacius ab idololatriâ morumque corruptelâ removeretur. Quapropter, mense tertio egressionis Israel de terrâ Ægypti, in monte Sinai, promulgata fuerunt *decem Decalogi præcepta*[2], quæ summam continent præceptorum *moralium* antiquæ legis; cetera enim, in Decalogo non expressa, vel *præsupponuntur*, ut præceptum fidei et dilectionis[3], vel ex aliis *consequuntur*, ut prohibitio mendacii[4], quæ ex octavo præcepto infertur, — et prohibitio injusti odii[5], quæ ex quinto deducitur. — His tamen præceptis moralibus addita sunt *cæremonialia* et *judicialia*, quæ speciali Hebræorum condi-

[1] Quâ de re, cfr. *Vigouroux*, Les Livres Saints et la Critique rationaliste, 3e éd., 1891, t. III, p. 3-226; *Hummelauer*, Comment. in *Exodum*, 1891, p. 16-25; in *Deut.*, 1901, p. 23-110; *Pelt*, Histoire de l'Anc. Testament, 4e éd., Paris, 1904, t. I, ch. XXVII, p. 295-331; *Prat*, S. J., Le Code du Sinaï, sa genèse et son évolution, Paris, Bloud, 1904; *Lagrange*, O. P., La Méthode historique, 3e éd., 1904, p. 147-182.

[2] *Exod.*, XIX-XX; cfr. *Hummelauer*, in hunc loc.

[3] *Deut.*, VI, 5; *Levit.*, XIX, 18.

[4] *Exod.*, XXIII, 1.

[5] *Levit.*, XIX, 17-18.

tioni accommodabantur, et ad perfectiorem moralium præceptorum observationem ordinabantur.

237. (A) Illa lex vere est *divina*, quatenus a Deo procedit per *revelationem* aut *inspirationem*. Id enim multoties declaratur non solum in Veteri Testamento (l. cit.), sed etiam in Novo; ita *S. Stephanus*, judaicæ traditionis interpres, ait[1] : "Accepistis legem in dispositione angelorum"; et *Paulus* declarat legem *ordinatam esse per angelos in manu mediatoris*[2]; angelorum enim ministerium denotat Dei interventum.

Ex hoc tamen minime inferre licet Hebræorum legislatorem nihil mutuavisse a lege primævâ, a patriarcharum consuetudinibus, vel ab alienis legibus : Deus enim, sacros auctores inspirando, eos movere potest ad utendum iis omnibus quæ jam naturaliter cognoscunt. Ita v. g. abstinentia a suffocato et sanguine et circumcisio jam præscriptæ erant ante Moysen[3]; pariter divortium, polygamia, servitus, lex talionis in usu fuerant, et lex mosaica limitavit hæc omnia potiusquam statuit; insuper quædam præcepta moralia aut ritualia fere eadem sunt ac ea quæ apud Chaldæos et Ægyptios vigebant[4].

Quantum vero lex mosaica alienis legibus præcellat paulo attendenti patet : (a) *monotheismum* enim clare et explicite inculcat, et idolorum cultum, apud alios populos vigentem, stricte prohibet : "Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile[5]..." (b) Præterea *servitus*, licet tolerata, multo mitior est quam apud vicinas Gentes[6]. (c) Summa legis est *amor Dei* et *proximi* : "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ[7];... Diliges amicum tuum sicut teipsum[8]". (d) Non solum externa peccata prohibentur sed etiam *interna*[9] : "Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus." (e) Nec solum præcipitur *sanctitas* negativa, sed etiam *positiva*, quæ in quâdam imitatione divinæ sanctitatis consistit : "Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester[10]."

---

[1] *Act.*, VII, 53. — [2] *Galat.*, III, 19. — [3] *Gen.*, IX, 4-6; *Gen.*, XVII, 10-14.
[4] Cfr. *Prat*, op. cit., p. 16-20; *Lagrange*, op. cit., p. 156-182, ubi comparationem instituit inter legem mosaicam, et codicem *Hammourabi* recenter inventum a *V. Scheil*, O. P.
[5] *Exod.*, XX, 2-4. — [6] *Exod.*, XXI, 1-11. — [7] *Deut.*, VI, 5.
[8] *Levit.*, XIX, 18. — [9] *Exod.*, XX, 17. — [10] *Levit.*, XIX, 2.

238. (B) Ad urgendam præceptorum observantiam, lex mosaica præcipue, quanquam non exclusive, utitur *temporalibus* promissis et comminationibus. Cujus rationem exponit *S. Thomas*[1] : sicut in speculativis media proponuntur auditori secundum ejus conditionem, ita in rebus moralibus homines induci debent ad legum observationem per media eorum indoli proportionata, videlicet per pœnas et præmia. Jamvero Israelitæ, cum essent duræ cervicis et ad temporalia maxime proclives, per temporales promissiones et comminationes ad exsequenda mandata facilius manuducebantur. Quare Deus illis sese accommodans, ad divinum cultum eos inducit promissione rerum temporalium, quæ symbola sunt bonorum æternorum : "Unde legi veteri conveniebat ut per temporalia quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum."

239. (C) Lex mosaica, quamvis divina, varia suscepit additamenta variis temporibus[2] : Deus enim suas leges Judæorum conditioni accommodare non cessavit; hinc *Prophetas* misit, qui non solum populum ad legis observationem revocaverunt, sed etiam authentice legem interpretati sunt ac compleverunt[3]. Alios scriptores pariter inspiravit, qui in libris *sapientialibus* et in *psalmis*, ethicæ antiqua præcepta exposuerunt, novaque magis perfecta tradiderunt. Libri etiam *historici*, præter exempla virtutis quæ referunt, non pauca præcepta aut consilia continent, quæ ad spiritualem vitam maxime conferunt. Hinc, ad legem veterem accurate cognoscendam, non sufficit mosaicos libros legere, sed alios sacros scriptores attente percurrere necesse est.

240. (D) *Finis* autem *legis Christus* est[4]; nam, ut ait *S. Petrus*[5], "omnes prophetæ a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos" (messianicos). Lex ipsa *prædagogus noster fuit in Christo*, id est, ad Christum ducens; varia enim præcepta, non solum moralia, sed etiam cæremonialia, præsertim ea quæ respiciunt sacrificia et sacramenta, divinitus ordinabantur ad viam Messiæ parandam, disponebant siquidem Judæos, per legis observationem, ad

---

[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 99, a. 6.

[2] In libris mosaicis jam triplex *series* legum distingui potest : (a) Codex seu volumen *fœderis* (*Exod.*, XX-XXIII); (b) Codex *sacerdotalis* (*Exod.*, XXV-XXX et XXXV-XL; *Levit.* ex integro; *Num.*, I-IX, XV, XVII-XIX, XXVIII-XXX, XXXIV-XXXV); (c) *Deuteronomium*, quod utrumque codicem aut contrahit aut fusius exponit.

[3] Exempla quædam invenies ap. *Prat*, op. cit., p. 48-67.

[4] *Rom.*, X, 4.

[5] *Act.*, III, 24-25. Quod alibi probavimus, *De Verâ Relig.* n. 229-265.

facilius intelligendam et accipiendam perfectiorem Christi legem. Quod quidem verum est etiam de multis factis historicis, juxta illud *Apostoli*[1] : " Hæc omnia in figuris contingebant illis "; plura siquidem eo tendebant ut mentes a rebus temporalibus abstraherent, easque disponerent ad spirituale regnum Missæ exspectandum. Lex igitur non potest rite intelligi, nisi præ mente habeatur hanc esse præparationem ad legem evangelicam.

2° *De objecto legis mosaicæ.*

In veteri lege continentur præcepta *moralia*, *cæremonialia* et *judicialia*. —

241. (A) *Moralia*, quæ in *Decalogo* breviter contrahuntur. Ibi enim traduntur præcipua officia erga *Deum* et *proximum*.

Quod sic declarat *S. Thomas*[2] : Deo, ut principi communitatis, tria debentur : fidelitas, reverentia, famulatus. *Fidelitas* in eo consistit quod solus adoretur; inde **primum** præceptum. " Non habebis deos alienos." *Reverentia* postulat ut nihil injuriosum in eum committatur; unde **secundum** præceptum sic se habet : " Non assumes nomen Domini tui in vanum." *Famulatus* debetur in recompensationem beneficiorum a Domino acceptorum : et ad hoc pertinet **tertium** præceptum de sanctificatione sabbati, in memoriam beneficii creationis. — Erga *proximum* autem officia adimplenda sunt specialia aut generalia : *specialia* quoad *parentes*, quibus filii debent honorem præstare, secundum **quartum** præceptum. *Generalia* in eo consistunt ut nulli inferatur nocumentum opere, ore vel corde. *Opere* nulla injuria committatur erga ipsam personam : *Non occides*, juxta **quintum** præceptum; neque contra personam matrimonio conjunctam : *Non mœchaberis*, ut fert **sextum** præceptum; neque in bona externa : *Non furtum facies*, ut declarat **septimum** præceptum. Nocumentum *oris* prohibetur per **octavum** præceptum : *Non loqueris contra proximum falsum testimonium.* Nocumentum autem cordis prohibetur per **nonum** et **decimum** præceptum : *Non desiderabis uxorem... Non concupisces domum proximi tui.*

Quæ tamen præcepta aliud præsupponunt alibi traditum, videlicet amorem Dei et proximi, ut supra, n. 236, exposuimus.

242. (B) **Cæremonialia**, quæ determinabant peculiarem modum quo Deus illo tempore colendus erat, simulque Christi mysteria et sacramenta præfigurabant. Ex quo intelligi datur cur tam multiplicia fuerint hujusmodi præcepta[3] : (a) ad promovendum Dei cul-

[1] *Cor.*, X, 11; cfr. *Fillion*, La Ste Bible, t. I, Introduction, p. 2-10.
[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 100, a. 5.
[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 101, a. 3.

tum; cum enim Judæi ad idololatriam proni essent et vicinæ gentes multipliciter idola colerent, oportebat multa pariter et solemnia cæremonialia instituere, quo efficacius populus electus ab idolorum cultu deterreretur; si nimis simplex fuisset cultus vero Deo præstitus, facile Israelitæ ad solemniorem deorum cultum perducti fuissent; et sane, quando ritus christiani multo simpliciores judaicis successerunt, non pauci Hebræi ad fidem conversi de abrogatione antiquorum rituum maxime dolebant, ut ex *ep. ad Hebræos* constat. (b) Præterea cæremonialia Christum venturum præfigurabant, ut declarat *Decretum pro Jacobitis*[1] : "Quem (Christum) aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, cæremoniæ præsignarunt." Atqui mysteria Christi, propter suam perfectionem et multiplicitatem, nonnisi multis ritibus præfigurari poterant : singuli enim ritus mosaici, utpote imperfecti, nonnisi unum vel alterum aspectum Christi mysteriorum significabant; ita, ad unicum Novæ Legis sacrificium repræsentandum, multa et diversa erant sacrificia vetera, quorum unumquodque suo modo Christi immolationem præfigurabat[2].

243. (C) **Judicialia,** seu civilia aut politica quæ Israelitas ordinabant ad se invicem, sub imperio Dei, summi regis. Deus siquidem habebatur non solum ut spiritualis Dominus, sed etiam ut *temporalis rex* populi judaici. Quare ejus statum politicum et socialem legibus judicialibus determinavit, atque ordinavit in duplicem præsertim finem : (a) ut Israelitæ, secundum justitiam et æquitatem vivendo, pedetentim ad regnum messianicum præpararentur, quod est regnum justitiæ et æquitatis; (b) ut populi electi sociali regimine aliquo modo præfiguraretur Ecclesiæ Christi constitutio[3]. — Juxta *S. Thomam*[4], judicialia præcepta in quatuor species dividuntur : (a) quæ respiciunt institutionem *principum* et magistratuum, eorum officia, et reverentiam eis exhibendam; (b) quæ pertinent ad *concives* in suis *mutuis relationalibus*, puta emptiones, venditiones, judicia, pœnæ, etc.; (c) quæ ad *extraneos* spectant, v. g. bella contra hostes, modus agendi quoad peregrinos et advenas; (d) quæ ad *domesticam vitam* referuntur, videlicet uxores, filios, servos[5].

3° *De obligatione et abrogatione legis mosaicæ.*

244. (A) **De obligatione.** (a) Lex vetus, quatenus moralia præcepta *juris naturalis* promulgat, omnes homines obli-

[1] Ap. *Denzing.*, n. 602.

[2] De ratione et sensu cæremoniarum veteris legis, cfr. *Bähr*, Symbolik des mosaischen cultus, Heidelberg, 1874, t. I; *Broglie*, Confér. sur l'idée de Dieu dans l'Ancien Testament, Paris, 1892, 6e Conf., p. 197-223; *Lesêtre*, ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible, t. II. 437-441.

[3] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 104, a. 1-2. — [4] Ibid., a. 4.

[5] Brevem synopsim harum civilium legum tradit *Pelt*, op. cit., t. II, p. 40-59.

gat qui horum cognitionem consecuti sunt, non quia est lex mosaica, sed quia est lex *naturalis* cordibus impressa; ideoque Decalogi præcepta, si excipias sanctificationem diei sabbati, quæ ad legem naturalem non spectat, *per se* Gentiles ligabant et hodie etiam ligant, necnon ipsos Christianos; nam, juxta communem et veram sententiam, hæc præcepta, tertio excepto, nihil aliud sunt nisi legis naturalis expositio. Quare *Tridentinum* anathemate plectit eos qui tenent " decem præcepta nihil pertinere ad christianos [1]."

(b) Præcepta vero *cæremonialia* et *judicialia* nonnisi Judæos obligabant, et *proselytos justitiæ* [2], qui circumcisione genti judaicæ inserebantur : hæc enim erant præcepta positiva, quæ non pro Gentilibus, sed pro solo populo electo lata fuerant. Quemadmodum hodie clerici et religiosi quibusdam tenentur legibus quæ laicos minime ligant, ita Israelitæ specialia quædam mandata servare tenebantur ad quæ alii populi non erant obstricti [3]. Quia vero legales observantiæ ad sanctitatem et salutem securius consequendam non parum proderant, quidam e Gentilibus, qui ad verum Deum sese convertebant, obligationem leges mosaicas servandi libere suscipiebant.

245. (B) De abrogatione veteris legis. Ex jam dictis, præcepta moralia minime abrogata sunt per legem novam. *Cæremonialia* autem et *judicialia* per Christum abrogata sunt, ut constat ex concilio *Hierosolymitano*, quod, contra Pharisæos, declaravit non amplius vigere circumcisionem aliaque præscripta mosaica [4], — et ex *ep. ad Galatas*, ubi Apostolus severe reprehendit conversos qui huic legi sese alligare voluerant. — Et merito; nam, cum instituta fuissent ad præfigurandum et præparandum Christi adventum, Christo adveniente, amplius persistere non valebant.

Attamen, durante Christi vitâ, *lex* simul cum *Evangelio* vigebat, et ipse voluit legem adimplere, quia mysterium Redemptionis non-

[1] *Trident.*, sess. VI, can. 19.

[2] Proselyti *justitiæ* erant *gentiles* ad fidem conversi, qui per circumcisionem populo judaico inserebantur; proselyti *portæ*, quamquam vere conversi, non circumcidebantur, sed solum præcepta quæ *Noachica* dicebantur (*Gen.*, IX, 4), adimplere debebant.

[3] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 98, a. 5. — [4] *Act.*, XV, 5-29.

nisi per passionem et mortem Salvatoris consummari debebat. Mortuo Christo, *legalia de jure* mortua sunt, quia redemptio nostra tunc completa fuit; attamen *de facto* abrogata sunt tantum eo tempore quo promulgatum fuit Evangelium.

II. De lege novâ, seu christianâ[1].

Deus, qui multifariam, multisque modis olim locutus fuerat patribus in prophetis, in plenitudine temporis locutus est in Filio, qui legem novam instituit, verbis et exemplis prædicavit, et sanguine suo sigillavit. Hujus legis exponemus : 1° *indolem* et *finem;* 2° *objectum;* 3° *perfectionem* et *durationem.*

1° *De indole et fine legis novæ.*

246. (A) Lex christiana, non per Angelos, sed per Christum ipsum promulgata, *non in tabulis lapideis, sed in cordibus fidelium* scripta merito dicitur. Id enim jam annuntiaverant Prophetæ : "Dabo legem meam in *visceribus* eorum, et in corde eorum scribam eam[2]." Et *S. Paulus* hujus prophetiæ adimpletionem videt in novâ dispensatione; fideles siquidem alloquens dicit[3] : "Epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed *spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*"

Quæ metaphora significat legem novam *menti* inditam esse per *abundantiam fidei*, quæ nobis magis explicite et dilucide regulas agendi proponit, — et *cordi* inscriptam esse per *abundantiam amoris*, quæ nos suaviter inclinat ad ea facienda quæ præcipiuntur[4]. Siquidem legi veteri adnexa fuerat quædam gratia illuminationis et amoris, sed *multo minus abundans :* cum enim pretium redemptionis nondum

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 106-108; *Suarez*, lib. 10; *Bellarminus*, Controversiæ, De justificatione, lib. IV; *Müller*, § 42-46; *Bouquillon*, n. 85-103; *Bautain*, op. cit., ch. 7, p. 142-152; *Stevens*, The Theology of the New Testament, New York, 1899, pp. 17-26, 65-75, 92-149.

[2] *Jerem.*, XXXI, 33; quam prophetiam per legem novam adimpletam fuisse declaratur *Hebr.*, VIII, 10, X, 16. — Ibi animadverte legem novam non exhiberi ut quid *ab extrinseco* impositum, sed tanquam regulam *internam*, quam christianus, sub influxu gratiæ, *suam* facit.

[3] *II Cor.*, III, 3.

[4] Ita distinguitur a lege *naturali*, quæ cordi quidem insculpta dicitur, sed *naturaliter*, dum lex nova *supernaturali* lumine fidei inscripta perhibetur.

solutum fuisset, non decebat ut tam copiosa gratia Judæis concederetur; sed, soluto pretio per mortem Christi, multo copiosior gratia diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Quod quidem *Paulus* multoties inculcat, præsertim in ep. *ad Romanos* et *ad Galatas:* ibi enim ostendit justificationem esse non ex lege mosaicâ et ex operibus legis, sed ex fide quæ per caritatem operatur; sæpe enim lex *ex se* concupiscentiam excitat et est occasio peccati, non quia mala est, sed quia, propter infirmitatem nostram, contra ejus præscripta agimus : " Lex enim iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio [1]... Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit; sed peccatum non cognovi nisi per legem [2]." Sola gratia nos juvare potest ad legem implendam; hæc Hebræis quidem dabatur, sed *parce*, dum *abundanter* Christianis conceditur : " Lex enim (nova) *spiritus vitæ* in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis [3]."

247. (B) Lex nova est omnino *spiritualis;* (a) non enim *sanctio* in *temporalibus* minis aut promissionibus consistit, sed in *spiritualibus* et *æternis :* " Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [4]." — Quare beatos dicit eos qui sunt pauperes spiritu, qui lugent, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam merces eorum copiosa est in cælis [5]. Ex adverso divitias et honores denuntiat tanquam impedimenta quæ nos retardant a regno cælorum : " Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis [6]... Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? [7]"

(b) *Regnum* quod Christus prædicat, non est regnum *temporale*, quale a multis Judæis conceptum fuerat, sed regnum *spirituale*, ad quod ingrediendum requiritur fides in Evangelium, amor Dei et proximi, imitatio Christi, suiipsius abnegatio, ut fusius exponetur in *Tr. de Virtutibus.*

(c) *Cultus* quem promovet, etsi externe manifestari debeat, *internus* præsertim esse debet : " Sed venit hora, et nunc

[1] *Rom.*, IV, 15. — [2] *Rom.*, VII, 7; cfr. VII, 11-25. — [3] *Rom.*, VIII, 2.
[4] *Matt.*, X, 28. — [5] *Matt.*, V, 3-12. — [6] *Luc.*, VI, 24-25
[7] *Matt.*, XVI, 26.

est, quando veri adoratores adorabunt Patrem *in spiritu et veritate*[1]." Hinc sacrificia antiqua, quæ in externâ immolatione præcipue consistebant, aboleta sunt, eisque succedit sacrificium Christi ipsius, qui non solum corpus, sed animam suam immolat perfectissimâ obedientiâ : " Ideo ingrediens mundum dicit : hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam[2]." Quare vult discipulos suos offerre Deo *spirituales hostias*, bona scilicet opera propter Deum, non autem ex ostentatione facta : " Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est[3]."

248. (C) *Finis* legis evangelicæ est *gloriam Dei et Christi promovere*, — et quidem modo perfectissimo, veram scilicet et *internam sanctificationem* adipiscendo, quâ divinæ efficimur consortes naturæ, filii Dei adoptivi, ejusque hæredes, cohæredes autem Christi, — quâ proinde meremur *æternam beatitudinem*, seu claram Dei visionem et perfectum amorem. Hunc finem sibi proposuit Christus : " Ego te clarificavi super terram; opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te[4]." Eumdem finem sibi præfigere debent ejus discipuli : " Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum[5]... Omnia in gloriam Dei facite[6]." Ad glorificandum Deum, ejus *sanctitatem*, in quantum fieri potest, imitari debent[7] : " Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est." Quando id, pro viribus nostris, præstitimus, gloriam ut coronam justitiæ exspectamus[8]; hæc est autem gloria nostra ut videamus Deum facie ad faciem : tunc similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est[9].

---

[1] *Joa.*, IV, 23. — [2] *Hebr.*, X, 5-7.
[3] *Matt.*, VI, 1. — [4] *Joa.*, XVII, 5.
[5] *I Petr.*, IV, 11. — [6] *I Cor.*, X, 31.
[7] *Matt.*, V, 48. — [8] *II Tim.*, IV, 7.
[9] *I Joa.*, III, 2.

2° De objecto legis evangelicæ.

249. Lex evangelica complectitur non solum *præcepta*, quæ servare necesse est ut vitam æternam consequamur, sed etiam *consilia*, quæ adimplentes, majorem perfectionem in terrâ et copiosiorem mercedem in cælo adipiscimur.

(A) *Fundamentum* totius ethicæ christianæ in eo situm est quod Deus manifestatur non solum ut Creator ac Dominus, sed ut **Pater** qui, ex infinitâ suâ bonitate, nos in filios adoptavit, — et a servitute peccati redemit per **Filium** suum unigenitum, qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, — cujus infinita merita cuique nostrûm applicantur per **Spiritum sanctum,** qui datus est nobis. "Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater)[1]... Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam[2]... Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nostris[3]."

Hinc tota lex in duobus præceptis contrahitur : *Deum* amare debemus ut *Patrem*, *homines* vero ut *fratres* et *cohæredes :* "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ. Hoc est *maximum* et *primum* mandatum. *Secundum* autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ[4]." Utrumque mandatum jam in *veteri* lege continebatur; sed in *novâ* multo perfectius declaratur; olim Deus præsertim ut *Dominus* habebatur et timebatur, nunc ut *pater* diligitur; olim Judæi *amicos* et *concives* suos diligebant, sed de *alienis* parum curabant, et inimicos haud raro oderant; hodie non est distinctio Judæi et Græci, sed *omnes* ut *fratres* in Christo haberi debent, et inimicos diligere jubemur : "Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos[5]." Quare merito Christus dicere potuit fraternæ caritatis mandatum esse *novum*, non quidem *in se*, sed quoad modum perfectum

[1] *Rom.*, VIII, 15. — [2] *Joa.*, III, 16. — [3] *Rom.*, V, 5.
[4] *Matt.*, XXII, 37-40. — [5] *Matt.*, V, 44.

quo intelligi et adimpleri debet : "Mandatum *novum* do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos [1]."

Ex hoc duplici præcepto fluunt omnia officia erga Deum et erga proximum.

250. (B) Quia vero, in *statu naturæ lapsæ*, Deum et proximum, sicut oportet, diligere nequimus, Christus verbis et exemplis *suiipsius abnegationem* prædicavit tanquam *medium* necessarium ad hunc finem attingendum : " Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me [2]." Abnegamus autem nosmetipsos per sensuum mortificationem, castitatem, temperantiam, obedientiam, humilitatem; tollimus crucem per patientiam in adversis, fidelemque adimpletionem officiorum statui nostro propriorum, ut fusius exponetur in decursu operis. — Illa vero abnegatio, quæ eo magis ardua est quo magis assidue renovanda, *facilior* evadit exemplis Christi, qui nos præcessit bajulans suam crucem, ut et nos crucem nostram portare valeamus, juxta illud [3] : "Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus." Ita enim patientia veluti deificatur, multumque adauget merita nostra : " Si tamen compatimur, ut et conglorificemur [4]." Quantam animi fortitudinem, quantumque solatium hæc doctrina afferat, ipsi rationalistæ fateri coguntur [5].

[1] *Joa.*, XIII, 34. — [2] *Matt.*, XVI, 24. — [3] *I Petr.*, II, 21. — [4] *Rom.*, VIII, 17.

[5] Ita, inter alios *P. Janet*, Histoire de la Philosophie morale, Paris, 1860, t. I, p. 211 : " La Passion, qui est le mystère suprême dans le christianisme, indique assez que la vie de l'homme n'est qu'une passion, c'est-à-dire une douleur. Tandis que toute l'antiquité faisait consister le bien à ne pas souffrir, et invitait l'homme soit par la vertu, soit par le plaisir, à fuir la douleur, l'Evangile présente la douleur comme un bien. La douleur est en quelque sorte *divinisée*, puisque Dieu lui-même a voulu souffrir, gémir, mourir." — Nec aliter *G. Séailles*, Les affirmations de la Conscience moderne, Paris, Colin, 1903, p. 51 : " Le christianisme divinise la souffrance : Jésus, fils de Dieu et Dieu lui-même, est descendu sur la terre, il a pris avec notre corps toutes nos infirmités; du point de vue de ce monde, il a été un vaincu, il a été méprisé, insulté, frappé, il a voulu souffrir, mourir, il a porté sa croix, il s'est attaché à ce bois de douleur, il a gémi, il a versé des larmes... Le chrétien, celui qui regarde les choses des yeux de la foi et non des yeux de la chair, ne connaît plus de déshérité, de vaincu de la vie. La souffrance est un bien, elle a son prix en elle-même. Dieu recueille les misères les plus ignorées, les plus obscures, les plus humbles, pour en faire de la béatitude et de la gloire."

251. (C) *Domesticæ* et *socialis* vitæ officia tum ex amore Dei et proximi, tum ex suî abnegatione defluunt. Ita filii parentes honorare eisque obedire debent, quia vices gerunt Dei.[1] Servi et famuli dominis honorem et obedientiam præstare debent, sicut Christo[2]; domini vero servos suos ut fratres habere in Christo[3]. — Subditi legitimis superioribus, tanquam ipsi Deo, parere tenentur : " Non enim potestas nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit[4]." Superiores, ex alterâ parte, nonnisi *paternum* imperium exercere debent, Deumque imitari, cujus in homines potestas est cum paternâ bonitate conjuncta.

252. (D) Quæ *cultum* respiciunt, versantur circa *sacramenta* et *sacrificium missæ;* hæc autem suam virtutem et efficaciam derivant a passione Christi, ideoque eo tendunt ut perfectius nos disponant ad accipiendam vitam supernaturalem gratiæ, quæ et ipsa est veluti prælibatio vitæ æternæ. Quapropter cæremonialia novæ legis sunt numero pauciora, actu faciliora, utilitate longe majora quam ritus antiquæ legis, prout congruit statui *filiorum*, qui populo christiano proprius est[5].

253. (E) His autem *præceptis* addita sunt *consilia evangelica*, quibus ad perfectionem vitæ christianæ securius tendere valemus. *Præcepta* dantur de eis quæ ad finem consequendum *necessaria* sunt[6], ideoque veram *obligationem* moralem important ; — *consilia* vero de eis præbentur quæ *expeditius* et *perfectius* nos ducunt ad finem, ideoque non *per se* obligant.

Christus quidem hoc discrimen *non explicite* tradidit, sed *implicite*, dum divitem juvenem sic allocutus est : " Si autem vis ad *vitam* ingredi, serva mandata... Si vis *perfectus* esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus et habebis thesau-

[1] *Ephes.*, VI, 1; *Coloss.*, III, 20.
[2] *Ephes.*, VI, 5-6; *I Petr.*, II, 18-19.
[3] *Ephes.*, VI, 9; *Coloss.*, IV, 1; *Ep. ad Philemonem.*
[4] *Rom.*, XIII, 1-2.
[5] *S. August.*, Cont. Faustum, lib. XIX, c. 13, *Migne*, P. L., XLII, 355.
[6] Quod facile intelligitur de præceptis *sub gravi :* eorum enim violatio nos a fine ultimo *avertit.* Quoad præcepta *sub levi*, eorum violatio nos a regno cœlorum *retardat*, quamdiu non plene remittitur.

rum in cælo, et veni, sequere me[1]." Quod *Paulus* confirmat de virginitate dicens : " De virginibus autem *præceptum* Domini non habeo, *consilium* autem do... Qui matrimonio jungit virginem suam, *bene* facit, et qui non jungit, *melius* facit.[2]"

Non diffitemur tamen sæpe difficile esse ex *Scripturâ* definiri quid ad *præcepta*, quid vero ad *consilia* referri debeat ; plerumque id nonnisi ex *sensu traditionali Ecclesiæ* determinari potest.

254. Inter consilia, tria sunt præcipua quæ speciatim *evangelica* dici solent, videlicet *paupertas* et *virginitas*, de quibus agitur in textibus superius allatis, necnon *perfecta obedientia*, quæ nihil aliud est nisi propriæ voluntatis abdicatio, ac pluries in Scripturâ commendatur. — Cur hæc tria maximi sint momenti declarat *S. Thomas*[3] : Bona hujus mundi in tribus consistunt : in *divitiis*, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum ; in *deliciis carnis*, quæ pertinent ad concupiscentiam carnis ; et in *honoribus*, qui spectant ad superbiam vitæ. Hæc autem tria totaliter derelinquuntur per præfata consilia : nam divitiæ abdicantur per *paupertatem*, deliciæ carnis per perpetuam *castitatem*, superbia vitæ per *obedientiæ* servitutem. — Et sic qui hæc et alia consilia observare conatur, sæculi bonis perfectius renuntiat, Deumque ex toto corde plenius diligit. Non omnibus tamen convenit consiliorum praxis, quia paucorum est perfectio.[4]

3° *De perfectione et duratione novæ legis.*

255. (A) Ex his omnibus manifestum est **novam legem veteri multo perfectiorem esse**[5] : (a) ratione *objecti*, quod *plura moralia* complectitur, eaque magis lucide exposita et ad unitatem melius redacta, — *pauciora* vero *cæremonialia*, eaque ad veram sanctitatem proximius conducentia ; (b) ratione *abundantioris gratiæ*, quæ eam comitatur ; (c) ratione *universalitatis*, cum non pro uno populo, sed pro omnibus lata fuerit, juxta illud[6] : "Euntes ergo docete omnes gentes...

---

[1] *Matt.*, XIX, 17-21. — [2] *I Cor.*, VII, 25-40.

[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 108, a. 4.

[4] De consiliis vide *J. Schwane*, De operibus supererogatoriis et consiliis evangelicis in genere, Monasterii, 1868.

[5] De perfectione christianæ legis eloquenter disserit *Bourdaloue*, Sermon pour le 6e Dim. après l'Epiphanie, sur la sainteté et la force de la loi chrétienne.

[6] *Matt.*, XXVIII, 19.

docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis"; (d) ratione *perpetuitatis*, cum usque ad consummationem sæculi sit perduratura, juxta id quod exponendum manet.

256. (B) *Antiquam legem*, in parte cæremoniali, *abrogandam* esse jam Prophetæ annuntiaverant: "Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda *fœdus novum*, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum[1]." Non ita de lege novâ, quæ vocatur *novum* et *æternum* testamentum, usque ad *consummationem sæculi* duraturum[2]. Revera, post Christi adventum in carne, nihil aliud exspectandum est nisi ejusdem adventus in nubibus cæli ad judicandum vivos et mortuos[3].

Etsi lex nova est perfecta, et omnia essentialia complectitur, nihil prohibet quominus variis locis et temporibus accommodetur, sub auctoritate *Ecclesiæ*, cui Christus tradidit potestatem leges ferendi, quæ fideles adjuvent ad divina præcepta tutius servanda.

Art. III. De lege ecclesiasticâ.[4]

257. In *Tr. de Ecclesiâ* (n. 49-100 et n. 199-216), probatum est Christum Ecclesiæ potestatem contulisse leges ferendi, illamque auctoritatem non residere quidem in corpore fidelium vel simplicium sacerdotum, sed penes supremos Pastores, primario quidem penes S. Pontificem, et secundario penes Episcopos. Reipsa, jam a Concilio *Hierosolymitano*, Ecclesia leges condere non cessavit, in memoriam revocando ea quæ lege divinâ jam præcepta erant, magis explicite determinando quæ lex divina indeterminata reliquerat, et quædam imponendo quæ hucusque libera erant, ad

[1] *Jerem.*, XXXI, 31-32; cfr. *Malach.*, I, 10-11.

[2] *Hebr.*, III, 20; cfr. Canon Missæ; *Matt.*, XXVIII, 20.

[3] *Matt.*, XXV, 31-46; XXVI, 64.

[4] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 95-96; *Suarez*, lib. IV-VI; *Billuart*, diss. III-IV; Müller, § 48-69; *Bouquillon*, n. 108-213. — Præter theologos, vide *Canonistas*, præsertim *Reiffenstuel*, *Schmalzgrueber*, *De Angelis*, *Santi*, in libr. I Decretal., tit. II, De Constitutionibus, tit. III, De Rescriptis, tit. IV, De Consuetudine. — De lege ecclesiaticâ maxime profuerunt manuscripta quæ mihi benigne tradidit *S. Many*, professor juris canonici in Universitate catholicâ Parisiensi, et quæ publici juris tempore opportuno faciet.

promovendam perfectiorem adimpletionem legis evangelicæ. Quare hic quædam principia tradenda sunt de lege ecclesiasticâ *in genere spectatâ;* leges vero *particulares* in decursu hujus operis, et præsertim in *Prælectionibus juris canonici* exponuntur.

Divisio. { De auctore, De objecto, De promulgatione, De obligatione, De interpretatione, De cessatione, De consuetudine } legis ecclesiasticæ.

§ I. De auctore legis ecclesiasticæ.

258. Ex dictis in *Tr. de Ecclesiâ* (l. c.), jure divino, *Supremus Pontifex* leges ferre potest *pro totâ Ecclesiâ*, *Episcopi* autem pro *parte territorii ipsis assignatâ* a R. Pontifice[1], et quidem potestate *ordinariâ.* Insuper Papa, qui supremâ pollet potestate legislativâ, partem suæ potestatis aliquando aliis concedit, sive simplici *delegatione*, sive deputatione ad aliquod munus, cui jurisdictio *ordinaria* adnectitur.

259. 1° **R. Pontifex** leges condere potest pro *universâ Ecclesiâ*, et *quâlibet ejus parte;* et quidem sive *solus*, quatenus est vicarius Christi, — sive *sacro approbante Concilio*, quo casu Episcopi sunt simul cum eo legislatores[2]. Et sane, etsi valet propriâ auctoritate leges ferre, aliquando expedit Concilium sive provinciale, sive œcumenicum convocari, ad melius cognoscendum quinam abusus in varias Ecclesiæ partes irrepserint, quibusque mediis eisdem mederi valeat; aliunde quæ communi consilio decreta sunt, concordi animo efficacius executioni mandantur. — *Œcumenicum Concilium* eâdem universali auctoritate gaudet ac ipse Pontifex (*de Ecclesiâ*, n. 211-216).

260. 2° **Episcopus** leges ferre potest pro *suâ diœcesi*, sive *in synodo* (id est convocatis parochis suæ diœcesis aliis-

[1] Utrum vero jurisdictio Episcoporum *immediate* a Deo procedat, an *immediate* a S. Pontifice et mediate a Deo, controvertitur, ex dictis in *Tr. de Ecclesiâ*, n. 208.

[2] *De Ecclesiâ*, n. 199-216.

que de jure vocandis), sive extra synodum, — sub auctoritate tamen S. Pontificis, qui certos limites eorum potestati præfigere potest, eorumque leges infirmare, si judicet eas bono communi esse contrarias.

Patriarchæ, *Primates*, *Metropolitani* possunt quidem ferre leges pro *propriâ suâ diœcesi*; non autem *pro totâ provinciâ* cui præsunt, nisi in *Concilio provinciali* aut *plenario*, concurrentibus scilicet Episcopis suffraganeis, qui verâ potestate legiferâ pollent. In Ecclesiâ occidentali, antequam promulgentur decreta concilii *plenarii* aut provincialis, a S. Congregatione *Concilii*, vel *Propagandæ Fidei* (ubi agitur de missionibus), recognosci debent, ut emendari valeant, si opus sit [1]; illa tamen recognitio in *formâ communi* [2] majorem vim his decretis non tribuit, sed solum ostendit *nil obstare* eorum promulgationi.

261. Jure *ecclesiastico communi*, leges ferre possunt pro suo territorio *Vicarii* et *Præfecti Apostolici* (c. 294, § 1), *Abbates* et *Prælati nullius* (c. 323), *Superiores majores* et, ad normam Constitutionum, *Capitula* in religionibus clericalibus exemptis (cc. 198, § 1, 501, § 1). — Jure *ecclesiastico particulari*, leges ferre possunt *legati*, *nuntii* et alii juxta tenorem facultatum.

Potestate legislativâ non gaudent abbatissæ aut superiorissæ, et rectores communitatum inferiorum, videlicet parochiarum, monasteriorum, sodalitatum, universitatum, etc.

§ II. De objecto legis ecclesiasticæ.

262. 1° *Principium generale* est Ecclesiam leges ferre posse circa ea omnia quæ *Dei cultum*, *hominisque sanctificationem* respiciunt : " Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit naturâ suâ, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ [3]." Nam *ex fine* cujusque societatis mensuratur ejus potestas; atqui finis

[1] *Sixtus V*, Const. Immensa, 22 Jan. 1588; cfr. *Bened. XIV*, De *synodo*, l. XIII, c. 3, n. 3; *Pius X*, Bull. *Sapienti consilio*, 29 jun. 1908.

[2] In *formâ solemni* confirmantur decreta quando Pontifex eadem *sua* facit atque nomine suo promulgat; quod hodie fieri non solet.

[3] *Leo XIII*, Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

Ecclesiæ est vitæ æternæ adeptio per cultum Dei et sanctificationem ejus membrorum. — Ex quo sequitur nihil inhonesti, nihil juri naturali aut divino contrarium præscribi posse.

263. 2° Lex ecclesiastica præcipere nequit quod est *nimis arduum et difficile.* Cum enim ad bonum communitatis feratur, proportionari debet humanæ naturæ fragilitati; secus, bonum publicum non promoveret, sed potius occasio esset frequentissima peccatorum. De quo tamen tria notare oportet : (a) non repugnat legem arduam imponi alicui societati seu statui quem non omnes, sed *pauci libere* eligunt, ut est v. g. lex cælibatûs aut paupertatis annexa statui clericali vel religioso; (b) quando ratio *boni publici* id exigit, Ecclesia actus etiam *heroicos* præcipere potest, v. g. sacramentorum administrationem tempore morbi contagiosi; (c) judicium de difficultate legis ad ipsos legislatores spectat, non ad subditos : secus actum esset de legibus.

264. 3° *Quæritur* vero num Ecclesia *præcipere valeat actus internos.* Hic agitur *non de foro pœnitentiali*, ubi confessarius, ut minister Christi, de internis judicat, et opera mere interna per modum satisfactionis injungere potest; sed de *foro externo*, ad quod pertinet potestas legislativa.

(A) Juxta omnes, Ecclesia prescribere potest *actus internos qui necessario conjunguntur cum actibus externis;* lex enim non dirigit nisi actus vere humanos, ideoque versari potest circa internas dispositiones ad actum humanum necessarias; sic, præcipiendo juramentum, confessionem, communionem, auditionem missæ, eo ipso præcipit actus internos cum illis actibus externis necessario conjunctos, videlicet animum jurandi, attritionem, statum gratiæ, attentionem.

(B) Juxta *communem*, quam amplectimur, sententiam, Ecclesia *actus mere internos* præscribere nequit[1]. Etenim (a) Ecclesiæ potestas judiciaria et coercitiva exerceri nequit circa actus internos, ut aperte declaravit *Innocentius III :* "Si excessus eorum (simoniacorum) esset Ecclesiæ manifestus, *quæ non judicat de occultis*, pœnâ essent canonicâ feriendi[2]"; et alibi addit : "Nobis datum est de ma-

[1] Ita *S. Thom.*, 1. 2æ, q. I, a. 4; q. 100, a. 9; *Suarez*, de Legibus, l. IV, c. 12; *Schmalzgrueber*, in tit. de Const., n. 21; *S. Alphons.*, lib. I, n. 100. Contrarium propugnat *Bouquillon*, n. 114, cum quibusdam aliis.

[2] Cap. *Sicut*, 33, de Simoniâ (lib. V, tit. 3).

nifestis tantummodo judicare[1]." Atqui potestas legislativa procedere nequit sine potestate judiciariâ et coercitivâ : requiritur enim ut legislator legum suarum observantiam judicio et pœnis urgere possit; aliter, ejus potestas contemneretur.

(b) Sicut potestas fori *interni* directe et immediate *internam* singulorum sanctificationem respicit, ita potestas fori *externi* directe *externum* Ecclesiæ regimen spectat, ideoque nonnisi indirecte attingit actus internos, eos scilicet qui cum externis necessario conjunguntur.

265. 4° *Quæritur* insuper utrum lex ecclesiastica attingere possit **actus præteritos.** (A) *Per se* ad illos generatim non extenditur; cum enim lex sit primario *regula*, attingere nequit actus præteritos qui jam *regulari* non possunt. Hinc in *jure canonico* expresse dicitur[2] : "Cum leges et constitutiones *futuris* certum sit *dare formam* negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi *nominatim* in eis de præteritis caveatur." Exinde natum est axioma : "*Lex non habet oculos retro.*"

(B) Aliquando tamen lex actus præteritos attingit, non quidem quoad vim præcipiendi aut vitandi, ut jam dictum est, sed quoad alios effectus : —

(a) Quoad effectum *pœnalem;* videlicet attingere nequit actum antea nullo modo prohibitum, sed punire potest actum qui jam antea prohibitus erat, quanquam sine sanctione aut sine determinatâ sanctione.

(b) Quoad effectum *irritantem;* si actus, antea positus, sit jure naturali aut divino irrevocabilis (v. g. contractus matrimonialis inter christianos), lex posterior eum attingere nequit; si vero ex aliquâ parte, etsi validus, sit infirmus aut irritabilis (v. g. contractus ex metu initus), lex eum irritare potest, gravi de causâ, dummodo id expresse caveat.

(c) Lex statuens *inhabilitates, incapacitates et irregularitates,* quæ proprie pœnæ non sunt, attingere potest actus præteritos gravissimâ de causâ : cum enim hic non agatur de pœnâ, sed de conditione ad aliquod munus obtinendum, res a voluntate legislatoris pendet.

Notandum est tamen ea quæ diximus respicere legem proprie dictam, seu legem *novi juris constitutivam;* si enim agatur de lege *declarativâ juris antiqui*, multo facilius attingit actus præteritos, etsi agens a *culpâ* et a *pœnâ* excusari debeat, ob ignorantiam et incertitudinem juris noviter declarati.

---

[1] Cap. *Tua nos*, 34, de Simoniâ (lib. V. tit. 3).

[2] Cap. *Quoniam*, 13, de Constit. (lib. I, t. 2).

§ III. De promulgatione legis ecclesiasticæ.

266. I. Necessitas et modus. Lex vim obligandi non obtinet nisi fuerit subditis intimata, seu promulgata. Promulgatio siquidem est *actus quo legislator suam legem authentice communitati intimat*, seu notam facit, cum voluntate obligandi clare manifestatâ; quod quidem præstare potest sive per se, sive per alium. Necessitas hujus promulgationis in *Jure canonico* agnoscitur[1]: "Id solum sufficit, ut ad ejus (legis) observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam aut publice promulgatam." Et merito, lex enim voluntatem *dirigere* aut *ligare* nequit, nisi prius cognoscatur.

Ex naturâ rei, illa requiritur et sufficit promulgatio quâ lex, attentis omnibus temporum, locorum et personarum adjunctis, *possit moraliter et humano modo pervenire ad notitiam subditorum;* quo posito, arbitrio legislatoris relinquitur *modus* promulgandi legem.

267. II. Speciatim de legibus Pontificiis. 1° Non idem semper fuit modus promulgandi leges a Pontificibus adhibitus[2]. (a) Per *duodecim priora* sæcula, suas constitutiones promulgabant, eas mittendo in provincias, per clericos probatissimæ fidei, sive ad singulos episcopos, sive ad metropolitanos aut patriarchas, qui easdem episcopis transmittendas curarent. (b) *Ineunte sæc. XIII*, promulgare cœperunt *collectiones authenticas* juris canonici, eas mittendo cum Bullâ ad celebriores academias; ita *Innocentius III*, an. 1210, suarum decretalium collectionem promulgavit litteris ad universitatem *Bononiensem* directis. (c) *Labente eodem sæculo*, quasdam Bullas promulgari jusserunt per affixionem in loco suæ residentiæ, Romæ præsertim, cum hâc clausulâ quod *talis promulgatio sufficeret ut lex totam suam vim obtineret:* ita *Martinus IV*, an. 1281, contra Michaelem Palæologum Bullam edidit[3].

268. 2° Postea vero, variis modis sua decreta promulgarunt: (a) Constitutiones aut Litteræ apostolicæ, quando legem pro toto orbe continebant, promulgabantur per affixionem Romæ factam, in uno aut pluribus ex his locis: ad valvas ecclesiæ *Lateranensis*, basilicæ *S. Petri in Vaticano*, *Cancellariæ Apostolicæ*, — aut in acie

[1] *Decretal.*, l. I, tit. 5, *De postulat.*, c. 1, *Ad hæc.*

[2] *Zaccaria*, De variâ Ecclesiæ, præsertim Latinæ, in promulg. sacrar. constitut. disciplinâ; *Bouix*, De princ. juris can., Parisiis, 2ª ed., 1852 p. 248 sq.

[3] *Bull. Rom.*, ed. *Cocquelines*, t. III, P. 2, p. 30.

Campi Floræ. (b) *Encyclicas* promulgabant eas mittendo, iuxta antiquum morem, ad singulos episcopos, aut ad metropolitanos vei nuntios apostolicos. (c) Imo, id fere in consuetudinem venerat ut acta Sanctæ Sedis ejusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitimâ auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur.

3° Pius autem X edixit[1] ut Commentarium officiale ederetur (*Acta Apostolicæ Sedis*), in quo voluit inseri, et ita promulgari, constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum.

Rejicienda est ergo sententia eorum qui olim putabant ad vim legum pontificiarum requiri promulgationem in provinciis et diœcesibus; id enim minime requiritur ex ipsâ naturâ rei, et aliunde legislator pluries declaravit sufficere promulgationem quæ fit Romæ.

269. Hodie vero, secundum *Codicem*, can. 9, "leges ab Apostolicâ Sede promulgantur per editionem in *Actorum Apost. Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit præscriptus; et vim suam exserunt tantum *expletis tribus mensibus* a die qui *Actorum* numero appositus est nisi ex naturâ rei illico ligent aut in ipsâ lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta".

Ita finis imponitur controversiæ olim agitatæ de tempore quo lex obligare incipit. Alii dicebant eam *statim* obligare, videlicet postridie promulgationis[2]; alii vero *paulatim*, nempe a tempore quo quisque eam noverit[3]; alii tandem nonnisi post duos menses a die promulgationis.

270. III. De promulgatione legum episcopalium. Secundum recentem *Codicem*, can. 335, § 2, res rationabili judicio episcopi relinquitur. Ita sufficienter promulgantur si publice legantur in ecclesiâ cathedrali, aut voce præconis in plateâ civitatis significentur, — vel scriptæ affigantur in loco publico ad hoc designato, v. g. ad valvas ecclesiæ cathedralis, — aut typis mandentur in folio diœcesano. — Imo, si lex solum clerum respiciat, aliâ non indiget publicatione nisi eâ quæ fit in ipsâ synodo, cui interest præcipua pars cleri[4].

Lex episcopalis *statim* obligat ac est promulgata, nisi aliter declaretur; jus enim commune nullam dilationem statuit pro particularium legum obligatione.

---

[1] Const. *Promulgandi*, 29 sept. 1908, *A. A. S.*, I, p. 5.

[2] *d'Annibale*, Summula, t. I, n. 202, not. 21, 23.

[3] *Suarez*, lib. III, c. 17, n. 6, et lib. IV, c. 15, n. 9 sq.

[4] *Benedict. XIV*, De synodo, lib. XIII, c. 4, n. 1.

IV. De acceptatione legis ecclesiasticæ.

271. Ut lex ecclesiastica obliget, *acceptatione communitatis* vel *auctoritatis sæcularis minime indiget.*

1° **Non indiget communitatis acceptatione;** nam potestas ecclesiastica non a communitate provenit, sed ab ipso Christo, ut probatum est in *Tr. de Ecclesiâ.* Unde vis legum pontificiarum *per se* non pendet ab acceptatione episcoporum, cum hi R. Pontifici parere teneantur etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ spectant; neque vis legum episcopalium *ex se* pendet ab acceptatione sacerdotum, cum hi suis episcopis obedire debeant.

Attamen si quis episcopus intelligat aliquam pontificiam constitutionem, de aliquo disciplinæ capite, in suâ diœcesi noxium aliquem effectum inducere posse, non solum potest, sed etiam debet R. Pontifici suas rationes repræsentare[1]. "Neque R. Pontifices, ait *Benedictus XIV* (l. c.), unquam renuerunt inferiorum rationibus aurem præbere; et, quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusârunt aliquas provincias aut diœceses a generalium constitutionum suarum lege, quoad disciplinæ genus illud de quo nunc agimus, eximere." — Jamvero, toto supplicationis tempore, probabilius suspenditur legis obligatio[2]; quando vero Sedes Apostolica judicium protulit, huic omnino standum est.

272. 2° **Non indiget auctoritatis civilis acceptatione, seu regio placito.** Aliquando principes obstiterunt promulgationi legum ecclesiasticarum in suo regno,aut prohibuerunt ne bullæ pontificiæ absque *regio placito* regnum ingrederentur[3]. Quem abusum, multoties a S. Pontificibus reprehensum,ita reprobavit *Vaticanum*[4] : "Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt,aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant,quæ ab Apostolicâ sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere,

[1] Ita *Bened. XIV*, op. cit., lib. IX, c. 8, n. 3.

[2] *Reiffenstuel*, in tit. De Constitut., n. 145.

[3] Placitum regium, inter alios, advocavit *Van Espen*, De promulg. legis et de placito regio; quem confutârunt : *Zaccaria*, Antifebronius vindicatus, t. IV, diss. 12; *Bouix*, op. cit., p. 11, sect. 2, c. 4; *Tarquini*, diss. de placito regio; *Cavagnis*, Instit. juris publici, ed. 3ª, t. II. lib. III, n. 2-23.

[4] *Vatic.*, sess. IV, c. 3 (*Denzing.*, n. 1675)

nisi potestatis sæcularis placito confirmentur." Revera Ecclesia est societas completa, a Statu independens (*De Ecclesiâ*, n. 109-110), et in *rebus spiritualibus* supremâ pollet auctoritate.

Aliquando tamen Ecclesia, ob bonum pacis et ad majora mala vitanda, tolerat ut ab episcopis impetretur *regium placet;* quandoque etiam, in concordatis, aliquis usus *placiti* conceditur.

§ IV. De obligatione legis ecclesiasticæ [1].

273. Lex ecclesiastica rite promulgata vim habet in conscientiâ obligandi, ut constat ex *Tr. de Ecclesiâ* (n. 49-67), ubi probatum est Christum Ecclesiæ contulisse potestatem leges ferendi. Hinc qui pastores spernunt, ipsum Christum spernere dicuntur [2]; et rectoribus spiritualibus filialis obedientia præstanda est [3].

Si vero de lege *dubiâ* agitur, juxta *Codicem*, can. 15 "leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio *juris* non urgent; in dubio autem *facti*, potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet".

Dicemus : 1° de *gravitate;* 2° de *extensione;* 3° de *subjecto* hujus obligationis; 4° de *modo eam adimplendi.*

I. De gravitate obligationis a lege ecclesiasticâ inductæ.

Gravitas hujus obligationis pendet tum a *materiâ legis*, tum a *voluntate legislatoris.*

274. 1° *Pendet a* **gravitate materiæ**, quatenus legislator sub gravi imponere nequit nisi materiam gravem. Non est enim rationi consentaneum ut materia, sub omni respectu levis, præcipiatur sub pœnâ peccati mortalis; secus, multiplicarentur peccata, et lex in detrimentum, potiusquam in bonum subditorum vergeret.

Ad dijudicandum autem de gravitate materiæ, attendendum est non solum naturæ rei, sed etiam *fini* aliisve *adjunctis.* (a) Quando *finis* consequendus est *magni momenti* et *moraliter necessarius*, et

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 96; *Suarez*, lib. IV, c. 17-20; *Billuart*, diss. IV, art. 3-7; *S. Alphons.*, lib. I, n. 140-152; *Bouquillon*, n. 133-163; *Noldin*, n. 118-127 et 136-148.

[2] *Luc.*, X, 16. — [3] *Hebr.*, XIII, 17.

aliunde actio præcepta *valde conducit ad hunc finem* obtinendum, materia censetur gravis; ita publicum Dei servitium, cultûs dignitas, cleri sanctitas, etc., sunt quid certe magni momenti, et aliunde festorum observatio, abstinentia, jejunium, observatio cælibatûs et recitatio breviarii ad illos fines prosequendos maxime conducunt; ergo hæc omnia sub gravi præcipi possunt. (b) Quando *finis* intentus *non est magni momenti*, vel quando *actio non valde conducit ad finem*, cæteroquin magni momenti, materia censetur levis; ita lex præcipiens diversas partes breviarii recitare *certis diei temporibus*, quanquam ad Dei glorificationem et sacerdotum sanctificationem ordinata, *non multum* conducit ad illum finem obtinendum, cum Deus glorificetur sacerdotesque sanctificentur, etiamsi breviarium aliis ejusdem diei temporibus recitetur; ergo hæc materia levis est.

275. 2° *Pendet etiam* **a voluntate legislatoris** : hic enim, aliquando saltem, *sub levi* præcipere potest rem *ex se* gravem, v. g. jejunium; nam, etiam quando agitur de fine magni momenti et medio ad talem finem consequendum valde utili, legislator prævidere potest præceptum, sub gravi impositum, occasionem fore multiplicis ruinæ spiritualis, ideoque rem præscribere solum sub levi.

Ad dignoscendum autem quænam fuerit legislatoris intentio, hæc præsertim perpendenda sunt : (a) *ipsa verba legis*, quæ gravem obligationem important, quando dicitur : *severe*, *districte* præcipimus, *in virtute obedientiæ*, *sub interminatione divini judicii*, etc., (b) *pœnæ* transgressoribus inflictæ vel infligendæ; siquidem pœna gravis, ut excommunicatio, suspensio, interdictum, etc., gravem obligationem importat; (c) *doctorum interpretatio* et piorum *fidelium sensus*.

276. **Corollarium.** Cum lex sit obligatoria, eo ipso *obligatoria sunt media ad legem observandam vere necessaria :* nam qui sincere vult finem consequi, logice et consequenter vult media ad finem necessaria.

Hinc (a) subditi ordinariam diligentiam adhibere debent ad *legem cognoscendam :* lex enim servari nequit nisi cognoscatur.

(b) Pariter ea præstare debent *quæ proxime ad legis observationem necessaria sunt;* ita qui officium divinum recitare tenetur, breviarium comparare et servare debet; qui lege jejunii tenetur, cibos esuriales tempore opportuno emere debet.

(c) Insuper *removere aut præcavere debent impedimenta* quæ legis observationem impossibilem reddunt, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ita qui novit se non posse jejunare, quando venatur, a venatione abstinere debet die jejunii.

II. De extensione hujus obligationis.

Quædam sunt leges quæ, ex suâ speciali indole, specialem inducunt obligationem; ita præsertim leges *includentes præsumptionem*, vel *fundatæ in præsumptione*, et leges *irritantes*.

1° *De obligatione legis includentis præsumptionem vel fundatæ in præsumptione.*

Duplex distinguitur præsumptio : præsumptio *facti* et præsumptio *periculi*.

277. (A) Lex *includens* **præsumptionem facti** ea est quæ, supponens aliquod factum in certis adjunctis semper existere (quia in similibus adjunctis revera existere solet), pro hujusmodi casu constituit jura et obligationes. Ita si quis inter catholicos natus et educatus fuerit, jure præsumitur esse baptizatus : lex igitur, quâ omnibus Ecclesiæ statutis subjicitur, licet de ejus baptismo non certo constet, est lex includens præsumptionem facti.

Præsumptio facti potest esse **juris simpliciter,** vel **juris et de jure** : *prior* ea est quæ simpliciter in jure exprimitur aut supponitur, et *contra quam admittitur quælibet probatio;* ita in casu superius allato; — *posterior* ea est quæ a jure tam firma habetur ut pro veritate existimetur, et *contra illam non admittatur quælibet probatio, sed solum probatio* vel *indirecta*, vel *directa* sed *omnino manifesta :* ita " *res judicata* præsumptione juris et de jure habetur vera et justa nec impugnari directe potest ", ut decernit *Codex*, c. 1904; ita etiam ex c. 1972, " matrimonium quod, utroque conjuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque conjugis, ita præsumitur validum fuisse ut contra hanc præsumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quæstio ".

(a) In foro **externo**, lex fundata in præsumptione *juris simpliciter* obligat, donec probetur falsitas facti præsumpti : ad hanc vero demonstrandam sufficit quælibet probatio. — — Si agitur de præsumptione *juris et de jure*, obligat pariter donec demonstretur falsitas facti præsumpti; sed *regulariter* non admittitur demonstratio *directa, nisi* sit *omnino* manifesta. Admittitur autem probatio *indirecta;* v. g. res judicata

indirecte impugnari potest si probetur falsitas documentorum in quibus exclusive nititur sententia. — Imo probatio directa permittitur, si sit omnino evidens, ut *confessio judicialis*, *scriptura publica*, testes *extraordinariæ auctoritatis* : nam universim receptum est axioma : *præsumptio cedit veritati.*

278. (b) In foro interno, lex fundata in præsumptione facti non obligat in conscientiâ, si factum revera non existit : nam, in foro conscientiæ, semper præsumptio cedit veritati. Ita si duo sponsi matrimonium invalide contraxerunt, propter impedimentum dirimens, quod probari nequit in foro externo, copulæ matrimoniali vacare nequeunt, etiamsi connubii validitas sententiâ judicis firmetur[1]. — Attamen si hujus modi lex sine peccato servari potest, sæpe servari debet ad vitandum scandalum.

279. (B) Lex fundata in **præsumptione periculi** ea est quæ aliquid vetat vel præcipit, ad præcavendum periculum, quod frequenter cum aliquâ actione vel omissione connexum invenitur; ita lex quæ prohibet lectionem pravorum librorum, aut vetat matrimonia mixta; in his enim casibus frequenter adest periculum perversionis quoad fidem aut mores. Jamvero lex hujusmodi semper obligat, etsi in particulari casu periculum non adsit. Etenim lex non cessat nisi finis legis cessaverit adæquate, id est *totaliter* et quoad omnes, moraliter loquendo : siquidem ad totam communitatem dirigitur. Atqui, in casu nostro, etiamsi periculum non existat pro tali individuo, nihilominus pro communitate perseverat. Ergo lex suam vim retinet. — Aliunde juxta *Codicem*[2], "leges latæ ad præcavendum periculum generale urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit". Secus enim multi temere existimabunt nullum *sibi* imminere periculum.

2° *De obligàtione legis irritantis.*

280. (A) **Notio et species.** (a) Lex **irritans** ea dicitur *quæ statuit aliquem actum vel contractum, ob aliquem defectum, esse eo ipso invalidum aut rescindibilem;* et ita distinguitur a lege *prohibente*, quæ *per se* facit actum *illicitum* quidem, sed non invalidum. — Legi irritanti affinis est lex *inhabilitans*, quæ decernit talem personam esse inhabilem ad hunc vel

[1] *Decretal.*, cap. Inquisitioni, 44, de Sentent. excommunicationis.
[2] *Codex*, can. 21.

illum actum; unde *irritatio* directe *actum* respicit : et *inhabilitas* directe *personam* spectat; in praxi vero et moraliter loquendo, ambo eosdem producunt effectus.

(b) Ex ipsâ notione traditâ, lex dupliciter irritare potest : *ipso jure*, quando actus ab initio nullus redditur, etiam ante judicis sententiam; — *per sententiam judicis*, quando actus valet donec a judice rescindatur : quare, ante sententiam judicis, est quidem *rescindibilis*, sed non invalidus. — Ex alio capite, irritatio dicitur *pœnalis*, quando fertur ob aliquod *delictum; non pœnalis*, quando, ob bonum publicum, irritat actus quâdam conditione destitutos.

281. **(B) Effectus legis irritantis in foro externo.** (a) Si actus sit solum *rescindibilis*, ut validus merito habetur donec a judice rescindatur; huc enim pertinet quod in jure canonico dicitur[1] : "Cum multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitiâ, non debeant tolerari." (b) Si actus sit *nullus ipso jure*, ut invalidus habetur ab initio, et sententia judicis, si superveniat, eum non proprie irritat, sed ab initio invalidum fuisse declarat.

282. **(C) Effectus legis irritantis in foro interno.** Quando agitur de actu *rescindibili*, nulla difficultas : valet siquidem in foro conscientiæ donec rescindatur. Gravissimæ vero adsunt difficultates et controversiæ quando agitur de actu *ipso jure nullo*. Quæ *probabiliora* nobis videntur exponimus : —

(a) Si quæstio est de illis actibus aut contractibus qui ex solo jure canonico *esse* et *vim* accipiunt (ut est v. g. *professio religiosa*), ut invalidi habendi sunt, etiam in foro interno, ante quamlibet sententiam judicis declaratoriam; cum enim *esse* et *vim* a jure naturali non habeant, sed solum a jure canonico, — et aliunde jus canonicum in casu eos irritet, nullam existentiam aut vim habent.

(b) Si quæstio est de iis actibus aut contractibus qui *esse* et *vim* a jure naturali accipiunt, crescit difficultas : 1) si legislator canonicus voluntatem suam clare manifestat irritandi actum *etiam in foro interno*, huic omnino standum est : potestate enim pollet id faciendi; 2) si agitur de *contractu matrimoniali*, idem dicendum est; ratio est quia si ille contractus semel admittatur ut validus, nullâ deinceps potestate humanâ, etiam ecclesiasticâ, rescindi potest, propter indissolubilitatem vinculi matrimonialis *jure divino* statutam; 3) si vero agitur de aliis actibus aut contractibus (v. g. alienatione bonorum ecclesiasticorum), et nihil aliud eorum validitati deest nisi quædam *solemnitas* jure canonico præscripta, quidam canonistæ magni nominis *probabiliter* tenent contractum ut validum haberi posse in foro

[1] *Decretal.*, cap. *Cum jamdudum*, 18, de Præbendis (lib. III, tit. 5).

conscientiæ, donec a judice nullus declaretur ; nimis enim durum videtur aliquem se spoliare debere bono juste acquisito (spectato jure naturæ), ante sententiam judicis declaratoriam, ob defectum alicujus solemnitatis; unde, in hoc casu, dici potest actum non valere *canonice*, sed suam vim naturalem retinere usquedum contrarium authentice declaretur.

III. De subjecto legis ecclesiasticæ[1].

Leges non obligant nisi subditos; ad definiendum vero quinam legi ecclesiasticæ subdantur, exponemus 1° *principium generale;* 2° *conclusiones* inde deducendas quoad certas leges certasve personas.

283. 1° **Principium generale** : *Omnes et soli baptizati, habitualiter rationis compotes, ecclesiasticis legibus subjacent*[2].

(A) **Omnes** *baptizati*, ut aperte definivit *Tridentinum*[3] : "Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint, A. S." — Recipiendo enim baptismum, fiunt membra Christi et cives Ecclesiæ (*De Baptismo*, n. 27).

Huic etiam *hæretici* et *schismatici* his legibus *per se* obstringuntur. Si enim agitur de iis qui *libere* et *culpabiliter* ab Ecclesiâ secesserunt, non possunt per injustam rebellionem ab obedientiâ, legitimis superioribus debitâ, sese eximere; revera in *Corpore juris* multæ inveniuntur leges de hæreticis, schismaticis et apostatis, et pluries declaratum est eos teneri impedimentis matrimonium dirimentibus. — Si vero quæstio est de iis qui in hæresi nascuntur, et bonâ fide in eâ permanent, quidam putârunt Ecclesiam, pro suâ benignitate, nolle eos quibusdam saltem legibus ligare; sed, ad factum quod spectat, Ecclesia nunquam declaravit eos ab his legibus esse immunes. Solummodo igitur dici potest eos qui versantur in bonâ fide, ab omni *formali* et *culpabili* transgressione legum ecclesiasticarum excusari, quia illas omnino ignorant.

284. (B) **Soli** *baptizati;* nam qui baptismate nondum regenerati fuerunt, extra Ecclesiam versantur. Jamvero

---

[1] *Suarez*, lib. III, c. 31-35 et lib. IV, c. 19; *Billuart*, diss. IV, art. 8; *Bouquillon*, n. 151-163.

[2] "Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum ætatis annum nondum expleverunt nisi aliud jure expresse caveatur." (*Codex*, c. 12).

[3] *Trident.*, sess. VII, de Baptismo, can. 8, ap. *Denzing.*, n. 745.

Apostolus docet Ecclesiam non judicare de *iis qui foris sunt*[1]; Pontifices agnoscunt *paganos constitutionibus canonicis non arctari*[2]; et *Tridentinum* declarat Ecclesiam in neminem judicium exercere qui non prius in ipsam, per baptismi januam, fuerit ingressus[3]. Proinde infideles, judæi aliique non baptizati legibus ecclesiasticis minime tenentur.

285. (C) **Habitualiter rationis compotes,** id est ii qui usum rationis consecuti sunt et habitualiter saltem retinent, quales sunt non solum qui *actu* ratione gaudent, sed etiam amentes qui *lucida* intervalla habent, ebrii et delirantes; non autem infantes et perpetuo amentes. — Etenim lex ecclesiastica eo tendit ut actiones subditorum in finem spiritualem *dirigat;* porro actiones eorum, qui neque *actualiter* neque *habitualiter* ratione gaudent, ad finem dirigi nequeunt; e contra dirigi valent actiones eorum qui *habitualiter* ratione gaudent, etsi *actualiter* hujus usu careant. — Licet igitur (quamvis non deceat) infantibus et amentibus carnes præbere die vetito.

286. Dantur tamen quædam **exceptiones :** (a) leges jura concedentes, vel aliquem actum irritantes, afficere possunt etiam eos qui rationis usum habitualiter non habent, — quia non sunt leges *directivæ;* (b) *impuberes* non subjacent legibus Ecclesiæ *pœnalibus*, nisi contrarium in jure exprimatur : nam, propter defectum maturioris judicii, misericordiâ digni sunt : (c) fideles vero ceteris legibus subduntur eorum *ætati convenientibus;* hinc præcepto jejunii non tenentur nisi qui vigesimum primum annum attigerunt; sed missam audire et a carnibus abstinere debent qui septennium compleverunt, communicare autem Paschatis tempore qui usum rationis adepti sunt.

287. (D) **Quæritur** *num ipse legislator suis legibus obedire teneatur?* (a) Legislator *proprie* et *directe* non tenetur *suis* legibus, saltem *probabilius ;* nam nemo sibi ipsi imperare potest et in seipsum jurisdictionem exercere. Sed *indirecte* et *consecutive* tenetur, quatenus

[1] *I Cor.*, 12-13.

[2] *Decretal.*, lib. IV, tit. 19, cap. *Gaudemus*, 8, *De divortiis.*

[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 2, ap. *Denzing.*, n. 775.

[4] Quinam sint *majores*, *impuberes*, *infantes*, ita declarat *Codex*, c. 8 : "§ 1. Persona quæ vicesimum primum ætatis annum explevit *major* est; infra hanc ætatem, *minor.* § 2. Minor, si masculus, censetur *pubes* a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo. § 3. Impubes ante plenum septennium, dicitur *infans* seu *puer* vel *parvulus* et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere præsumitur. Infanti assimilantur quotquot rationis sunt habitu destituti".

legem pro bono totius communitatis statutam servare debet, ad bonum exemplum subditis præbendum, et ne hi scandalizentur. Gravitas autem hujus obligationis pendet a gravitate ipsius scandali violatione legis causati.

(b) Qui vero componunt collegium, potestate legislativâ præditum, subduntur legibus a collegio seu concilio latis; ita episcopi et metropolitanus obedire debent legibus quas ipsi tulerunt in Concilio provinciali; nam *singulatim* sumpti has leges ferre nequeunt, ideoque concilium provinciale vere est *supra* singulos episcopos, metropolitano non excepto, iisdemque præcepta imponere potest. — Romanus autem Pontifex, qui, dum œcumenico concilio præest, *supra* concilium manet, directe non obligatur legibus disciplinaribus Concilii.

2° *Conclusiones quoad obligationem legum in certis casibus.*

288. Status quæstionis. Leges *generales*, a R. Pontifice aut Conciliis œcumenicis latæ, obligant quidem omnes baptizatos, ut diximus; sed leges *particulares* ab episcopis et conciliis provincialibus latæ, præsumuntur *territoriales;* ideoque quæstio exsurgit *quinam* his legibus teneantur. Jamvero relate ad territorium, distinguuntur *incolæ*, *advenæ*, *peregrini*, *itinerantes*, *vagi*, *exempti* [1].

(a) **Incolæ** alicujus loci dicuntur *qui ibi suum habent domicilium.* Porro ex *Codice*, c. 92, § 1, "*Domicilium* acquiritur commoratione in aliquâ parœcia aut quasi-parœciâ, aut saltem in diœcesi, vicariatu apostolico, præfecturâ apostolicâ; quæ commoratio vel conjuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum." Amittitur statim ac hæc duo simul concurrunt : actualis discessus e loco, et animus non revertendi.

(b) **Advenæ** sunt qui habent alicubi *quasi-domicilium.* Jamvero quasi-domicilium acquiritur, "commoratione uti supra, quæ vel conjuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad majorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad majorem anni partem [2]". Amittitur vero, si hæc duo simul concurrunt : actualis discessus et animus non redeundi.

(c) **Peregrini** vocantur *qui in aliquo loco commorantur ad breve tempus, suo domicilio vel quasi-domicilio alibi retento.*

[1] *Codex*, c. 91 : "Persona dicitur : *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus* si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium."

[2] Juxta Canonistas *sex menses* æstimantur major esse pars anni.

(d) **Vagi** sunt *qui nullibi domicilium aut quasi-domicilium habent*, quia ipsis deest intentio in certo loco manendi, sive quia, relicto suo domicilio, quærunt quo sedem constituant.

(e) **Exempti** tandem sunt ii qui, fictione juris, *extra territorium cujusvis diœcesis positi, a jurisdictione episcoporum eximuntur*, et immediate R. Pontifici subduntur.

289. (A) **De incolis et advenis.** *Incolæ et advenæ legibus territorii adstringuntur, quando actu in eo degunt.* Res olim de *advenis* dubia erat; sed hodie, ex praxi S. Sedis, certa evasit : qui enim quasi-domicilium habent in aliquo loco, subduntur hujus loci parocho, ideoque diœcesis episcopo.

290. (B) **De peregrinis.** *Peregrini*, juxta *Codicem*, c. 14, "non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt[1], nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales; neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quæ ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant; at legibus generalibus tenentur, etiamsi hæ suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco in quo versantur non obligent." Unde : —

(a) Peregrini non tenentur legibus *communibus*, quæ in *propriâ diœcesi vigent*, — a quâ absunt, — sed *non vigent in loco ubi peregrinantur*. Nam, aliam diœcesim ingrediendo, gaudent privilegiis loci in quo versantur; ita qui, tempore Quadragesimæ, in *Statibus Fœderatis Americæ* peregrinantur, gaudent privilegio ibi concesso comedendi carnes cunctis diebus, exceptis feriâ *quartâ* et *sextâ*, etiamsi illud privilegium in suâ diœcesi non habeatur.

(b) Peregrini vero tenentur legibus *communibus, quæ vigent in loco ubi versantur*, etsi in suâ diœcesi non obligent. Ita Galli et Americani, Romæ degentes per hebdomadem sanctam, more romano seu *stricto* jejunare debent, etsi in suis regionibus lex communis consuetudine aut indulto mitigata fuerit; nam lex communis viget ubi

[1] Quod valet etiam quando a suâ diœcesi discedunt *in fraudem legis*, id est eo præcise animo ut legem vitent; ita enim agendo, *utuntur jure suo*, seu jure discedendi a loco ubi specialis lex viget. Excipiuntur tamen duo casus expositi in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 353, et *de Matrimonio*, n. 410.

degunt, et aliunde privilegio *locali* diœcesis, a quâ absunt, frui nequeunt, ex jam dictis.

(c) Peregrini certo servare tenentur quasdam leges *speciales* locorum ubi versantur, videlicet eas quæ respiciunt validitatem contractuum, — aut ad communem loci securitatem et publicum ordinem latæ sunt, — vel speciatim peregrinos spectant[1].—Quoad alias leges, hodie, ex *Codice*, peregrini non stricte tenentur eas servare, extra casum scandali; nam leges non obligant nisi *subditos;* atqui peregrini, qui neque domicilium neque quasi-domicilium habent in loco ubi peregrinantur, non sunt vere subditi illius diœcesis. Ita qui transeunt per locum ubi speciale jejunium præscriptum est, jejunare non tenentur. Imo, si lex *specialis* vigeat in diœcesi peregrinantis et in loco ubi degit, *stricte* eam servare non tenetur : non ratione præcepti *suæ diœcesis*, quia extra illam versatur, nec ratione præcepti *diœcesis in quâ degit*, quia non est subditus legislatoris. — Sed, ex quâdam æquitate et decentiâ, eam servare omnino *expedit.*

291. (C) **De vagis** olim controvertebatur; non pauci dicebant eos teneri ad leges loci in quo versantur; sed alii tenebant eos *probabiliter* non teneri nisi ad leges Ecclesiæ universales, et ad illas leges locales quæ peregrinos ligant. Hodie vero, ex *Codice*, c. 14, "*vagi* obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quæ vigent in loco in quo versantur."

292. (D) **Exempti** *per se non tenentur legibus diœcesis* intra cujus fines suas domos habent : ideo enim exempti dicuntur quia subtrahuntur ab episcoporum jurisdictione. — Dicitur *per se*, quia teneri possunt *per accidens*, quoties id necessarium est ad vitandum scandalum vel bonum publicum procurandum; aut si *curam pastoralem* acceperunt : tunc enim quibusdam legibus tenentur, non ut Regulares, sed ut pastores[2].

IV. De modo legem implendi.

293. 1° **Principium generale :** *Lex impleri debet modo a legislatore sive explicite sive implicite determinato;* nam modus ille, sicut ipse actus, sub præcepto cadit. Hinc impleri debet : —

(a) *Humano modo*, id est cum advertentiâ et libertate.

(b) *Honesto* modo, ita ut actus non sit substantialiter vitiatus sub eo respectu sub quo præcipitur; ita obligationi confessionis annuæ non satisfit per *sacrilegam* confessionem, sed præcepto audiendi missam satisfacit qui sacro rite adest, etsi ob vanam gloriam. Nec

[1] Ita peregrini tenentur reservationibus locorum (*A. A. S.*, 1 Dec. 1920.)

[2] Cfr. *Leo XIII*, Constit. *Romanos Pontifices; C. Plen. Baltimorense III*, n. 85-99.

requiritur ut lex impleatur in statu gratiæ, nisi actus præscriptus ex naturâ suâ illum supponat.

(c) *Præfixo tempore*, et, si nullum tempus assignatum fuerit, quamprimum moraliter. Si tempus fuerit elapsum, simulque determinatum fuerit ad *urgendam* obligationem, hæc non cessat (v. g. lex annuæ confessionis); si vero ad *definiendam* obligationem, obligatio extincta est (v. g. lex jejunii tali diei affixa).

294. 2° **De lege prohibente.** Hæc nihil aliud præcipit nisi *negationem* actûs, absque ullâ intentione legem implendi. Quare non transgreditur legem jejunii qui totâ die *dormiens* non manducat, nec legem abstinentiæ qui die vetito abstinet a carnibus quia eisdem caret.

295. 3° **De lege præcipiente :** (a) Requiritur voluntas saltem implicita opus præscriptum ponendi; secus lex non impletur humano modo. Sed non requiritur intentio satisfaciendi præcepto, nec a fortiori obtinendi finem a legislatore intentum; nam *finis præcepti non cadit sub præcepto.* — Melius est tamen hanc intentionem sibi proponere, ut habeatur meritum obedientiæ.

Ita qui, *devotionis causâ*, missam audit, ignorans esse diem festum, satisfacit præcepto, quia implicite vult opus præscriptum; qui vero *dormiens* aut *coactus* sacro assistit, præcepto non satisfacit. Legem jejunii implet qui formam jejunii servat, etsi laute comedat et corporis mortificationem non intendat.

(b) Qui totam legem adimplere nequit, ad nihil tenetur, si res præcepta sit *indivisibilis*, ut pia peregrinatio; si vero sit *divisibilis*, ad partem tenetur quam implere potest; ita qui non potest integrum officium recitare, sed solum *vesperas* et *completorium*, ad id tenetur.

(c) *Eodem actu pluribus præceptis satisfieri licet, nisi constet aliam fuisse legislatoris mentem;* hæc autem ex circumstantiis et judicio, prudentum cognoscitur. — Ita qui tempore paschali *viaticum* recipit, *duplici* præcepto satisfacit communicandi tempore paschæ et in mortis periculo. Si vero eleemosyna præscribatur *pro jubilæo*, et alia debeatur *ex voto*, *una* non sufficit ad utramque obligationem implendam.

(d) *Eodem tempore pluribus præceptis satisfieri licet*, dummodo varia opera præcepta sese non excludant, aut nisi constet aliam fuisse legislatoris mentem. Ita potest quis missam præceptam audire simulque horas recitare.

§ V. De interpretatione legis ecclesiæ.

296. Lex scripta, quantumvis clare expressa, sæpe *interpretatione* indiget, sive propter humani ingenii imbecillitatem, sive propter circumstantiarum et morum mutationem.

Interpretatio nihil aliud est nisi explicatio voluntatis legislatoris. (a) Ratione *auctoris*, potest esse **authentica**, si ab ipso *superiore* datur; — **judicialis**, quando fit a *judice pro tribunali* sedente; — **usualis**, si procedit a *communitate* per observantiam; **doctrinalis**, quoties a *doctoribus privatis* proponitur. (b) Ratione *indolis*, dicitur **declarativa**, *seu comprehensiva*, si obscura elucidat et nihil legi addit aut demit; — **suppletiva**, quando addit quod deest in verbis legis, attentâ præsertim ratione legis, ideoque vel *extendit* legem ad casum in eâ non comprehensum, vel eam *restringit*, casum excludendo in lege contentum.

I. De interpretatione authenticâ.

297. 1° Interpres *authenticus*, est ipse *legislator*, vel ejus *successor*, et "is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem concessa." Interpretatio authentica, per modum legis exhibita, eamdem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et debet promulgari. (*Codex*, can. 17).

Jamvero *S. Pontifex* potest leges generales interpretari non solum per seipsum, sed etiam per *Congregationes*, quibus suam delegat auctoritatem [1]. Notandum est tamen Sacras Congregationes non unâ ratione procedere in legibus exponendis : (a) aliquando enim, *solemni* et *generali* decreto, *speciali* auctoritate Pontificis approbato, controversiam dirimunt, ideoque in hoc casu eorum decreta vim legis habent [2]; (b) quandoque sensum legis exponunt, auctoritate sibi a S. Sede concessâ, et cum approbatione in formâ *communi* : tunc etiam interpretatio *mere declarativa* vim legis obtinet [3]; (c) sæpe vero ad dubia proposita respondent pro

[1] Ad Codicis canones *authentice* interpretandos, specialis Commissio a *S. P. Benedicto XV* instituta est *Motu proprio* diei 15æ Septembris 1918.

[2] Ita decretum 7 ap. 1879, declarans matrimonium civile, ubi lex *clandestinitatis* promulgata fuit, impedimentum *publicæ honestatis* non producere (*De Matrim.* n. 363). Tunc Pontifex decretum facit *suum*, illudque propriâ auctoritate promulgat.

[3] Ita decisiones *S. Cong. Concilii* in re morali et disciplinari, quando non sunt extensivæ, quæ promulgantur hoc modo ; *Factâ relatione, Sanctissimus approbavit et confirmavit.*

casu particulari, quin decretum generale emittant; hujusmodi decisiones tradunt quidem *prudentem* et *valde probabilem* agendi normam pro similibus casibus; *non* autem, juxta *Codicem*, c. 17, *authenticam*, et tenendam interpretationem : "Data autem per modum sententiæ judicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est."

298. 2° Ut decreta SS. Congregationum vim obligandi habeant, *authentica* esse debent, id est servatis conditionibus et *formalitatibus* a Pontifice præscriptis; et insuper *certo* constare, sive per insertionem in collectione authenticâ, sive ex relatione scriptorum fide dignorum. — Si interpretatio est mere *comprehensiva*, novâ promulgatione non indiget. Quando vero est *extensiva* aut *restrictiva*, *probabilius* novâ indiget promulgatione, quia nova lex merito censetur.

II. De interpretatione judiciali et usuali.

299. 1° **Judicialis** interpretatio fit per judices ecclesiasticos, qui legem applicant facto particulari. Ex quo sequitur illam interpretationem vim obligatoriam habere *quoad partes*, quæ rem judicibus subjecerunt, nisi tempore opportuno ad superiorem judicem appellaverint; quoad *alios* vero, non habet nisi auctoritatem *doctrinalem*, majorem tamen eâ quæ datur a doctoribus privatis. — Multum igitur juvant judicia a *SS. Tribunalibus* lata, etiam pro casu particulari, ad rite intelligendam ipsam legem; nonnisi tamen caute et prudenter afferri possunt, quia haud raro sententia pendet a circumstantiis specialibus quæ in tali casu inveniuntur, non autem in alio.

300. 2° **Usualis** interpretatio ea est quæ habetur ex generali communitatis observantiâ. Cum enim leges ad bonum communitatis ordinentur, ratio habenda est sensûs *communiter* recepti; inde natum est axioma : *consuetudo optima legis interpres.*

Tripliciter autem *consuetudo* ad legem intelligendam conferre potest : (a) consuetudo *antecedens* mentem legislatoris patefacit, quia censetur se moribus communitatis accommodâsse; (b) consuetudo *concomitans* idem præstat, quia communem subditorum sensum exhibendo tempore quo lex lata fuit, maxime juvat ad intelligenda verba a superiore adhibita; (c) consuetudo *subsequens* determinare potest legis extensionem; cum enim, ex dicendis, obligatio-

nem novam inducere et antiquam abolere possit, *a fortiori* obligationis extensionem definire valet : hoc ultimo casu vere *authentica* esse potest, quando videlicet omnibus dotibus gaudet ad legem condendam requisitis.

III. De interpretatione doctrinali.

Hæc fit a privatis doctoribus, *canonistis* et *moralistis;* valde quidem utilis est, dummodo hi sensum legis exponere, non autem pervertere quærant. Hinc quædam regulæ traduntur, quibus in re tanti momenti juvari possint, sive quoad *leges in genere*, sive quoad *quasdam leges in specie.*

1° *Regulæ quoad leges in genere.*

301. (A) Verba legis *sensu proprio accipienda sunt*, nisi ex adjunctis *manifesto constet legislatorem aliud sensisse.*

(a) Ratio *prioris* est quia legislator uti debuit verbis aptis ad manifestandam communitati suam voluntatem. Unde, ex *Codice*, c. 18. "Leges ecclesiasticæ intelligendæ sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quæ si dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias, et ad mentem legislatoris est recurrendum."

(b) Ratio *posterioris* est quia, cum lex sit ordinatio rationis, nihil *injusti*, *absurdi* aut *inutilis* legislatori imputari debet; si igitur sensus proprius aliquid hujusmodi contineret, a *litterâ* recedendum esset, ad melius assequendam superioris mentem. — Quare sic se habet regula 88ª juris, in *Sexto* : "Certum est quod is committit in legem qui, *legis verba complectens*, *contra legis nititur voluntatem.*"

302. (B) *Verba generalia generaliter intelligenda sunt;* v. g. si dicitur *omnes*, *nullus*, *nihil*, *totum*, etc. nihil excipi debet a lege, nisi ex contextu, locis parallelis aut aliis adjunctis, contraria mens legislatoris constet. Nam jus *canonicum* suum fecit hoc juris *romani* axioma : *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguemus* [1].

303. (C) Lex continetur in parte *dispositivâ*, non autem in *ratione assignatâ.* Motiva enim quæ legislator adducit non sunt ipsa lex, et, quanquam *sæpe* juvant ad intelligendam ejus mentem, aliquando tamen solido fundamento carent; dum pars *dispositiva* voluntatem legislatoris manifestat.

---

[1] *Decretal.*, cap. *Quia circa*, 22, *de privilegiis* (lib. V, tit. 33) : "Cum nihil exceperit et potuerit excepisse."

Ita, quando *C. Lateranense IV* (1215) restringit impedimentum consanguinitatis ad quartum gradum, hanc rationem tradit quæ certe fundamento caret : "Quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis[1]." — Unde *finis* intrinsecus legis non solum ex ratione assignatâ, sed ex historiæ monumentis, aliisve adjunctis inferri debet; et nonnisi *caute* applicandum est illud effatum : *ratio legis est anima legis.*

2° *Regulæ quoad quasdam leges in specie.*

304. (A) **Odia restringi et favores convenit ampliari**[2]. Ad intelligendam hanc regulam, hæc notanda sunt : (a) Ex *Codice*, c. 19, "leges quæ pœnam statuunt, aut liberum jurium exercitium coarctant aut exceptionem a lege continent strictæ subsunt interpretationi." (b) *Favores*, seu *favorabilia* intelliguntur gratiæ alicui concessæ, modo non sint contra jus commune aut contra jus quæsitum tertii.

Quibus positis, *lex odiosa restringitur*, id est non latius patet quam ipsa verba; ita, si interdictum feratur contra *populum*, *clerus* eidem non subjacet[3]. — Si lex sit *favorabilis*, *ampliatur*, seu intelligitur in totâ amplitudine quam patitur proprietas verborum; sic, in favorabilibus, vox *populus* complectitur *clerum*, vox *clerus* complectitur *episcopos*, etc.

Adsunt tamen *exceptiones*, de quibus in decursu operis.

305. (B) **In obscuris minimum est sequendum**[4]. Per *obscura* hic intelliguntur leges aut statuta, quorum sensus, sive in toto, sive quoad partem, ita obscurus est, ut neque ex *textu* legis, neque ex *contextu* aut *subjectâ materiâ*, vel ex *consuetudine* aliisve *adjunctis*, vera mens legislatoris appareat. Quo casu, licet *sequi minimum*, id est amplecti sensum qui minus subditos gravat. Nam jura proniora sunt ad liberandum quam ad obligandum, et contra eum qui clare potuit loqui interpretatio est facienda.

306. (C) **Lex specialis legi generali, etiam postea latæ, derogat**[5], id est, quando duæ dispositiones sibi contrariæ sunt, illa quæ *specialis* est, *prævalet*, et ita derogat *generali*,

[1] *Decretal.*, cap. *Non debet*, 8, *de Consanguinitate* (lib. IV, tit. 14).

[2] Regula 15 juris, in *Sexto*.

[3] *Decretal.*, cap. *Si sententia*, 16, de sentent. excomm. in *Sexto*.

[4] Regula 30 juris in *Sexto*.

[5] Regula 34 juris in *Sexto* idem significat . "*Generi per speciem derogatur.*"

sed in eo tantum in quo generali contraria est. — Jamvero lex specialis ea est quæ aliquod statuit de re sub aliquo genere contentâ; ita, lex de testamentis *ad causas pias* est specialis relative ad legem de testamentis *in genere;* lex de donationibus *inter conjuges* specialis habetur relative ad legem de donationibus *in genere*, et hæc specialis est relative ad legem de contractibus gratuitis.

Scholion de epikeiâ.

307. *Epikeia* (ἐπιείκεια, æquitas) locum obtinet, quando judicatur aliquem casum particularem, etsi certo in verbis generalibus legis comprehensum, eximi tamen ab obligatione legis ob speciales circumstantias.

Legitimitas *epikeiæ*, a jure romano admissa, sic exponitur a *S. Thoma*[1] : "Quia humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt; non fuit possibile aliquam regulam legis institui quæ in nullo casu deficeret; sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes; quam tamen in aliquibus casibus servare est contra æqualitatem justitiæ, et contra bonum commune quod lex intendit... In his ergo et similibus casibus malum est sequi legem positam; bonum est autem, prætermissis verbis legis, sequi id quod poscit justitiæ ratio et communis utilitas."

308. Sunt tamen *regulæ* in epikeiâ servandæ : (a) si quis, ob specialia adjuncta, *certo* aut *probabiliter* judicet legislatorem noluisse talem casum in lege comprehendere, et aliunde superiorem facile adire nequeat, tutâ conscientiâ legem prætermittere potest; sed, cum nemo debeat esse judex in propriâ causâ, hoc judicium non est ipsi agenti relinquendum, sed, in quantum fieri potest, viro prudenti et docto.

(b) Si, quando adest *probabile* tantum judicium, facile superiorem adire possit, tenetur *generatim* ad illum recurrere; nam inordinatum est pro subdito verba legis prætermittere, ob aliquod dubium, ubi de voluntate legislatoris certo constare potest. — Dixi *generatim*, non enim necesse est ad legislatorem recurrere, si casus specialis, de quo agitur, a doctoribus et judicibus ecclesiasticis jam hoc modo solutus fuit.

§ VI. De cessatione legis ecclesiasticæ.

Legis obligatio dupliciter cessare potest : 1° cessatione ipsius *obligationis*, permanente tamen ipsâ lege; 2° cessatione *legis*.

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 120, a. 1.

I. De cessatione obligationis a lege inductæ.

309. Quandoque lex, etiamsi *in se* permaneat, quosdam subditos obligare cessat, ob specialem rationem. Jamvero tres sunt præcipuæ causæ a legis obligatione eximentes : *ignorantia*, de quâ jam diximus (supra, n. 89-97), *impotentia moralis*, et *dispensatio*, de quibus seorsim disserendum.

1° *De impotentiâ morali.*

310. Impotentia nihil aliud est nisi incapacitas subjecti ad legem implendam; *absoluta* dicitur, quando opus lege præscriptum nullomodo effici potest, quia v. g. desunt vires, instrumenta, requisitæ conditiones; *moralis* adest, quando opus perfici nequit nisi cum extraordinario labore, vel instante periculo mali gravis aut privatione boni notabilis. — *Involuntaria* est, quando existit absque libero agentis consensu; *voluntaria*, quando libere contracta fuit.

(A) *Ab obligatione legis generatim eximit impotentia involuntaria, non solum absoluta, sed etiam moralis.* Ex dictis enim, n. 263, legislator non potest præcipere aliquid nimis onerosum : secus in destructionem præciperet, non in ædificationem; ergo, si in casu particulari legis observantia nimis difficilis evadit, aut impossibilis, eam urgere non intendit legislator.

Aliquando illa impossibilitas oritur ex concursu legis superioris; tunc lex naturalis præferenda est legi positivæ, divina humanæ, ecclesiastica civili, negativa affirmativæ, saltem communiter. — Quandoque vero procedit ex gravi incommodo, et in decursu operis exponetur quanta difficultas a lege excuset; id enim pendet ex indole ipsius legis multisque aliis adjunctis.

Dictum est impotentiam moralem *generatim* excusare; fieri enim potest ut lex tanti momenti sit ut observari debeat, non obstante quocumque incommodo.

311. (B) *A legis obligatione generatim eximit impotentia etiam voluntarie contracta*, dummodo *non* contrahatur *directe* ut lex impleri nequeat, et aliunde adsit *ratio proportionate gravis.* Huc enim recurrit principium superius expositum de effectu *indirecte* volito (n. 170-182).

Ita potest quis iter facere, etsi prævideat se non posse missam audire die festo, dummodo sufficientem habeat rationem itinerandi; non licet autem die jejunii venatum ire, solius recreationis causâ,

cum prævisione quod ita inducitur impotentia jejunandi. — Ad dijudicandum autem quænam ratio sufficiat, hæc præ mente habenda sunt : — quo gravior est lex et quo rarior ejus obligatio redit, ac quo propinquius urget, — eo major requiritur ratio; pariter multo gravior causa requiritur si quis *frequenter* vel *continuo* se impotentem reddat ad legem implendam, quam si *semel* aut *raro*.

2° *De dispensatione a lege.*

312. (A) **Notio.** (a) Dispensatio in genere est prudens administratio; cum vero ad prudentem administrationem pertineat moderatione uti, et quædam ex benignitate remittere, vocabulum *dispensatio* quamdam *lenitatem* et *condescensionem* in legum applicatione significat. — Definiri solet *relaxatio legis a superiore facta in aliquo casu particulari in quo lex secus obligaret.* Differt proinde ab *epikeiâ*, quæ judicat aliquem casum in lege non comprehendi; et ab *abrogatione* aut *derogatione* legis, quâ lex pro totâ communitate ex toto vel ex parte tollitur.

(b) Rationem cur dispensationem aliquando concedere expediat sic declarat *S. Thomas*[1] : contingit quandoque quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, non est conveniens huic personæ vel in hoc casu, quia per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum : expedit igitur ut in hoc particulari casu lex relaxetur; quia vero periculosum esset id committere judicio cujuslibet, nisi propter evidens et subitum periculum, oportet ut qui habet regere multitudinem potestatem habeat dispensandi in lege humanâ, quæ suæ auctoritati innititur.

313. (B) **De auctore dispensationis.** Ille dispensare valet potestate *ordinariâ* qui legem ferendi auctoritatem habet, — potestate vero *delegatâ* qui ab ipso legislatore ad hoc deputatur.

(a) *Jure ordinario seu nativo dispensare valent tum legislator, tum ejus superior quoad hoc*, i. e. quoad *dispensationem.* De ipso legislatore ejusque successore nulla difficultas, cum lex, tota quanta est, ab eorum voluntate pendeat. Quare *S. Pontifex* in omnibus legibus ecclesiasticis, etiam ab œcumenico concilio latis, dispensare potest; episcopus autem in statutis suæ diœcesis, etiam in synodo latis.

Idem dicendum est de *superiore quoad hoc;* hic enim, in ecclesiasticâ hierarchiâ, totam habet potestatem inferiorum;

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 97, a. 4.

sic Papa dispensare valet in legibus episcopalibus. Sed metropolitanus non potest dispensare in legibus episcopi suffraganei, quia non est ejus superior quoad omnia, nec *quoad hoc*, videlicet quoad concessionem dispensationum.

314. (b) *Jure delegato, seu mutuato, inferior aliquando potest dispensare in lege superioris*, quoties videlicet hanc potestatem a superiore accepit; jure *quasi ordinario*, quando hæc potestas alicui *muneri* permanenter est *annexa;* jure *mere delegato*, quando per superiorem *transeunter* est concessa.

Ita Ordinarii, potestate a *jure communi delegatâ*, dispensant in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum [1]; pariter dispensant in abstinentiâ et jejunio cum personis particularibus, imo aliquando cum totâ communitate [2]; dispensant in quibusdam impedimentis matrimonii, in casu urgentis necessitatis [3].

Ita etiam *parochi*, qui *jure proprio* nullam dispensationem concedere possunt, *ex jure communi delegato*, in particularibus casibus, dispensant in jejunio et abstinentiâ necnon in operibus servilibus die festo prohibitis; ita etiam *confessarii* [4].

Romanæ Congregationes pariter acceperunt potestatem dispensandi in legibus pontificiis, juxta limites præfinitos.

315. (C) **De subjecto dispensationis.** Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, *soli subditi* possunt a superiore dispensari. Quoad *S. Pontificem*, nulla difficultas : omnes siquidem baptizati sunt ejus subditi.

Sed quoad **episcopos**, aliosque, quorum jurisdictio intra limites alicujus territorii exercetur, hæc notanda sunt : (a) possunt dispensare cum **incolis** et **advenis** qui, ratione domicilii aut quasi-domicilii, sibi subditi sunt; imo cum **vagis**, qui, cùm subdantur legibus loci in quo versantur, censentur subditi quoad media necessaria aut utilia salutis, ideoque quoad dispensationem in legibus communibus Ecclesiæ; *probabilius* etiam cum **peregrinis**, qui in casu necessitatis ad proprium episcopum recurrere nequeunt, et hoc quidem ex *præsumpto consensu* proprii peregrinorum episcopi : secus enim peregrini privarentur medio valde utili ad salutem.

(b) Cum dispensatio sit actus jurisdictionis *voluntariæ*, et hæc possit extra territorium exerceri, episcopus, parochus aut delegati

---

[1] *Codex*, c. 990, § 1. — [2] *Codex*, c. 1245.

[3] Quid valeant episcopi quoad matrimonii impedimenta exposuimus in *Tr. de Matrim.*, n. 1046 sq.

[4] *Codex*, c. 1044-1045.

possunt dispensare cum *incolis* et *advenis*, etiam extra territorium degentibus, modo tamen hi remaneant subditi, id est domicilium aut quasi-domicilium retineant in territorio dispensantis.

(c) Qui facultate pollet dispensandi, secum dispensare potest, nisi aliud ex rerum naturâ aut ex jure constet, ut constat ex *Codice*, c. 201, § 3; nam jurisdictio *voluntaria*, qualis est potestas dispensandi, *ex se* non requirit distinctionem personarum, et aliunde nulla lex eam exigit in præsenti materiâ. — Hinc qui potestatem habet *ordinariam* aut *delegatam generalem* dispensandi in legibus, aut in votis et juramentis, hâc uti potest quoad seipsum [1].

316. (D) De conditionibus ad dispensationem requisitis. Ad *validitatem*, requiruntur :

(a) In *concedente*, *causa justa* et *rationabilis*, si dispenset in lege Superioris; nulla vero si dispenset in lege propriâ aut inferioris; in dubio de sufficientiâ causæ, valide concedi potest dispensatio [2].

(b) In petente, requiritur *allegatio rei necessario declarandæ*, nisi rescriptum sit *Motu proprio* concessum, (*Codex*, c. 45); *veritas unius saltem causæ finalis* seu motivæ tempore quo rescriptum datum est vel tempore executionis; et *recursus ad Superiorem* competentem, præsertim quando dispensatio jam fuit denegata (cf. cc. 43-44)

317. Ad *liceitatem* dispensationis, requiritur causa saltem probabiliter sufficiens, sub *levi*, si legislator dispenset, sub *gravi* in re gravi, si delegatus dispenset.

Quoad alia, cf. in *Codice* titulos de *rescriptis* et de *dispensationibus*.

[1] *Suarez*, liber VI, caput 12, n. 8-12; *Sanchez*, de Matrimonio, liber VIII, disp. 3. *Schmalzgr.*, in titulo de Constit., n. 65; *S. Alphonsus*, liber I, n. 183; liber III, n. 249, 256.

[2] *Codex*, c. 84 : " § 1. A lege ecclesiasticâ ne dispensetur sine justâ et rationabili causâ, habitâ ratione gravitatis legis a quâ dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est. — § 2. Dispensatio in dubio de sufficientiâ causæ licite petitur, et potest licite et valide concedi. "

II. De cessatione ipsius legis.

Lex ipsa cessare potest triplici præsertim modo: 1° per *abrogationem* et *derogationem;* 2° per *cessationem* finis; 3° per *consuetudinem* contrariam; de duobus prioribus hic agimus, cum de consuetudine in sequenti paragrapho sermo habendus sit.

318. 1° **De abrogatione et derogatione.** *Abrogatio* est *totalis* abolitio legis ab ipso legislatore facta; *derogatio* est *partialis* legis abolitio.

(A) Cum legis existentia a voluntate legislatoris pendeat, ipse, vel ejus successor aut superior, eam totaliter vel partialiter tollere potest.

Ut id vero *licite* fiat, rationabilis requiritur causa, quæ videlicet nihil aliud est nisi bonum ipsius communitatis. Quod quidem, juxta *S. Thomam* [1], dupliciter contingere potest: (a) humanæ siquidem rationi consentaneum est ut ab imperfecto ad perfectum perveniat; quare primi legum institutores, non valentes omnia considerare et prævidere, quædam statuerunt imperfecta et in multis deficientia, quæ ipsi aut successores sapienter immutaverunt; (b) præterea quod, antiquis temporibus, societati utile erat, potest, mutatis circumstantiis, inutile aut noxium fieri.

(B) Potest autem immutatio fieri dupliciter: (a) *expresse revocando* veterem legem; in *praxi* igitur, statim ac *certo* cognoscitur voluntas legislatoris abrogandi legem, subditi eam amplius servare non tenentur [2]; (b) *legem novam ferendo* legi præexistenti contrariam: tunc lex posterior "obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam." (*Codex*, c. 22).

319. 2° **De cessatione finis.** Cum lex sit *ordinatio rationis*, si totaliter cessat ratio quæ superiorem movit ad legem ferendam, eo ipso cessat lex ipsa. Sed, ad vitanda pericula quæ ex privato judicio in re hujusmodi facile contingunt, quædam conditiones requiruntur:

(a) Ut finis legis *totaliter* desinat: si enim subsistit *unum* e motivis, lex non fit inutilis, nec proinde desinit; ita si episcopus preces præceperit ad consequendam pacem cum hostibus, et internæ seditionis cessationem, non desinit lex pace obtentâ, si adhuc sæviat seditio; (b) ut finis *adæquate* cesset, id est pro omnibus legis articulis: si enim desinat solum pro uno aut altero, tollitur quidem obligatio illorum articulorum, *non* autem *aliorum* qui utiles manent,

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 97, a. 1. — [2] *Suarez*, l. VI, c. 27, n. 14-18.

ne videlicet *utile per inutile vitietur*[1]; (c) ut *generaliter* et *permanenter* cesset, id est, pro totâ communitate et pro longissimo tempore : si enim pro uno aut altero *privato*, non datur locus abrogationi, sed dispensationi aut epikeiæ; si pro *brevi* tempore, sufficit suspensio legis.

§ VII. De consuetudine, seu lege non scripta[2].

Hucusque de lege *scriptâ;* sed cum lex aliquando inducatur aut tollatur per *consuetudinem*, de hâc agendum est, quæ sæpe dicitur lex *non scripta.*

I. De notione, partitione et ratione consuetudinis.

320. 1° **Notio.** Consuetudo, seu potius *jus consuetudinarium* est *jus moribus communitatis inductum, cum aliquo consensu superioris.*

Declaratur : (a) In regimine *democratico*, ubi populus potestate legiferâ potitur, non requiritur ad consuetudinem consensus superioris, aut potius, cum populus ipse sit superior, ejus consensus in ipsis moribus implicite continetur. Verum, in Ecclesiâ Christi, in quâ populus legislativâ potestate non gaudet, consuetudo vim legis a consensu competentis Superioris *unice* habet (*Codex*, c. 25). — (b) Attamen jus consuetudinarium, quamvis *ultimo* suam vim a voluntate superioris obtineat, *originarie* non ab eo inducitur, sed ab ipsâ communitate, quæ frequenter et universaliter tali vel tali agendi modo suam mentem manifestat.

Consuetudo a *præscriptione* distinguitur : hæc enim est modus quo *privati* cives aut *privatæ* communitates aliquod jus acquirunt, vel ab aliquâ obligatione se liberant; dum consuetudo est *lex* pro *totâ societate* inducta[3].

321. 2° **Partitio.** (a) Ratione *extensionis*, consuetudo est *generalis* vel *particularis*, prout in totâ Ecclesiâ vel in quâdam Ecclesiæ parte recepta est.

(b) Ratione *relationis ad legem*, alia est *secundum* legem, quando legem existentem usu confirmat aut interpretatur; *præter* legem, quæ novam obligationem inducit; *contra* legem, quæ legi scriptæ derogat in toto vel in parte.

---

[1] Regula juris 37, in *Sexto.*

[2] *Reiffentuel, Pirhing, Schmalzgrueber, De Angelis, Santi*, aliique canonistæ in tit. *de Consuetudine; Suarez*, lib. VII; *Billuart*, diss. V, art. 2; *S. Alphons.*, n. 107-109; *Ball. P.*, n. 257-286; *Bouquillon*, n. 209-213; *Noldin*, n. 175-180; *Kreutzwald*, De canonicâ juris consuetudinarii præscriptione, Friburgi Brisg., 1873.

[3] De præscriptione agimus in *Tr. de Virtute Justitiæ*, n. 243-263.

322. 3° **Ratio juris consuetudinarii.** (a) Consuetudine posse *induci novam legem* facile intelligitur. Leges enim eo efficacius finem suum, videlicet bonum publicum, attingunt, quo magis accommodatæ sunt moribus communitatis : tunc enim facilius et suavius servantur; atqui nil certo his moribus magis accommodatur quam consuetudo ab ipsâ communitate inducta et per longum tempus firmata; ergo omnino decebat ut legislator auctoritate suâ firmaret consuetudines ad bonum societatis promovendum aptas. Ita introducta sunt quædam impedimenta, ut disparitas cultûs, necnon quædam jejunia. — Idem dici potest de consuetudine, quæ legem interpretatur.

(b) Consuetudo quæ *legem existentem abrogat*, rationi consentanea pariter dici debet. Nam, ut lex bonum societatis promoveat, non debet esse nimis ardua nec humanæ infirmitati impervia; jamvero si lex adversatur longævæ consuetudini, quam cæteroquin rationabilem esse supponimus, exinde merito infertur illam legem nimis esse arduam ideoque abolendam. — Quod quidem magis evidens apparet pro Ecclesiâ quam pro quâlibet aliâ societate : Ecclesia enim est *perpetua* et *universalis;* jamvero lex quæ uni sæculo accommodatur, vel alicui regioni, sæpe, labentibus sæculis aut mutatis adjunctis, suam utilitatem amittit, imo quandoque plura habet incommoda, præsertim in tali vel tali regione. Omnino igitur decebat ut antiquatæ leges contrariâ consuetudine aboleri possent.

II. De conditionibus requisitis ut consuetudo sit legitima.

Ex quintuplici fonte oriuntur : ex parte *legislatoris*, — *communitatis*, — *materiæ*, — *actuum* quibus inducitur, et *temporis*.

323. 1° Ex parte *legislatoris* requiritur *consensus*, ut constat ex jam dictis, n. 320. — (a) Non stricte tamen (sed plane sufficit) consensus qui dicitur *personalis*, quo videlicet legislator, *cognoscens aliquam individuam consuetudinem* alicubi existentem, huic assentitur sive *expresse*, sive *tacite*, quando nempe non reclamat, cum facile possit. (b) Sufficit proinde consensus *legalis*, qui datur per modum legis generalis, quando videlicet legislator, in ipso jure, declarat vali-

turas esse consuetudines quaslibet, modo designatis vestiantur conditionibus; ita enim suum consensum clare, quanquam modo generali, exprimit. Jamvero rem ita se habere in jure canonico, patet ex celebri declaratione *Gregorii IX* : " Licet enim longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, *nisi fuerit rationabilis* et *legitime sit præscripta*[1]."

324. 2° Ex parte *communitatis*, duo necessaria sunt : (a) ut consuetudo inducatur a communitate, cui lex imponi potest; si enim non est capax legis accipiendæ, neque est capax legis inducendæ. Jamvero communitates quæ, ex jure canonico, illâ capacitate gaudent, sunt : universalis Ecclesia, provincia, diœcesis, civitas, oppidum, et probabilius *parochia*, — necnon ordo religiosus, communitas religiosa, capitulum, seminarium, et confraternitas : his enim omnibus lex imponi potest a Pontifice vel episcopo; — familia autem aut vir privatus consuetudinem inducere nequit.

(b) Ut *major pars communitatis* actus eliciat consuetudinis inductivos; non sufficit quidem *minor* pars, cum hæc *majori* imperare non valeat; nec requiritur *universalitas*, cum etiam in cœtu legislativo non necessaria sit universalitas suffragiorum; sufficit igitur *major pars*, quæ communitatem moraliter repræsentat.

325. 3° Ex parte *materiæ*, seu *objecti*, requiritur ut sit *rationabilis*, saltem *negative;* ideoque ut non sit contraria juri *naturali* aut *divino novæ legis*, cum, ex superius dictis, n. 227 et 256, utrumque sit immutabile; nec expresse aut æquivalenter ab ipso jure canonico reprobata; neque ansam peccandi præbeat aut societati sit perniciosa. Judicium autem de *rationabilitate* consuetudinis ad viros prudentes spectat, doctores, confessarios, viros honestos, — vel ad judicem, si res ad forum externum deducatur. — Non requiritur autem ut sine peccato inchoetur; haud raro primi qui contra legem præscribunt, peccant; sed consuetudo, etiam *malâ fide* cœpta, valet, dummodo sit negative rationabilis sensu exposito.

[1] *Decretal.*, c. Cum tanto, 11, *De consuetud.*, lib. I, tit. 4.

326. 4° Ex parte actuum quibus consuetudo inducitur. Hi debent esse : (a) *liberi*, id est, neque ex ignorantiâ aut errore, neque ex vi aut metu procedere, sed ex voluntate liberâ cum præviâ cognitione; secus, non sunt actus vere humani, nec proinde obligationem inducere aut tollere valent; (b) *frequentes* et *continui*, seu non interrupti : si enim *raro* admodum occurrant, aut *interrumpantur* sive ex parte populi, sive ex parte Principis transgressores punientis, jam dici nequeunt constituere *mores* communitatis, qui quamdam frequentiam et continuitatem supponunt : (c) *cum intentione* saltem *interpretativâ jus inducendi* vel *juri derogandi :* actus enim moraliter non operantur ultra intentionem agentis; ideoque non sibi imponunt novam obligationem, qui ex merâ devotione agunt (v. g. in quotidianâ missæ auditione), neque contra legem præscribunt, si ex inconsideratione ejus præscripta non servant. — Valet *probabiliter* consuetudo, etiamsi lex, contra quam præscribitur, non sit *explicite* nota, dummodo *interpretativa* habeatur intentio legem abolendi; ita diœcesis, quæ contra legem jejunii in genere præscribit, et non servat novum jejunium, ipsi ignotum, sufficienter habet intentionem illud jejunium abolendi.

327. 5° Ex parte *temporis.* Juxta *Codicem*, can. 27, 28, consuetudo *contra legem* non valet nisi fuerit "legitime per annos *quadraginta* continuos et completos præscripta; contra legem vero ecclesiasticam quæ clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola præscribere potest rationabilis consuetudo *centenaria* aut *immemorabilis.* Consuetudo quæ in jure expresse reprobatur, non est rationabilis. Consuetudo *præter legem*, quæ scienter a communitate cum animo se obligandi servata sit, legem inducit, si pariter fuerit rationabilis et legitime per annos *quadraginta* continuos et completos præscripta."

328. **Corollarium.** Exinde inferri potest quomodo intelligi possint clausulæ quædam, legibus pontificiis additæ, ad reprobandas consuetudines.

(a) Lex universalis tollit quidem consuetudinem universalem sibi contrariam, sed *per se* non tollit consuetudines particulares quas legislator ignorare potest.

(b) Clausula "*non obstante quâcumque consuetudine*" tollit

quidem omnem consuetudinem ordinariam, non vero *immemorialem*, eam scilicet cujus initii memoria non existit.

(c) Clausula "*non obstante quâcumque consuetudine etiam immemoriali*" aufert quidem omnes consuetudines universales prævias, sed non impedit quin nova consuetudo legi contraria formari possit.

(d) Clausula "*exclusâ quâvis consuetudine in futurum*" impossibilem reddit consuetudinem ordinariam novæ legi contrariam, sed minime impossibilem reddit contrariam consuetudinem centenariam aut immemorabilem ut constat ex Codice, c. 27, § 1. Hinc contra leges disciplinares Tridentinas admittitur consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Cetera de consuetudine et lege ecclesiasticâ vide apud *Canonistas*.

Scholion : de Codice juris canonici.

329. Ecclesiastica legislatio, quæ olim in *Corpore juris canonici*[1] multisque aliis documentis subsequioris ævi continebatur, hodie invenitur in *Codice juris canonici*, Pii X Pontificis M. jussu digesto, et Benedicti P. XV auctoritate promulgato, qui vim obligandi *ex integro* habuit a die Pentecostes 1918, die 19ª Maii.

(A) Scopus Codicis fuit "universas Ecclesiæ leges, ad hæc usque tempora editas, lucido ordine digestas in unum colligere; amotis inde quæ abrogatæ jam essent aut obsoletæ; aliis, ubi opus esset, ad nostros præsentes mores opportunius accommodatis; aliis etiam, si quando necesse aut expedire videretur, ex novo constitutis."

(a) Unam respicit *Latinam* Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quæ ex ipsâ rei naturâ etiam Orientalem afficiunt (Can. 1).

(b) Plerumque nil decernit de ritibus et ceremoniis; quare omnes liturgicæ leges, vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur (c. 2.)

(c) Codice minime abrogantur *conventiones* ab Apostolicâ

[1] Optimam editionem criticam *Corporis juris canonici* edidit *Richter* quam postea expolivit et notis instruxit *Friedberg*, *Lipsiæ*, 1879-1881 : ibi invenies erudita *Prolegomena* de indole et auctoritate partium ex quibus constat *Corpus juris*. — *Corpus juris canonici* sex partibus constabat : 1° *Decreto Gratiani;* 2° *Decretalibus Gregorii IX;* 3° *Sexto Decretalium Bonifacii VIII;* 4° *Clementinis Clementis V;* 5° *Extravagantibus Joannis XXII;* 6° *Extravagantibus communibus.*

Sede cum variis Nationibus initæ, neque *privilegia atque indulta* personis sive physicis sive moralibus concessa, nisi expresse Codicis canonibus revocentur.

(B) Quoad leges *antea latas* hæc decernit *Codex* (c. 6) :

"1° Leges quælibet, sive universales sive particulares, præscriptis hujus Codicis oppositæ, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur;

2° Canones qui jus vetus ex integro referunt, ex veteris juris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt æstimandi;

3° Canones qui ex parte tantum cum veteri jure congruunt, qua congruunt, ex jure antiquo æstimandi sunt; qua discrepant, sunt ex suâ ipsorum sententiâ dijudicandi;

4° In dubio num aliquod canonum præscriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum;

5° Quod ad pœnas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativæ, latæ vel ferendæ sententiæ, eæ tanquam abrogatæ habeantur;

6° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quæ usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit juris divini sive positivi, sive naturalis."

(C) *Divisio Codicis.* In ipso limine tria inveniuntur : (a) *Præfatio* in quâ *Cardinalis Gasparri* historiam collectionum Juris canonici erudite exponit, et rationem ac methodum Codicis lucide declarat; (b) *Constitutio Benedicti XV* Codicem promulgantis et vim legis habere pro universâ Ecclesiâ decernentis; (c) *Professio catholicæ fidei* in quibusdam circumstantiis emittenda.

Codex ipse 2414 canones complectitur in quinque libros distributos.

In I° libro proponuntur *Normæ generales.*

Liber II *de personis* agit, nempe *clericis*, *religiosis*, *laicis.*

Liber III *de rebus*, videlicet de *sacramentis* in genere et in specie; de *locis* et *temporibus* sacris, de *cultu divino*, de *magisterio ecclesiastico*, de *beneficiis* aliisque *institutis* non collegialibus, de bonis Ecclesiæ temporalibus.

Liber IV *de processibus*, scilicet de *judiciis*, de causis *beatificationis* et *canonizationis*, de modo procedendi in nonnullis negotiis vel sanctionibus pœnalibus.

Liber V *de delictis et pœnis.*

Codicem sequuntur octo documenta, inter quæ notetur præsertim Constitutio *Pii X*, *Vacante Sede Apostolicâ*, 25 dec. 1904, ubi ea omnia præscribuntur quæ vacante Sede Apostolicâ agenda sunt.

Art. IV. De lege civili.[1]

332. Sicut societas *ecclesiastica* leges ferre potest ad bonum *spirituale* fidelium, ita pariter auctoritas *civilis* leges condere valet ad promovendam *directe* civium *temporalem* felicitatem, et *mediate* eorum bonum spirituale; nam et ipsa felicitas temporalis ad finem altiorem reducitur, videlicet *virtutum praxim*, quæ ultimo ad æternam beatitudinem conducit. Itaque ipsa lex civilis, dummodo sit *ordinatio rationis*, est vere actûs humani *norma*, cum *ultimo* tendat ad cives perficiendos et perducendos ad suum finem.

Hic, ex dictis in *Philosophiâ*, præsupponimus hominem esse *naturâ* ens sociale, ideoque societatem civilem esse *a naturâ*, seu, aliis verbis, *a Deo* naturæ auctore, non autem oriri ex *mero pacto sociali*. In omni vero societate quædam auctoritas esse debet, quæ reipublicæ præsit; hæc autem auctoritas, quocumque modo designatur, sive optimatum aut populi suffragio, sive recepto nativitatis jure, a Deo procedit, juxta illud Apostoli[2]: "Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt... Dei enim minister est tibi in bonum." Revera, ut arguit *Leo XIII*, neque existere neque intelligi societas potest, in quâ non aliquis superior voluntates temperet, easque ad commune bonum recte impellat; voluit igitur Deus ut in civili societate essent qui multitudini imperarent. Vi hujus auctoritatis, qui societati præsunt, sive *Principes*, sive *Cœtus legislativi*, possunt, tanquam *Dei ministri*, leges condere quæ obligent in conscientiâ. Quare dicemus: 1° de *conditionibus* requisitis ad legem civilem; 2° de ejus *obligatione morali*.



[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 95-96; *Suarez*, lib. III, V, VI; *Billuart*, diss. III-IV; *Müller*, § 50-60; *Bouquillon*, n. 214-252; *Van Gestel*, De Justitiâ et lege civili, Groningæ, 1896; *Bautain*, op. cit., ch. 11-12, 16-17; *Waffelaert*, Etude de Théol. Morale sur l'obligation en conscience des lois civiles, Tournai, 1884.

[2] *Rom.*, XIII, 1, 4. Cfr. *Leo XIII*, Encyc. *Diuturnum*, 29 jun. 1811, et *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

§ I. De conditionibus requisitis ad legem civilem.

Ut lex civilis *justa* sit, ideoque vim obligandi habeat, quædam requiruntur conditiones ex parte *auctoris, promulgationis, et objecti.*

I. De auctore legis civilis.

333. 1° Facultas leges ferendi, quoad res temporales, residet in *legitimis superioribus*, qui diversi sunt secundum diversam societatis constitutionem. Sub regimine *monarchiæ absolutæ*, hæc auctoritas exercetur a *rege*, seu supremo principe. Ubi prævalet *aristocratia*, seu optimatum potestas, leges conduntur a *Cœtu optimatum.* Sub regimine *democratico*, potestas residet in cœtu a communitate electo. In plerisque societatibus modernis, leges *proponuntur* a ministris Statûs, aut membris *Cœtus legislativi*, atque, post publicam coram eodem Cœtu disceptationem, suffragio acceptantur, et a potestate supremâ sanciuntur.

Necesse est igitur eos omnes, quibus cura leges condendi incumbit, æque et honeste agere, bonumque publicum intendere, non autem paucorum. Graviter itaque peccant qui pecuniam accipiunt ad suffragium ferendum pro lege quæ publico bono noxia fore prævidetur.

334. 2° *Usurpator*, qui potestate publicâ potitur, *ex se* quidem jus non habet leges ferendi; sed statim ac *quietâ possessione* imperii fruitur, tacite saltem acquiescente populo, necesse est, propter bonum publicum, ejus præceptis legibusque parere, ceteroquin justis, usquedum legitimis mediis ejus auctoritas excutiatur. Id clare docuit *Leo XIII :* "In rebus autem non injustis parendum eis esse qui præsunt, conservandi causâ ordinis, in quo est publicæ fundamentum incolumitatis, nemo dubitat : nec tamen est consequens, obtemperando approbari, si quidquam est aut in Constitutione aut in administratione civitatis non justum[1]. "

II. De promulgatione legis civilis.

335. 1° Lex civilis *promulgari* debet et *publici juris* fieri, sed modus utrumque præstandi apud varias gentes diversus est. In multis modernis Statibus, promulgatio fit actu *supremæ auctoritatis*, quæ legem ratam habet, eamque præcipit *publicari*, generatim in *diario officiali*, et *executioni*

[1] *Leo XIII*, Epist. 22 oct. 1880, ad archiep. *Parisiensem.*

mandari. Plerumque non incipit obligare nisi uno aut altero die vel pluribus diebus post promulgationem[1].

336. 2° Ad vim legis civilis *per se* necessaria non est *populi acceptatio;* nam, etiam sub regimine democratico, potestas legislativa exerceri potest absque recursu ad populum : semel enim legitime factâ delegatione auctoritatis, Cœtus legislativus aliive superiores non restringuntur in exercitio suæ potestatis nisi auctoritate superiori. Sed, in quibusdam regionibus[2], cautum est ut quædam leges majoris momenti non obligarent nisi post acceptationem populi : tunc utique ad populum *referri* debent. Quod quidem bono regimini sæpe favet dummodo cives curam habeant de bono publico, et libere sua suffragia edant : ita enim leges moribus populi melius accommodantur et libentius servantur[3].

III. De objecto legis civilis.

337. 1° Lex civilis modo *generali* ea omnia regulare potest quæ ad *bonum temporale* civium spectat, proindeque : (a) *bona fortunæ*, eorum scilicet legitimam acquisitionem et transmissionem, quidquid agriculturæ, industriæ, commercio aut variis artibus favet; (b) *bona corporis*, curando ut aptis mediis conservetur et augeatur civium numerus, ut nil

[1] Ita, in *Galliâ*, ex decreto 5 nov. 1870 adhuc vigente, "une loi nouvelle est exécutoire dans chaque arrondissement *un jour franc* après que le numéro du *Journal officiel* qui la contient est parvenu au chef-lieu de cet arrondissement" (*Planiol*, Tr. élém. de Droit Civil, Paris, 1901, t. I, n. 170.) — In *Belgio :* " Les lois, après leur promulgation, sont insérées au *Moniteur*, texte français et texte flamand en regard. Elles sont obligatoires dans tout le royaume *le dixième jour* après leur publication, à moins que la loi n'ait fixé un autre délai (*De Le Court*, Codes Belges, Complément, p. 300). — In *Italiâ :* " La legge non deviene obligatoria nel giorno stesso della sua pubblicazione, ma nel 15° giorno dopo (escluso cioè il *dies a quo*, e compreso il *dies ad quem*) salvo che nella legge stessa non sia disposto altrimenti " (*E. Gianturco*, Istituzioni di Diritto civile, Firenze, 1901, p. 13). — Quoad *Status Americæ Fœderatos*, leges generales a *Congressu* editæ statim obligant ac promulgatæ fuerunt, nisi aliter in ipsâ lege statuatur; ita ap. *A. Carlier*, La République américaine, Paris, Guillaumin, 1890, t. 3, p. 257; cfr. *Bryce*, The American Commonwealth, New York, 1896, t. I, ch. 16 et 40.

[2] Ita in *Helvetiâ*, et quibusdam Statibus americanis, de quibus vide *Bryce*, op. cit., ch. 39.

[3] Hinc, etiam in *Medio Ævo*, multi reges, præsertim *Carolus Magnus*, consensum et acceptationem populi quoad novas leges exquirere non dubitârunt, ut refert *G. Kurth*, Les origines de la civilisation moderne, Paris, 1903, t. II, ch. 13, p. 225-229.

fiat publicæ sanitati contrarium, ut orphanotrophia, nosocomia aliaque caritatis instituta erigantur ad illis subveniendum qui in necessitate versantur; (c) *bona intellectûs*, providendo rectæ juniorum institutioni in litteris, scientiis et artibus *humanis*, quæ ad bonum privatorum et societatis maxime conferunt; (d) *bona voluntatis*, morales virtutes promovendo, vitia coercendo et puniendo; (e) *bona proprie socialia*, videlicet ipsam societatis constitutionem, formam regiminis, rerum publicarum administrationem, relationes inter varios civium ordines, necnon defensionem totius communitatis jurium contra exterarum gentium injustam aggressionem.

338. 2° In rebus quæ *mere temporales* sunt, Status leges condere valet independenter ab Ecclesiâ, non autem independenter a Deo.

Hinc, (a) legem naturalem *positivis præscriptionibus sanciri* potest, v. g. parentes cogendo ad filios minores enutriendos, filiosque ad alimenta parentibus præbenda; (b) legis naturalis præscripta nimis vaga et generalia *magis specifice determinare*, v. g. conditiones statuendo ad validitatem contractuum, ad filiorum successionem in bonis parentum; (c) *legem naturalem additionibus complere*, quædam præscribendo quæ *ex se* indifferentia sunt, sed, ratione circumstantiarum, bonum commune promovere valent, v. g. relate ad vias aut plateas, ad piscationem aut venationem, etc. — *Nullomodo autem contra legem naturalem statuta ferre potest;* cum enim lex sit *ordinatio rationis*, lex humana in tantum habet de virtute legis in quantum est rectæ rationi consentanea : "si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio[1]."

339. 3° In iis vero quæ *mixtæ* sunt, id est quæ referuntur ad finem spiritualem simul et temporalem, Status leges ferre nequit præscindendo a societate ecclesiasticâ, sed de his cum Ecclesiâ pacisci potest, ut sæpe fit in *Concordatis*. Cum enim utraque potestas aliquid de his rebus præcipere valeat, facile orietur conflictus, nisi communi concilio res æque et pacifice definiatur. Ita v. g. in legislatione *scholari*.

[1] *S. Thom.* 1. 2æ, q. 95, a. 2.

ita scientiis et artibus providendum est ut nihil contra fidem aut bonos mores moliatur; in contractu *matrimoniali*, de effectibus civilibus, de mutuis juribus et officiis conjugum, de filiorum legitimitate ita statuendum est ut unitati et sanctitati matrimonialis vinculi nihil detrimenti afferatur[1].

340. 4° In rebus *mere spiritualibus*, Status nihil propriâ auctoritate statuere potest; sed indirecte et ministerialiter *potest*, atque, positis ponendis, *debet* Ecclesiam juvare in veram religionem tuendo, ut exposuimus in *Tr. de Ecclesiâ*, n. 233-238.

§ II. De obligatione legis.

341. **Status quæstionis.** 1° Lex *civilis* obligat *solos subditos;* subditi vero possunt esse vel *cives*, vel *exteri* in territorio degentes. **Cives**, qui in *proprio* morantur territorio, *per se* subjiciuntur omnibus legibus *suæ conditioni convenientibus*[2]; si extra patriam degunt, quibusdam legibus subjecti manent, iis præsertim quæ personalem statum personaliaque officia respiciunt, non autem omnibus, iis speciatim quæ ut *territoriales* habentur. — **Exteri**, quando in alicujus societatis territorio degunt, nonnullis subjiciuntur legibus, iis præcipue quæ ordinem et tranquillitatem publicam respiciunt, vel bona ibi possessa. — Quoad particularia, varii Codices adiri debent.

2° Hic autem præsertim de *morali obligatione* legis civilis inquirimus, num in conscientiâ obliget 1° lex *præcipiens et prohibens*, 2° lex *irritans*, 3° lex *mere pœnalis?*

I. De obligatione legis præcipientis et prohibentis.

342. **Thesis.** *Lex civilis justa, aliquid præcipiens aut prohibens, vere obligat in conscientiâ, et quidem per se sub gravi.*

(A) Id enim multoties declarant *Scripturæ :* (a) Cum enim omnis potestas sit a Deo, "qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi *damnationem* acquirunt... ideo necessitate subditi estote, non solum

[1] De quibus magis explicite disserimus in Tr. de *Variis Statuum obligationibus*, n. 6-11, et in parte dogmaticâ *Tr. de Matrimonio*, n. 32-39.

[2] Quidam enim cives ab aliquot legibus immunes esse possunt. — De *clericorum* immunitate in *jure canonico* agitur.

propter iram, sed etiam *propter conscientiam*[1]"; ex quo sequitur leges civiles aliquando saltem *in conscientiâ* obligare, et quidem sub pœnâ *damnationis*. (b) Ratio assignata idem ostendit : ideo enim principibus aliisque superioribus in ordine civili obediendum est quia hi sunt ministri Dei, ab eo missi, ideoque ejus auctoritatem aliquo modo participant : "Dei enim *minister* est tibi in bonum... Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit"[2]; — Subjecti igitur estote omni creaturæ *propter Deum :* sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tamquam *ab eo missis* ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum"[3]. Proinde, sicut Deus obligare potest in conscientiâ, et quidem sub gravi, ita pariter qui ejus vices gerunt in terris.

(B) *Ratio* desumitur ex ipso conceptu legis civilis superius tradito, n. 332. Cum enim lex civilis, etsi immediate ad bonum temporale ordinata, *mediate* et *ultimo* referatur ad bonum æternum, videlicet ad praxim virtutum quæ ad Deum conducunt, vere dici potest legis civilis observatione cives ad finem ultimum dirigi, ejusque violatione ab ultimo fine averti; jamvero aversio ab ultimo fine est peccatum, et quidem grave.

343. Dictum est tamen : *per se sub gravi obligat.* Nam, ut peccatum sit grave, duo requiruntur : *gravitas materiæ*, quæ dijudicari debet non solum ex ipsâ re præceptâ, sed ex fine intento (*supra*, n. 274-275); et *intentio legislatoris*, quæ ex variis adjunctis dignoscitur, præsertim vero ex populi sensu et prudentûm interpretatione. Hic autem notandum est ex pœnâ gravi non semper inferri gravitatem transgressionis; nam quandoque infligitur pœna gravis propter leve delictum (v. g. in casu venationis et piscationis), quo efficacius cives a violatione legis deterreantur. — Non autem audiendi sunt qui contendunt hodiernos legislatores non intendere moralem obligationem civibus imponere, quia et ipsi Dei existentiam et omne moralitatis fundamentum rejiciunt; nam, etiamsi quidam ex his istos nefandos errores propugnent, volunt tamen suarum legum observantiam promovere, meliori quo possunt modo, ideoque *implicite* subditos morali vinculo ligare, cum hoc sit medium efficacissimum.

344. **Corollarium.** Generatim hujusmodi leges in conscientiâ obligant *ante sententiam judicis*, etiam in *materiâ justitiæ*. Ad cujus intelligentiam sciendum est in hâc

[1] *Rom.*, XIII, 1-5. — [2] *Rom.*, XIII, 4. — [3] *I Petr.*, II, 13-14.

materiâ duplici modo ferri posse : leges *determinativas proprietatis*, et leges *irritantes quosdam actus* proprietatis translativos. De prioribus hic agimus, de posterioribus infra, n. 345.

Leges *determinativæ proprietatis* eæ sunt quæ magis explicite et distincte definiunt jura civium quoad dominium. Jus enim naturæ haud raro obscurum et indeterminatum manet in hâc materiâ; ideoque ad potestatem civilem spectat legem naturalem hâc de re accuratius declarare, ut jurgia et lites præcaveantur; ita quoad res inventas vel amissas, quoad præscriptionem bonorum, quoad jura scriptorum in fœtus proprii ingenii, etc., auctoritas civilis jus naturæ plus minusve incertum accurate definivit. Jamvero hujusmodi leges obligant in conscientiâ, etiam ante sententiam judicis, juxta communem sententiam. Id probant argumenta in thesi allata; hic enim agitur de re *temporali*, insufficienter jure naturæ determinatâ, circa quam proinde Status, ut Dei minister, ferre potest leges statim obligantes in conscientiâ.

II. De obligatione legis irritantis.

345. Auctoritati civili competit potestas *irritandi quosdam subditorum actus*, qui cæteroquin jure naturæ sunt validi. Id communiter admittunt theologi contra paucos; et merito. Nam auctoritas suprema et independens, prout est societas civilis, statuere potest, in foro suo, quidquid requiritur ad bonum publicum promovendum; atqui bonum publicum aliquando postulat ut quidam actus et contractus, etsi jure naturæ validi, tanquam nulli habeantur; tales sunt v. g. quidam contractus a minoribus, aut ex metu vel sine legalibus formis initi. — Aliunde quandoque bonum publicum exigit ut illi contractus non solum in foro externo, et post sententiam judicis, sed etiam in foro conscientiæ, et ante sententiam declaratoriam, invalidi habeantur : secus enim multiplicarentur lites, et pauperes, qui expensas litium solvere nequeunt, a potentioribus facile opprimerentur. Ergo lex civilis potest, ob graves rationes, quosdam actus irritare in conscientiâ, etiam ante judicis sententiam.

Attamen, cum in materiâ odiosâ versamur, *non facile præsumitur* lex omnino irritans, sed certo probari debet; proinde si de merâ

prohibitione rationabiliter intelligi potest, benignior interpretatio sequenda est; pariter, si, in casu particulari, dubitetur num legislator voluerit actum aliquem irritare ante judicis interventum, et aliunde bonum publicum non evidenter rescissionem actûs exigat, exspectari potest judicis sententia [1].

Ratio discriminis inter hunc et alterum casum (n. 344) est quia lex *determinativa proprietatis* est materia favorabilis, dum lex *irritans actum ex se validum* est quid odiosum.

III. De obligatione legis pœnalis.

346. 1° Lege civili pœnas decerni posse contra delinquentes omnes concedunt; secus enim leges a multis impune violarentur; quare qui persuasione ad bonum non inclinantur, per pœnas a malo averti debent. — Pœna tamen supponit culpam, eique proportionari debet : secus, æqua non esset. — Attamen admittitur, in foro externo, culpa quæ dicitur *juridica*, omissio videlicet illius diligentiæ quæ lege requiritur, quidquid sit de interno reatu. Unde occurrere potest ut quis reus *juridice* habeatur, etsi coram Deo sit innocens, propter inadvertentiam : quo casu lex civilis, onus damnum reparandi imponens, non obligat nisi post sententiam judicis [2]. — Cæteroquin lex pœnalis obligat quidem *justitiæ ministros* ad reos prosequendos, et *judices* ad pœnas infligendas iis qui sontes juridice probati sunt; non obligat autem ipsos reos ad pœnam subeundam ante judicis sententiam : id enim nimis odiosum esset.

347. 2° Hic autem inquiritur num sint leges *mere pœnales*, id est quæ **disjunctive** obligant **vel** ad actum ponendum aut omittendum, **vel** ad pœnam subeundam legis violatoribus inflictam. *Communiter* affirmative respondetur; nam, quando agitur de rebus ad bonum commune utilibus, non autem necessariis, aliqua coactio valde expedit, et aliunde minus opportunum videtur rem præcipere aut prohibere sub pœnâ peccati; quare legislator aliquando *mulctâ* aliâve pœnâ suam legem sancit, quin tamen intendat violatores aliquem reatum culpæ incurrere; ita multi putant mere pœnalem esse legem quæ venationem prohibet absque speciali licentiâ *(permis de chasse)*. — Attamen *principium*

[1] Quod fusius exponitur in *Tr. de Virtute Justitiæ*, n. 617-619.

[2] Rem declaramus in *Tr. de Virt. Just.*, n. 474-476.

generale est leges civiles non esse mere pœnales, sed generatim obligare in conscientiâ, nisi contrarium probetur. Unde, in casibus particularibus, ad judicandum utrum lex sit *mere pœnalis* necne, attendi debet voluntas legislatoris, prout dignosci potest ex ipsius declaratione, ex naturâ legis et pœnæ, aliisque adjunctis. — De lege *tributorum* ir specie agimus in *Tr. de Virtute Justitiæ*, n. 590-598.

348. Corollarium. Ex dictis sequitur errare eos qui æquas leges civiles parvipendunt, et, absque gravi ratione, violant : ita enim contradicunt Christo qui dixit [1] : " Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo "; contradicunt Apostolis, qui obedientiam præcipiunt superioribus etiam dyscolis; contradicunt primævis Patribus et christianis, qui *justis* imperii legibus sese submittere non dubitârunt. Et sane catholici exemplum præbere debent in omnibus, etiam in legum civilium observantiâ.

Si vero quædam lex civilis sit *iniqua* (quod non præsumitur, sed validis argumentis probari debet), in conscientiâ non obligat, quia non est *ordinatio rationis*, proindeque non est lex. Imo, in societate democraticâ, in quâ cives aliquomodo potestatem legislativam participant, honestis viris *officium* incumbit totis viribus conandi iniquæ legis abrogationem procurare. Ad quod maxime prosunt illæ civium *consociationes*, quæ de rebus publicis curantes, sedulo cavent ne ad Cœtum legislativum eligantur qui injustis legibus favent.

"Beati immaculati in viâ qui ambulant in lege Domini [2]." Omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quomodo ad eam perveniatur plurimi nesciunt. Illis viam ostendit *Psalmista : immaculati* seu perfecti, ideoque *beati* sunt qui legem Domini fideliter custodiunt : legem enim implendo, sive cordibus inscriptam, sive divinitus revelatam, aut a legitimâ auctoritate promulgatam, in ipsum Deum, perfectionis et beatitudinis fontem, inoffenso pede tendunt.

[1] *Matt.*, XXII, 21.

[2] *Ps.* 118 (hebr. 119), 1; integer psalmus legis divinæ præconia complectitur; cfr. *S. August.*, Comment. in hunc ps.

De Conscientiâ.

349. Ut ad finem ultimum tendere valeamus, non sufficiunt leges, quibus modo *generali* ostendatur via sequenda; sed requiritur ut hujusmodi leges *cuique actioni in particulari* applicentur; atqui illa applicatio regulæ morum, in singulis casibus, fit per *rationem practicam* cujusque hominis, quæ *judicium fert de moralitate* talis vel talis actûs, omnibus attentis circumstantiis, et est veluti *proxima* et *subjectiva* morum regula. Hæc autem ratio practica dicitur *conscientia*. — In præsenti Tractatu, disputabimus :

I. De *conceptu* et *speciebus* conscientiæ.

II. De conscientiâ *certâ*, quatenus est proxima morum regula.

III. De conscientiâ *dubiâ*, et mediis dubium excutiendi.

Art. I. De conceptu et speciebus conscientiæ [1].

§ I. De conceptu conscientiæ.

350. Vocabulum *conscientia*, quod derivatur a *scientiâ* [2] plura designat, sed præsertim : (a) *sensum intimum*, quo

---

[1] *S. Thom.*, 1. q. 79, a. 13; 1. 2æ, q. 19, a. 5; Qq. disputatæ, de Veritate, q. 17; Quodlibet., III, a. 26-27; *Suarez*, in 1. 2æ, tr. III, disp. XII, n. 1-4; *Salmant.*, Tr. XX, cap. 3-7; *Sayrus*, Clavis regia sacerdotum casuum conscientiæ, Venetiis, 1618, lib. I, c. 2-5; *Billuart*, De Act. hum., diss. v; *S. Alphons.*, lib. I, n. 2-19; *Brocardus*, Tr. de Conscientiâ (*Migne*, Theol. Curs., t. XI), q. II, art. 1-5; *Sporer-Bierbaum*, Tr. I, n. 1-30; *Elbel-Bierb.*, P. I, n. 113-141; *Ball. P.*, t. I, n. 130-159; *Lehmk.*, n. 41-66; *Müller*, § 71-74; *Bouquillon*, n. 253-282; *Bautain*, La Conscience, Paris, 1869, ch. 13-14; *Didiot*, n. 233-253; *F. Bouillier*, De la Conscience en psychologie et en morale, Paris, 1872.

[2] Cfr. *Bréal et Bailly*, Dict. etymol. latin, Paris, 1898, p. 327-328, ubi etiam notat vocabulum *scire* (a quo scientia derivatur) primario idem significare ac *decernere*, seu judicare.

percipimus et discernimus internas *sensationes;* (b) conscientiam *psychologicam*, quâ apprehendimus operationes nostras spirituales videlicet actus cognitionis et volitionis; (c) conscientiam *moralem*, quâ judicamus de moralitate actuum nostrorum [1]. Jamvero *sensus intimus*, qui circa *sensibilia* versatur, est quid omnino distinctum a conscientiâ proprie dictâ, quæ *spiritualia* percipit. Conscientia vero *psychologica* et *moralis* non sunt duæ facultates distinctæ, sed una eademque facultas, videlicet ratio (seu intellectus), quæ, quatenus *conscia* operationum spiritualium, dicitur *conscientia psychologica*, — et in quantum de earum moralitate *judicat*, vocatur *conscientia moralis.*

Conscientia *moralis* aliquando consideratur ut *habitus*, quatenus nos *inclinat* ad pronuntiandum de liceitate actionum; sæpius tamen ut *actus*, in quantum judicium profert. Est autem actus *intellectûs*, non voluntatis; et in hoc cum conscientiâ psychologicâ concordat; sed ab eâ discrepat quia non est mera intellectûs apprehensio, sed verum *judicium* seu *dictamen* de *liceitate actûs*, seu de ejus relatione ad regulam morum, utrum *liceat* an *prohibeatur*, utrum sit *obligatio* illum ponendi an simplex *consilium*, utrum sub *gravi* an sub *levi.* Neque est judicium speculativum, sed *practicum*, quia non respicit liceitatem actionis in *genere* et in *abstracto*, sed in *particulari* et in *concreto;* imo est judicium *proxime practicum*, quia fertur circa actionem *hic et nunc* ponendam, idcoque ordinem dicit ad agendum.

351. Distinguitur proinde conscientia moralis : (a) a *synderesi*, quæ definiri solet *habitus primorum principiorum moralium* seu quædam rationis *innata promptitudo* ad facile cognoscenda prima principia moralia, qualia sunt : bonum est faciendum, — quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, etc. (supra, n. 221); (b) a *scientiâ*, quæ est cognitio conclusionum generalium a primis principiis deductarum : (c) a *prudentiâ*, quæ est recta æstimatio omnium circumstan-

[1] Multi moderni non distinguunt *sensum intimum a conscientiâ;* varias eorum theorias de naturâ conscientiæ refert *Rabier*, Psychologie, ch. 6, p. 52-79. — Quidam putant conscientiam esse *specialem* facultatem a sensu intimo et intellectu distinctam : ita *Reid*, *Garnier*, *Fabre*, ap. *Bouillier*, op. cit., p. 54-59.

tiarum moralitatem alicujus actionis respicientium. — Pendet tamen ab his tribus : nam utitur cognitione principiorum et conclusionum, necnon prudenti consideratione omnium circumstantiarum, ad judicandum utrum talis actio in particulari, omnibus attentis, sit licita necne.

Multi dicunt judicium conscientiæ esse veluti conclusionem alicujus prosyllogismi. *Major* videlicet est principium aliquod generale, a *synderesi* propositum, v. g. *omne malum est vitandum ;* prima *minor* declarat tale actionis genus sub generali lege comprehendi, v. g. *furtum est malum ;* exinde *scientia* moralis infert furtum esse vitandum. Tunc *prudentia* addit : atqui actio quæ hic et nunc facienda proponitur, attentis omnibus, cadit sub conceptu furti; ultima autem *conclusio* est judicium practicum conscientiæ : *ergo hic et nunc ab illo furto abstinendum est.* — Plerumque tamen conscientia non explicite *syllogizat*, sed, attentis omnibus adjunctis, simplici judicio, absque ullo ratiocinio, decernit hanc vel illam actionem esse faciendam, vel omittendam.

352. Conscientia igitur definiri potest *judicium practicum de moralitate actionis hic et nunc ponendæ.*

Hæc est conscientia proprie dicta, quatenus est *regula morum.* Nomine tamen *conscientiæ* venit etiam judicium quod ratio nostra fert de moralitate actûs *præteriti :* quando hunc *approbat*, dicitur testimonium *bonæ* conscientiæ; si vero eum reprobat, vocatur *remorsus* seu *vermis* conscientiæ. De conscientiâ proprie dictâ hic agimus.

§ II. De speciebus conscientiæ.

353. **Status quæstionis.** Conscientia ex multiplici capite dividitur.

(a) Ratione *obligationis* quam manifestat, conscientia, sicut ipsa lex, dicitur *præcipiens*, *vetans*, *permittens*, prout quosdam actus imperat, prohibet aut permittit (supra, n. 208.)

(b) Ratione *modi quo judicium enuntiat*, est **certa**, quando, *absque prudenti errandi formidine*, judicat aliquem actum esse bonum vel malum, ideoque faciendum vel vitandum, **dubia** quando *hæret suspensa* de liceitate actionis[1], aut sal-

[1] Illa *suspensio* animi non est *proprie judicium*, sed implicite supponit conscientiam *judicare* abstinendum esse a pronuntiando de liceitate actionis.

tem *non sine prudenti formidine* pronuntiat. De utrâque infra dicemus.

(c) Ratione *conformitatis cum regulâ morum objectivâ* conscientia est **vera**[1], si concordat cum veritate, id est cum bonitate et ratione divinâ, seu lege; **erronea**, si ab eâdem discrepat. Erronea autem est *laxa* aut *scrupulosa* : **laxa**, quando quis, leviori de causâ, judicat aliquid *licitum* esse quod revera non licet, aut *leve* quod est grave; **scrupulosa**, si quis, ex futili causâ, judicat aliquid illicitum esse quod reipsa licet, aut grave quod est leve.

Ex quo patet conscientiam *certam* a *verâ* differre : prior respicit *subjectivum* judicium quod de moralitate actionis fertur; posterior objectivam *conformitatem* hujus interioris judicii cum veritate. Quare conscientia potest esse *certa*, quin sit *vera*, qualis est conscientia invincibiliter erronea; pariter conscientia *vera* potest manere *dubia*, quando videlicet adsunt argumenta vere *probabilia pro* liceitate et *contra* liceitatem alicujus actionis.

Num et quo sensu conscientia *erronea* sit agendi regula, infra exponemus ; sed de conscientiâ *laxâ* et *scrupulosâ* pauca prænotare oportet, quo melius intelligatur quomodo formetur conscientia *recta*.

I. De conscientiâ laxâ.[2]

354. 1° **Notio.** Hic agimus de conscientiâ laxâ, præsertim quatenus *habitum* denotat, seu *animi dispositionem* quæ rationem inclinat ad minuendas aut negandas obligationes morales, ideoque ad nimis extendendam libertatem. Vi hujus habitûs, in casu particulari, conscientia judicat, sine sufficienti ratione, aliquid quod revera prohibetur, licitum esse, aut quod est grave, leve esse peccatum. — Aliquando, ex diuturno peccandi habitu, ita obnubilatur sensus moralis, ut

[1] Sæpe conscientia *vera* vocatur *recta;* attamen aliquod est discrimen inter utramque : *recta* ea est quæ secundum prudentiæ regulas formatur; jamvero quandoque conscientia est *vera*, quamvis *imprudenter* formata. Sed plerumque hæc duo vocabula promiscue sumuntur.

[2] Cujus causas et pericula egregie exponit *Bourdaloue*, Sermon pour le 3e Dim. de l'Avent, sur la fausse conscience; cfr. *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXIV, 1902, p. 737-743.

conscientia peccata etiam gravissima parvi aut nihili pendat, dicens malum bonum, et bibens quasi aquam iniquitatem[1] : tunc vocatur *cauteriata*.[2]

355. 2° **Causæ.** Inter causas quæ laxam efformant conscientiam, recenseri possunt : (a) *prava educatio :* qui enim ab infantiâ non in lege Domini, sed in mundanis corruptelis falsisque opinionibus eruditi sunt, et omnium vitiorum exempla præ oculis habuerunt, facile legis naturalis præcepta non pauca ignorant, et tanquam indifferentes existimant quosdam actus in se turpes et inhonestos; (b) *defectus considerationis et consilii :* qui ante agendum non cogitant, et in rebus difficilioribus sapientium consilia non quærunt, sæpe decipiuntur, et tanquam bonum aut saltem indifferens habent quod revera malum est; (c) *cupiditatum impetus;* urgentibus scilicet variis passionibus, haud raro obnubilatur ratio : quod vehementer optamus, licitum apparet; quodcumque volumus, bonum est, et quodcumque placet, sanctum est; iracundiæ motus nihil aliud esse videntur nisi pia indignatio, — effrænata ambitio nihil aliud nisi nobilis æmulatio, — avaritia habetur ut legitima providentia, — fraudes commerciales existimantur industriæ exhibitio, etc.; (d) *habitus malum faciendi :* multiplicatis enim peccatis hebetatur sensus moralis, timor Dei atque legis reverentia paulatim evanescit; hinc quæ initio gravissima crimina existimabantur, mox ut levia aut nulla delicta considerantur; (e) *præsumptuosa in Deum fiducia :* Deus, inquiunt, bonus et misericors, nobis ignoscet; cognovit siquidem figmentum nostrum et humanæ carnis infirmitatem; quare ad benignitatem multo pronior est quam theologi et concionatores, nec tam stricte reprobat quod ceteroquin a plerisque peragitur.

356. 3° **Damna.** Conscientia laxa, sicut ignorantia cui innititur, potest esse *vincibiliter* aut *invincibiliter* erronea, prout morali adhibitâ diligentiâ corrigi potest vel non, secundum superius dicta, n. 90-98 : utraque tamen est periculis plena.

(A) Etiam, quando conscientia est *invincibiliter* erronea, multa

[1] *Isa.*, v. 20; *Job*, XV, 16. — [2] *I Tim.*, IV, 2.

mala inducit[1]; siquidem causa est cur multi perpetrentur actus *ex se* et *objective* peccaminosi. Jamvero actus *objective* malus : (a) est *deordinatio*, cum legi adversetur quæ est *ordinatio rationis*, ideoque ex se, absque agentis formali malitiâ, gradatim moralem sensum deprimit, et, quando sæpe repetitur, habitus *ex se* pravos generat valde nocivos; ita qui, etiam ex ignorantiâ, sæpe contra veritatem aut castitatem agit, etiamsi non formaliter peccet, aliquid *in se* turpe et inhonestum committit, quod ejus sensum moralem gradatim hebetat; (b) *scandalum præbet :* multi enim, videntes actus malos sæpe ab aliis commissos, exinde ansam peccandi sumunt, et sibi facile persuadent illos non esse valde pravos, imo et forsan licitos, cum a tot viris quotidie peragantur; exinde, sensim et sine sensu, mores corrumpuntur, cum magno privatorum totiusque societatis detrimento; (c) *periculum formaliter peccandi* inducit nam actibus contra legem sæpe repetitis, etiam ignoranter, habitus *ex se* vitiosi mox acquiruntur; et, quando postea conscientia evigilatur, eorumque malitia clare apparet, non facile eradicantur; ita periculum incurritur formaliter consentiendi actibus qui jam ut mali apprehenduntur.

357. (B) Sæpe autem conscientia laxa est *vincibiliter* erronea, proinde culpabilis, quia fuit voluntarie efformata, quatenus agens, passionum laqueis irretitus et voluptate exardescens, exoptavit et sibi sūggessit, renitente conscientiâ, talem vel talem actionem non esse prohibitam, posteaque conscientiæ remorsum suffocavit; aut quia, dubitans aut saltem suspicans rem esse malam, noluit tamen consilium capessere, ne forte veritatem detegeret et intentâ voluptate amplius frui nequiret[2]. Tunc sane *formaliter* peccavit, et *indirecte* seu *in causâ* voluit pravos effectus quos exinde secuturos prævidebat (supra, n. 97 et 171-174).

Præterea si, ipso tempore quo agit, aliquis dubitat aut suspicatur rem esse malam, et aliunde novit suam conscientiam esse laxam, non potest eam sequi, quia *conscius* est eam non esse rectam morum regulam, sed eam *reformare* tenetur mediis mox exponendis. Quare eam sequens periculo peccandi voluntarie se exponit, ideoque *actualiter* peccat.

Quibus peccatis gravibus sæpe commissis via paratur *obcæcationi* mentis et *indurationi* cordis : obnubilatur siquidem intellectus quatenus falsa pro veris, mala pro bonis approbare consuevit : obduratur autem voluntas in malo, in quantum, voluptati indulgendo, propensionem vehementem acquirit in pravos actus, ita ut nonnisi ægre conscientiæ obediat.

---

[1] Quod lucide exponit *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXI, 1899, p. 1169-1175.

[2] Si est *actu vincibiliter erronea*, eo ipso non est certa, nec proinde sequenda, ut infra declaratur.

358. 4° **Remedia.** Statim ac quis *conscius* evadit se viam laxitatis ingressum fuisse, serio conari debet, duce prudente confessario, suam conscientiam reformare.

(a) Imprimis ad *orationem* recurret, ut, divino lumine adjutus, practicam cognitionem regulæ morum adipiscatur, — divinoque fretus auxilio, rectæ conscientiæ vocem non solum audire, sed etiam *sequi* valeat, non obstante humanâ infirmitate : "Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.[1]" (b) Postea requiritur *propria agentis consideratio* ante agendum, cum sincerâ voluntate cognoscendi et faciendi quod *honestum* est, non autem quod *placet;* ad facilius vero detegendam veritatem, *peritorum* et *honestorum* consilia exquirantur, non autem eorum qui sæculi fallaciis facile decipiuntur; (c) tandem *removeantur impedimenta*, inordinatæ videlicet passiones, vitiosique habitus, quibus conscientia frequenter obnubilatur.

Confessarius vero paterno affectu excipiat eos qui serio emendari volunt, etiamsi per diuturnum tempus in viis *latis* ambulaverint; eosque *instruat* potiusquam increpet, — eisdem animum addat, atque suadeat conscientiæ reformationem, etsi difficilem, minime impossibilem esse, dummodo bonæ voluntati, assiduisque conatibus jungatur oratio.

II. De conscientiâ scrupulosâ.[2]

359. 1° **Notio.** Hic pariter agimus de conscientiâ scrupulosâ, quatenus est *habitualis* dispositio,[3] vi cujus agens, ex *futili* fundamento, quod solidum putat, *credit* aut *dubitat* aliquid esse illicitum quod revera non est, ideoque *cum anxietate timet* ne frequenter peccet, et quidem mortaliter. Plerumque hanc vanam trepidationem comitatur quædam *sensibilis impressio* seu commotio, ex vividâ imaginatione

[1] *Ps.* 118, 34.

[2] Præter auctores allegatos, vide *Scaramelli*, Director. asceticum, Augustæ Vindelicorum, 1770, tr. II, n. 421-467; *Reuter*, Neo-Confessarius, Ratisbonæ, 1870, n. 255-274; *Schram*, Instit. theol. myst. Parisiis, 1868, t. I, § 73-83; *Lombez*, Paix intérieure, 2e p., ch. 7; *Dubois*, l'Ange conducteur des âmes scrupuleuses, Lille et Paris, 1901; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXIV, 1902, p. 673-678.

[3] Judicium, a conscientiâ scrupulosâ latum, quandoque est *certum*, et quandoque *dubium :* in priori casu, conscientia dicitur scrupulis *informata*, ejusque dictamen sequendum est, ex infra dicendis de conscientiâ certâ; in posteriori casu, conscientia est scrupulis *agitata*, et de eâ hic agimus; hæc non est sequenda, sed dubium deponendum est vi principii reflexi a confessario traditi (n. 364).

orta, quæ judicium plus minusve perturbat, et mentem angoribus vexat. [1]

(A) *Signa* præcipua, ex quibus scrupulosi dignoscuntur, hæc sunt : (a) *timor peccandi in omnibus*, etiam indifferentibus et honestis, aut vana apprehensio ne culpa, ceteroquin levis, gravis sit; (b) *nimia anxietas circa præteritas confessiones*, proindeque desiderium confessiones generales iterum atque iterum instituendi, præsertim quando ex his accrescunt dubia et anxietates; (c) *prolixæ accusationes* circumstantiarum quæ ad rem non pertinent, etsi confessarius pluries dixit hæc omnia inutilia esse; (d) *pertinacia judicii*, quæ confessarii decisionibus acquiescere non vult, sed aliorum capessere consilia : ex quo majores nascuntur animi angores; (e) *frequens sententiæ mutatio* ob leves rationes, maximaque animi perturbatio in agendo, quæ aliquando ridiculis gestibus exhibetur.

360. (B) Scrupuli versantur aliquando circa *omnia* et quandoque circa *unum* aut *alterum* objectum, præsertim (a) circa *præteritas confessiones*, num debitum *examen* præmissum fuerit, et omnes *circumstantiæ* recte declaratæ, num contritio habita fuerit, et quidem ipso tempore absolutionis, num *bonum propositum* efficaciter elicitum, etc. ; (b) circa *pravas cogitationes* contra castitatem, aut *dubia* contra fidem quibus se plenum consensum præbuisse asserunt, vel *intentiones*, quas malas fuisse supponunt; (c) circa *scandalum* quod forsan aliis dederint; (d) circa habitum agendi cum *serio dubio num actio sit licita* ex quo fit ut pleræque eorum actiones sint peccata, etc.

Conscientia scrupulosa differt a conscientiâ *tenerâ*, seu *delicatâ*, quæ minimos defectus percipit, et, propter amorem Dei, vult emendare, probe sciens illos non esse graves, sed perfectioni nocere; quæ sane dispositio laudabilis est.

361. 2° **Causæ**. Aliæ sunt *naturales*, aliæ *supernaturales*.

(A) **Naturales** sunt *physicæ* aut *morales*. (a) Inter causas *physicas* recensentur præsertim : *melancholica dispositio*, quæ sæpe ex temperamento oritur, vanosque timores injicit; et morbida quædam *inclinatio ad desperationem*, ex indole, ægritudine, aut variis infortuniis orta; — *excessus* in laboribus, abstinentiâ, jejuniis, vigiliis aliisque austeritatibus, quæ, vires corporis extenuando, animi fortitudinem deprimunt; necnon diuturna *fuga omnis humanæ conversationis*, honestæque recreationis, ex quâ oritur assidua et morosa propriæ conscientiæ investigatio. (b) Inter *morales* causas numerantur : *animi imbecillitas* et *inconstantia*, quæ vividæ imaginationis impressiones, potiusquam maturum judicium sequitur; et ex hoc capite,

[1] Vocabulum *scrupulus* (seu *scrupus*) litteraliter significat *lapillum* (*pierre pointue*); sicut enim hic, inter pedem et calceum intrusus torquet gradientem, ita scrupulus animam vexat.

plures mulieres quam viri ad scrupulum pronæ sunt; — *defectus scientiæ* sive speculativæ sive psychologicæ, vi cujus officiorum extensio exaggeratur, aut impressio confunditur cum consensu; qui defectus quorumdam confessariorum ignorantiâ aut imprudentiâ aliquando augetur; — *nimia justitiæ divinæ reformidatio*, ex eo procedens quod Deus non ut misericors Pater, sed potius tanquam *severus Judex* habetur, omnia stricte scrutans ac puniens; — *occulta superbia*, quâ scrupulosus proprio judicio tenaciter adhæret, nec spirituali directori obedire consentit. [1]

(B) His quandoque accedunt causæ *supernaturales :* (a) Deus videlicet non immittit quidem falsos conceptus in conscientiam, sed aliquando suum lumen ad tempus subtrahit etiam a justis, eosque sinit a scrupulis vexari, ut, patienti hujus probationis tolerantiâ, pro peccatis præteritis perfectius satisfaciant, eaque efficacius detestando, a periculosis occasionibus vigilantius recedant; — necnon ut, propriæ infirmitatis conscii, majori cum fiduciâ ad Deum recurrant atque spirituali directori cum sinceriori humilitate obediant.

(b) Potest etiam dæmon in facultates nostras sensitivas agere, præcipue in phantasiam, ad vanos timores excitandos vel augendos; aut, quando animus jam mœrore tenetur, variis suasionibus desperationem suggerere conatur; vel, si conscientia sit delicata, "multo quoque delicatiorem efficere nititur, et in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, ut sic misere turbatam, a profectu spirituali tandem dejiciat. [2] "

362. 3° Damna. Scrupuli, quibus consensus præbetur, ex quâcumque causâ oriantur, maxima damna, temporalia simul et spiritualia, inducere possunt : —

(A) *Temporalia* quidem; nam, quando diu perdurant, (a) cerebrum nervosumque systema debilitant aut perturbant : vi enim intimæ unionis inter corpus et animam, vani timores, tristitia, angores aliaque hujusmodi, quibus obnoxii sunt scrupulosi, vires physicas extenuant et sanitati maxime nocent. (b) Debilitatis viribus, via paratur *neurastheniæ*, *hysteriæ* aliisque morbis superius descriptis, n. 130-133. (c) Imo, crescentibus anxietatibus, aliquando ratio ipsa hebetatur, atque incidit in *dementiam*, si scrupuli sint *universales*, aut in *monomaniam*, si circa unum versentur objectum.

(B) *Spiritualia :* vires animæ infringunt, virtutesque olim acquisitas paulatim in vitia vertunt : (a) *spem* debilitant : scrupulosi,

[1] Illis causis, quæ ex parte *subjecti* se tenent, aliquando *extrinsecæ* adduntur : conversatio cum scrupulosis, — lectio librorum rigidis opinionibus faventium, — consilia directoris ignorantis, aut discretione carentis.

[2] *S. Ignatius de Loyola*, Exercitia spiritualia, ed. *Roothaan*, Romæ, 1854, Regulæ de scrupulis, p. 160; *gallice* reddidit *P. Jennesseaux*, S. J., Paris, Poussielgue, 13e édition, 1891, p. 323.

putantes se in statu peccati mortalis versari, Deum ut severissimum exactorem intuentur et refugiunt. (b) Quare *vix orare* possunt : de proprio conscientiæ statu nimis solliciti, Deumque nimis timentes, in ejus præsentiâ manere ipsique uniri non audent. (c) Exinde *fortitudine* carent : cum enim nonnisi exiguam in Deum fiduciam retineant, et aliunde propriam infirmitatem exaggerent, neque spirituali directori confidant, nihil magni aggrediuntur, sed tempus in vanis anxietatibus inutiliter terunt. Hinc inepti redduntur ad fructuose agendum pro aliorum utilitate, et ad officia statûs sedulo adimplenda; imo sibi et aliis graves esse solent. (d) Facile etiam periculum *graviter peccandi* incurrunt : viribus enim attenuati, assiduisque contra naturales inclinationes conatibus exhausti, in desperationem aliquando labuntur, et, solatii causâ, cupiditatibus suis frena laxant; unde haud raro in extrema cadunt, hodie nimiis mortificationibus indulgendo, cras autem voluptati : humana siquidem natura tam diro cruciatui diu resistere nequit.

363. 4° **Remedia.** (A) Primarium et efficacissimum remedium, cui cetera subordinantur, est *perfecta prudenti confessario* præstanda *obedientia.* Scrupulosus enim, cum recto conscientiæ dictamine sit destitutus, rectum judicium de agendis formare nequit; ideoque alius rite operandi modus ei non suppetit quam prudentis viri judicio sese submittere, cujus ope gradatim vana dubia erroneaque judicia deponet. Vir autem prudens, de quo agitur, vix alius esse potest quam spiritualis director, cui secreta cordis fiducialiter aperiuntur.

(a) Confessarius autem, statim ac novit aliquem pænitentem esse scrupulis agitatum, paternâ benignitate ejus fiduciam captare conabitur, eumque postea his aut similibus verbis alloquetur : possum et volo, Deo juvante, tibi animæ pacem reddere, dummodo tamen omnia mihi sincere aperire velis, et in omnibus obedire, seposito ad tempus proprio judicio; si id promittas, certo ab omnibus dubiis et anxietatibus tempore opportuno liberaberis; secus, perpetuo vexaberis. Proprio enim consilio recte agere nequit scrupulosus[1], sed viri prudentis absque hæsitatione consilium sequi debet; practice nunquam errat qui sapienti obedit directori.

(b) Primâ vice sinat scrupulosum integre ipsius dubia exponere; si velit generalem confessionem instituere, id *semel* permitti potest, dummodo alteri confessionem hujusmodi paulo ante non fecerit : eum benigne juvet in conscientiæ examine et in contritionis actu

[1] Sæpe hic non agnoscet se esse scrupulosum; sed confessarius affirmabit ex dubiis, fluctuationibus, angoribusque a pænitente expositis rem claram esse.

eliciendo; hâc autem confessione rite peractâ, non amplius ipsi permittatur confessiones repetere. Si nihilominus postea dicat se non omnia confessum fuisse, jubeat confessarius eum *jurare* se *certo* recordari aliquod peccatum *certo* mortale et *certo* nunquam in validâ confessione declaratum : si jurare timeat, non audiatur; si absque hæsitatione juret, ipsi liceat hoc peccatum declarare.

364. (c) *Causam* et *objectum* scrupulorum cognoscere conabitur confessor, quo melius practicas agendi regulas pœnitenti tradere valeat. Si causa sit *physiologica*, a debilitate cerebri aut nervorum perturbatione procedens, eum ad sapientem medicum remittet, quin tamen remedia spiritualia prætermittat. — Si causa sit *dubium* de *liceitate* talis vel talis actionis, illi inculcabit regulam, quæ saltem pro scrupuloso valet : *lex dubia, lex nulla;* si, post actionem peractum, *dubitet* num graviter peccaverit, in praxi agere debet quasi non graviter peccâsset, ideoque a sacrâ communione non abstinere : non enim ut mortale peccatum habere debet nisi quod jurare possit esse certo mortale. — Curare debet ut scrupulosus regulis traditis absolute pareat; unde etsi lacrimabundus postulet iterare confessiones, aut a dubiis peccatis absolvi velit ante communionem, suaviter sed firmiter repellatur : hæc severitas summa est clementia. — Nec ei permittat longum tempus in *conscientiæ examine* terere (quod scrupulos auget), sed *breve* tempus præfigat, quod nunquam prætergrediatur; idem dici debet de contritionis actu, circa quem multum torquentur scrupulosi [1].

Objicit quandoque scrupulosus : confessarius meas intimas dispositiones non bene novit; ego ipse eas melius cognosco, et nollem mori in hoc incerto statu. — Reponet director : Nisi sufficienter mihi nota fuisset conscientia tua, rationem agendi non præscripsissem; cum sis scrupulis agitatus, rectum judicium de propriis dispositionibus formare nequis, sed sapientis judicio parere debes, etiam in articulo mortis; neque Deus damnare potest eum qui superiori fiducialiter se submisit.

In his omnibus confessarius non loquatur tanquam opinans et hæsitans, sed tanquam certo sciens et auctoritatem habens : aut nullas, aut breves omnino rationes afferat; secus, interminabiles erunt disceptationes. — Attamen animi firmitas caritate temperetur, ut intelligat scrupulosus confessarium esse amicum devotissimum.

365. (B) Alia remedia, præter obedientiam, adhibenda, sunt : (a) *oratio* fervens ad Deum, ut benignum et miseri-

[1] Merito enim docent theologi unum e *privilegiis* scrupulosorum in eo situm esse quod non tenentur suam conscientiam excutere cum eâdem diligentiâ quam alii, neque omnia peccata accusare, sed solum ea quæ, post breve examen, evidenter gravia esse cognoscunt (*De Pœnitent.*, n. 204 et 192).

cordem Patrem, quâ fiducialiter impetretur *lumen* ad viam clare videndam, et *robur* ad eam assidue sequendam; (b) *contemptus scrupulorum*, contra eos strenue agendo, juxta confessoris præscripta; (c) *christiana mortificatio*, præsertim ea quæ consistit in vanis phantasmatibus, impressionibus, cogitationibus et anxietatibus statim expellendis; hinc assiduus et improbus *labor*, fidelisque officiorum statûs observantia maxime prosunt : ita enim efficaciter mens ab excruciantibus dubiis avertitur; moneatur autem scrupulosus ut nunquam diu hæsitet, sed, post brevem considerationem, deliberate agat juxta consilia *data* aut *præsumpta* confessarii; (d) *recta conscientiæ formatio*, quâ gradatim, juxta regulas generales a directore traditas, prudenter de *propriis* actionibus judicium feret, quasi essent *alterius* actiones.

366. **Corollaria.** (A) **De conscientiâ perplexâ.** Aliquando scrupulosus, inter duo præcepta constitutus, credit se peccaturum esse, quamlibet partem eligat : tunc ejus conscientia dicitur *perplexa*[1]; talis est v. g. qui die dominicâ infirmo assistens, putat se peccare, si eum deserat, et pariter peccare, si sacrum omittat.

Quo casu, (a) si res dilationem patitur, et gravis est momenti, actionem differre tenetur donec viri prudentis consilium capessere possit : quisque enim vitare debet quod putat esse peccatum.

(b) Si vero res dilationem non patitur (quod plerumque contingit) aut parvi est momenti, illud eligere debet quod *sibi minus malum esse videtur*, ideoque transgredi potius legem *positivam* quam legem *naturalem*. Si vero minus malum discernere nequit, et perplexus manet, quamlibet eligat partem, non peccat : caret enim illâ libertate morali quæ ad peccatum requiritur.

Rectè igitur instruendi sunt hujusmodi pœnitentes ut, depositis vanis angoribus, discant in nullo casu existere necessitatem peccandi.

(B) **De conscientiâ pharisaicâ.** Quandoque etiam, ob ignorantiam aut præjudicia, conscientia est laxa in rebus magni momenti, ad jus naturale aut divinum spectantibus, dum nimis angusta et scrupulosa est in rebus minoris momenti, præsertim ad jus mere positivum pertinentibus : tunc dicitur *pharisaica*, quia mores imitatur *pharisæorum*, de quibus Christus aiebat[2] : " Væ vobis, scribæ et

[1] Aliquando tamen quis *perplexus* esse potest *ex merâ ignorantiâ*, quia videlicet nescit quomodo in conflictu duarum obligationum, suam conscientiam formet : tunc sufficit eum instruere.

[2] *Matt.*, XXIII, 23-24; integrum legatur caput.

pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem... *excolantes culicem, camelum autem glutientes.*" — Ab isto vitio non satis hodie recedunt qui nimis anxii sunt circa multas *devotiones*, et, ex altero capite, fraternam caritatem aut officia statûs negligunt. Hi sedulo sunt instruendi ut, posthabitis superfluis devotionibus, christianas virtutes eorum conditioni congruentes assidue colant.

Art. II. De conscientiâ certâ ut proximâ morum regulâ.

Duo exponemus : 1° *quid* sit conscientia certa; 2° *utrum* et *quo sensu* sit regula morum.

I. Genuina notio conscientiæ certæ.

367. 1° **Prænotanda de certitudine.** Certitudo in genere est firma mentis adhæsio alicui notioni vel facto, absque errandi formidine. Ratione *fundamenti*, cui innititur, certitudo triplex distinguitur : (a) *metaphysica*, quæ in ipsâ rerum idearumque essentiâ fundatur; ita *metaphysice* certi sumus totum esse majus suâ parte, quia veritas hujus propositionis ex ipsâ comparatione idearum clare elucet; (b) *physica*, quæ in constantiâ legum naturalium fundatur; ita *physice* certi sumus ignem comburere, quia constanti experientiâ nobis constat igni inesse vim adurendi; (c) *moralis*, quæ in constantiâ legum ordinis moralis innititur, seu communi agendi modo entium liberorum. Hæc autem est : *speculativa*, si versatur circa veritates abstractas aut liceitatem actionis in genere ; et *practica*, si versatur circa liceitatem actionis hic et nunc ponendæ.

368. 2° **De certitudine quæ conscientiæ competit.** (A) Jamvero certitudo quæ conscientiæ judicio practico competit, est certitudo *moralis* et *practica :* cum enim pronuntiet de liceitate talis vel talis actionis, non in genere et in abstracto, sed *in individuo* et *in concreto*, attentis omnibus circumstantiis, judicium prolatum non est infallibile, sed humanæ prudentiæ innititur [1], quæ falli potest.

[1] Non pauci theologi dicunt *conscientiam* aliquando *absolutâ* certitudine gaudere, quia fundatur motivo prorsus *infallibili;* talis est, inquiunt, certitudo quæ habetur de præceptis Decalogi eorumque pro-

(B) Ipsa certitudo practica plures gradus admittit : (a) quandoque omne dubium omnemque errandi formidinem excludit, et dicitur certitudo moralis *stricta;* hæc haberi potest quoad judicia practica omnino evidentia, v. g., hic et nunc a tali furto abstinere debeo; (b) aliquando vero habetur solum practica certitudo *late dicta*, seu *prudentialis*, quæ non omne dubium excludit, sed solum *prudens* dubium; ita v. g. non absolute, sed solum *prudenter* certi sumus de validitate baptismi vel ordinis suscepti : fieri enim potest ministrum requisitâ intentione caruisse; quare aliquam formidinem errandi habemus, sed illa formido, utpote levis, non destruit certitudinem *prudentialem.* Hæc autem sufficit in re morali, cum sæpe aliam habere non valeamus; jamvero ipsa ratio nobis dictat illam sufficere certitudinem quæ humanæ naturæ infirmitati est accommodata; secus enim frequenter homo perplexus maneret, nesciens quid agendum esset.

369. (C) Hæc autem certitudo practica, stricte aut late sumpta, dupliciter acquiri potest *directe* aut *indirecte* : (a) **directe**, quando, ex *ipsâ comparatione actionis cum lege*, ad conclusionem moraliter certam devenimus; ita, datâ lege audiendi sacrum die festo, nisi grave adsit incommodum, certo moraliter judico me illo præcepto teneri, quia video hic et nunc non esse in casu meo grave incommodum; (b) **indirecte**, id est sive ex *auctoritate*, sive ex principio *externo*, aut *reflexo*, ut aiunt, quando ad certam conclusionem devenire nequimus nisi in medium vocato quodam principio rei ipsi extrinseco, ita judex, post attentam considerationem probationum in causâ criminali allatarum, aliquando *dubitat* num reus sit vere *culpabilis;* tunc recursum habet ad principium externum, seu reflexum : *in dubio, favendum est reo;* ideoque practice certo moraliter concludit : hic reus, omnibus attentis, est absolvendus. — Illud externum principium potest esse judicium viri prudentis, et præsertim confessarii.

---

ximis conclusionibus. — Sed ita loquendo *synderesim* aut *scientiam moralem* confundunt cum conscientiâ : hæc enim non judicat de præceptis Decalogi, sed de quæstione practicâ utrum talis vel talis actio, in his vel illis adjunctis, a Decalogo prohibeatur necne.

370. (D) Conscientia certa non est semper vera, ut jam notavimus, sed *erronea* esse potest, cum quis possit errare, etiam quando *prudenter* de liceitate alicujus actionis judicat : tunc dicitur *invincibiliter erronea*, secundum superius dicta, ubi de ignorantiâ n. 92. Si conscientia est *actu vincibiliter erronea*, eo ipso non est moraliter certa; nam in hoc casu agens potest errorem expellere, aut saltem prudenter dubitat de liceitate actionis hic et nunc peragendæ. Secus autem dicendum de conscientiâ *antea vincibiliter erroneâ*, sed quæ impræsentiarum est *actu invincibiliter erronea*, quia videlicet agens non cogitat de necessitate inquirendi : hæc enim nunc est *moraliter certa*, quia, etsi antea de necessitate veritatem indagandi cogitaverit, nunc prudenter putat actionem esse licitam, quin suspicetur rem esse ulterius investigandam. Ita seminarii alumnus, dum theologiæ studeret, prævidit ex incuriâ suâ quasdam erroneas decisiones se esse prolaturum : tunc ejus conscientia fuit *vincibiliter erronea;* postea vero hujus negligentiæ oblitus, falsum judicium profert de casu matrimoniali, quin illo instanti suspicetur se errare : ejus conscientia est *invincibiliter erronea*, et subjective certa moraliter.

II. Quo sensu conscientia certa sit regula morum?

371. 1° **Principium** : *Conscientia moraliter et practice certa, et quidem sola, est proxima regula morum.*

(A) *Conscientia moraliter et practice certa est proxima regula actionum humanarum.* Etenim conscientia moraliter et practice certa, quocumque modo hæc certitudo acquisita fuerit, ea est quæ, absque *prudenti* errandi formidine, judicat aliquam actionem esse licitam aut illicitam, obligatoriam aut permissam; atqui fieri nequit ut peccet qui *prudenter* certus est actionem quam facit esse honestam, aut illam quam omittit esse illicitam. Nulla enim actio aut omissio est alicui imputabilis, nisi sit voluntaria; malitia autem actionis non est voluntaria, nisi ut talis ab intellectu apprehendatur; non peccat igitur, sed recte agit qui sequitur conscientiam moraliter certam; ergo hæc merito dicitur regula proxima morum.

372. (a) De quo nulla sane est difficultas, quando conscientia certa est simul *vera :* tunc enim est omnino consentanea cum ultimâ morum regulâ, ratione scilicet divinâ. — Sed idem dici debet etiam quando conscientia certa est *invincibiliter erronea*, quia, etsi discrepat a lege, defectus conformitatis agenti non imputatur, quia ab eo invincibili-

ter ignoratur; ideoque actus, secundum conscientiam invincibiliter erroneam elicitus, est *objective* et *materialiter malus*, quoties videlicet legi præcipienti aut prohibenti opponitur, — sed est *subjective* et *formaliter* bonus, quia ut talis apprehenditur et intenditur. — Idem dici debet de conscientiâ *hic et nunc invincibiliter erroneâ*, quæ *antecedenter vincibiliter erronea* fuit. Actus enim, secundum talem conscientiam positus, non solum est *materialiter malus*, sed etiam dici potest *formaliter malus in causâ* (supra, n. 97). Verumtamen non est *in se actualiter malus :* nam bonâ fide elicitur, et non apprehenditur nec intenditur ut malus : " Omnis autem actus humanus habet rationem peccati vel meriti in quantum est voluntarius; objectum autem voluntatis secundum propriam rationem est bonum apprehensum : et ideo actus humanus judicatur virtuosus secundum bonum apprehensum in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actûs [1]. "

Quod confirmari potest ex propositione 2â, ab *Alexandro VIII*, 7 dec. 1690, damnatâ saltem ut temerariâ [2] : " Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat a peccato formali "; ergo ignorantia invincibilis, ideoque conscientia invincibiliter erronea excusat a peccato formali.

373. (b) Id valet, etiam quando certitudo moralis est solum *prudentialis*, et ope principii *reflexi* habita fuit. Cum enim quæstio sit de *agendis*, illa sufficit certitudo quæ in *praxi* obtineri potest; jamvero, quando agitur de tali vel tali actione peragendâ vel omittendâ, haud raro nonnisi prudentialis certitudo acquiri valet. Aliquoties dubia speculativa oriuntur quæ directe solvere impossibile est; aliunde urget necessitas agendi; ergo nil manet nisi speculativum dubium *practice* solvere ope alicujus principii reflexi (supra n. 369). Ita qui, omnibus sedulo perpensis, prudens conscientiæ dictamen sequitur, recte agit coram Deo.

374. (B) *Sola conscientia, moraliter et practice certa, est recta actionum norma.* Nam qui agit cum conscientiâ quæ non est practice certa, eo ipso voluntarie se exponit periculo

[1] *S. Thom.*, Quodlibet., III, a. 27; cfr. 1. 2æ, q. 19, a. 7; q 76, a. 3.
[2] *Denzing.*, n. 1159.

legem transgrediendi, cum *prudenter* et *practice* dubitet num actio, hic et nunc ponenda, sit licita; porro qui voluntarie se exponit periculo peccandi, dum facile illud vitare potest, eo ipso implicite vult peccare. Qui igitur practice dubitat de liceitate actionis hic et nunc peragendæ, non potest, stante dubio, ulterius progredi, sed debet sibi efformare conscientiam *practice certam*, ope principii reflexi, juxta modum infra exponendum.

375. **Corollaria.** (A) *Conscientia hic et nunc vincibiliter erronea non est legitima agendi regula.* Nam, ex unâ parte, ista conscientia non est regulæ morum objectivæ consentanea; et ex alterâ, defectus ille, utpote *actu voluntarius*, est agenti imputabilis; siquidem, in hoc casu, agens de liceitate actionis prudenter dubitat, ideoque ulterius inquirere debet, si possit, et errorem deponere. — Si vero non possit, et aliunde urgeat necessitas agendi, eligere debet illam partem in quâ malum vel majus malum tutius præcavetur; ita enim agendo, *practice* dubium deponit, et error ei non imputatur ad culpam. Si vero id eligat de cujus liceitate practice dubitat, eo ipso peccat, se temere ad malum perpetrandum exponendo.

376. (B) Ad dignoscendum utrum conscientia pœnitentis *vincibiliter* an *invincibiliter* erronea fuerit, confessor interrogabit : (a) num pœnitens aliquam indecentiam in actu adverterit, vel saltem de ejus liceitate dubitaverit; (b) num conscientia ipsi dictaverit confessarium vel alium virum prudentem interrogandum esse, et voluntarie occasionem inquirendi neglexerit. Si utrumque sincere neget, error invincibilis fuit; si alterutrum affirmet, error vincibilis dici debet. — *Natura* autem et *gravitas* peccati commissi ex conscientiâ vincibiliter erroneâ, pendet ab *ipsâ agentis dispositione, tempore quo agit :* si rem ut *magni momenti* satis clare apprehendat, et tanquam huic vel alteri virtuti contrariam, graviter peccat contra eamdem virtutem; si vero res illi videatur parvi momenti, aut ejus malitia nonnisi *in confuso* appareat, peccatum erit veniale. — Ex quo patet quam necessarium sit confessariis benigne et prudenter cujusque pœnitentis conscientiam et indolem explorare, ut verum judicium efformet de peccatis ab eo commissis.

377. Hinc decipiuntur pœnitentes qui, postquam in dubio egerint, in libris vel a viro prudente quærunt num actio sit licita, atque omnem angorem deponunt si discant rem non esse *objective* malam : moralitas actionis pendet a dictamine conscientiæ prolato ipso instanti quo perficitur actio, non autem a judicio quod postea fertur, re melius investigatâ. Unde illa investigatio multum quidem proderit pro *futuro*, minime autem pro *præterito* tempore.

Art. III. De conscientiâ dubiâ[1].

Conscientiæ *certæ* opponitur conscientia *dubia*, de quâ duo exponemus : 1° *quid* sit et *quomodo practice certa* reddi possit ; 2° quænam sint varia *systemata* ad solvendum dubium practicum excogitata.

§ I. De genuino conceptu conscientiæ dubiæ et medio practico dubium excutiendi.

378. 1° **Prænotanda de dubio et probabilitate.** (A) Quando mens non potest certo moraliter de liceitate alicujus actionis judicare, duplici modo se habere potest : vel neutri parti adhæret, et assensum suspendit, vel uni parti assentit magis quam alteri, cum prudenti tamen formidine errandi; in priori casu, dubium dicitur *strictum*, in posteriori vocatur *latum*, seu *opinio*[2]. Opinio vero distinguitur a *suspicione*, quæ est *initialis* quædam adhæsio, seu propensio ad judicandum, non autem verus assensus.

379. (B) Opinio aliquando *objective* sumitur; tunc potest esse plus minusve *probabilis*. Probabile, juxta vim nominis, dicitur quod *probari potest;* sed, ex usu communi, significat id quod, etsi non manifeste verum, præ se fert quædam veritatis signa, quæ virum prudentem movere possunt ad eidem

---

[1] *Suarez*, Tr. de Actibus hum., disp. XII, sect. 5-6; *S. Alphons.*, n. 20-54; *Billuart*, De Act. hum., diss. V, art. 6; *Lehmk.*, n. 48-51; *Ball. P.*, n. 160-168; *Müller*, § 73; *Bouquillon*, n. 267-291; *Noldin*, n. 196-201; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXII, 1900, p. 369-374.

[2] Hic agitur de opinione, quatenus est *judicium mentis subjectivum*, idem vocabulum sæpe significat ipsam propositionem, cui mens adhæret cum errandi formidine, seu opinionem *objective* sumptam.

assentiendum. *Gradus* autem probabilitatis pendent a *majori* vel *minori verisimilitudine* quam opinio habere videtur; ita *probabilior* dicitur ea opinio quæ *gravioribus motivis* innititur quam contraria sententia; e contra quæ levioribus fulcitur argumentis vocatur *simpliciter probabilis*, vel *minus probabilis;* iterum *notabiliter probabilior*, aut *probabilissima* est opinio, si excessus probabilitatis sit valde notabilis : tunc opposita sententia est *tenuiter* vel *dubie* probabilis.

(C) Quæ quidem probabilitas *intrinseca* vel *extrinseca* dicitur : prior innititur rationibus ex *ipsâ rei naturâ* desumptis, posterior *auctoritati* doctorum aut sapientium. Sæpe vero utraque conjungitur, et auctoritas doctorum eo pluris valet, quo majus est pondus rationum quas afferunt.

380. (D) Iterum probabilitas est *absoluta* vel *relativa : absoluta*, quæ iis fulcitur rationibus quibus mens viri prudentis moveri solet; *relativa*, quæ non omnes animos flectit, sed quemdam in particulari, propter *specialem* ejus *indolem*, aut specialia adjuncta in quibus versatur. In rebus enim quæ non sunt *per se* evidentes, voluntas assensum intellectûs imperare potest, propter extrinseca motiva, sive legitima sive plus minusve inhonesta; ita in dubiis, qui *recti* sunt corde adhærent parti quæ divino honori, proximi bono, aut communitatis paci magis favet; e contra qui ad laxitatem proni sunt, parti quæ superbiæ aut voluptati favet haud raro adhærent.

(E) Tandem dubium est *speculativum* vel *practicum : speculativum*, seu *remotum*, quod versatur circa *legem in se spectatam*, aut ejus applicationem *in genere* — num videlicet talis lex sufficienter sit promulgata, aut per consuetudinem fuerit abrogata, — num pingere die festo sit opus servile prohibitum, etc.; *practicum*, seu *proximum*, quod versatur circa liceitatem talis vel talis actionis in particulari, v. g. num mihi in hoc die festo pingere liceat.

381. 2° **De ipsâ conscientiâ dubiâ.** Dubium *mere speculativum directe* non afficit ipsam *conscientiam*, sed ad scientiam moralem pertinet, quæ illas quæstiones expendit; sæpe tamen *indirecte* conscientiam afficit, eam ancipitem reddendo quoad liceitatem talis vel talis actionis in particulari

ab agente hic et nunc ponendæ; ita, v. g., si dubitatur num pingere sit opus servile, eo ipso frequenter dubium practicum orietur num Petrus possit hic et nunc pingere hâc die dominicâ.

Hic autem agimus tantum de dubio *practico*[1], ideoque **conscientia dubia** ea dicitur quæ vel *hæret suspensa* circa honestatem alicujus actionis in particulari, vel *non sine prudenti formidine* de eâdem pronuntiat. — Hic autem animi status induci potest ex eo quod utrinque adsunt rationes *æque probabiles;* aut quia ex unâ parte adest ratio *probabilior*, quæ tamen non tollit probabilitatem adversæ sententiæ, vel ratio *mere tantum* sed *solide probabilis*. — Sed, ad conscientiam hujusmodi non sufficit dubium *mere negativum*, quod rationibus ita *levibus* innititur ut virum prudentem non moveant; non obstante siquidem dubio mere negativo, de liceitate actionis judicamus absque *prudenti* errandi formidine; — requiritur proinde dubium *positivum*, gravibus argumentis innixum, quæ virum prudentem movere solent.

382. 3° **De modo solvendi dubium practicum.** (A) Ex dictis supra, n. 374, agere non licet cum conscientiâ practice *dubiâ*, sed dubium excuti debet, diligenter rem investigando.

Etenim homo conari debet, in quantum potest, veritatem assequi, ideoque, in re morali, legem ejusque genuinum sensum investigare, necnon omnes circumstantias attente considerare, ut, meliori quo fieri potest modo, suas actiones legi conformet, quæ nihil aliud est nisi manifestatio divinæ rationis atque voluntatis. Qui igitur, practico dubio laborans, rem serio perpendere non vult, temere agit, et periculo contra legem peccandi voluntarie et culpabiliter sese exponit. Ex adverso autem qui morali utitur diligentiâ ad dubium excutiendum, prudenter agit, et error, in quem forsan involuntarie cadit, ei non imputatur.

Illud autem examen plus minusve diligens esse debet pro *rei gravitate*, et *qualitate* aut *officiis* personæ; ita, si

[1] De dubio enim *speculativo* jam aliquid diximus in *Tr. de Legibus*, et in toto decursu Theologiæ Moralis agitur, exponendo quænam opiniones sint plus minusve probabiles.

quæstio est de re parvi momenti, diuturna investigatio minime necessaria est. Hæc autem requiritur, si agitur de gravi præcepto, præsertim de strictis juribus alterius personæ, vel si alicui personæ obligatio *ex officio* incumbit dubium solvendi quod non solum proprium bonum spectat, sed etiam bonum commune.

383. (B) Ad rite peragendum hujusmodi examen, requiritur quidem, sed non sufficit illa naturalis prudentia, quæ dicitur *rectum judicium* (*bon sens, common sense*); sed, in iis qui studio incumbere valent, desideratur *competens* principiorum theologiæ moralis *scientia*, et in aliis recursus ad viros prudentes, quorum consiliis suam conscientiam recte formare valeant. Nam, quando agitur non solum de jure positivo, sed etiam de multis conclusionibus juris naturalis, sæpe mentem fugit aliquis *respectus* qui, si fuisset cognitus, conscientiam multum juvâsset ad rectum judicium efformandum. Quamvis enim principiorum cognitio directe ad *synderesim* pertineat, nihilominus ad dictamen conscientiæ recte formandum maxime prodest : quo melius innotescit legis sensus, eo facilior fit ejusdem applicatio casui particulari.

384. Confessarii præcipue tenentur hujusmodi studio incumbere, ut alibi probavimus[1]. Quare *Benedictus XIV* eos admonet[2], "ut in re dubiâ, propriæ opinioni non innitantur, sed, antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cumprimis quorum doctrina solidior, ac deinde in eam sententiam descendant quam ratio suadet ac firmat auctoritas." (a) Non innitantur videlicet *propriæ opinioni*, quæ sæpe fallax est : plus enim sapientiæ in *multorum* quam in *unius* judicio invenitur. (b) *Libros plurimos* consulant, ad facilius idem incommodum præcavendum; quod enim *unum* auctorem fugere potuit, non tam facile *multos* fugiet, præsertim si non ad eamdem *scholam*, sed ad *diversas scholas* pertinent : experientiâ enim constat quam facile auctores ejusdem scholæ, absque ulteriori examine, antecessorum opiniones et argumenta fiducialiter repetant! (c) Illos autem libros seligant quorum *doctrina est solidior*, qui scilicet *scientiâ*, *prudentiâ* et *pietate*, majorem famam sibi comparaverunt, et rem ex professo, non obiter perpenderunt : nec tam *numerandi* quam *ponderandi* sunt auctores, quorum opera leguntur. (d) In eam sententiam descendant quam *ratio suadet ac*

[1] *Syn. Theol. Mor.*, De Pænit., n. 370-374.

[2] *Bened. XIV.*, Constit. *Apostolica Constit.* de Præparat. ad Jubilæum, an. 1750, § 21.

firmat auctoritas. Unde, in quantum fieri potest, tum rationibus intrinsecis, tum extrinsecis auctoritatibus attendendum est : argumenta allata *critice* expendantur, attentis temporum et locorum adjunctis, et generatim loquendo non pluris æstimetur theologorum auctoritas quam *pondus rationum* quas afferunt. Attamen, si *doctrinâ communi* omnium scholarum aliqua conclusio firmatur, eo ipso magnâ probabilitate pollet, etiam independenter ab argumentis allatis; nec ab eâ recedendum est nisi in medium proferatur nova ratio quæ hucusque ignorata fuit.

385. (C) His omnibus perpensis, si conscientia judicium moraliter certum ferre nequit, remanet ut recurramus ad *principium reflexum*, cujus ope practicum dubium in moralem certitudinem convertatur. Jamvero, inter principia reflexa, alia sunt *universalia*, quia in *quovis* dubio de *liceitate* actionis ad efformandam conscientiam practice certam adhiberi possunt; talia sunt : *lex dubia non obligat*, — *in dubio melior est conditio possidentis*, aliaque quæ in systematum criticâ expositione mox declarabimus; alia vero sunt *particularia*, quæ in *quibusdam* tantum materiis adhiberi valent, v. g. *in dubio factum non præsumitur, sed probari debet*, — *in dubio standum est pro valore actûs*, — *in dubio præsumptio stat pro superiore*, etc.; quæ quidem in variis Tractatibus exponuntur. Quorum ope dubium excutitur, et conscientia *moraliter et practice certa* efformatur. Si quis v. g. post maturam rei investigationem, judicaverit legem jejunii in tali casu esse vere dubiam, propter graves rationes, simulque admittat veritatem principii "*lex dubia non obligat*", statim concludere potest : hujusmodi lex in hoc casu me non obligat; quod quidem judicium est moraliter et practice certum. Nam, ex unâ parte, probabilistæ tanquam moraliter *certum* habent principium "*lex dubia non obligat*"; aliunde *certo* moraliter constat in hoc casu legem jejunii esse *dubiam;* ergo *certum est* moraliter hanc legem me non obligare.

386. *Rudes* autem, qui principii reflexi usum non explicite didicerunt, nihilominus practice certam conscientiam sibi efformant, quia, *morali sensu* recte utentes, judicant se *prudenter* agere, eo quod talis vel talis actio non videtur, omnibus attentis, clare et certo prohibita[1]; si vero dubium

[1] *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXII, 1900, p. 753-758.

nimis eos torqueat, virum prudentem adeunt, præsertim pastorem aut confessorem, ab eoque inquirunt quid sit faciendum.

§ II. De variis systematibus ad solvendum dubium practicum excogitatis.

387. Status quæstionis. Permanente dubio *practico* de *liceitate* actionis peragendæ, necessarium est aliquod principium *reflexum* ad efformandam conscientiam practice certam, ut supra diximus. Quodnam sit vero principium *universale* ac moraliter *certum*, cujus ope dubium practicum solvi queat, inter catholicos doctores per plura sæcula acriter disputatum est, et hodie etiam multum disputatur. Ad cujus controversiæ intelligentiam, pauca sunt prænotanda.

1° Quando moralis certitudo, etiam lata, obtineri nequit, mens *practice* dubitat utrum lex in tali casu obliget necne; jamvero *lex*, seu *obligatio* apparet tanquam *probabilissima*, aut *multo probabilior*, *æque probabilis*, *solide probabilis*, vel *tenuiter probabilis*, secundum pondus rationum quæ afferuntur ad probandam vim legis obligatoriam; et ex hoc jam intelligi datur quomodo diversa possint esse principia ad solvendum dubium, secundum diversos gradus probabilitatis.

Insuper, ex modo loquendi communiter recepto, pars *tuta* aut *tutior* dicitur ea quæ legi seu obligationi favet; pars vero quæ libertati favet, vocatur *minus tuta*. Quare, si asseritur *partem tutiorem esse sequendam*, eo ipso significatur legem esse servandam ut vere obligatoriam.

388. 2° Principia reflexa a variis systematibus proposita non valent, juxta omnes prudentes, nisi ubi agitur de **solo licito vel illicito**; si enim non de solo licito agitur, sed de **valido**, seu de effectu necessario consequendo, *generatim* **pars tutior est sequenda**; quod præsertim in tribus casibus occurrit : —

(A) *Quando agitur de medio ad salutem necessario;* cum enim, amissâ salute æternâ, omnia bona simul amittantur, quæcumque sit intima animi persuasio, nil sane faciendum est ex quo periclitetur æternitas. Ita, ubi agitur de veritatibus credendis *necessitate medii*, v. g. de fide in Deum incarnatum, sequi non licet opinionem probabilem, ut

constat ex damnatione hujus propositionis (4) ab *Innocentio XI*, 2 martii 1679: "Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.[1]"

389. (B) *Quando agitur de valore sacramenti*, ut constat ex damnatione hujus propos. (1) ab eodem Pontifice[2]: "Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relictâ tutiore." Videlicet, in dubio num talis materia sit sufficiens pro validitate sacramenti, minister tenetur, ob reverentiam sacramenti bonumque fidelium, *tutiorem* adhibere materiam, si eam præ manibus habeat; si vero hæc desit, et necessarium sit ministrare sacramentum, dubiam materiam adhibere fas est, ad providendum, in quantum fieri potest, fidelium saluti. — Exceptio tamen datur casu quo Ecclesia potest et rationabiliter præsumitur supplere defectum, ut contingit aliquando pro jurisdictione ad validitatem absolutionis requisitâ, aut pro impedimentis matrimonii mere ecclesiasticis, ut suo loco exponimus.

390. (C) *Quando agitur de periculo damni temporalis vel spiritualis, sive proprii sive alieni, quod præcavere vel impedire tenemur ex justitiâ aut ex caritate.* Ita non licet, absque necessitate, sumere cibum *probabiliter venenosum;* neque ægrotanti remedia applicare *dubia*, quando alia certo efficacia præsto sunt; neque sese aut alios proximo periculo formaliter peccandi, sine sufficienti ratione, *probabiliter* exponere; quia in his omnibus *probabilitas* non removet periculum aliquod malum inferendi quod cæteroquin certo avertere tenemur.

Extra hos casus, quando de **solo licito** agitur, varia sunt systemata.

I. Variorum systematum conspectus historicus.

391. **Nullum systema ante sæc. XVI.** Per multa sæcula, nullum *systema proprie dictum* excogitatum ac digestum fuit ad dubia practica solvenda; sed Patres et Theologi, datâ opportunitate, dubia occurrentia cum quâdam benignitate

---

[1] *Denzing.*, n. 1021; quæ propositio ut minimum tanquam *scandalosa* et *in praxi perniciosa* reprobata fuit; cfr. *Viva*, in hanc propos.

[2] Ibid., n. 1018.

resolvebant, diversis principiis reflexis, præsertim vero docendo non esse urgendam legis dubiæ obligationem.

(A) Inter Patres, *S. Augustinus*, de quæstione agens primis sæculis agitatâ num christianis liceret matrimonium cum infidelibus contrahere, declarat in Evangelio vel apostolicis litteris rem non fuisse sine ambiguitate definitam, ideoque id non reputari peccatum, "quoniam revera in N. Testamento nihil inde præceptum est, et ideo aut licere creditum est, aut *velut dubium derelictum.*[1]" — Alias, interrogatus num, in casu necessitatis, vesci liceret cibo idolis oblato, respondit : "Aut *certum* est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur : si ergo certum est esse, melius christianâ virtute respuitur; si autem *vel non esse scitur, vel ignoratur*, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur.[2]"

Ita etiam *S. Gregorius Nazianzenus* cuidam Novatiano, asserenti secundas nuptias esse illicitas, reponit : "Quo argumento id confirmas? Aut rem ita esse proba, aut, si id nequis, ne condemnes. *Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas.*[3]"

392. (B) Scholastici vero, usque ad sæculum XVI, integrum morale systema non proposuerunt, sed docuerunt legem incertam vel non ligare, vel saltem non ligare eodem modo ac legem certam, et inter opiniones plus minusve probabiles distinguere cœperunt; juxta plures, *probabilior* pars sequenda erat, juxta alios, obligatio *dubia* urgenda non erat. Sed, cum illis temporibus nondum soleret accuratum discrimen institui inter dubium speculativum et practicum, et inter certitudinem directam, vel indirectam, sæpe difficile est eorum mentem certo cognoscere.

(a) Ita *S. Thomas* asserit nullum ligari per præceptum nisi mediante *scientiâ* seu *notitiâ* præcepti[4] : "Unde nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante *scientiâ* illius præcepti; et ideo ille qui non est capax *notitiæ*, præcepto non ligatur; nec aliquis ignorans præceptum Dei, ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur *scire* præceptum." Quemnam vero certitudinis gradum requirat *scientia* aut *notitia*, ibi non clare exponitur; hæc sane excludit opinionem *mere conjecturalem*, aut *tenuiter probabilem;* utrum vero sufficiat *probabilior* cognitio an requiratur *moralis certitudo*, non satis ex hoc loco constat. — Alibi declarat eum peccare qui *dubitat* num plures præbendas habere possit, et nihilomi-

[1] *S. August.*, De fide et operibus, c. 19, n. 35, ap. *Migne*, P. L., XL, 221; cfr. De conjug. adult., lib. I, c. 25, n. 31, *Migne*, P. L., XL, 468-469.

[2] *S. August.*, Epist. 47, ad Publicolam, n. 6, *Migne*, P. L. XXXIII, 187.

[3] *S. Gregor. Naz.*, Or. 39, In sancta lumina, n. 19, *Migne*, P. G. XXXVI, 358.

[4] *S. Thom.*, De veritate, q. 17, a. 3.

nus, manente tali dubitatione, eas retinet, quia periculo peccandi se exponit[1]; et ita *probabiliorismo* favere videtur; sed, cum dicat "*manente tali dubitatione*," quidam hunc locum intelligunt de eo qui, *practice dubitans*, has præbendas retinet, quin sibi conscientiam efformaverit. Quare *probabilioristæ*, *æquiprobabilistæ* et *probabilistæ* Angelicum Doctorem in suum sensum trahere conantur; nobis videtur ejus mentem dubiam esse, quia nullum systema hâc de re digessit. — Idem dici potest de *S. Bonaventurâ*, de *Scoto*, *S. Antonino* multisque aliis Doctoribus.

393. (b) Attamen, fatente *Medina*, primo probabilismi fautore, non pauci theologi, ante sæculum XVI, tenebant sequendam esse *probabiliorem* opinionem, relictâ probabili. En ipsius verba[2] : "Hanc quæstionem difficilem satis explicat doctissimus *Soto*, lib. 3 de Justitiâ, q. 6, a. 5, ad. 4, in hunc modum : dicit enim quod, licet in speculativis, et in gymnasio licitum sit aliquando sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori, ceterum in moralibus et in rebus quæ pertinent ad jus tertii, non est licitum sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Sentiunt idem *Sylvester*, verbo *opinio*, § 2, *Conradus*, in lib. de Contract.. quæst. ultimâ, et, quod magis movet, Dominus *Cajetanus* in suâ Summâ, verbo *opinio*." Postea argumenta exponit quibus præfati auctores suam fulciebant sententiam : 1) Qui sequitur opinionem probabilem, relictâ probabiliori, exponit se periculo peccandi, et eligit id quod minus certum est, relinquendo quod magis certum est : ergo peccat. 2) In dubiis tutior pars eligenda est; sed opinio probabilior est tutior; ergo sequenda. 3) Quando ex utrâque parte periculum est, in eam partem est inclinandum, quæ majoribus rationibus confirmatur. 4) Judex qui pronuntiaret sententiam contra eum qui probabiliora testimonia adducit, certe peccaret mortaliter, et committeret injustitiam; ergo qui sequitur opinionem probabilem, relictâ probabiliori, absque dubio peccat. — Igitur, quando scribebat *Medina* (an. 1577), jam florebat *probabiliorismus*, argumentis non spernendis fulcitus.

394. 1° Systema antiquorum probabilistarum[3]. (A) Primus qui illud systema expresse propugnavit, est præfatus *Medina*, qui, l. cit., ita suam mentem declarat : "Sed mihi

[1] *Quodlib.*, 8, a. 13. — De mente *S. Thomæ* late scripsit *Thyrsus Gonzalez*, S. J., in famoso opere, cui titulus : Fundamentum Theologiæ moralis, id est Tr. theol. de recto usu opinionum probabilium, diss. IX; cujus operis compendium invenies ap. *Migne*, Curs. Theol., t. XI, p. 1397-1476.

[2] *Bartholom. a Medina*, Expositio in 1^am^ 2æ, q. 19, a. 6, concl. 3ª, p. 178-179 ed. Venetæ, 1580.

[3] De mente antiquorum probabilistarum erudite scripsit *Fr. Ter Haar*, De systemate morali antiq. probab., Paderbornæ, 1894.

videtur, quod *si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit.*"

Hæc autem adducit argumenta : (a) opinio probabilis in speculativis ea est quam possumus sequi sine periculo erroris et deceptionis; ergo opinio probabilis in practicis ea est quam possumus sequi sine periculo peccandi. (b) Opinio probabilis ex eo dicitur probabilis quod possumus eam sequi sine reprehensione : ea est enim quam asserunt viri sapientes et confirmant optima argumenta; ergo implicat contradictionem quod sit probabilis et quod non possimus eam licite sequi. (c) Opinio probabilis est conformis rectæ rationi et existimationi virorum prudentum; et quanquam opinio probabilior est conformior et securior, eam sequi non tenemur, quia nemo obligatur ad id quod melius et perfectius est. (d) Opposita sententia cruciat animos timoratos, eos obligando ad inquirendum quænam sit opinio probabilior. — Aliunde, quidquid adversarii dicunt, qui sequitur opinionem probabilem, non se exponit periculo peccandi, quia, licet probabilior sit tutior, probabilis est secura et tuta. — Quæ argumenta in unum contrahi possunt : qui probabiliter agit, prudenter agit, ideoque non peccat.

395. (B) *Medinæ* systema primum in *Hispaniâ*, postea vero in ceteris regionibus mox pervulgatum est et usque ad sæculum XVII satis commune evasit. Triplici tamen modo propugnatum est : (a) alii siquidem, quos *moderatos* appellant, dicunt opinionem probabilem non esse sequendam quando hæc *dubie* aut *multo* minus probabilis est; opinionem vero *pro lege* eligendam esse, cum hæc est *certe* seu *notabiliter* probabilior; (b) juxta alios vero, qui *simplices* aut *puri* probabilistæ dicuntur, licet sequi opinionem probabilem, etiamsi contraria opinio sit *certo* aut *notabiliter* probabilior; (c) tandem pauci *laxistæ* contenderunt licitum esse sequi opinionem etiam *tenuiter* probabilem.

396. (a) Inter *moderatos* recensentur non pauci insignes theologi *Societatis Jesu : Suarez* (1548-1617), qui docet quidem licitum esse sequi opinionem probabilem circa honestatem actûs[1], sed alibi addidit[2] : " Major probabilitas est quædam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit " ; — *Rebellus*, († 1608), qui scribit[3] : " Certum autem est, ut alibi ostendetur, neminem salvâ conscientiâ sequi posse opinionem, quæ *minus probabilis* ab eo esse cognoscitur"; ex contextu, agitur de *certo* minus probabili opinione, et in aliis locis æquiprobabilismo favet; — *Gregorius de*

[1] De Religione, Tr. IX, I, IV, c. 15, n. 21.
[2] De Legibus, I, VIII, c. 3, n. 19.
[3] De obligat. Justitiæ, Religionis et Caritatis, 1608, P. I, l. 3, q. 5, n. 5.

Valentia, († 1603), asserens licere sequi opinionem probabilem, quando vere dubitatur quænam sit vera, non autem quando altera opinio vere est probabilior[1]; — *Theophilus Raynaudus*, qui idem tenet, quando rationes sunt æque aut fere æque validæ; — *Esparza*, an. 1667 scribens fas esse sequi opinionem probabilem, dummodo tamen altera non sit omnino indubitanter probabilior[2]; — *Terillus*, († 1676) idem docet, dummodo opposita sententia sit solum *paulo* probabilior[3]; — *Mamianus de Ruvere*, qui ait[4]: "Quando probabilitas opinionis minus tutæ speculative conceptæ quoad honestatem tantum materialem est *æqualis* cum probabilitate opinionis tutioris... vel quando excessus probabilitatis *non* est *valde notabilis*... tunc licitum est sequi hujusmodi opinionem minus tutam, relictâ tutiori"; — idem fere docuerunt *Rassler* († 1713), *Antonius Mayr*, *Gabr. Daniel* († 1728), *Joa. Reuter* († 1762), *J. Biner* († 1766), *F. Manhart*, etc.[5] — Quibus consentiunt nonnulli *Dominicani*, quales sunt *Martinez Prado*, *Fr. de Arauxo*, *Passerini de Sextulâ*, necnon *Benedictini*, ut *Ant. Perez* (1559-1637), *Bened. Schmier*, — aliique sive regulares, ut *Joan. Bossius*, O. Barnab., *Ant. Cotonius*, O. S. F., *G. Herincx*, O. M., *Ant. Schiara*, O. Theat., *Roncaglia*, C. M. D., *Eusebius Amort*, can. regularis, *Fr. Sylvius*.

397. (b) Inter probabilistas *puros* seu *simplices*, multi numerantur theologi diversarum scholarum; ita, e Societate Jesu: *Fr. Toletus* († 1596), *Emmanuel Sa* († 1596), *Joa. Azor* († 1607), *G. Vasquez* († 1604), *Lessius* († 1623), *Laymann* († 1625), *Castropalaus* († 1633), *J. Lugo* († 1660), *Cardenas* († 1684), *Dechamps* († 1701), *Lacroix* († 1714), *Mazzotta* († 1748), *Gury Ballerini*, *Sabetti*, *Génicot*, *Noldin*, etc. — Quibus jungi possunt: *Bonacina*, episcopus Uticensis († 1631), *C. Lupus*, O. S. A. († 1681), *Sporer*, O. S. F. († 1714), *Salmanticenses*, Ord. Carmelit. († 1717-1734), aliique multi præsertim sæc. XIX.

398. (c) Quidam tamen probabilistæ plus æquo *laxismo* favere non dubitârunt; quandoque tenuerunt opiniones *tenuiter* vel *dubie* tantum probabiles esse vere probabiles, ideoque licitas; quandoque dixerunt licitum esse sequi opiniones probabiles etiam cum agitur de iis rebus ad quas extendi non debent (supra, n. 388). Ita v. g. Joa. *Sanchez*, seu *Sancius* († 1624), *Bauny*, S. J. († 1649), *Leander*, O. SS. Trin. († 1663), *Diana*, Theatinus († 1663), *Tamburini*, S. J. († 1675), *Moya*, S. J. († 1684), *Joa. Caramuel*, Cistercien. et ep. Vigevan., in Italiâ († 1682), quem *S. Alphonsus* principem laxistarum vocat.

---

[1] In 2^am^ 2æ, disp. V, q. 7, punct. 4, dub. 3.

[2] De actibus hum., Appendix ad q. 23.

[3] Tract. de Conscientiâ probabili, q. 2, n. 15.

[4] Concordia doctrinæ Probabilistarum cum doctrinâ Probabilioristarum, P. III, 100, ed. 1707.

[5] Horum aliorumque, quos infra allegamus, sententias recenset *F. Ter Haar.* op. cit., p. 52-65.

Summi Pontifices *Alexander VII* (1665-1666) et *Innocentius XI* (1679) varias propositiones nimis laxas damnârunt, ipsumque laxismi principium hâc propositione contentum : "Generatim, dum probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ *quantumvis tenui*, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus [1]".

399. 2° Tutiorismus. Ad probabilistarum excessus vitandos, nonnulli theologi *tutiorismum* propugnârunt, contendentes *in dubio tutiorem partem esse eligendam*, etiam quando agitur de solo licito. Duplex distinguitur tutiorismus : *absolutus*, juxta quem non licet sequi opinionem libertati faventem, etsi probabilissimam; *mitigatus*, qui tenet opinionem pro libertate eligi non posse, nisi sit probabilissima.

(A) Tutiorismum absolutum advocârunt *Sinnichius*, doctor lovaniensis († 1666), et *jansenistæ*. Hi siquidem docebant quædam præcepta esse hominibus vere impossibilia, et, ad facilius hanc propositionem tuendam, rigorismo indulgebant, et onera importabilia fidelibus imponere non dubitabant. Non licet, inquiebant, voluntarie se exponere periculo peccandi; atqui, sequendo opinionem etiam probabilissimam, periculum peccandi incurrimus, cum hæc possit esse falsa [2].

Quem errorem damnavit *Alexander VIII*, 7 dec. 1690, hanc reprobando propositionem 3^am^ : "Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam [3]". Et merito; nam, si ad licite agendum requiratur certitudo stricte dicta, nec liceat in dubiis sibi efformare conscientiam *practice* certam ex principio reflexo, in pluribus circumstantiis vel ab agendo abstinendum esset, vel peccandum; nam ex unâ parte, sæpe dubia occurrunt, et ex alterâ, humana voluntas tam infirma est ut viam tutiorem semper eligere non valeat. — Quare *tutiorismus* non est vere tutus : jugum enim intolerabile imponendo, contra Evangelii mentem [4], auget peccata,

[1] Ap. *Denzing.*, n. 1020.

[2] Ad rem *Sinnichius*, in opere *Saul ex-rex*, lib. I, c. 95, n. 357 : "Nemo nescit humanam quamcumque opinionem, eo ipso obnoxiam esse periculo erroris, quod non transcendat limites probabilitatis ... Si enim opinio sive minus probabilis, sive etiam minus quam probabilis, potest esse vera; ita ex adverso opinio probabilior, vel etiam probabilissima, potest esse falsa."

[3] *Denzing.*, n. 1160.

[4] Christus siquidem ait : "Jugum enim meum suave est, et onus meum leve" (*Matt.*, XI, 30). Nonne de tutiorismo prædicari potest quod *Petrus* de lege mosaicâ dicebat : "Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?" (*Act.*, XV, 10.)

desperationem generat, et a praxi religionis multos arcet; quoad multos igitur, est tutissima damnationis via.

400. (B) Tutiorismus *mitigatus* a quibusdam lovaniensibus doctoribus propugnatus est, qui jansenianos errores emolliri conati sunt, dicendo fas esse opinionem sequi probabilissimam; inter quos *Opstraet* († 1720), *Steyart* († 1701), *Henricus a S. Ignatio* († 1719), *Dens* († 1775), quibus adhæsit *Card. Gerdil*, 1802. Eodem fere argumento innitebatur ac supra : videlicet opinionem sequendo quæ non est probabilissima, periculo peccandi exponimur. — Quod quidem falsum est; nam, etiam quando non adest talis probabilitatis excessus, conscientia practice certa formari potest ex principio reflexo, et ita vitatur omne periculum *formaliter* saltem peccandi. — Tutioristæ rejiciunt quidem principium reflexum, sed immerito; nam opinio probabilissima, quam sequi permittunt, vel parit conscientiam *certam*, vel non; si prius, incidimus in tutiorismum absolutum et damnatum; si posterius, conscientia remanet *practice dubia*, nec tutum est eam sequi. Quare hodie de tutiorismo actum est.

401. 3° **Probabiliorismus.** (A) Ad vitandos scopulos laxismi et tutiorismi, mediante sæculo XVII, renovatus est *probabiliorismus*, qui ante *Medinam* jam floruerat. Quidam pontifices, præsertim *Alexander VII* et *Innocentius XI*, huic reviviscentiæ non parum contulerunt.

Prior damnavit quadraginta quinque propositiones "christianæ disciplinæ relaxativas et animarum perniciem inferentes"; ejusque hortatui maxime adscribendum est quod *Dominicani*, an. 1656 generali Capitulo congregati, contra laxiores doctrinas certare decreverunt. Ex eo tempore videlicet omnes fere probabiliorismum propugnârunt; inter quos : *Julius Mercorus* († 1669), *J. Gonet*, 1681, *Contenson* († 1674), *Fagnanus* († 1678), *Natalis Alexander* († 1724), *Concina* († 1756), *Billuart* (1757), *Patuzzi* († 1769). Quibus annumerandi sunt pauci *Jesuitæ*, ut *Antoine* († 1743), *Elizalde;* sed præcipue *Thyrsus Gonzalez* († 1681), qui, probabilismi excessus videns, Tractatum scripsit de recto usu opinionum probabilium, in quo probabiliorismum propugnabat[1]; eumdem, post multas superatas

[1] *Gonzalez*, Fundam. Theologiæ moralis. — Hic subjicimus textum famosi decreti *Innocentii XI*, de quo acriter disputatum est inter Patrem *Brucker*, S. J. (Etudes, t. 86, p. 779 sq., t. 91, p. 831 sq.) et Patrem *Mandonnet*, O. P., (Revue Thomiste, sept. 1901 — janv. 1903, separatim edit. *Le décret d'Innocent XI, contre le Probabilisme*, Paris, 1903); genuinus illius decreti textus, diu ignotus, 21 apr. 1902, auctoritate *J. B. Lugari*, S. Officii assessoris, publici juris factus est.

" Feriâ 4â, die 26 Junii 1680. Factâ relatione per Patrem Lauream contentorum in litteris Patris Thirsi Gonzales, S. J., SS^mo D. N. direc-

difficultates, consulente *Innocentio XII*, publici juris fecit, et intra unius anni spatium *duodecies* prelo commisit. Ex quo tempore, non pauci Jesuitæ idem systema advocârunt, v. g. *Estrix*, *D. Nunnez*, *Blanchet*, *Bonnet*, *Malatra*, *Ehrentreich*, *Muniessa*, *Taberna*, *Gisbert*, *Gabriel Antoine;* plures tamen probabilismo adhærere perrexerunt. — *Franciscani*, quorum plurimi probabilismum defenderant, Mantuæ congregati in Capitulo generali, an. 1762, opinionem *probabiliorem* sequi decreverunt[1]. Idem antea declaraverat Conventus generalis cleri gallicani, an. 1700, suggerente *Bossuet*[2], Multi alii auctores, eodem sæculo XVIII, probabiliorismum docuerunt, inter quos *F. Genet* († 1702), *L. Habert* († 1718), *J. Pontas* († 1728), fratres *Ballerini*, Petrus et Hieronymus († 1764). Imo *Benedictus XIV* jussit Theologiam moralem Patris Antoine, S. J., probabilioristæ, in Seminario *de Propagandâ Fide* exponi.

402. (B) *Doctrinam* vero probabiliorismi dilucide ac moderate sic exponit *Billuart*[3] : (a) In concursu duarum opinionum de honestate objectivâ actionis, non est licitum sequi minus probabilem et minus tutam, relictâ probabiliori

---

tis, Eminentissimi DD. dixerunt, quod scribatur per Secretarium Statûs Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto Patri Thirso, quod Sanctitas sua benigne acceptis, ac non sine laude perlectis ejus literis, mandavit, ut ipse libere et intrepide prædicet, doceat et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognitâ et judicatâ, licitum sit sequi minus probabilem, eumque certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit gratum erit Sanctitati Suæ.

Injungatur Patri Generali Societatis Jesu de ordine Sanctitatis Suæ, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognitâ et judicatâ, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam scribat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suæ esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam prædictam; eisque jubeat ut mandato Sanctitatis Suæ omnino sese submittant." Cujus decreti historiam et commentarium tradit *F. Ter Haar*, C. ss. R., in opusculo *Ven. Innocentii PP. XI de Probabilismo Decreti historia et vindiciæ*, Tornaci et Parisiis, 1904; sensu plane diverso idem decretum exponit *Arendt*, S. J., ap. *Analecta ecclesiastica*, 1902, p. 306 sq. et p. 353 sq. Cfr. *Revue thomiste*, janv. 1903, mai-oct. 1903, mai-juin et sept.-oct. 1904, ubi diversas disputationes de eodem decreto invenies; *Etudes*, t. 86, p. 778 et t. 91, p. 831.

[1] Ap. *Ter Haar*, op. cit., p. 85.

[2] *Bossuet*, Œuvres complètes, ed. Vivès, t. XXII, p. 768; doctrinam *Bossuetii* invenies ibidem, p. 712, et t. XXXI, p. 1-20.

[3] *Billuart*, De Act. hum., diss. VI.

et tutiori. (b) In conflictu duarum opinionum æque probabilium de honestate objectivâ actûs, tenemur sequi tutiorem. (c) Quando agitur de solâ honestate objectivâ actûs, licitum est sequi opinionem manifeste et solide probabiliorem minus tutam, seu faventem libertati, in concursu minus probabilis tutioris seu faventis legi. (d) Ut liceat sequi opinionem probabiliorem, non requiritur quod sit probabilissima, nec sufficit quicumque levis excessus in probabilitate, sed requiritur notabilis et moraliter gravis, qui moveat virum gravem atque prudentem ut assentiatur illi potiusquam alteri.

403. *Argumenta* vero quæ affert, ad hæc fere reducuntur : (a) Non licet sequi opinionem minus tutam, si non sit proprie, solide et expedite probabilis; atqui sententia minus probabilis *in conflictu probabilioris* non est proprie, solide et expedite probabilis; nam motiva, quibus innititur, non sufficiunt ad obtinendum assensum viri prudentis, sed tantum ad ingerendam aliquam formidinem de opposito : vis enim istorum motivorum eliditur a validioribus motivis, et vir prudens assentiri nequit opinioni quam probabilius judicat falsam. Aliunde conscientiam moraliter certam sibi efformare nequit vi principii reflexi : *qui probabiliter operatur, prudenter operatur*, aut *lex dubia non obligat;* illud enim principium non est moraliter certum, cum omnes anti-probabilistæ illud negent impugnentque rationibus saltem probabilibus; ideoque conclusio practica ex hoc principio deducta non est moraliter certa. (b) Sicut in dubiis speculativis amplecti tenemur eam sententiam quæ propius ad veritatem accedit et magis periculum errandi excludit, ita in dubiis circa honestatem actionis, illam opinionem sequi tenemur quæ verisimilior est et a periculo peccandi efficacius avertit; atqui sane probabilior opinio est verisimilior et magis removet periculum peccandi.

404. Quæ tamen argumenta ita *solvere* conantur *probabilistæ.* (a) In hoc systemate confunditur ordo *cognitionis* cum ordine *operationis :* in dubio de *veritate* alicujus opinionis, generatim assentiri debemus illi quæ probabilior apparet, sed in dubio de *liceitate* actionis, non adhæremus alterutri opinioni, sed, vi principii reflexi, efformatur conscientia practice certa. Ipsi *probabilioristæ* principio reflexo uti debent, videlicet *in dubio sequi licet opinionem probabiliorem;* jamvero veritatem hujus principii probare nequeunt, nisi per argumentum desumptum ex ignorantiâ invincibili legis : hoc autem argumentum æque probat veritatem alterius principii : *lex dubia non obligat.* (b) Verum esse nequit systema morale quod in suâ applicatione moraliter impossibile videtur; atqui ita est de probabiliorismo; nam plerique judicare nequeunt utrum talis opinio sit *probabilior* an tantum *probabilis;* insuper quod uni certo probabi-

lius apparet, id alteri probabile tantum videtur; ita viri timoratæ conscientiæ in scrupulos et perpetuas anxietates conjiciuntur.

Hodie *pauci* sunt admodum probabilioristæ, sed tria vigent systemata *æquiprobabilismus*, *probabilismus* et *compensationismus*, de quibus jam dicendum.

II. Hodierna systemata critice expenduntur.

1° *De Æquiprobabilismo.*

405. (A) **Ejus origo.** *Æquiprobabilismus*, qui a *probabilismo moderato* superius exposito substantialiter non differt, præcipuum propugnatorem habuit *S. Alphonsum de Ligorio*, qui inter Ecclesiæ Doctores, 23 martii 1871, annumeratus est. Hic primum quidem *Probabilioristis* adhæserat, sed, in audiendis confessionibus probe intelligens horum systema nonnisi ægre applicari posse, *moderatum probabilismum* amplexus est, eumque contra probabilioristas propugnavit in dissertatione, an. 1749 et 1755 editâ, cui titulus : *Dissertatio scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris;* sed jam eo tempore non minus severe opinionem laxistarum reprobabat. In *primâ* editione (1749), probabilistarum systema suum fecerat his verbis : "Licitum est sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur, sive intrinseco, scilicet ex ratione, sive extrinseco ex auctoritate doctorum"; sed in *secundâ* editione hanc restrictionem addidit : "*nisi probabilitatis excessus sit notabilis*". Postea vero, timens ne hâc formulâ quidam abuterentur ad favendum opinionibus nimis benignis, an. 1762, novam dissertationem edidit, in quâ hæc duo statuit : "Cum opinio minus tuta est *æque probabilis*, potest quis eam licite sequi"; — "Non licet sequi opinionem minus probabilem quando opinio quæ stat pro lege est *notabiliter* et *certo probabilior*"; quibus verbis continetur æquiprobabilismi summa. Hoc systema magis ac magis expolivit, et an. 1767, in sextâ ed. Theologiæ Moralis sic exposuit : "Dico igitur non licere sequi opinionem minus probabilem, cum opinio quæ stat pro lege, est notabiliter[1] aut certo *probabilior;* dico *aut* certo, quia cum opinio pro lege est certo et sine ullâ hæsitatione probabilior, tum opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior"; — aliunde : "Cum opinio minus tuta est æque, vel fere æque probabilis, potest quis eam licite sequi.[2]" Circa finem suæ vitæ, laxismi accusationibus a tutioristis

[1] Quæ vox omissa est in septimâ ed., quia voci *certo* nil addit; cfr. Theologia moralis, curâ *Gaudé*, 1905, t. I, p. xx.

[2] Hos aliosque S. Doctoris textus invenies in opere *Vindiciæ Alphonsianæ*, Romæ, 1873, P. I, p. 1-125, — brevius ap. *Mangenot*, Dict. de Théol., t. I, p. 911-915. Ceteroquin de mente *S. Alphonsi* multum disputatum est et hodie etiam disputatur inter *æquiprobabilistas* et *probabilistas;* præter opera citata, cfr. *Ballerini-Palmieri*, t. I,

impetitus, timensque ne suum systema cum *simplici probabilismo* confunderetur, aperte declaravit se non esse probabilistam : "Ego iterum in hoc brevi Opusculo declaro, quod non sum probabilista, neque sequor probabilismum; quinimo eum reprobo.[1]" — Animadvertere juvat doctrinam moralem *S. Alphonsi* specialiter laudatam fuisse a Rom. Pontificibus, eo quod "inter implexas theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent.[2]"

Systema S. Alphonsi propugnant *Redemptoristæ*, inter quos *Konings*, *Marc*, *Aertnys*, *Ter Haar*, *Wouters*, etc.; aliique non pauci, *Gousset*, *Del Vecchio*, *Savini*, *Pruner*, *Müller*, *Simar*, *C. Martin*, necnon multi *Dominicani*, qui, probabiliorismum seponentes, æquiprobabilismo adhærent.

406. **(B) Exponitur æquiprobabilismus**[3]. Tribus hisce propositionibus contrahi potest, juxta *C. Marc.* (n. 91-103) : (a) Concurrentibus opinionibus *æque vel fere æque probabilibus, in dubio de legis existentiâ*, licet sequi opinionem *faventem libertati;* ita contra *Probabilioristas.* Nam 1) *lex vere et stricte dubia non obligat;* est enim insufficienter promulgata, et invincibiliter ignorata dici potest : cum enim utrinque sint rationes æque aut fere æque probabiles, non est *moraliter* loquendo major ratio affirmandi quam negandi, ideoque in hoc casu *invincibiliter* ignoratur legis existentia, seu obligatio. 2) Aliunde, *in dubio melior est conditio possidentis;* principium hujusmodi, quod in materiâ *justitiæ* ab omnibus admittitur, ad alias virtutes extendi potest : cum enim quis, post adhibitam diligentiam, veritatem non potuerit invenire, in possessione suæ libertatis perseverat, ideoque a jure suo privari nequit per legem stricte dubiam.

(b) Concurrentibus argumentis *æque vel fere æque proba-*

Append. I, Diss. de genuinâ S. Alphonsi sententiâ circa usum opinionis probabilis, p. 632-706; *Bouquillon*, n. 315-317; *Wittmann*, S. Alphonse et le pur probabilisme, Gien, s. d.; *Ter Haar*, op. cit. p. 99-107; *Gaudé*, De Morali systemate S. Alphonsi; *De Caigny*, Apologetica de æquiprobabilismo alphonsiano, 1894.

[1] Ap. *Bouquillon*, n. 317; cfr. *Vindiciæ*, p. 70-72.

[2] Decret. 22 mart. 1871, super concessione tituli Doctoris; quod testimonium aliaque permulta referunt *Vindiciæ*, diss. procemialis, et brevius *Marc*, Instit. Mor. Alphonsianæ, t. I, initio.

[3] Præter *S. Alphonsum*, Systema morale, cfr. *Marc*, op. cit., n. 88-108; *Konings*, n. 63-96; *Aertnys*, n. 80-121; *Gousset*, Théol. Morale, n. 79-88; *Wouters*, De minusprobabilismo, 1905.

bilibus, in dubio de legis certæ cessatione, sequenda est quæ *legi favet* opinio ; ita contra *Probabilistas*. Colligitur ex principio : *in dubio melior est conditio possidentis ;* nam, sicut libertas possidet quando lex non est certa, ita lex possidet quando hæc est certa et dubitatur num sit revocata ; ergo lex servanda est donec de ejus revocatione constet. — Quod confirmatur ex receptis principiis juris, quale est v. g. : *in dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet ;* jamvero legis revocatio, vel desuetudo, aut dispensatio est factum quod per rationes æquiprobabiles non sufficienter demonstratur. — Notant tamen hi auctores libertatem multo frequentius possidere quam legem.

(c) In concursu opinionis *certe probabilioris pro lege, non licet sequi minus probabilem pro libertate ;* contra *probabilistas*. — Nam, in hoc casu, lex non est *stricte dubia :* tunc enim solum intellectus fluctuat inter duas partes oppositas, cum motiva pro utrâque parte vel nulla adsunt, vel æqualia fere apparent ; atqui in casu, motiva pro lege certo validiora apparent quam pro libertate, et ita vis et efficacia rationum, quibus opinio minus probabilis innititur, certe superatur et eliditur validioribus argumentis contrariæ sententiæ ; idcirco homo non prudenter agit, minus probabilem opinionem sequendo, cum suâ voluntate intellectum cogat ad relinquendum quod verisimilius videtur, et adhærendum opinioni quæ minus verisimilis apparet. — Neque recurrere licet ad principium : *lex dubia non obligat ;* hoc enim non valet nisi quando lex *stricte dubia* est, videlicet quando mens fluctuat propter argumenta utrinque fere æqualia, non autem quando certo videt argumenta validiora legi favere.

407. **(C) Exponuntur argumenta contra æquiprobabilismum allata.** Contra æquiprobabilistas sic arguunt *probabilistæ*, præsertim *Noldin*, n. 219-222 : (a) Æquiprobabilistæ, ad stabiliendum suum systema, his utuntur principiis : *lex dubia non obligat*, et *lex incerta certam obligationem inducere nequit ;* atqui ex his non æquiprobabilismus, sed probabilismus necessariâ illatione sequitur ; etenim etiam lex quæ probabilius existit, *vere dubia* et *incerta* manet, dummodo contra ejus existentiam aut vim adducatur argumentum probabile. Neque dici potest minorem probabilitatem elidi majori probabilitate alterius opinionis ; sæpe enim minor probabilitas innitur fundamento omnino independente ideoque subsistit, etiamsi contraria opinio sit vere probabilior. — Respondent tamen æquiprobabilistæ.

etiam in hoc casu opinionem minus probabilem, quæ *seorsim* spectata probabilis apparet, *comparatam* cum oppositâ notabiliter probabiliore, jam non esse solide probabilem.

(b) Systema morale, quod ad sui usum necessario exigit, ut ex utrâque parte ponderentur momenta rationum, et statuatur num opiniones adversæ sint æque aut fere æque probabiles, ad difficultates practice solvendas minus est aptum : sæpe enim impossibile est determinare quandonam probabilitas sit æqualis aut fere æqualis, et qui existimant se id absque difficultate præstare posse, sibi aliisque illudunt. — Hæc impossibilitas minime existit, aiunt adversarii, nam cum diligentiâ ordinariâ agnosci potest utrum talis vel talis opinio sit *notabiliter* probabilior necne, eo magis quia *S. Alphonsus* modernique theologi satis accurate id determinant.

(c) Aliunde principium : *in dubio melior est conditio possidentis*, falso applicatur : falsum est enim in dubio de cessatione legis possidere legem prius certo existentem. Et sane in dubio de cessatione legis, certa est libertas et dubia est lex, cum vere probabile sit legem cessasse. — Præterea jus libertatis *in se* jure legis potius est, quia libertas, si non tempore, saltem naturâ et ratione, legem præcedit, ideoque in dubio præsumptio stat pro libertate. — Dicunt tamen æquiprobabilistæ libertatem non amplius in *possessione* esse, quando certo constat legem aliquam promulgatam fuisse; nam libertas *moraliter ligata* fuit ipsâ promulgatione legis, ideoque immunis ab obligatione dici nequit, donec de revocatione satis constet.

(D) **Conclusio.** Æquiprobabilismus solidis sane fulcitur argumentis, et, quanquam nonnullas difficultates perfecte non solvit, tutam sternit viam inter laxiores rigidioresque sententias[1]. Quare *S. Pœnitentiaria*, interrogata "utrum sacræ theologiæ professor opiniones, quas in suâ Theologiâ morali profitetur Beatus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri," die 5 julii 1831, respondendum censuit : "Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur." — Notentur tamen hæc ultima verba, ex quibus constat alia systemata, ab Ecclesiâ non reprobata, libere propugnar posse.

[1] Nobis videtur tamen principium "*in dubio, melior est conditio possidentis*", non recte applicari in casu quo lex, ut aiunt, possidet; sive enim agitur de *existentiâ*, sive de *cessatione* legis, non putamus hanc obligare quando rationes utrinque allatæ sunt æque aut fere æque probabiles : tunc enim adest *vere* et *stricte* dubium, et merito applicatur principium *ligorianum :* lex vere et stricte dubia non obligat.

2° Hodiernus probabilismus critice expenditur.

408. (A) Systema exponitur[1]: *In omni dubio, ubi agitur de solo licito, sequi licet opinionem certe et solide probabilem, etsi contraria opinio sit vere probabilior.* Dicitur :

(a) *In omni dubio*, nempe sive juris, sive facti, — sive agatur de lege humanâ sive de lege divinâ aut naturali, — et quidem de legis existentiâ aut de legis cessatione.

(b) *Ubi agitur de solo licito*, nam etiam probabilistæ admittunt restrictiones supra enumeratas, ubi agitur de *valido*, etc., n. 388-390.

(c) *Opinionem certe et solide probabilem* sequi licet, non autem *dubie* aut *tenuiter* probabilem. Jamvero, ad opinionem vere et solide probabilem tria requiruntur : ut motivo vere gravi rationis vel auctoritatis innitatur; — ut ei nec definitio Ecclesiæ nec certa ratio adversetur; — ut ejus motiva cum motivis sententiæ oppositæ comparata suam retineant probabilitatem. Quibus positis, negligi potest opinio *probabilior* pro lege, quamdiu ipsa intra terminos probabilitatis versatur, quin sit moraliter certa. — Requiritur autem ut opinio sit certe et solide probabilis *illi ipsi qui eam sequitur;* alias lex *ei* non est vere dubia atque incerta.

Hæc certa et solida probabilitas constitui potest per argumenta non solum interna, sed etiam *externa*, seu ex auctoritate theologorum desumpta : " Si enim complures iique graves auctores opinionem dicant probabilem, ordinarie fieri non potest, quin probabilibus rationibus internis fulciatur... Non solum sententia, quæ a plerisque theologis probabilis dicitur, sed etiam sententia, quam quinque vel sex theologi probitate, scientiâ et prudentiâ insignes pro verâ aut probabili habent, censeri debet vere et certe probabilis, nisi eorum auctoritas infirmetur aut declaratione Ecclesiæ aut manifestâ ratione[2]. "

409. (B) Proponuntur argumenta probabilismo faventia. Duo præsertim afferuntur : (a) *Lex dubia non obligat;* atqui lex, contra quam habetur certa et solida probabilitas, est vere dubia; ergo. — *Major declaratur :* lex non potest obligare nisi sufficienter cognoscatur : " Nullus, ait *S. Tho-*

[1] Expositionem et argumenta probabilismi præcipue mutuamur a *Lehmkhuhl*, n. 79-118, et a *Noldin*, n. 209-216; cfr. *Ball. P.*, n. 175-198.

[2] *Noldin*, n. 212.

mas,[1] ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientiâ illius præcepti"; atqui sola *certa* cognitio vera est cognitio: nam qui de aliquâ lege dubitat, cognoscit quidem dubium circa eam et obligationem inquirendi, sed *ipsam legem* non cognoscit; ergo lex dubia obligare nequit. — *Minor probatur:* certitudo et opposita probabilitas de eâdem veritate se mutuo excludunt; quamdiu ergo opinio pro libertate probabilis est, opposita pro lege certa esse nequit, etiamsi vere probabilior certo appareat; ergo lex, contra quam habetur certa probabilitas, vere dubia est, ideoque non obligat.

(b) *Lex incerta nequit certam obligationem inducere;* nam jus libertatis præcedit jus legis, etsi non tempore, saltem naturâ et ratione, cum obligatio supponat liberam voluntatem quæ ligetur; ideoque jus certum et potius libertatis restringi nequit nisi lege certâ; atqui lex, contra quam militat opinio certe et solide probabilis, est vere incerta, ut constat ex jam dictis; ergo lex incerta certam obligationem parere nequit.

Addit tamen *Noldin*, n. 213, cum moderatis probabilistis: "Si tamen opinio pro lege sit probabilissima vel notabiliter probabilior quam opposita, legem servare tenemur. Etsi enim ejusmodi opinio veram certitudinem non attingat, *practice* tamen æquivalet sententiæ certæ, quia ejus opposita non est vere et certe probabilis ideoque suppeditare nequit normam agendi, cum ad informandam conscientiam practice certam non sufficiat." Ex hoc capite, moderati probabilistæ *prope* accedunt æquiprobabilistis.[2]

410. (C) Exponuntur argumenta contra Probabilismum. Præter ea quæ jam a probabilioristis proposita sunt, supra, n. 403, alia urgent *æquiprobabilistæ* et *compensationistæ*. (a) Principium "*lex dubia non obligat*" non valet ubi lex *certo probabilior* est quam libertas; nam lex *certo probabilius* existens *satis* est cognita ut obliget *indirecte*, vi principii generalis quod sincere ad veritatem tendere debemus, ideoque opinionem sequi quæ veritati magis appropinquat.[3] — Neque dici potest *invincibiliter* ignorari legem *certo probabiliorem:* in solo dubio *stricto*, propter rationum æqualitatem, lex inculpabiliter ignoratur; ubi vero objectiva obligatio *certo probabilior est*, jam non licet judicium suspendere, sed mens adhærere debet

[1] *S. Thom.*, *De verit.*, q. 17, a. 3.

[2] Quod sæpe sæpius repetit *S. Alphonsus* in omnibus operibus ab an. 1762 editis; cfr. *Gaudé*, n. 38-62.

[3] Conciliationem inter utrumque systema recenter tentabat *D. N. de Caigny*, De Gemino probabilismo licito.

opinioni quæ verisimilior habetur. — Neque addi potest *certum jus libertatis* incertâ lege tolli non posse; nam jus libertatis non remanet certum quando illi opponitur officium *certo probabilius*, sed vere dubium efficitur, et quidem minus probabile quam ipsum officium.

411. (b) Probabilismus facile viam aperit laxismo; concesso enim omnibus jure sequendi opiniones etiam *certo* et *notabiliter minus probabiles*, facile cuique probabilis apparebit opinio quæ magis placet; concesso pariter quod auctoritas quinque aut sex auctorum gravium ad alicujus opinionis probabilitatem agnoscendam sufficit, quis est qui, in longâ theologorum probabilistarum serie, non inveniat quinque aut sex, ceteroquin graves, opinionem plus minusve laxam approbantes? Jam suo tempore *S. Alphonsus* scribebat[1]: "Et revera transacto sæculo plurimi abusus fuerunt in opinando ad probandas pro probabilibus multas laxas opiniones; ideoque plures Ecclesia proscripsit opiniones, quia immerito vocabantur probabiles, quemadmodum sunt propositiones 27 et 40 proscriptæ ab *Alexandro VII*, et 1, 3, 6, 35, 44 et 57 proscriptæ ab *Innocentio XI*. Hæ omnes damnatæ fuere, quia in ipsis dicebatur : *probabile est*, etc." Paulo post addit se etiam auctoritate plurium fuisse deceptum[2]: "Verum est, in primis meæ theologiæ moralis impressionibus plurium auctorum auctoritate ductus, pro probabilibus multas non satis firmas opiniones admisi; melius tamen re perpensâ, eas revocavi, aut reformavi."

412. (D) **Probabilistarum responsa traduntur.** Quas tamen difficultates solvere conantur probabilistæ[3]. (a) Animadvertunt siquidem opinionem *solide*, etsi *minus* probabilem, etiam cum probabiliore comparatam, suam retinere probabilitatem, neque ejus vim penitus elidi : secus, contraria opinio jam non esset probabilior, sed moraliter certa. Jamvero, stante opinione certe et solide probabili, lex vere et stricte dubia manet, ideoque legitime applicari potest principium : *lex dubia non obligat*. Neque adest obligatio *practice* sequendi sententiam verisimiliorem : secus enim, id faciendum esset etiam quando opinio favens legi est tenuiter probabilior, et ita in probabiliorismum incidimus. — Quare obligatio, etiam certo probabilior, *incerta* manet, quamdiu opinio libertati favens certe et solide probabilis est; nec proinde stricte imponenda est, sub pænâ peccati, ne forte jugum nimis onerosum humanæ infirmitati imponatur et homines adhuc virtute debiles a religione arceantur.

(b) Neque *laxismus* serio timendus est, dummodo probabilismus *prudenter* adhibeatur, id est solummodo quando opinio favens libertati, etiam cum contrariâ opinione comparata, *solide probabilis* manet, — et aliunde cum hâc cautione ut opinio probabilis non habeatur ut quid perfectum, sed ut quid stricte loquendo licitum.

---

[1] *S. Alphonsus*, Homo apost., Tr. I, n. 73. — [2] Ibid., n. 78.
[3] *Lehmk.*, n. 94-106; *Ball. P.*, n. 198; *Noldin*, n. 216.

Hæc ergo attendantur verba probabilistæ *Noldin* (n. 216) : " Si homo christianus in servitio Dei nil aliud ageret, nisi quod stricte lex ex principiis probabilismi postulat, profecto vitam ageret parum christifideli dignam; probabilistarum autem praxis hæc est : ubi agitur de *obligatione* imponendâ et de peccatis dijudicandis, benigni sunt ad evitanda pericula formaliter peccandi; ubi autem de consequendâ *perfectione* et de exercitio virtutum agitur, ad summa nituntur, servitium Deo debitum non ex obligatione legis, sed ex amore et gratitudine erga divinam majestatem dimetientes. "

413. Conclusio. Quibus positis, admittimus probabilismum, non quidem ut perfectionis aut vitæ christianæ normam, sed tanquam systema ex quo dignosci possit *minimum* quod requiritur ad peccatum vitandum. Etenim, quando agitur de legibus *canonicis*, ipsa Ecclesia, cujus est suas leges authentice interpretare, æquivalenter declarat licitum esse sequi opinionem certe probabilem, libertati faventem; ita, inter *Regulas justis* in *Sexto*, legitur : " *Odia restringi, et favores convenit ampliari* " (reg. 15); " *In obscuris minimum est sequendum* " (reg. 30); " *In pœnis benignior est interpretatio facienda* " (reg. 49); " *Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda* " (reg. 57). — Jamvero quod dicitur de legibus ecclesiasticis, de aliis omnibus pari ratione dici potest; si enim Deus stricte nos ligare voluisset, sub pœnâ peccati et æternæ damnationis, clare suam mentem nobis manifestavisset; ubi ergo lex divina, sive positiva sive naturalis, *incerta* est, propter *grave* dubium de ejus existentiâ, quis dicere audebit hominem *stricte* eam servare teneri, sub pœnâ damnationis?

414. Attamen, ut opinio sit certe et solide probabilis, *non admittimus sufficere ex se auctoritatem quinque vel sex gravium theologorum*, quando scilicet contra ipsos militat gravissima ratio, quam non solverunt[1]. Potest enim fieri ut hi, quamvis graves, decepti fuerint, et tanquam probabilem

[1] Hanc esse mentem *S. Alphonsi*, ex iis patet quæ dicit l. I, Tr. I, n. 82 : " Confessarius, antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere; et cum ei occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione, cui adæquatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat : modo auctoritas non sit tanti ponderis ut videatur ei magis quam rationi apparenti deferendum. "

habuerint opinionem quæ, omnibus sedulo perpensis, vere probabilis non est; hinc eorum argumenta serio perpendi debent, ut supra monuimus, n. 384, et, si debilia appareant sive in se, sive ob mutatas circumstantias, eorum opinio rejici debet. — Præterea pluris facimus *fidelium sensum universalem*, solidæ rationi innixum, quam quinque vel sex gravium theologorum auctoritatem, quæ in casu particulari eidem adversatur; quare, si ut probabilis a quibusdam theologis dicatur opinio, quam reprobat communis fidelium sensus [1], eam ut improbabilem rejicimus. — Quoad *intrinsecas* rationes, majoris sunt ponderis, in re *morali*, eæ quæ ad *sensum moralem appellant* quam quæ *nimis subtiles* sunt et a principiis *metaphysicis* deductæ; quælibet enim scientia suum genus probationum habet : jamvero scientia morum non tam metaphysicis innititur argumentis quam moralibus principiis quæ ratio practica prudentûm et honestorum percipit. Qui vero volunt non solum a peccato abstinere, sed christianas virtutes colere, perfectionis regulas non apud casuistas quærent, sed apud ascetas, et præsertim apud sacros auctores et Patres, qui de virtutibus disseruerunt.

3° *De systemate compensationis.*

415. (A) **Expositio.** Cum in præfatis systematibus non paucæ inveniantur difficultates, quidam auctores novum systema excogitârunt, ad dubium solvendum ex principio *rationis sufficientis*, seu *compensationis :* ita, inter alios, *Manier, Laloux, Potton* [2]. (a) Juxta eos siquidem, lex dubia non omni vi obligatoriâ caret, nec omnem suam obligandi vim habet, sed plus minusve obligat, prout plus minusve cognoscitur : quoties lex est omnino cognita, totam habet suam vim obligandi relate ad nos, quoties e contra nobis est penitus ignota, nullo modo obligat; ergo, si lex sit imperfecte cognita, imperfecte nos ligat. Jamvero, ut licite agere

[1] Exemplum habes in *Tr. de Virtute Justitiæ*, n. 483, ubi agitur de errore circa personam læsam, quando quis v. g. intendens occidere Caium, occidit Titium.

[2] *Manier*, Compendium Philosophiæ, ed. 10ª, t. III, Append. I, p. 539-553; *Laloux*, De Actibus humanis, diss. IV, p. 42-148 (quod opus nondum absolutum, non ab ipso auctore, sed a discipulo fuit editum); *Potton*, O. P., De Theoriâ probabilitatis, Parisiis, 1874.

possimus contra legem etiam imperfecte obligantem, quædam causa excusans, seu ratio sufficiens, aut compensatio exigitur. Seu, aliis verbis, lex dubia non tanti valet quanti lex certa, sed pluris valet quam lex nulla, ideoque, ad relaxandam ejus obligationem, requiritur aliqua ratio sufficiens, licet minus gravis quam pro lege certâ.

(b) Quod alio modo declaratur : in transgressione etiam *materiali* legis justæ, semper aliquod malum invenitur; nam, ex dictis, lex est *ordinatio rationis*, et qui eam etiam ignoranter violat, aliquod detrimentum sibi aut aliis infert : ita duellum, infanticidium aliaque hujusmodi, quamvis ignoranter commissa, vere individuis et societati nocent; proindeque scienter se exponere periculo mali materialis, *sine ratione sufficienti*, est peccatum, sed licitum est, si adsit ratio sufficiens proportionate gravis. Hic enim applicari possunt principia superius tradita, n. 175-182, de *voluntario indirecto :* licet ponere actum in se bonum aut indifferentem, ex quo prævidetur malus effectus probabiliter secuturus, dummodo adsit ratio proportionate gravis. Qui scilicet violat legem *dubiam*, prævidet quidem malum effectum probabiliter inde secuturum, — transgressionem materialem legis ; — sed ejus actio non est intrinsece mala, proindeque a peccato excusatur, dummodo rationem habeat sufficientem ita agendi; si vero nulla sit hujusmodi ratio, agens aliquo modo peccat, quia libere, sine causâ, se exponit periculo materialiter saltem legem transgrediendi. — Quare, ad sciendum num agere liceat contra aliquam legem dubiam, attendi debet : (a) ad *gravitatem legis* et ad ejus *probabilitatem :* quo sanctior et gravior est lex, et quo probabilior ejus existentia, eo major esse debet ratio ut sit sufficiens; (b) ad *bona* quæ ex transgressione legis dubiæ obtinentur : quo majora sunt et altioris ordinis, eo facilius permitti potest legis transgressio materialis.

416. **(B) Systema compensationis critice expenditur.** Præfatum systema ita impugnant *probabilistæ*[1] : (a) *Compensationismus* ad

[1] *Gury*, Casus consc. 7, de Conscientiâ; *Montrouzier*, in periodico *Revue des Sciences eccles.*, t. XXI, 1870, p. 220 sq.; duo anonymi in eodem periodico, t. XXV, 1872, p. 383 sq.; quos confutare nititur *Potton*, op. cit., p. 169-240.

tutiorismum ducit : si enim lex dubia semper aliquatenus obligat, nisi occurrat ratio excusans, pars tutior semper sequenda est, etiam quando opinio libertati favens est *probabilissima :* quod tamen ab *Alexandro VIII* reprobatum fuit, supra n. 399. — Dici tamen potest hoc systema non magis ducere ad tutiorismum quam probabilismus ad laxismum trahit : sicut enim probabilistæ laxismum vitant, rejiciendo sufficientiam opinionis *tenuiter* probabilis, ita pariter compensationistæ tutiorismum evadunt, asserendo legem dubiam et incertam non obligare nisi quando omnino deficit ratio sufficiens ad eam transgrediendam, et *levem* omnino causam excusare a lege valde dubiâ.

(b) Minime probatur, aiunt probabilistæ, imperfectam obligationem ex imperfectâ legis cognitione induci : quid sibi vult hæc dimidiata et partialis obligatio? Qualis gradus requiritur ad graviter aut leviter peccandum? Nonne melius ex incertâ lege deducitur nullam dare obligationem? — Respondent compensationistæ quosdam gradus esse in obligatione, cum ab omnibus distinguatur obligatio *levis* a *gravi*, illosque gradus dignosci posse omnibus adjunctis ex quibus peccatum *grave* a *veniali* secernitur.

Attamen, judicio nostro, hujusmodi responsum difficultatem penitus non tollit. Nam, in re morali, *parum pro nihilo reputatur*, ideoque putamus legem, cujus existentia est solum tenuiter probabilis, nullam obligationem imponere, etiam sub levi. Dici quidem potest, *melius* esse huic legi parere, si nulla sit ratio ab eâ recedendi, sed cum communi theologorum sententiâ censemus neminem ad hoc *teneri*.

(c) Addunt probabilistæ nihil esse mali in *violatione materiali* legis; — quod sane non admittimus, ex dictis supra, n. 356. Dicunt etiam in præfato systemate incurri periculum privati judicii aut privatæ inspirationis, cum quisque judicare debeat utrum in quolibet casu adsit ratio sufficiens necne; — quod argumentum facile retorquetur, cum in quolibet systemate quis judicare debeat utrum talis opinio sit vere *probabilis*, *æquiprobabilis*, necne.

417. Conclusio. Attamen *compensationismum* non admittimus ut *systema generale* quo solvi possit dubium practicum; sed putamus prudentes confessarios, in usu æquiprobabilismi aut probabilismi, quâdam prudenti *compensatione* uti debere : attendere nempe non solum quid *liceat*, sed etiam quid *expediat*, ideoque sedulo expendere utrum necne habeatur ratio sufficiens *consulendi* usum talis vel talis opinionis probabilis, in tali determinato casu, attentis non solum externis adjunctis, sed etiam psychologicis pœnitentis dispositionibus.

CONCLUSIONES PRACTICÆ.

418. In tanto opinionum conflictu, cuique liceat *speculative* assentiri uni e systematibus quæ ab Ecclesiâ liberæ discussioni permittuntur; *in praxi* vero, hæc præsertim attendantur.

1° Præ mente semper habeatur etiam probabilistas hodie suum systema non extendere nisi ad casus ubi de **solo licito vel illicito** agitur, juxta superius exposita, n. 388-390.

419. 2° Confessario non licet suum systema *imponere* pænitenti qui suam conscientiam efformavit juxta unum e permissis systematibus; regula enim *proxima* morum est cujusque conscientia.

Hinc si pænitens probabilista opinionem certe solideque probabilem vult sequi, et aliunde est rite dispositus, confessor probabiliorista ei absolutionem denegare nequit; secus violaret jus, quod Ecclesia cuique fidelium relinquit, opinionem vere probabilem sequendi. — Si vero pænitens sibi non efformavit conscientiam, et a confessario inquirit quid licitum vel illicitum sit, hic, prius investigatis pænitentis dispositionibus, respondebit secundum systema quod ipsius bono spirituali magis expedire in Domino judicabit. Ita, si pænitens ad *meliora* tendit, huic generatim suadebit quod, omnibus attentis, melius esse videtur. Si vero, datâ infirmitate pænitentis, prævidet hunc non secuturum fore opinionem probabiliorem legi faventem, et aliunde novit benigniorem sententiam esse vere probabilem, hanc suggerere potest, ut pænitens sacramenta frequentare pergat, et, divinâ munitus gratiâ, paulatim ad meliora tendat; imo, in multis casibus, id ex caritate præstare debet : etiamsi enim ipse æquiprobabilismo adhæreat, permittere potest alios probabilismum sequi.

Quando vero dubium versatur circa ipsas dispositiones pænitentis, ad ipsum *confessarium* spectat de eis judicare, secundum suum systema : hic enim agitur de actione ab ipso confessario ponendâ; judicium tamen caritate et prudentiâ temperet, secundum dicta in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 407-409.

420. 3° In quocumque systemate, confessor perpendere debet non solum quid *liceat*, sed etiam quid *expediat*, omnibus attentis temporum, locorum ac personarum adjunctis : " Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt "[1].

Probabilista igitur qui semper pænitentibus commendaret sequi opiniones minus probabiles, omnino *imprudenter* ageret : ex eo

[1] *I Cor.*, VI, 12.

quod non stricte prohibetur sub peccato tales opiniones sequi, *temerarie* infertur id esse bonum et opportunum. Probus christianus, qui Christi vestigiis vult inhærere, non solum mortale peccatum vitare debet, sed etiam, pro conditione ac viribus suis, ad moralem perfectionem tendere; secus, vitam aget parum christifideli dignam, et mox in peccatum cadet. Qui enim ita sibi indulget ut omnibus delectationibus frui velit quæ stricte non prohibentur, cito etiam prohibitas voluptates appetit, et, delectationibus assuetus, periculo exponitur peccandi. Etiamsi igitur probabilista optime noverit licere omnes opiniones vere probabiles sequi, sæpe sæpius bene dispositis pœnitentibus suadebit ut, non quidem ex timore gehennæ, sed ex amore Dei et Christi, ad meliora se vertant. — Quo sensu temperatus probabilismus minime in laxismum tendit.

421. 4° Quando duæ opiniones oppositæ sunt vere probabiles, cuique licet utramve sequi, imo utrâque uti in variis circumstantiis, ita tamen ut sibi practice consistat et nullius jura violet.

Res exemplo declaratur : supponatur testamentum *legalibus formis destitutum*, de cujus validitate duplex est opinio vere probabilis. Titius, ut hæres, potest quidem hodie uti probabili opinione sibi faventi et hæreditatem adire, quamdiu sententiâ judicis in suâ possessione non disturbatur; alio tempore, potest validitatem impugnare alterius testamenti formis legalibus destituti, et frui beneficio legis. Sed, postquam, probabili opinioni innixus, hæreditatem accepit, non potest onera hæreditati annexa declinare, eo prætextu quod testamentum est probabiliter invalidum; sibi enim consistere debet, et si hæreditatem percipit, debet solvere legata : *qui sentit commodum, onus pariter sentire debet;* secus violarentur jura legatariorum

CONCLUSIO TOTIUS TRACTATUS :

DE CONSCIENTIÆ EDUCATIONE.[1]

Cum conscientia sit *proxima actionum norma*, rectaque ordinatio vitæ nostræ ad Deum maxime ab eâ pendeat, maximi momenti est eam recte et prudenter formare mediis tum *naturalibus*, tum *supernaturalibus*.

422. De mediis naturalibus. (A) Jam ab infantiâ juniores a parentibus magistrisque, præsertim vero ab iis

[1] *Bouquillon*, n. 280; *H. Marion*, Leçons de Morale, 11e éd., Paris, Colin, 1901, p. 387-406; *B. Pérez*, L'Education morale dès le berceau, 3e éd., Paris, Alcan, 1896, p. 29 110; *P. Vignot*, La Vie meilleure, Paris, 1898, p. 41-142; *Thamin*, De puerorum indole, Paris, 1895, p. 46.

qui catechismum exponunt, sedulo et pedetentim doceantur discrimen esse inter bonum et malum, quasdam actiones *divinæ rationi* et *voluntati* esse conformes, alias vero omnino difformes. Quando aliquid boni faciunt, non solum laudes et præmia accipiant, sed persuasum habeant se *officium* adimplevisse, et præcipuam mercedem sitam esse in conscientiæ testimonio et approbatione Dei.[1] Ex adverso, si quid mali vel minus recti peragunt, suaviter quidem sed fortiter reprehendantur, tanquam moralis *obligationis* violatores; simulque eis exponatur maximam pœnam esse conscientiæ remorsum, necnon divinam reprobationem. Quare ipsis inculcetur necessitas attentas aures præbendi *conscientiæ*, quasi *Dei ipsius voci*, et in actionibus non voluptatem aut proprium commodum tanquam *finem* quærendi, sed quidquid honesti, quidquid sancti, quidquid Deo placens; si vero de liceitate alicujus actionis dubitant, *peritos*, et *honestos* adeant, non autem pravos aut imprudentes. Quo melius sua officia cognoscant, et diligentius eadem adimpleant, eis exponere necesse est non solum *quid* agere debeant, sed *cur*, declarando videlicet *rationes* propter quas hoc facere, illud autem vitare debeant: ita enim, non ex cæco instinctu, sed ex *intimâ animi persuasione* bonum facere discent. — Dum vero horror peccati eis incutitur, nihil falsi aut minus veri dicatur: ita minuta furta aut mendacia non exhibeantur ut peccatum mortale, sed ut quid indecorum et inhonestum et ignobile, etsi propter levitatem materiæ, sit veniale peccatum.

423. (B) Non solum verbis, sed *exemplis* eorum conscientia recte instituatur: cum enim juniores imitari soleant quod præ oculis habent, si *præclaras* actiones a parentibus, magistris aliisque educatoribus peractas vident, eo ipso ad præclare agendum movebuntur, et bene agendo rectam conscientiam sibi efformabunt; e contra facile pravis

[1] Hanc egregie, apud *Virgilium*, (Æneid., IX, 252-254) sapiens Aletes nobilissimis juvenibus Niso et Euryalo, ante omnes alias, promittit mercedem:

> "Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis,
> Præmia posse rear solvi? *pulcherrima primum*
> *Dî, moresque dabunt vestri....*"

exemplis ad malum pertrahuntur, et male agendo conscientiam depravant. Cum autem vix fieri potest ut aliquando alicujus pravæ actionis testes non sint, hanc ipsam opportunitatem educatores arripient ut turpitudinem istius actionis manifestent, et peccati horrorem et odium in animos inspirent.

Curabunt pariter ut juvenes libros legant, in quibus virtutis exempla laudantur, vitia autem severe damnantur : ex iis enim quæ legunt, eorum mens et ratio ad bonum vel malum vehementer fertur. — Illos pariter socios frequentent, qui honeste et christiane se habent : sensim et sine sensu judicia et modum agendi eorum, quibuscum sæpe conversamur, plerumque amplectimur. Attamen, quia fere impossibile est illos omnino vitare qui perverse agunt, quam citissime discant adolescentes pravorum judicia contemnere; et, non obstantibus contrariis opinionibus et exemplis, secundum conscientiæ dictamen et legem Dei viriliter suam vitam instituant.

424. (C) Perfectam *sinceritatem* non solum cum aliis, sed etiam cum *seipsis* excolant, propriam *conscientiam candide scrutando,* atque proprias actiones æque judicando, quasi essent ab alio peractæ.

Quod jam pagani philosophi suis discipulis commendaverant; ita, inter alios, *Seneca*[1] : "Initium est salutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus; nam qui peccare se nescit, corrigi non vult : deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas, aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, te ipsum coargue! inquire in te; accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris." — *Patres* idem suadent; ita *S. Chrysostomus* :[2] "Annon codicem domi habes, in quo quotidianas rationes scribas? Habe item *codicem in conscientiâ*, et quotidiana peccata scribe; v. g. cum in lecto tuo jaces, nec quisquam est qui tibi negotium facessat, antequam somnus irrepat libellum in medium produc, et peccata tua tecum reputa, dicens apud teipsum : Numquid hodie vel sermone, vel opere peccavi?... Cum autem ea supputas, animum tuum suspende, ipsum lancina, ipsum gehennæ metu aperi... ut postero die ad perpetranda peccata segnior accedas." Revera qui serio et sincere suas actiones recogitat et discutit, suorumque peccatorum causas investigat et consectaria prævidet, facilius et efficacius de præteritis delictis dolet, futura præcavet, et hoc modo recte suam conscientiam format; e

[1] *Seneca*, Epist. 28, ad Lucilium, p. 214 ed. *Lemaire.*

[2] *S. Chrysost.*, Append. in ps. L, hom. II, n. 5-6, ap. *Migne*, P.G., LV, p. 581-582.

contra, sæpe delinquens absque pœnitentiâ in laxismum facile labitur.

425. 2° **De mediis supernaturalibus.** Inter hæc recenseri possunt : (A) *Oratio* frequens et fervens ad Deum, qui merito vocatur *Pater luminum :* ut rite enim instruatur conscientia, consentanea esse debet rationi et voluntati divinæ, quæ est suprema morum regula; jamvero, ad mentem Dei detegendam, nil sane magis juvat quam oratio, cujus ope gratiam illuminationis petimus. Sæpe igitur hæc aut similia repetantur : "Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.... Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam".[1] Enixe pariter postuletur divinum robur, quo facilius lex adimpleatur, et agendi ratio conformis evadat dictamini conscientiæ.

426. (B) *Christianarum virtutum praxis;* sicut enim conscientia facile obnubilatur pravis actionibus frequenter repetitis, ita pariter haud parum illuminatur bonorum operum assiduâ praxi : multo distinctius enim veritates morales percipimus, quando puro corde et sincerâ voluntate quid agendum sit absque ullo præjudicio quærimus.

Itaque experientiâ constat magis ac magis teneram delicatamque fieri conscientiam eorum qui virtutibus colendis totos se devovent. — Excessus tamen in hoc vitandus est, ne quis forte in scrupulos labatur : ad quos vitandos, sedulo distinguendum est inter præcepta et consilia, præcepta gravia leviaque; caute quidem vitetur peccatum, etiam veniale, imo voluntas totis viribus ad perfectionem tendat; si quis alicui imperfectioni consentiat, de eâ utique doleat, sed tanquam de imperfectione, non autem peccato; neque peccata venialia, etiam deliberata, ut mortalia habeat, sed ea fugiat ex amore erga Deum.

427. (C) *Sacramentalis confessionis frequentatio;* hæc enim supponit imprimis serium conscientiæ examen, cujus utilitatem ipsi pagani agnoverunt. Præterea, sapienti directori secreta cordis manifestando, pœnitens consilia accipit ad dijudicandum quid sit bonum et quid magis expediat, quid præcipiatur et quid consulatur; dubia proponendo, ea prudentius solvere potest, juvante confessario qui majori scientiâ et experientiâ pollet; de mediis inquirendo ad perfectionem christianam conducentibus, tutius in viis Domini

[1] *Ps.* CXVIII, 34-36.

ambulat, et ita rectam omnino sibi conscientiam efformat, duce illo qui, vices Dei gerens, divinam mentem magis authentice declarare valet[1].

His aliisque hujusmodi mediis recta et vera efformatur conscientia, quæ, utpote divinæ rationi conformis, tuta est agendi norma : "Vota, quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti pietate prosequere; ut et quæ agenda sunt, videant, et ad implenda quæ viderint, convalescant".[2] — "Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cœli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege tuâ et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi"[3].

[1] Utilitatem spiritualis directoris, qui non solum consilia præbeat, sed ut *testis* actionum habeatur, ethnici philosophi agnoverant; ita *Seneca*, epist. 11 ad Lucilium (p. 109 ed. *Lemaire*) : "Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit : custodem nobis et pædagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis assistit... O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet."

[2] Orat. Dominicæ infra Octav. Epiphaniæ.

[3] Orat. ad Primam.

De Peccatis et Vitiis.

428. Ex dictis, tenetur homo ad *finem ultimum* tendere, per *actus humanos*, *legi conformes*, dirigente *conscientiâ*. Sed, propter humanam *infirmitatem* aut *malitiam*, aliquando a recto tramite deviat per *peccatum*, seu legis transgressionem : quando peccatum *grave* est, homo vere *avertitur* ab ultimo fine; si *leve* est, solummodo *retardatur* a consecutione finis. De utroque agendum est. Quia vero ad peccandum inclinamur per *habitus vitiosos*, seu per propensiones sive innatas sive acquisitas, de his etiam disserendum est, quo melius extirpentur peccati radices.

Art. I. De Peccatis.

Divisio
1° *Conceptus* peccati in genere.
2° De peccato *mortali*.
3° De peccato *veniali*.
4° De *distinctione* peccatorum.

§ I. Conceptus peccati in genere.

Exponemus : 1° notionem *biblicam* peccati; 2° notionem *theologicam;* 3° *causas* quæ ad peccatum inducunt.

1. Notio biblica peccati.

429. **Notio etymologica**[1]. Peccatum variis nominibus apud auctores sacros designatur.

Hebraice : hattâ't, id est *aberratio a scopo* seu *fine*, quia peccator a suo fine recedit; *'awon*, id est *iniquitas*, pravitas; *péschà*, seu *rebellio*, *defectio; sarah*, *secessio*, quia peccator secedit a lege.

[1] *Schleusner*, Novus thesaurus philologico-criticus, Lipsiæ, 1821; *Grimm*, Lexicon græco-lat. in libr. N. Test., Lipsiæ, 1903; *Trench*, Synonyms of the N. Testament, 9th ed., London, 1880, *gallice* redditum auctore *C. de Faye*, Synonymes du N. Testament, Paris, 1869.

Græce autem dicitur : ἁμαρτία, id est *aberratio a scopo*[1]; vel ἁμάρτημα, quod idem sonat, cum hoc tamen discrimine quod prius vocabulum significat peccatum sive habituale sive actuale, dum posterius designat semper actum peccaminosum; ἀνομία aut παρανομία, id est *violatio* et contemptus *legis*[2] (in *Vulgatâ* redditur *iniquitas*); παράβασις, seu *transgressio legis*[3]; παράκοή, id est *voluntas non audiendi* vocem Dei, inobedientia[4]; παράπτωμα, hoc est *lapsus*, quia per peccatum labimur et prostrati jacemus[5]; ἀγνόημα, ἄγνοια, seu *ignorantia*, quia omne peccatum quemdam errorem importat, quamvis non omnino excusabilem[6]; ἥττημα, id est diminutio, clades, quia peccatores tentationibus victi cladem experiuntur[7]; πλημμέλεια, seu præter modum et concentum, *inharmonicum*[8].

430. 2° **Notio historica.** Peccatum modo generali a sacris auctoribus exhibetur ut quid *negativum*, seu ut quid contrarium *justitiæ* et *rectitudini*, diverso tamen modo.

(A) *In Vetere Testamento.* (a) In *Genesi*, peccatum exhibetur ut *inobedientia*, seu transgressio divini præcepti[9], quæ non solum a Deo reprehenditur, sed stricte punitur[10]; hinc Cain, post occisum fratrem, conscientiæ remorsum et divinam maledictionem patitur[11]; et, multiplicatis iniquitatibus super terram, homines diluvio puniuntur[12], eo quod præsertim "cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore".

(b) Post electionem populi Israelitici et promulgationem legis mosaicæ, præcepta *positiva* multiplicantur, ideoque variæ peccatorum species contra varias leges; sed, cum Deus sit specialis legislator atque rex Israelis, legis transgressiones specialem *rebellionis* malitiam induunt. Inter *graviora* peccata præcipuum est *idololatria*, quâ falsi dii unico ac perfecto Numini præferuntur : quare severe castigantur quicumque idololatriæ indulgent[13]. Inter *minora* peccata recensentur legales impuritates, quæ, etsi internam culpam minime supponant, variis ablutionibus et sacrificiis expiari debebant[14]. — Leviora delicta piacularibus sacrificiis delebantur[15]; sed graviora pœnâ mortis plectebantur[16]. Quo efficacius populus a peccando averteretur, copiosæ benedictiones legem servantibus promittuntur diraque mala, præsertim temporalia, eamdem violan-

[1] *Rom.*, V, 12, VII, 7, etc. — [2] *I Joa.*, III, 4; *II Petr.*, II, 16.
[3] *Galat.*, III, 19; *I Tim.*, II, 14. etc. — [4] *Rom.*, V, 19; *Hebr.*, II, 2.
[5] *Marc.*, XI, 25-26. — [6] *Hebr.*, IX, 7; *Act.*, XVII. 30.
[7] *Rom.*, XI, 12. — [8] *Levit.*, V, 15; *Num.*, XVIII, 9, etc.
[9] *Gen.*, II, 16; III, 11. — [10] *Gen.*, III, 14-19. — [11] *Gen.*, IV, 9-16.
[12] *Gen.*, VI, 5-7 et 11-13. — [13] *Exod.*, XXXII, 30-35.
[14] *Levit.*, XI-XV. — [15] *Levit.*, IV-VI.
[16] *Levit.*, XVIII, 29; XX, 6-21, etc.

tibus denuntiantur[1]. Attamen enixe etiam commendatur legis adimpletio propter gratitudinem et amorem erga Deum[2]. — Aliud motivum fugiendi peccatum ex eo desumitur quod *unius* delictum totam nationem afficit ob *solidaritatis* legem[3]; revera Deus aliquando punit patrum peccata etiam in filiis, "visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me[4]."

431. (C) *A tempore Prophetarum*, peccatum vividius exhibetur ut *offensa Dei* et *proximi*, atque enixius prædicatur vera cordis pœnitentia tanquam medium pro delictis satisfaciendi. Siquidem peccatum est *contemptus Dei* ut *benefactoris* et *patris* ideoque *impietas*: "Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me[5]"; *infidelitas* erga Deum, qui est veluti *sponsus* electæ gentis: "Tu autem *fornicata* es cum amatoribus multis[6]." Sæpe etiam denuntiatur tanquam injustitia contra proximum, quia pauperes opprimit: "Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant[7]."

Insuper peccatores, Deum relinquendo fontem aquæ vivæ, *sibi* maximum *malum* inferunt: "Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ[8]. Hinc peccatum vere est quoddam genus *insipientiæ*, de quo impii amare dolebunt[9]. — Ad misericordiam consequendam, nil igitur manet nisi pœnitentiam agere; nec sufficit hostias offerre aut vestimenta scindere, sed necesse est Deo præbere cor contritum et humiliatum: "Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra... Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus non despicies[10]."

432. (B) In *Novo Testamento* (a) Christus ab initio exhibetur ut agnus qui *tollit peccata mundi*, ideoque plura de peccati deletione quam de ejus naturâ loquitur.

Attamen supponit peccatum esse legis transgressionem, offensam Dei et proximi, voluntatis inordinationem, quâ propria gloria Dei gloriæ præfertur[11]. Aliunde, perfectiorem legem docendo et inculcando, eo ipso peccati *naturam* et *extensionem* indirecte declarat: ita, in sermone supra montem, ut peccaminosos reprobat multos actus qui tanquam honesti a legis doctoribus et scribis perhibebantur, v. g. iracundiam, odium inimicorum, jactantiam, superbiam, etc. Modo speciali *hypocrisim*, *scandalum*, *infidelitatem* et *peccatum con-*

---

[1] *Deut.*, VII, 11-26; X, 12-22; XI, 13-28.

[2] "Ama itaque Dominum Deum tuum et observa præcepta ejus." (*Deut.*, XI, 1; cfr. VIII, 2-20.)

[3] *Jos.*, XX, 20. — [4] *Exod.*, XX. 5. — [5] *Isa.*, I, 2; cfr. *Jerem.*, II, 4-37.

[6] *Jerem.*, III, 1. — [7] *Amos*, II, 7. — [8] *Tob.*, XII, 10; cfr. *Jerem.*, II, 13.

[9] *Sap.*, V, 2-13. — [10] *Joel*, II, 12-13; *Ps.* 50, 19. — [11] *Joa.*, XII, 43.

tra Spiritum sanctum denuntiat[1]. Aliunde autem peccata *mere legalia* e medio tollit, et aperte declarat peccata ex *corde* exire[2] : " De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ : hæc sunt quæ coinquinant hominem; non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. "

(b) Juxta *S. Paulum*, peccatum est quædam *servitus*, a quâ liberamur per gratiam : " Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ[3]; est etiam *causa mortis :* " Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors[4] "; merito vocatur *inobedientia* et *prævaricatio*[5], ideoque terribili judicio punitur, eo quod peccator Filium Dei conculcat et Spiritum sanctum contristat[6].

(c) Secundum *S. Joannem*, omnes quidem peccamus, sed advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, qui est propitiatio pro peccatis nostris[7]; peccatum vero est *iniquitas* et *opus diaboli;* omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit[8] (quamdiu videlicet filius Dei manet, mores divinos imitando.) Inter peccata, duo præsertim fugienda sunt : ea quæ *caritati* opponuntur, et ea quæ sunt *contra Christum*, præsertim negatio ejus divinitatis[9]. Quoad gravitatem, duplex est peccatum, unum quod non est ad mortem, aliud vero quod est *ad mortem*[10], id est cui voluntas tam obstinate adhæret ut vix spes adsit veniam obtinendi.

II. Notio theologica peccati[11].

433. 1° Definitio peccati. Communiter definitur *libera transgressio legis*, secundum illud *Augustini :* " Peccatum est *factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Lex vero æterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans[12]. " — Duplex proinde elementum in peccato invenitur : *actus voluntarius*[13], sive operis sive oris aut cordis, quem *Augusti-*

[1] *Matth.*, XXIII, 5-32; *Matth.*, XVIII, 6; *Luc.*, XVII, 1-2; *Matth.*, XII, 31-32; *Marc.*, XVI, 16.

[2] *Matth.*, XV, 19-20. — [3] *Rom.*, VI, 18. — [4] *Rom.*, V, 12.

[5] *Hebr.*, II, 2. — [6] *Hebr.*, X, 26-31; *Ephes.*, IV, 30.

[7] *I Joa.*, I, 8-10; II, 1-2. — [8] *I Joa.*, III, 4-10.

[9] *I Joa.*, III, 15; V, 10-12. — [10] *Ibid.*, 16-17.

[11] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 71-72; *Suarez*, De Peccatis, disp. I-IV; *Salmant.*, Tr. XX, De principiis moralitatis, cap. 8; *S. Alphons.*, lib. II, n. 1-10; *Billuart*, De peccatis, diss. I, art. 2-4; *L. Billot*, Disquisitio de naturâ et ratione peccati, ed. 3ª, Romæ, 1900.

[12] *S. August.*, Contra Faustum, l. XXXII, c. 27; *Migne.*, P. L. XLII, 418. — De lege æternâ diximus supra, n. 210.

[13] Quare ad peccatum *formale*, seu *subjectivum*, requiritur advertentia intellectûs et consensus voluntatis, de quibus supra, n. 78-84.

nus in suâ definitione non commemorat, sed supponit; et *defectus rectitudinis*, seu privatio debiti ordinis in ultimum finem, ideoque carentia conformitatis cum ratione divinâ, quæ est ultima morum regula, et cum conscientiæ dictamine, quod eamdem nobis manifestat. — Quod quidem verum est etiam de transgressione legis humanæ : hæc enim non est vere lex nisi in quantum divinæ rationi consentanea est; proindeque legis humanæ transgressor indirecte legem divinam violat.

434. **Corollaria.** (A) Ex quo sequitur non dari *per se* peccatum *mere philosophicum*, id est rectæ rationi oppositum quin sit tamen offensa Dei. (a) Etenim ab *Alexandro VIII* damnata est, 24 aug. 1690, uti scandalosa, temeraria et erronea sequens propositio 2ª : " Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum[1]." — Et merito; nam *ex se* qui aliquam actionem uti moraliter malam apprehendit, eo ipso saltem implicite eam percipit ut a supremo legislatore prohibitam, ideoque logice et interpretative tanquam Dei offensam. [2] (b) Attamen exinde inferri nequit reprobatam fuisse opinionem *Lugonis* et quorumdam aliorum theologorum, qui asserunt dari posse *hypothetice* peccatum mere philosophicum, in iis videlicet qui *inculpabiliter* Deum ignorant[3]; hi enim ne implicite quidem Deum offendunt, cum ejus existentiam minime cognoscant. — Propositio autem damnata fuit, quia non distinguebat inter ignorantiam Dei vincibilem et invincibilem, et aliunde supponebat hanc ignorantiam satis esse communem.

---

[1] *Denzing.*, n. 1157; *Viva*, in hanc proposit., ubi animadvertit istam propositionem cuidam professori Divionensi (*Musnier*) adscriptam, non fuisse tam absolute ab eo propugnatam; *Mangenot*, Dictionn. de théol., t. I, p. 749; *A. Verriele*, La morale de Kant et la théorie du péché philosophique, ap. *Annales de Philos. chrét.*, sept. 1894, p. 543-565.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 73, a. 7, ad 3.

[3] *Lugo*, De Incarnat., disp. V, sect. 5; *Viva*, l. cit., n. 22.

435. (B) Exinde etiam colligi potest discrimen inter *malum*, *peccatum* et *culpam;* malum siquidem est quælibet deformitas, sive moralis sive physica, consistens in privatione debitæ perfectionis; peccatum vero est actus *moraliter* malus, sive voluntarius sive involuntarius (peccatum *materiale*, seu *objectivum*); culpa tandem est actus moraliter malus et voluntarius. Attamen peccatum et culpa sæpe promiscue sumuntur.

(C) Notandum est pariter, apud *S. Paulum* et antiquos auctores, nomine peccati designari etiam id quod ad peccatum inducit, v. g. concupiscentiam[1], vel quod ex peccato consequitur, v. g. maculam a peccato in animâ impressam; imo, per extensionem, *pœnam* peccati, aut *sacrificium* pro peccato, vel *objectum* peccati[2]. Quare, ex contextu genuinus sensus definiri debet.

436. 2° **Divisiones peccati.** Peccatum multipliciter dividitur, quia sub multiplici respectu considerari potest : —

(a) Ratione *principii ex quo oritur*, peccatum est *originale* vel *actuale :* prius non committitur cujuslibet proprio consensu, sed ex Adamo in ejus posteros transfunditur, ex morali quâdam connexione inter hos et illum, ut declaravimus in *Tr. de Deo Creante*, n. 189-193. Posterius autem, de quo solum hic agimus, propriâ cujuslibet voluntate committitur.

(b) Ratione *modi quo perficitur*, peccatum *commissionis* consistit in *actu positivo* contra aliquod præceptum prohibens, quale est homicidium; dum peccatum *omissionis* consistit in prætermittendo actionem lege præscriptam, ut est omissio jejunii : peccatum hujusmodi requirit positivum voluntatis actum, quo quis vult omittere rem præceptam, aut saltem vult aliquid aliud cum re præceptâ incompossibile[3], ut supra declaratum est, n. 84.

---

[1] "Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.*" (*Trident.*, sess. V, can. 5, ap. *Denzing.*, n. 674.)

[2] *Levit.*, XX, 20; *II Cor.*, V, 21; *Deut.*, IX, 21.

[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 71, a. 5.

437. (c) Ratione *malitiæ*, distinguuntur peccata *ignorantiæ*, quæ ex ignorantiâ, quanquam *culpabili*, procedunt (supra, n. 90 97), peccata *infirmitatis*, quæ ex impetu passionis, etsi non sine *libero consensu*, oriuntur (supra, n. 102-106); peccata *malitiæ*, quæ ex malâ et *perversâ* voluntate præsertim originem ducunt, quin excusentur ignorantiâ aut vehementi passionis impulsu : hæc, ceteris paribus, graviora sunt.

(d) Ratione *potentiarum quibus committuntur*, peccata sunt, *cordis*, *oris* et *operis*, prout solâ mente perficiuntur, aut verbis externe prolatis, vel externâ actione; puta si quis prius *corde* iracundiam contra proximum concipiat, eam deinde asperis *verbis* exprimat, et tandem *verberibus* vulneribusque inimicum plectat. Quid vero malitiæ actus externus interno actui ejusdem generis superaddat, jam exposuimus n. 162-166.

(e) Ratione *gravitatis*, peccatum dicitur *mortale*, ex quâdam *analogiâ* cum morte physicâ, quando mortem spiritualem animæ infert, eam privando gratiâ sanctificante, quæ est vita supernaturalis; *veniale* autem, si non privat animam gratiâ sanctificante, ideoque *veniam* aliquo modo meretur, etiam quando non fuit remissum.

438. Ex quo sequitur vocem "*peccatum*" *non* esse *univocam*, sed *analogam*, quatenus non omnino eumdem sensum habet, quando prædicatur de quibusdam peccatorum generibus. Prætermissis enim aliis divisionibus, peccatum *actuale mortale*, peccatum *veniale* et peccatum *originale* ita inter se discrepant ut ad idem genus nonnisi *analogice* reduci possint; siquidem peccatum mortale nondum remissum omnino a fine ultimo nos avertit, dum *veniale* nos quidem a consecutione finis *retardat*, sed non avertit[2], aliunde *originale* peccatum non est voluntarium voluntate *propriâ*, dum peccatum *actuale* propriam culpam supponit.

---

[1] In statu mere *naturali*, peccatum grave non privaret animam gratiâ, sed eâ rectitudine et pulchritudine quæ oritur ex ordinatione facultatum ad Deum, finem ultimum.

[2] "Divisio peccati in veniale et mortale non est divisio *generis in species* quæ æqualiter participant rationem generis, sed *analogi* in ea de quibus prædicatur secundum prius et posterius." (*S. Thom.*, 1. 2æ, q. 88, a. 1, ad 1.

Quare, sepositio originali peccato, de quo alibi dictum est, seorsim de peccato *mortali* et *veniali* dicemus, cum eorum natura et effectus toto cœlo distent.

III. De causis quæ ad peccatum inducunt.

439. Deum non esse auctorem peccati, quidquid in contrarium dixerunt *Manichæi* et *Protestantes* non pauci, jam probavimus in *Tr. de Deo uno*, n. 94-99; quod aliunde constat ex *Tridentino*[1]: "Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, A. S." — Causa igitur *efficiens* peccati est ipsa *voluntas hominis libera*, quæ ex infirmitate aut malitiâ, et sæpe ex utrâque simul, a recto tramite virtutis deviat, propriumque commodum Dei voluntati præfert. Voluntas autem ad peccatum trahitur variis *motivis causis*, sive intrinsecis, sive extrinsecis. Prior ac præcipua *intrinseca* causa est *natura nostra corrupta*, seu *concupiscentia*, quæ, teste *Tridentino*, ex peccato est et ad peccatum inclinat; causæ vero *extrinsecæ* sunt *mundus* et *diabolus;* de his tribus seorsim dicendum. Postea vero de *tentatione*, quæ nihil aliud est nisi incitamentum ad peccatum ex hâc triplici causâ oriens.

1° *De causâ internâ, seu concupiscentiâ.*

440. Hanc esse peccati causam ita exponit *S. Jacobus*[2]: "Unusquisque vero tentatur a concupiscentiâ suâ, abstractus et illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem." Concupiscentia igitur non est *in se* peccatum, sed *præcipua* peccati causa interna, seu incitamentum ad peccandum; cui si voluntas libere consenserit, jam oritur actus peccaminosus. — Triplicem vero esse concupiscentiam docet *S. Joannes*[3]: "Omne quod est in mundo, concupiscen-

[1] *Trident.*, sess. VI, can. 6, ap. *Denzing.*, n. 698.

[2] *Jacob.*, I, 14-15. — [3] *I. Joa.*, II, 16. Cfr. *Bossuet*, Traité de la Concupiscence. — Quædam concupiscentia homini naturalis est; hæc, insuper ex originali peccato incrementum suscepit, ut probatum est in *Tr. de Deo Creante*, nn. 171, 198.

tia *carnis* est, et concupiscentia *oculorum*, et *superbia vitæ*." (a) Jamvero concupiscentia *carnis* est quædam inordinata propensio ad voluptates carnales, præsertim ad intemperantiam et luxuriam. (b) Concupiscentia *oculorum*, juxta *S. Augustinum* et *S. Thomam*[1], designat inordinatam curiositatem cognoscendi, *per oculos* corporis vel mentis, omnia quæ placent, etiam periculosa; aut inordinatam propensionem ad divitias, opes, magnificas domus, aliaque ejusmodi, quorum *visu* delectantur homines, et quorum possessionem ambiunt. (c) *Superbia vitæ* est inordinata cupiditas honorum, dignitatum, et similium quæ vitam spectabilem reddunt et vanam gloriam procurant. Præcipuæ igitur internæ propensiones quæ ad peccatum inclinant, sunt : *intemperantia* et *luxuria*, *curiositas* et *cupiditas*, necnon *ambitio*. — Radix autem horum omnium est *inordinatus amor sui* : "Quod autem aliquis appetat inordinate aliquod temporale bonum, procedit ex hoc quod inordinate amat seipsum"[2]; non enim divitias, voluptates et honores appetit nisi ad eis fruendum et sibi placendum. — Ceteroquin omnes passiones, de quibus supra, n. 99-107, nos allicere possunt ad peccatum : de præcipuis agetur ubi de *vitiis capitalibus*.

2° *De causis peccati extrinsecis.*

441. Duæ sunt præsertim causæ externæ ad peccandum sollicitantes : *mundus* et *diabolus*.

(A) **Mundus,** de quo agitur, non est complexus hominum qui in mundo vivunt, sed pravus ille spiritus qui inter multos homines viget; hic sæpe in Scripturâ, præsertim apud *S. Joannem*, exhibetur ut *occasio peccati*. Ita Christus mundum anathematizat propter scandala quæ præbet[3], nec orat pro mundo[4], sed pro discipulis, non quidem ut Deus tollat eos de mundo, sed ut eos servet a malo quod in mundo est[5]; prædicit discipulos persecutionem a mundo passuros, sed eis fiduciam inspirat, quia et ipse mundum vicit[6]. Ratio fugiendi mundum est quia mundus "totus in maligno positus est[7],... quoniam omne quod est in mundo

[1] *S. August.*, Confess., l. X, c. 35, P. L., XXXII, 802; *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 77, a. 5.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 77, a. 4. — [3] *Matth.*, XVIII, 7. — [4] *Joan.*, XVII, 9.

[5] *Joan.*, XVII, 5. — [6] *Joan.*, XVI, 33. — [7] *I Joan.*, V, 19.

concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ" [1]. Seu, aliis verbis, mundus his locis habetur ut triplicis concupiscentiæ fomes.

Revera sæpe nos inducit ad peccandum : (a) incautos decipiendo *fallaciis*, quæ directe Christi doctrinæ adversantur; dum enim Magister beatos vocat pauperes spiritu, mites et humiles, pacificos, necnon eos qui lugent et persecutionem patiuntur propter justitiam, — mundus ex adverso hos infelices et stultos pronuntiat, et summum bonum in divitiis, voluptatibus et honoribus reponit; (b) *oblectamentis* nos allicit, ante oculos ponendo ea omnia quæ sensibus placent aut ambitioni favent, ut nos a recto tramite deterreat, et quaslibet delectationes promittendo iis qui ipsi servire volunt; (c) *pravis exemplis* animo debiles trahit, atque timidos minis terret, ne suo fungantur officio[2].

Notandum est tamen eos qui animo strenui sunt, et in Deo confidunt, haud ægre mundi vanitates despicere ejusque sollicitationes respuere : "Confidite, ego vici mundum... Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra[3]."

442. (B) **Diabolus** pariter haud raro hominem ad peccatum incitat : protoparentes tentavit[4], ipsum Christum impugnare non dubitavit[5], Judam proditorem ad Dominum tradendum incitavit[6]; modo autem generali, Apostoli nos admonent ut a diabolicâ tentatione caveamus : "Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret... Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus[7]."

Quod, juxta communem doctrinam, his variis modis præstat : (a) in *sensus externos* et *internos* agendo, proponendo videlicet oculis, imaginationi, memoriæ objecta sensibilia aut phantasmata, ex quibus passiones commoventur; (b) *passiones* etiam concitando, cooperando scilicet cum causis naturalibus quæ appetitum sensibilem excitare valent. Communiter tamen dicitur eum, non posse *directe* agere in *intellectum* et *voluntatem*, quæ, utpote facultates spirituales, non alii externo agenti subsunt nisi Deo : "Unde tota interior operatio diaboli esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum; quorum utrumque commovendo potest inducere ad pecca-

[1] *I. Joan.*, II, 16.
[2] Cfr. *Marion*, De la solidarité morale, Paris, 1883, p. 163-231.
[3] *Joan.*, XVI, 33; *I. Joan.*, V, 4. — [4] *Gen.*, III. 1-16. — [5] *Matth.*, IV, 3-10.
[6] *Joan.*, XIII, 2, 27. — [7] *I Petr.*, v. 8-9; *Ephes.*, VI. 12.

tum[1]." — Hic autem animadverti potest multas tentationes diabolo tribui, quæ revera ex ipsâ concupiscentiâ oriuntur.

3° *De Tentatione*[2].

443. Quando præfatæ causæ, sive intrinsecæ sive extrinsecæ, *actu* nos ad peccandum incitant, exsurgit *tentatio :* de quâ hæc statuere juvabit : —

(A) De regulis quoad tentationem sequendis. (a) *Sentire tentationem non est peccatum, sed eidem consentire.* Quod quidem aperte docet *Tridentinum*[3], de concupiscentiâ : "Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit : quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus non valet; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur." — Id sane constat ex iis quæ dicta sunt in *Tr. de Actibus Humanis*, ubi probatum est ad meritum aut demeritum requiri actum liberum, proindeque voluntatis consensum.

Tota igitur difficultas in eo est ut discrimen inter *sentire* et *consentire* clare statuatur. Ad quod melius intelligendum, tria in tentatione distingui possunt : *suggestio* mala, *delectatio* et *consensus.* Suggestio ipsa, seu cogitatio aut imaginatio mala, quantumvis prava et diuturna, non est peccatum, cum in eâ voluntas nullam partem habeat. Sæpe vero ex hâc suggestione, præsertim si diu perseveret, aliqua oritur naturalis et veluti necessaria *delectatio* in appetitu sensitivo, et quandoque sensuum commotio : hucusque tamen nullum est peccatum, quia, ut supponitur, hic motus appetitûs sensitivi est indeliberatus et involuntarius. Quando intellectus jam percipit pravam suggestionem ejusque malitiam, necnon delectationem exinde in appetitu sensitivo ortam, voluntas non potest passive se habere; si voluptatem *statim rejicit*, nullum est peccatum; sed, si libere eidem *consentiat*, aderit peccatum plus minusve grave secundum gravitatem materiæ, et consensum plus minusve plenum[4].

---

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 80, a. 2. — Quidam tamen putant dæmonem posse etiam directe in intellectum agere.

[2] Cfr. *Bourdaloue*, Carême, Dimanche de la 1re Semaine.

[3] *Trident.*, sess. v, can. 5.

[4] Quod lucide declarat *S. Franciscus Salesius*, Introd. à la vie dévote, IIe Part., ch. 18 et IVe Part., ch. 3-6, ubi rem variis comparationibus et exemplis illustrat.

444. (b) *Tentationi temere se exponere, absque ratione sufficienti, non licet.* Etenim tentatio quoddam periculum peccandi importat plus minusve grave aut proximum; atqui periculo peccandi, sine sufficienti ratione, obviam ire non licet : qui enim periculum peccandi prævidet et incurrere intendit, eo ipso vult peccatum valde probabiliter cum tentatione conjunctum [1].

Dictum est "*absque ratione sufficienti*" ; nam, si gravis adsit ratio, tentationi sese exponere licet, dummodo spes habeatur fundata eam superandi; hic enim applicari potest principium de effectu indirecte volito, n. 175-182. Siquidem actio posita supponitur in se honesta, quamvis prævideatur tentationem exinde orituram esse; aliunde bonus effectus compensat malum, ex hypothesi; ergo licet hanc actionem ponere. Ita medicus, confessarius aliique similis conditionis homines, qui in sui officii exercitio quasdam tentationes, etiam graves, experiuntur, possunt tamen in suo statu perseverare, dummodo media adhibeant ad tentationes superandas; nam exercitium hujusmodi muneris est *in se* honestum; et aliunde malus effectus, qui exinde aliquando sequitur, id est tentatio gravis, compensatur bono effectu, qui ex eodem exercitio resultat tum ipsi agenti tum societati.

Peccatum ab eo commissum qui se tentationi temere exponit, ejusdem est naturæ et speciei ac ipsum peccatum cujus periculum subit. — Ad dijudicandum autem de ejus gravitate, expendi debet utrum agens *clare* et *certo* prævideat periculum peccandi, an solum in confuso et *probabiliter* (supra nn. 80, 179).

445. (B) **De modo tentationes superandi.** Quo efficacius *vincantur* tentationes, hæc præsertim *media* adhibenda sunt : (a) *vigilantia*, ad *præcavendas* multas tentationes, juxta illud *S. Petri* [2] : " Sobrii estote et *vigilate*, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret". Etiamsi enim non possint *omnes* præcaveri tentationes, per vigilantiam tamen earum *numerus* minuitur et *vis* enervatur. Ratio cur vigilare debeamus est quia voluntas nostra, etsi bona et prompta, debilis et infirma manet, ideoque ad hostes spirituales repellendos semper parata esse debet.

Ad quod præstandum, sedulo vitari debent occasiones peccandi quæ necessariæ non sunt, ut exponimus in *Tr. de Pœnitentiâ*,

[1] De periculo quod oritur ex occasione peccati dicitur in Tr. morali *de Pœnitentiâ*, n. 451-469.

[2] *I Petr.*, V, 8.

n. 458-469. Insuper facultates nostræ ad bonum verti debent, quo facilius a malo declinent; ita, si pravas cogitationes vitare velimus, non satis est eas repellere, quando mentem præoccupaverunt : sed vanas et inutiles animi divagationes, ex quibus sæpe periculosa oriuntur phantasmata, in quantum fieri potest, expellere debemus, non tantum negative, sed etiam *positive*, animum ad res bonas et utiles convertendo. Passiones pariter, quæ sæpe nos in tentationem inducunt, ad bonum honestum et religiosum dirigendæ sunt, ut supra notavimus, n. 107.

446. (b) Vigilantiæ jungi debet *oratio*, quâ gratiam Dei actualem consequi valeamus tempore opportuno. Nam, ut probatum est in *Tr. de Gratiâ*, n. 39-45 et 57-60, homo lapsus non potest, sine gratiâ Dei, omnes tentationes graves superare; ideoque enixe, frequenti et humili oratione, divinum auxilium petere debet, quo fretus mundi diabolique impugnationes necnon propriæ concupiscentiæ motus superare valeat : " Vigilate et *orate* ut non intretis in tentationem[1] ".

Nec sufficit orare ipso tentationis tempore, sed expedit ante et post tentationes, sæpe ad Deum recurrere, juxta monitum Christi, qui, in oratione quam Apostolos docuit, hæc verba inseruit : " Et ne nos inducas in tentationem ". Quæ quidem oratio multo efficacior evadit quando *meditationi* jungitur; tunc enim mysteria fidei principiaque morum recogitantes, ad ferventius orandum movemur et ad fugiendum vigilantius peccatum peccatique occasiones. Multum pariter juvabit recogitatio Dei ubique et in intimo corde viventis : quis enim Deum præsentem temere offendere vellet? " Ambula coram me et esto perfectus[2] ".

447. (c) Urgente vero tentatione, *statim* et *strenue resistendum est :* " Cui resistite fortes in fide[3] ". In principio enim, quando adhuc debilis est inimicus, facilior est victoria, dum multo difficilior evadit, si jam fixerit pedem in castris nostris[4]. Quare, si a longe apparuerit, arcem animæ nostræ defendamus, animum ad rem honestam divertendo : nil enim utilius ad irruentium tentationum conflictus vitandos quam mentem in bonis cogitationibus aut assiduis laboribus occupare : tunc enim hostis impetus frustratus

[1] *Matt.*, XXVI, 41. — [2] *Gen.*, XVII, 1. — [3] *I Petr.*, v, 9.

[4] Quod de *amore* dixit *Ovidius* (Remedia amoris, 91-92), de omnibus passionibus valet :

" Principiis obsta : sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras. "

evanescit. — *Strenue* vero id præstandum est : si enim hæsitantes fluctuamus, vel nonnisi molliter resistimus, audacior fit inimicus, atque acerbius nos impugnat. — Unde qui *passive* se habent ad tentationem, nullum medium adhibendo ad eam superandam, periculo peccandi se exponunt, ideoque peccant plus minusve graviter secundum gravitatem et proximitatem periculi. Attamen *contemnere* licet tentationem, animum ad alia divertendo, ex jam dictis, cum id sit optimum medium eam vincendi.

(d) Post tentationem superatam, gratiæ Deo reddantur, cujus auxilio victoriam reportare potuimus; neque superbiæ indulgendum est : superbos enim et incautos tentatio facile dejicit. Tota nostra fiducia in Deo reponenda est, et, cum S. Philippo Nerio, ad eum recurrendum est qui nos confortare valet, his aut similibus verbis : Caveas a me, Domine, secus te prodam. Tunc enim non patietur Deus nos tentari supra id quod possumus, sed faciet cum tentatione proventum.

448. (C) **De tentationum utilitate.** Revera tentatio *utilitate* non caret. (a) *Virtus* enim *in tentationibus perficitur* ; sicut milites strenue dimicando fortiores evadunt, ita christiani, contra hostes salutis viriliter pugnando, in virtute roborantur; ita videlicet, propriæ fragilitatis memores, *humile* de seipsis sentire incipiunt, et totam suam fiduciam in Deo reponere; melius etiam intelligunt quam necessarium sit sensus et passiones *mortificare*, ne forte illecebris illecti, in peccatum incidant; tentationibus fortiter resistendo propter Deum, eo ipso ferventius Deum diligere incipiunt. (b) Opportunitatem habent pro *peccatis præteritis satisfaciendi* : si olim turpi delectationi indulserunt, jam voluptatem contemnendo, *pœnam* subeunt quæ non parum confert ad peccata vitæ præteritæ delenda. (c) Exinde nostra *augentur merita* : ceteris paribus, quo difficilius est opus peragendum, eo majus meritum; quando igitur exsurgunt tentationum procellæ et magis arduum est ad portum salutis remigare, eo ipso merita augentur. Sane ingratus esset lapis, si arte exsculptus de sculptore conquereretur qui speciosam ei incidit figuram; ita et nos ingrati essemus si lamentaremur eo quod Deus, variis tentationibus, in animam nostram insculpit perfectiorem Christi imaginem [1]. Auctis meritis, augetur pariter præmium, et pro quâli-

[1] Quod quidem Ecclesia canit, in die Dedicationis :

"Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurimâ,
Fabri polita malleo,
Hanc saxa molem construunt
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio."

bet reportatâ victoriâ novos consequemur gloriæ gradus in æternum permansuros.

§ II. De peccato mortali.

Dicemus : 1° de ejus *naturâ;* 2° de ejus *effectibus;* 3° *de conditionibus* requisitis ad peccatum mortale.

I. De naturâ peccati mortalis [1].

Jam dictum est peccatum *mortale*, vi ipsius nominis, mortem spiritualem animæ inferre; sed, quo penitius ejus natura et discrimen a peccato *veniali* declarentur, successive exponemus quid *Scriptura*, quid *Patres*, quid *theologi* hâc de re docuerint.

1° *Scripturæ doctrina de peccato gravi exponitur.*

449. (A) Dari peccata *gravia* quæ *mortem animæ inferunt*, et *causa sunt damnationis*, evidenter ex Scripturâ colligitur. (a) Ita Christus, in oratione montanâ, peccata contra proximum reprobans, ait : "Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit *judicio;* qui autem dixerit fratri suo : raca, reus erit *concilio;* qui autem dixerit : fatue, reus erit *gehennæ ignis*" [2]. Jamvero hujusmodi verba : *reus* erit *judicio*, *concilio* significant, ex quâdam analogiâ cum pœnis a Judæorum tribunalibus inflictis, eos qui graviter fratres suos offendunt, non solum opere, sed corde aut verbo pœnâ gravi plectendos esse; *gehenna* autem æternam damnationem designat. Quod quidem clarius declarat, ultimum judicium prophetice describendo : [3] "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare"... (b) Eamdem doctrinam dilucide exponit *Apostolus* sive quoad

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 71-73; *Suarez*, De peccatis, disp. I-III; *Gonet*, Clypeus Theol. thomisticæ, Lugduni, 1681, De vitiis et peccatis, disp. I-IV; *Billot*, Disquisitio de naturâ et ratione peccati, Romæ, 1900, th. I-III; *Manning*, Sin and its consequences, *gallice* redditum auctore *Maillet*, Le Péché et ses conséquences, Avignon, 1894, ch. I-II.

[2] *Matt.*, V, 22; cfr. *Maldonat* in h. loc. — Mens Christi est non solum homicidium esse peccatum grave, sed etiam iram interne conceptam, quando ad homicidium ducit, aut ad verba valde contumeliosa. Ex hoc tamen inferre non licet omnem iræ motum esse gravem.

[3] *Matt.*, XXV, 41-42.

peccatum protoparentum, sive quoad peccata actualia : " Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et *per peccatum mors*... Ut sicut regnavit *peccatum in mortem*, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam [1] ". Hinc a *regno cælorum excluduntur* qui graviter peccant [2] : " Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces *regnum Dei possidebunt* ". (c) Secundum *Joannem*, peccatum mortale est *privatio lucis* pro mente, et *privatio vitæ* pro animâ : " Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus... Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc... Qui non diligit, manet in morte [3] ". Ratio est quia peccatum nos separat a Christo qui est veritas et vita.

450. (B) Inter peccata, *alia aliis sunt graviora*. Ita Deus, apud *Jeremiam* [4], de Judæis sic queritur : " Induraverunt cervicem suam, et *pejus* operati sunt quam patres eorum. " Christus ipse, Pilatum alloquens, ait : " Propterea qui me tradidit tibi, *majus* peccatum habet [5] ". Quod quidem præsertim patet ex eo quod quædam peccata dicuntur *irremissibilia*, dum alia remitti possunt : " Ideo dico vobis : omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritûs autem blasphemia non remittetur [6] ". Inspecto contextu, hic agitur de peccato Pharisæorum qui diabolo tribuebant miracula Christi, et ita deliberate et pertinaciter ejus divinam missionem negabant; hoc autem peccatum dicitur non remitti, quia omnino difficile est eos, qui pertinaciter gratiâ abutuntur, sincere pœnitere. Eodem modo intelligi possunt verba Joannis qui distinguit inter peccatum ad mortem et peccatum non ad mortem [7].

451. (C) Ex his omnibus colligi potest malitiam peccati mortalis in eo præsertim consistere quod *nos a Deo avertit*.

[1] *Rom.* V, 12, 21. De utrâque morte agitur, corporali et spirituali.
[2] *I Cor.*, VI, 9-10; cfr. *Galat.*, V, 19-21.
[3] *Joan.*, III, 20; *I Joan.*, II, 9; III, 14.
[4] *Jerem.*, VII, 26. — [5] *Joan.*, XIX, 11.
[6] *Matth*, XII, 31; cfr. *Marc.*, III, 29-30. — [7] *I Joan.*, V, 16.

Quod jam comparatione exposuerat *Jeremias* dicens [1] : "Duo enim mala fecit populus meus : *me dereliquerunt* fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas". Idem constat ex multis textibus supra allegatis, ubi peccatum dicitur transgressio divinæ legis, offensa Dei, odium Dei, amissio divinæ amicitiæ divinæque filiationis, privatio lucis et gratiæ, causa damnationis et æternæ separationis a Deo; his enim aliisque ejusmodi verbis significatur hominem — qui per gratiam est filius Dei adoptivus, particeps divinæ naturæ, filius lucis, ideoque multiplici vinculo Deo unitur, — per peccatum mortale effici diaboli filium, ejusque operum participem et in tenebris ambulare, ideoque vere a Deo averti. Quare ultima judicis sententia contra impænitentes peccatores in eo sita est ut hanc discessionem fore æternam declaret : "*Discedite a me*, maledicti, in ignem æternum [2]."

452. (D) *Quædam peccata vero non esse mortalia*, seu non esse æternæ damnationis causam ex paucis Scripturæ textibus *valide probabiliter* colligitur. (a) Christus siquidem declarat *modicam* et *majorem* esse iniquitatem : [3] "Qui in *modico* iniquus est, et in *majori* iniquus est". Præterea fatentur Apostoli *omnes* christianos *in multis* offendere : "In multis offendimus omnes [4]... Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est [5]"; attamen ex contextu supponitur illa peccata non esse mortalia, nec tollere caritatem; ita v. g. paulo post additur : "Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est; et in hoc scimus quoniam in ipso sumus [6]". Dantur ergo quædam peccata tam minuta ut caritatem et vitam spiritualem minime destruant.

(b) Idem *indirecte deducitur* ex celebri et difficili textu *S. Pauli* [7], qualis a multis Patribus intelligitur : "Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui... Si quis

[1] *Jerem.*, II, 13.

[2] Hæc est ipsa sententia quam *Bossuet*, in sermone *De la gloire de Dieu dans la conversion des pécheurs*, magnifice, ut solet, explicat : "L'enfer, si nous l'entendons, c'est le péché même; l'enfer, c'est d'être éloigné de Dieu". (Ed. *Lebarq*, t. II, p. 75).

[3] *Luc.*, XVI, 10. — [4] *Jacob.*, III, 2. — [5] *I Joa.*, I, 8.

[6] *I Joa.*, II, 5. — [7] *I Cor.*, III, 10-15.

autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem." Ibi siquidem sermo est de quibusdam *doctoribus* qui, post Paulum, Corinthiis evangelium prædicaverant; si doctrinam tradiderint non solidam, sed parum utilem, magis in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis innitentes quam in virtute Christi, inanitas eorum laboris apparebit in die judicii : ipsi quidem non patientur pœnam æternam, quia fidem annuntiaverunt, sed, propter inane opus suum, aliquam pœnam luent. Ex quo deducitur illos peccâsse, sed non mortaliter.

Fatemur tamen hæc argumenta non esse *apodictica*, nisi accedente Traditionis auctoritate.

2° *Patrum doctrina de peccati gravitate exponitur* [1].

453. (A) Tribus prioribus sæculis *non explicite* instituitur distinctio inter peccata mortalia et venialia, sed inter *maxima* et *modica*, inter ea quæ *pœnitentiâ publicâ* expianda erant et ea quæ *contritione*, eleemosynâ, oratione aliisque hujusmodi mediis remittebantur. Nec clare et distincte ab initio definitum fuit quænam peccata in specie ut gravia habenda essent, sed nonnisi pedetentim, secundum progressum conscientiæ christianæ : siquidem non pauci actus, qui graviter peccaminosi non videbantur recenter a paganismo conversis, postea graviores habiti sunt iis qui christianâ educatione conscientiam magis delicatam sibi efformaverunt, ut ex dicendis patebit.

454. (a) Jam sæculo secundo tria peccata ut *gravissima* existimabantur, imo a quibusdam ut *irremissibilia* per potestatem clavium, videlicet *apostasiam*, *mœchiam* seu adulterium, et *homicidium* [2]. Exinde quidam intulerunt hæc tria solum esse peccata mortalia. Sed immerito; nam *Tertullianus* qui hæc declarat *irremissibilia*, alia recenset peccata quæ gravia sunt et pœnitentiâ publicâ castigari

[1] *Vacandard*, Le traitement des *peccata leviora*, ap. *Rev. du Clergé français*, 15 août 1901; *id.*, La Pénitence publique, 1903 (collect. Bloud), p. 25-44; *Batiffol*, Etudes d'hist. et de théol. positive, Paris, 1902, pp. 81, 144, 128 et passim.

[2] Cfr. *Tertullianus*, De Pudicitiâ, c. 5 et 12, P. L., t. II, 987-989, 1001-1005; cfr. *A. d'Alès*, La théologie de Tertullien, Paris, 1905, p. 272-276; *J. Turmel*, Tertullien, Paris, 1905, p. 210-213.

debent : "Sunt autem et contraria istis (minutis delictis), ut graviora et exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, *fraus*, *negatio*, *blasphemia*, utique et mœchia et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei[1]".

455. (b) Aliunde dantur peccata *minora*, seu *modica*, quæ quotidiane committuntur et per pœnitentiam remitti possunt. Ait enim idem *Tertullianus*[2] : "Cui enim non accidit aut irasci inique, et ultra solis occasum, aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundiâ aut necessitate mentiri? in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat! Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum." — Pro minoribus istis delictis pœnitentiam fuisse necessariam testatur *S. Cyprianus*[3] : "Cum in *minoribus* peccatis agant *peccatores pœnitentiam* justo tempore, et, secundum disciplinæ ordinem, ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant..." Proinde ista minora delicta non sunt *mere venialia* juxta hodiernum loquendi modum.

456. (B) A *quarto sæculo*, jam explicite fit discrimen inter peccata *gravia*, quæ publicâ pœnitentiâ expianda sunt, et *levia*, quorum privatim pœnitere *sufficit.*

(a) Ita *S. Ambrosius*[4] : "Quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet pœnitere peccati : sed hæc delictorum levium, illa graviorum."

457. (b) Quod fusius declarat *Augustinus.* Præter peccatum *originale* quod per baptismum deletur, duo genera peccatorum distinguit : peccata *gravia* seu *scelera*, quæ nonnisi longâ et publicâ pœnitentiâ dimittuntur, ea scilicet quæ describit Apostolus in *ep. ad Corinthios et ad Galatas;* et peccata *levia*, quæ omnes committunt et oratione delentur : "Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, *scelera* commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania : inde agunt pœnitentiam. Nam si *levia* peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana oratio delenda sufficeret[5]". — Ratio discriminis inter *levia* et *gravia* ex eo desumitur quod priora fundamentum fidei et caritatis non destruunt, dum posteriora caritatis fundamentum evertunt : "Hæc igitur (levia) quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui ea sic habent, *ut habeant in fundamento*

[1] *Tertullian.*, ibid., c. 19, P. L., II, 1020.

[2] De pudicit., c. 19, P. L., II, 1020.

[3] *S. Cyprian.*, epist. 9, P. L., IV, 251.

[4] *S. Ambros.*, De Pœnitent., cap. 10, P. L., XVI, 520.

[5] De Symbolo, ad Catechumenos, c. 7, P. L., XL, 636; cfr. Enchiridion, c. 68-71, P. L., XL, 264-266; sermo 351, P. L., XXXIX, 1535-1549.

fidem, quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ullâ ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem... Qui vero propter ea vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam et similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento æterno igne torquebitur[1]".

458. (c) Quoad ecclesiam Orientalem, idem constat ex epistolis canonicis *S. Gregorii Thaumaturgi* et *S. Basilii*. Prior, interrogatus de genere pœnitentiæ quod iis imponendum erat qui peccaverant, occasione incursionis Gothorum, exponit quomodo agendum sit cum iis qui idolothyta manducaverant, aut fornicationem, rapinam, furtum, invasionem alienarum domorum commiserant, vel captivos injuste detinuerant, aut barbarorum cooperatores fuerant[2]. Posterior longiorem texit catalogum delictorum quæ canonicæ pœnitentiæ subjacent : ibi recensentur occisio fœtûs animati aut inanimati, digamia et trigamia, fornicationes diaconorum et canonicarum, quæ virginitatem voverant, aliaque peccata gravia contra castitatem, homicidia, percussiones, idololatria, violenti iracundiæ motus, usuræ, perjuria; imo cædem involuntariam vel in bello factam aliquâ pœnitentiâ puniri æquum est[3]. Alibi queritur quod parvipenduntur a multis peccata quæ tamen ut mortalia a Paulo declarantur[4] : "Profecto decepit nos pessima consuetudo; profecto magnorum malorum nobis causa existit perversa hominum traditio, quæ videlicet, vitatis aliquibus peccatis, alia indifferenter admiserit, quæque dum se in aliqua quidem vehementer indignari simulat, velut in homicidium, adulteriumque, et in alia generis ejusdem, aliqua vero non simplici quidem objurgatione digna judicat, velut iram, aut convicium, aut temulentiam, aut avaritiam, et si qua sunt hæc similia, adversus quæ omnia etiam alibi Paulus in Christo loquens eamdem sententiam protulit, cum dixit : *Qui talia agunt, digni sunt morte.*" Agnoscebantur ergo peccata mortalia, præter idololatriam, mœchiam et homicidium. Alibi autem docent quædam peccata esse levissima, in quæ omnes incidunt.

459. (C) Circa sæculum sextum, jam magis explicite declaratur quænam peccata sint *gravia*, quænam *levia*.

Ita *Cæsarius Arelatensis*, in sermone ad populum, ait[5] : "Et quamvis Apostolus *capitalia* plura commemoraverit, nos tamen ne

[1] De fide et operibus, cap. 16, P. L., XL, 216.

[2] Epistola canonica, P. G., X, 1019-1047.

[3] Ep. canonica, P. G., XXXII, 663-684; cfr. *Chardon.*, Hist. des Sacrements, *Migne*, Theol. Curs., XX, 692-721, ubi hæc aliæque epistolæ canonicæ S. Basilii gallice redduntur.

[4] De Judicio Dei, P. G., XXXI, 670.

[5] Appendix ad Serm. S. August, P. L., XXXIX, 1946-1947.

desperationem facere videamur, breviter dicimus quæ sint illa : sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; et, si longo tempore teneatur, iracundia; et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur." Quæ quidem peccata debent longa pœnitentiâ expiari; secus, æternâ flammâ punientur. Inter *minuta* peccata hæc præcipue recenset : "Quoties aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quam necesse sit... quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet quam expedit; quoties pauperem importune petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, aliis jejunantibus, prandere voluerit; aut somno deditus tardius ad ecclesiam surgit... Quoties infirmos tardius visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit quam oportet; si amplius fuerit blanditus quam expedit... Si pauperibus esurientibus cibum non dederit; aut nimium deliciosa, aut sumptuosa sibi convivia præparaverit... Hæc enim et his similia, ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut jam dixi, enumerari vix possunt, et a quibus non solum populus christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt." Postea addit hæc minuta peccata redimi bonis operibus, præsertim caritate fraternâ et eleemosynis. — Alibi inter peccata *minuta* recenset non pauca quæ *hodie* ut *mortalia* haberentur : "Cogitemus ex quo sapere cœpimus quid pro juramentis, quid pro perjuriis, quid pro maledictis, quid pro detractionibus, quid pro otiosis sermonibus, quid pro odio, quid pro irâ, quid pro invidiâ, quid pro concupiscentiâ malâ, quid pro gulâ, quid pro somnolentiâ, quid pro sordidis cogitationibus, quid pro concupiscentiâ oculorum, quid pro voluptuosâ delectatione aurium[1]..." — Patet igitur discrimen inter *mortalia* et *venialia*, a prioribus sæculis, primum indirecte et confuse, deinde explicite et clare agnitum esse; regulas vero quibus ab invicem distinguantur non fuisse clare definitas; ideoque nonnulla delicta, quæ hodie a conscientiâ rite excultâ ut gravia habentur, tunc temporis tanquam levia spectabantur. — Quam quidem evolutionem melius intelliget qui *libros pœnitentiales* attente percurret; ibi enim inveniet *examen conscientiæ* quod, decurrentibus sæculis, magis ac magis prolixum evadit[2].

[1] Sermo 257, ap. *Migne*, P. L., XXXIX, 2220.

[2] Quosdam ex his libris pœnitentialibus invenies ap. *Morinum*, Comment. histor. de disciplinâ in administrat. Pœnitent., Appendices; *Chardon*, op. cit., p. 712-725.

3° *Doctrina theologica de peccato mortali.*

460. (A) **Notio.** In peccato mortali duo considerari possunt : *actus voluntarius* quo quis transgreditur legem, et *defectus rectitudinis* qui in tali actu invenitur. Sub hoc ultimo respectu, secundum *S. Thomam*[1] aliosque theologos communiter, peccatum mortale definitur *aversio a Deo fine ultimo, per voluntariam et inordinatam conversionem ad creaturas*[2]. Consequenter peccatum mortale opponitur divinæ bonitati et sapientiæ, legi æternæ, necnon rationali hominis naturæ, ex dictis supra, n. 25. Plerumque homo non vult primario et explicite a Deo sese avertere, sed, proposito sibi bono creato utili aut delectabili, quandoque eligit inordinationem peccato inhærentem, ideoque aversionem a Deo, magis quam delectatione privari : " Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei[3] ". Unde, ad peccatum grave, necesse non est directe intendere aversionem ab ultimo fine, sed sufficit eam *indirecte* et *logice* velle, appetendo bonum creatum quod noscitur fini ultimo contrarium. — Revera homo non appetit malum, quatenus malum est, sed in quantum sub specie boni latet. Quod quidem valet etiam de *odio Dei :* ita pessimi peccatores Deum odio non habent nisi quatenus eum apprehendunt ut proprio bono oppositum.

Quas peccatorum *psychologicas* dispositiones graphice describit *Sapientia*[4] *:* " Dixerunt enim cogitantes apud se non recte : exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis... Venite ergo et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter... Coronemus nos rosis antequam marcescant ; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra... Oppri-

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 72, a. 5.

[2] Inter *Protestantes*, alii magis orthodoxi, ut *Bovon*, peccatum definiunt *liberam* legis transgressionem, quâ *egotismus* amori Dei præfertur; alii, ad rationalismum et determinismum tendentes, ut *Schleiermacher* et *Rothe*, tenent peccatum esse veluti *necessarium* humanæ evolutionis stadium, in quo caro concupiscit adversus spiritum et a Deo eumdem avertit. Cfr. *Lichtenberger*, Encyclop. des sciences religieuses, t. x, verbo *Péché; Bovon*, Dogmatique chrétienne, Lausanne et Paris, 1895, t. I, p. 311-397, et Morale chrét., 1897, t. I, p. 138-167.

[3] *Joan.*, XII, 43.

[4] *Sap.*, II, 1-21; integrum legatur caput.

mamus pauperem justum, et non parcamus viduæ... Hæc cogitaverunt et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum".

461. Corollaria. (a) Exinde apparet discrimen inter peccatum *mortale* et peccatum *veniale* : hoc enim non avertit hominem a Deo fine ultimo, sed ab eo solum retardat, ut infra exponetur.

Quod ita declarat *S. Thomas*[1] : " Duplex enim est inordinatio : una per subtractionem principii ordinis, alia, quâ etiam salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea quæ sunt post principium; sicut in corpore animalis quandoque quidem inordinatio complexionis procedit usque ad destructionem principii vitalis, et hæc est mors; quandoque vero, salvo principio vitæ, fit deordinatio quædam in humoribus, et tunc est ægritudo. Principium autem totius ordinis in moralibus est finis ultimus... unde quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo, cui unitur per caritatem, tunc est peccatum mortale; quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo, tunc est peccatum veniale".

462. (b) Exinde etiam componi potest controversia, diu inter theologos agitata, utrum *formale constitutivum* peccati *commissionis* consistat in *positivo* an in *negativo*[2]. Duplex elementum in peccato distingui potest : *actus voluntarius* et ejus *inordinatio*. Jamvero peccatum commissionis ex parte *actûs* spectatum, consistit in aliquo *positivo* quo quis tendit in bonum saltem apparens; *inordinatio* autem ejusdem actûs essentialiter consistit in privatione debitæ rectitudinis, cum voluntas, inordinate appetendo bonum creatum, sese a Deo avertat.

Quare Deus concurrit quidem ad actum positivum, voluntatem movendo ad agendum; sed neque directe neque indirecte est causa *deordinationis*, quæ tota ex pravitate humanæ voluntatis procedit. " Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liberum arbitrium; sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a quâ tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione "[3]. —

[1] *S. Thom.*, 1. 2, q. 72, a. 5.

[2] Omnes quidem fatentur peccatum *omissionis* esse quid *negativum*. Sed juxta *Suarez* (De peccatis, disp. I, Sect. I, n. 4), peccatum essentialiter consistit in privatione debitæ rectitudinis; secundum *Wirceburgenses* (De pecc., n. 13), consistit in positivâ tendentiâ actûs in objectum prohibitum. Rationes utrinque allatas exponit *Billuart*, diss. I, art. 2.

[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 79, art. 2.

Neque dicatur Deum indirecte peccato cooperari, ex eo quod illud non impedit; sapientissime enim voluit hominem esse liberum, ipsique præbet auxilia necessaria ad peccatum vitandum; sed omnino decet ut, postquam ad bonum homines sufficienter instruxit, eos sinat motu proprio agere, propriisque conatibus merita acquirere et vitam æternam consequi, juvante gratiâ quam nemini bene disposito denegat. Ex dictis enim, n. 185, licet materialiter coope rari peccato, dummodo adsit ratio proportionate gravis.

463. (B) De malitiâ peccati mortalis[1]. Multiplex est hujus peccati malitia, seu deordinatio, si consideretur ex parte *Dei*, ex parte *Christi*, et ipsius *peccatoris*.

Ex parte Dei, peccatum mortale est (a) *inobedientia* et *rebellio* contra Deum, supremum legislatorem : deliberate enim peccator, etsi a Deo creatus totusque ab eo pendens, propriam voluntatem Dei voluntati præfert, quanquam optime novit hunc esse supremum Dominum, Regem regum, et Dominatorem dominantium, eumque nil nisi rationi et sapientiæ consentaneum præscribere. Ita *rebellionis* reus evadit : cum enim multiplici titulo juste dominio Dei subdatur, nihilominus *æquivalenter*[2] dicit "*non serviam*", et Dei auctoritatem respuit. (b) *Injustitia* seu *iniquitas* merito vocatur; Deus enim, utpote infinitum bonum et fons totius beatitudinis, necnon supremus Dominus, jus strictum habet ut sit finis noster ultimus; ideoque peccator, sese avertens a Deo ultimo fine, jus illud violat, eumque, in quantum potest, illâ externâ gloriâ privat quam perfectissimo Enti reddere debet; ita veram injustitiam committit. (c) *Irreligiositatem* quamdam importat : Deo enim, propter summam ejus excellentiam ac majestatem, supremus debetur cultus et honor; atqui peccator hunc honorem denegat, imo aliquo sensu Dominum inhonorat et *contemnit*, vilis-

[1] Præter theologos, cfr. *Manning*, op. cit., ch. I; *Bourdaloue*, Sermons sur les Mystères, 1er S. sur la Passion de J.-C.; *id.* Exhortations, Sur le jugement du peuple contre J.-C.; *id.*, Carême, Mercredi de la 5e Sem., sur l'état du péché et l'état de la grâce; *Gratry*, Médit. inédites, Paris, Téqui, 1878, 7e Médit., Le péché.

[2] Dicitur *æquivalenter*, seu logice, per modum conclusionis, non autem explicite; plerumque enim peccator hanc rebellionem expresse non intendit; hinc sacri oratores hâc in re a nimiis amplificationibus abstineant.

simam creaturam Creatori anteponens, juxta illud[1] : " Dereliquerunt me fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas ". Hic autem contemptus rationem habet *contumeliæ*, quia peccatum committitur in conspectu Dei omnipræsentis : " Tibi soli peccavi et malum coram te feci "[2]. (d) Fœda est *ingratitudo :* Deus enim est insignis benefactor : quidquid entis, quidquid boni habemus, ab eo procedit; dona naturalia et supernaturalia profuse nobis largitus est; animas nostras sanctificavit et redemit; nos autem ejus beneficiis utimur ad eum offendendum, et quidem eo ipso tempore quo dona sua nobis largitur!

464. **Ex parte Christi,** (a) peccatum causa fuit cur Christus tam acerbos dolores et cruciatus, mortemque turpissimam ac crudelissimam subire debuerit; qui igitur hæc sciens nihilominus peccat, eo ipso *logice* et *indirecte* fit complex eorum qui Dominum crucifixerunt, et quantum in se est, ejus agoniam, cruciatus, humiliationes, crucifixionem ac mortem renovat, ideoque aliquo sensu *deicidii* reus evadit : " Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei "[3]. (b) Quia vero, per baptismum, fœdus cum Christo inivit, illudque per peccatum frangit, eo ipso *fœdifragus* merito habetur, sicut populus judaicus quando multoties fidem datam fregit. (c) Cum pariter templum Dei vivum factus fuerit, et sacramentali charactere insignitus, peccator *sacrilegium* quoddam committit, templum Dei profanis usibus dedicans propriamque animam Christo consecratam temere violans. Quare peccata christiani graviora sunt peccatis infidelium, et sacerdotis graviora peccatis christianorum[4]. — Plerum-

[1] *Jerem.*, II, 13. Hinc ait *Paulus* (*Rom.*, II, 23-24) : " Per prævaricationem legis Deum inhonoras : nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes ". — [2] *Ps.*, L, 6.

[3] *Hebr.*, VI, 6; hic agitur quidem de *apostasiâ a fide*, sed per *analogiam* extendi potest ad omnia peccata mortalia. Quare Christus peccatores, sicut ipsos Judæos, ita alloqui posset : " Quid ultra debui facere tibi et non feci? Ego quidem plantavi te, vineam meam speciosissimam : et tu facta es mihi nimis amara : aceto namque sitim meam potasti et lancea perforasti latus Salvatori tuo ". Integra legantur *improperia*, in missâ feriæ 6æ majoris hebdomadæ.

[4] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 73, a. 10.

que tamen peccatores conscii non sunt totius malitiæ quæ *ex se* mortali peccato inest; ideoque sacri oratores, dum hâc de re loquuntur, id præ oculis habere debent.

465. **Ex parte hominis,** peccatum est summum malum, videlicet : (a) *Spirituale suicidium*, cum mortem animæ inferat; (b) *deformitas* et *deturpatio*, cum animam privet supernaturali pulchritudine quâ fulgebat, multisque donis et habitibus supernaturalibus qui eam exornabant; (c) ignominiosa *servitus*, cum peccator *servus diaboli* constituatur, ejusque impugnationibus obnoxium se reddat. Merito igitur ait Propheta[1] : " Scito et vide, quia *malum* et *amarum* est reliquisse te Dominum Deum tuum ".

466. **(C) Controversia de peccati infinitate.** Juxta omnes, peccatum mortale, quatenus est *malum hominis*, non est infinitum, quia bona quibus eum privat finita sunt. Pariter *malitia* peccati, seu deordinatio actûs peccaminosi in ipsâ voluntate peccatoris spectata, est quid finitum, cum voluntas humana incapax sit infinitæ malitiæ[2]. Sed quæstio est de *offensâ*, seu de injuriâ per peccatum irrogatâ; et ex hoc capite, omnes concedunt peccatum esse saltem *extrinsece* et *objective* infinitum, quia videlicet Deum inhonorat, qui est vere infinitus. Controvertitur autem utrum offensa Deo irrogata sit in *genere moris* simpliciter et intrinsece infinita, an solum extrinsece et secundum quid.

(a) Multi *Thomistæ* affirmant peccatum mortale, in ratione *offensæ*, esse gravitatis simpliciter infinitæ in genere moris[3]. Etenim gravitas offensæ crescit juxta dignitatem personæ cui irrogatur, secundum illud : *injuria est in personâ injuriatâ;* et revera eadem injuria *militi* irrogata minus gravis est quam si *duci* irrogatur. Atqui persona per peccatum mortale offensa, scilicet Deus, est dignitatis simpliciter infinitæ. — Confirmatur ex eo quod peccatum mortale meretur pœnam infinitam in duratione.

(b) Non pauci tamen theologi tenent, cum *Scoto* et *Suarez*[4], gravitatem peccati, etiam ratione offensæ, non esse infinitam nisi

---

[1] *Jerem.*, II, 19.

[2] Nonnulli theologi dicunt quidem *malitiam* peccati esse aliquo modo infinitam, sed hanc malitiam confundunt cum *offensâ* Deo irrogatâ.

[3] Ita præsertim *Gonet*, Clypeus theol. thomisticæ, de Peccatis, diss. IX, art. 6; *Salmanticenses*, De Incarnat., disp. I.

[4] *Suarez*, De peccatis, disp. II, sect. 3; *Pesch*, n. 477-482.

secundum quid. Nam dantur peccata mortalia alia aliis graviora; atqui si infinita essent simpliciter, omnia essent paria, cum non detur infinitum infinito majus. — Præterea divina majestas et excellentia, quanquam infinita, non cognoscitur nisi finito modo; atqui malitia actûs, etiam ratione offensæ, mensuratur secundum dignitatem personæ non in se spectatæ, sed quatenus ab agente cognoscitur.

Conclusio. Libenter admittimus quod ait *S. Thomas :*[1] " Peccatum contra Deum commissum *quamdam* infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis : tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur ". Non autem putamus *quamdam* infinitatem significare infinitatem *simpliciter;* sed illis assentimur qui dicunt gravitatem offensæ *moraliter* sumptæ non solum ex dignitate personæ offensæ, sed etiam secundum agentis cognitionem dimetiendam esse, quæ finita est.

467. (D) De inæqualitate mortalium peccatorum.[2] Non omnia peccata mortalia esse æqualia, jam ex *Scripturâ* didicimus, n. 450. Ratio idem ostendit : etsi enim peccatum essentialiter consistat in aversione a Deo, ultimo fine, dantur tamen gradus in eâ. Hæc siquidem non est *mera negatio* conversionis ad Deum, sed etiam *positiva oppositio* contra finem, in quâ multi possunt esse gradus, sive ex parte *voluntatis*, sive ex parte *objecti* et *circumstantiarum.*

(a) Ex parte *voluntatis;* cum enim peccatum sit actus voluntatis, majus vel minus erit prout volitio plus minusve perfecta erit : hæc autem, etiam quando sufficit ad peccatum grave, plus minusve *intensa* esse potest ratione deliberationis, conatûs, durationis. Ita, ceteris paribus, gravius est peccatum quod præcessit magis attenta deliberatio, quodque vehementi cum affectu, absque externâ sollicitatione, per longum tempus commissum est.

(b) Ex parte *objecti* et *circumstantiarum;* cum enim peccata diversa sint secundum diversitatem objectorum, graviora sunt quæ immediate committuntur contra Deum, ut voluntaria apostasia a fide, blasphemia; inter ea quæ contra hominem perpetrantur, graviora sunt quæ contra ejus vitam quam quæ contra ejus bona, v. g.

---

[1] *S. Thom.*, 3, q. 1, a. 2, ad 2.

[2] Stoicorum theoriam qui docebant omnia peccata esse paria eleganter confutat *Horatius*, Satir., I, 3, 96 :

" Quîs paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est : sensus moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui. "

pejus est homicidium quam furtum[1]. *Circumstantiæ* pariter malitiam augere possunt; sic parricidium gravius est quam homicidium, et furtum rerum sacrarum quam furtum simplex. Quod fusius declarabitur in decursu Theologiæ moralis.

II. De effectibus peccati mortalis[2].

Peccatum mortale duplicem producit effectum, videlicet 1° *habitualem aversionem* a Deo, seu *reatum culpæ;* 2° *reatum pœnæ*, seu *obligationem* ad pœnam.

1° *De reatu culpæ, seu de statu peccati.*

468. (A) Transacto *actu* peccaminoso, homo manet *habitualiter* a Deo aversus, donec per pœnitentiam a peccato liberetur : ab hoc autem eximi nequit, nisi per actum voluntatis retractet actum malum ab ipso positum, veniamque a Deo consequatur[3]. Ille autem *status* aversionis a Deo dicitur *peccatum habituale*, seu status peccati; non est quidem *habitus vitiosus proprie dictus*; hic enim supponit *repetitos* actus ejusdem speciei; sed est *inordinata quædam dispositio*, vi cujus voluntas, quæ in Deum tendere deberet, manet ab ultimo fine aversa ideoque minus est apta ad resistendum tentationibus, et ad bene agendum.

Hæc dispositio vocatur *reatus culpæ*, quia peccator, quamdiu injuriam Deo illatam non retractavit nec reparavit, reus manet istius offensæ; quamprimum igitur pœnitentiam agere debet, si gratiam recuperare velit.

469. (B) Pro homine *in ordine supernaturali* constituto, status peccati includit etiam privationem *gratiæ habitualis* et *caritatis;* nam, in præsenti ordine, homo non ordinatur ad finem suum supernaturalem nisi per gratiam habitua-

---

[1] Quam relativam peccatorum gravitatem lucide exponit *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 73; cfr. *Lehmkuhl*, t. I, n. 1223-1232.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 86-87; *Suarez*, disp. VII-VIII; *Gonet*, disp. VIII; *Billuart*, diss. VII; *Pesch*, n. 495-515; *Billot*, th. 4-6.

[3] Quod ita declarat *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 86, a. 2 : " Licet autem cesset actus peccati, quo homo discessit a lumine rationis vel legis divinæ, non tamen statim homo ad illud redit in quo fuerat; sed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui; sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu fit ei propinquus, sed oportet quod appropinquet rediens per motum contrarium."

lem, ut supra dictum est, n. 8; ergo ab eodem fine non avertitur nisi privatione gratiæ habitualis et caritatis.

(C) Hæc autem privatio gratiæ nihil aliud est nisi *macula peccati*, quam sæpe Scripturæ commemorant; peccata siquidem vocantur *macula*, *sordes*, *immunditiæ*, *inquinamenta;* a quibus Deus nos abluit aquâ mundâ, et Christus nos lavat in sanguine suo[1]. Hæc autem macula non est quid positivum aut prava qualitas, sed solum privatio gratiæ sanctificantis. Quod *S. Thomas*[2] comparatione declarat : sicut macula in corporalibus in eo consistit quod corpus nitidum suum nitorem amittit ex contactu alterius corporis, ita in spiritualibus anima metaphorice maculari dicitur, quando suum nitorem amittit, rebus creatis inhærendo per inordinatum amorem[3].

2° De reatu pœnæ, seu obligatione pœnam subeundi.

470. Præter maculam in animâ relictam, peccatum inducit obligationem ad pœnam aliquam subeundam; quæ quidem duplex est : una quæ *concomitatur* ipsam culpam, ut conscientiæ remorsus; altera, quæ *infligitur* in remedium salutis a Deo vel ab homine.

(A) **De conscientiæ remorsu.** Peccator, videns se a Deo fuisse aversum, multisque bonis privatum, propter delectationes viles et transitorias, in se revertitur, et conscientiæ vocem audiens, quamdiu saltem non est in malo obstinatus, intelligit se erravisse et malum fecisse.

Quem conscientiæ remorsum vivide describit *Sapientia*[4] : "Videntes turbabuntur timore horribili..., dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes... Ergo erravimus a viâ veritatis... Lassati sumus in viâ iniquitatis et perditionis; et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra... in malignitate

---

[1] *Jos.*, XXII, 17; *Isa.*, IV, 4; *Ezech.*, XXXVI, 25; *Zach.*, XIII, 1; *I Cor.*, VI, 11; *Ephes.*, V, 27.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 86, a. 1.

[3] In ordine *naturali*, status peccati consisteret in privatione *rectitudinis* quâ homo naturaliter ad Deum ordinatur.

[4] *Sap.* V, 2-13. — Remorsum quem *Cain*, post fratricidium perpetratum, expertus est, graphice depingit *V. Hugo*, La Conscience, in opere *La Légende des siècles*, Paris, t. I, p. 35-37.

autem nostrâ consumpti sumus". Felices nimium peccatores, si, anxietatibus et conscientiæ remorsu vexati, pœnitentes ad Patrem cœlestem redeunt, sicut ipse prodigus exclamantes : "Pater, peccavi in cœlum et coram te"[1].

471. (B) De variis pœnis a Deo vel homine inflictis. Sapiens legislator legibus suis *sanctiones* addit, quibus efficacius subditi a malo deterreantur et ad bonum impellantur. (a) Jamvero peccatum mortale inducit *reatum pœnæ æternæ;* quæ quidem duplex est : *pœna damni*, seu privatio visionis beatificæ, quæ respondet aversioni a Deo, et *pœna sensûs*, quæ respondet conversioni ad creaturas"[2] : "Et ibunt hi in supplicium æternum"[3]. Quæ tamen pœna non infligitur nisi impœnitentibus, qui videlicet obstinate in peccato suo moriuntur. Et sane qui voluntarie manet a Deo aversus, merito privatur visione Dei et ultimo fine; pariter qui inordinate usque in finem creaturis adhæsit, juste ex eis sentit nocumentum[4].

(b) Præterea quandoque Deus, etiam in hâc vitâ, pœnas *medicinales* infligit peccatoribus, varias scilicet calamitates, necnon animi angores, ægritudines, aliaque temporalia mala, ut ad cor revertentes de peccatis doleant, et pro eis salutari pœnitentiâ satisfaciant. Sed de his pœnis nil certo et infallibiliter prædicari potest : Providentia enim aliquando permittit malos nullis specialibus calamitatibus in præsenti vitâ affici, nec semper quantitatem pœnæ temporalis gravitati peccatorum commensurat. Hinc ait *Psalmista*[5] : "Mei autem pene moti sunt pedes... Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns... Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias". Deus siquidem patiens est, quia æternus. — Unde pœnæ peccatoribus inflictæ spectari debent, plerumque saltem, tamquam *beneficia :* sicut medici amaras potiones infirmis propinant ad sanitatem restituendam, ita Deus eos quos vult emendare, castigat.

Ex quibus constat quam sedulo vitandum sit peccatum mortale quod Deum offendit, animam coinquinat et peccatorem tot malis obnoxium reddit. Utinam de quolibet christiano dici posset quod de *Chrysostomo* narratur[6] : "Ille homo est metu superior et minis, et adversus ipsam quoque mortem erigitur. Unum solum timet, nempe peccatum, et ne Deum per ipsum vel modicum offendat".

---

[1] *Luc.*, XV, 18. — [2] De utrâque dictum est in *Tr. de Deo Remuneratore*, n. 23-30. — [3] *Matt.* XXV, 46.

[4] In ordine *naturali*, pœna peccati esset privatio illius beatitudinis quæ in pleniori, licet naturali, cognitione et amore Dei consistit.

[5] *Ps.* LXXII, 2-12.

[6] *Symeon Metaphr.*, Vita S. Chrys., *Migne*, P. G., CXIV, 1138.

III. De conditionibus ad mortale peccatum requisitis.

Descriptis *naturâ* et *effectibus* peccati mortalis, inquirendum manet quænam conditiones requirantur ut peccatum sit mortale. Jamvero tres simul concurrere debent : *materia gravis, plena advertentia, plenusque consensus.*

472. 1° **Materia gravis** : hæc autem potest esse talis ratione *objecti* aut *circumstantiarum*, ex dictis supra, n. 144-146 et 158-161. — Quænam autem materia sit gravis definiri potest tum *auctoritate*, tum *ratione.*

(**A**) *Auctoritate.* (**a**) Jam diximus ex *Scripturâ* dignosci posse quædam peccata esse mortalia, ea videlicet quæ dicuntur a regno cœlorum excludere, digna morte aut æternâ damnatione, execranda, abominabilia, etc. (**b**) Idem colligi potest ex decretis Conciliorum, Pontificum aut Congregationum, vel ex communi doctrinâ Patrum et theologorum, vel ex sensu communi fidelium. Quâ in re notandum est aliquem fuisse progressum, ita ut peccatorum *catalogus* hodie longior sit quam primis Ecclesiæ temporibus; quod quidem contigit non tam ex authenticâ declaratione Pontificum, qui raro admodum de gravitate peccati pronuntiaverunt, quam ex communi doctorum aut fidelium sensu, et ex progressivâ educatione christianæ conscientiæ.

473. (**B**) *Ratione :* hæc enim, cum sit quædam participatio divinæ rationis, de moralitate actuum humanorum judicat, ideoque de peccatorum gravitate. Principium generale est illud peccatum ut mortale habendum esse quod *gravem deordinationem* importat quoad *Deum, societatem, seipsum* aut *proximum.* Ita mortalia sunt *ex se :*

(**a**) Peccata quæ *gravem injuriam Deo* ejusve divinis attributis inferunt, qualia sunt infidelitas, apostasia, desperatio, odium Dei, blasphemia, irreligio. (**b**) Peccata quæ *grave damnum humano generi* aut *societati* inducunt, v. g. fornicatio, rebellio contra legitimam auctoritatem, ea omnia quæ discordias fovent inter varios ordines civium. (**c**) Peccata quæ *caritati* vel *justitiæ* erga seipsum aut proximum ita opponuntur, ut *notabile detrimentum* afferant; ita v. g. suicidium, homicidium, furtum alicujus momenti, odium

proximi, detractiones et calumniæ quæ famam multum lædunt, etc.

Quædam peccata dicuntur gravia *ex toto genere suo*, quando scilicet nullam parvitatem materiæ admittunt, v. g. apostasia, odium Dei, blasphemia; hæc semper mortalia sunt *ex se*, nec levia fieri possunt nisi defectu plenæ deliberationis plenive consensûs. Alia autem sunt gravia *ex genere suo*, quatenus *ex se* habent quod possint esse gravia, sine additione alterius materiæ, ita tamen ut *venialia* sint non solum ex defectu plenæ deliberationis vel consensûs, sed etiam ex parvitate materiæ; v. g. furtum, detractio, etc.

474. 2° **Plena advertentia,** ea scilicet quam homo plene suî compos ad negotium magni momenti adhibere solet; quando enim agitur de amissione salutis æternæ, seu de aversione ab ultimo fine, non sufficit *semiplena* advertentia, qualis existit in semi-dormiente aut in eo qui aliâ re distractus est. Requiritur proinde ut actio *clare* apprehendatur aut clare suspicetur ut *illicita*, et quidem *graviter :* nam si solummodo *confuse* et *obscure* id appareat, dici nequit peccatorem velle, explicite aut implicite, sese a Deo avertere[1]. Necesse tamen non est ut quis iterum atque iterum, per longum tempus, rem mature et reflexe consideret tanquam a Deo sub gravi pœnâ prohibitam; sed sufficit actum clare et directe percipere, etiam per breve tempus, ut *graviter illicitum.*

Hinc plenâ advertentiâ carent, ideoque graviter non peccant : (a) semi-dormientes, semi-ebrii, vel ii omnes qui suî compotes vere non sunt, (b) qui aliâ re occupati et distracti, tenuem tantum attentionem præbent actioni quam peragunt; (c) qui vehementi passione, aut nervorum agitatione, aliove morbo physico vel statu pathologico (supra, n. 128-135), ita perturbantur ut ad rem nonnisi imperfecte attendant; (d) qui immediate aut paulo post factum, ejus malitiam magis attente perpendentes, judicant se ita non acturos fuisse, si antea serio cogitâssent; et a fortiori si vix recordantur quid egerint.

475. 3° **Plenus consensus,** id est ille qui plenam advertentiam sequitur, simulque eâ cum libertate præbetur quam requirit res magni momenti. Ad hanc libertatem necesse

[1] *Vieux Moraliste*, Péché précis et péché vague, ap. *Ami du Clergé*, t. XX, 1898, p. 1025-1030.

March 26 1925

non est ut agens sit a passione vel metu immunis, sed sufficit ut, non obstante vehementi passione aut metu, mature deliberare et eligere valeat : ita a gravi peccato non excusatur qui, mortis metu, exterius fidem denegat, aut, ad munus publicum servandum, deliberate, quanquam reluctanter, injustitiam committit.

In dubio autem num quis plene consenserit, hæc haberi possunt ut signa *imperfecti consensûs :* (a) qui habitualiter a mortali peccato abhorret, ideoque timoratæ est conscientiæ, ita ut paratus sit potius mori quam graviter peccare, præsumendus est non plene consensisse. (b) Qui desiderium aliquod malum faciendi expertus est, et a peccato externo abstinuit, dum sese præbebat facilis occasio exterius peccandi, generatim censendus est plenum consensum non præbuisse. (c) Idem dici potest de eo qui, statim ac *plene* tentationem advertit, eam repulit; aut angitur vel tristatur de cogitationibus aut desideriis pravis quæ ejus mentem invadunt, etiamsi diu permanserint.

476. **Corollaria.** (A) Fieri igitur potest ut actio *objective* graviter peccaminosa non sit peccatum mortale :

(a) *Ex defectu plenæ advertentiæ plenive consensûs* ex supra dictis; (b) ex *conscientiâ invincibiliter erroneâ*, quando quis scilicet bonâ fide putat actionem esse leviter tantum malam; (c) *ex causâ excusante*, quando agitur de aliquâ lege, a cujus adimpletione excusare potest ratio sufficiens; v. g. grave incommodum omnino dispensat a missâ audiendâ die festo, et incommodum non ita grave a mortali excusare potest, si non a veniali.

477. (B) Ex adverso peccatum, *ex genere suo leve, fieri potest grave :*

(a) *Ex conscientiâ erroneâ*, quando agens pro gravi habet peccatum veniale, v. g. minutum furtum; (b) *ex fine graviter malo*, si quis v. g. furetur rem parvi pretii ad committendum homicidium : medium enim quod ad finem graviter malum ordinatur participat gravem malitiam ipsius finis; propter eamdem rationem, mortaliter peccat qui adhæret rei sub levi tantum prohibitæ, ita tamen ut paratus sit potius Deum graviter offendere quam rei valedicere; (c) *ratione scandali*, quando certo moraliter prævidetur ex peccato, ceteroquin veniali, grave scandalum oriturum esse, v. g. si sacerdos ita leviter agat ut laicis grave scandalum præbeat; (d) *ratione periculi*, si quis venialiter peccando (v. g. per otiosam conversationem) prævideat se in gravem tentationem lapsurum; (e) *ratione contemptûs*, quando quis violat legem in materiâ levi, sed cum intentione manifestandi contemptum erga legem aut legislatorem : quod tamen raro admodum occurrit; (f) *ratione materiæ coalescentis*, quando materiæ, ex se parvæ, ita ordinantur ad *unum aliquod mo-*

rale efficiendum ut notabilem ejusdem præcepti transgressionem efficiant; ita aliquando *minuta furta* in unum coalescunt, et peccatum mortale constituunt, ut declaratur in *Tr. de Justitiâ*, n. 440-444.

478. (C) Cum valde difficile sit in praxi definire num aliquod peccatum sit mortale, omnibus attentis circumstantiis et præsertim psychologicis agentis dispositionibus, confessor non sit pronus ad facile judicandum talem aut talem actionem esse graviter malam, nisi de eo satis evidenter constet[1]. Sæpe prudenter agnoscet rem esse dubiam, eamque divino judicio relinquet; sed sollicitus erit de contritione in corde pœnitentis excitandâ, eumque enixe hortabitur ut ab omni deliberato peccato abstinere conetur.

§ III. De peccato veniali[2].

Ejus *naturam* et *effectus* breviter declarabimus.

I. De naturâ peccati venialis.

479. Jam ex *Scripturâ* et *Patribus* (n. 452 sq.) novimus dari peccata minora, seu venialia, quæ mortem animæ non inferunt. Idem colligi potest ex *Tridentino* declarante peccata *mortalia* in confessione exponenda esse, *venialia* autem citra culpam taceri, quia multis aliis remediis expiari possunt[3]. Quare a *Pio V* damnata est hæc Baii propositio 20ª: "Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam"[4].

480. 1° **Notio.** *Veniale*, juxta vim vocis, illud significat quod veniam consequi potest, et ex hoc capite omnia peccata dici possunt venialia, quia remissibilia. Sed veniale peccatum, prout a mortali distinguitur, ita vocatur quia non tollit gratiam sanctificantem, ideoque ex naturâ suâ *veniâ* dignum est. Veniam de facto consequitur factâ debitâ retractatione et solutâ pœnâ temporali.

Quoad rem vero, peccatum veniale est *actus moraliter malus, quo tamen non tollitur habitualis conversio ad Deum.*

---

[1] Cfr. *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XX, 1898, p. 1029.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 88-89, et Quæst. disp., de Malo, q. 7; *Suarez*, disp. II, sect. 5-8; *Gonet*, disp. IX; *S. Alphons.*, nn. 11, 51, 64; *Ball. P.*, n. 670-680; *Pesch*, n. 516-556; *Billot*, th. 8-10; *Manning*, ch. 3; *Pratique progressive de la confession*, Paris, 1902, t. II, p. 115-132.

[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 5. — [4] *Denzing.*, n. 900.

481. 2° **Discrimen inter veniale et mortale.** Quod sic declarat *S. Thomas* :[1] (a) Cum peccatum sit quædam infirmitas animæ, dicitur *mortale* quando inducit defectum irreparabilem, seu tollit principium vitæ. Principium autem spiritualis vitæ est ordo ad ultimum finem, ideoque peccatum mortale, quod est aversio ab ultimo fine, est ex se irreparabile, et nonnisi per virtutem divinam reparari potest. Peccata autem quæ habent inordinationem circa ea quæ sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem, reparabilia sunt, et dicuntur *venialia.*

(b) Alio modo rem exponit[2] : peccans mortaliter vere avertitur a Deo, proindeque recedit a viâ quæ ducit ad ultimum finem; peccans autem venialiter non avertitur a Deo, sed similis est ei qui *nimis moratur* in viâ, ideoque *retardatur* in consecutione ultimi finis.

(c) Hinc peccans venialiter *etsi displiceat Deo, non cessat eum diligere.* Quando enim aliquid sub levi tantum prohibetur, id fieri potest quin agens ab ultimo fine avertatur, et divinam amicitiam amittat. Ejus proinde dispositio hæc est : scio quidem hanc rem displicere Deo, sed non ita ut amicitiam suam deneget iis qui eam eliciunt; fruor igitur hâc re, sed mallem ejus emolumento carere quam caritatem amittere. — Aliquid simile etiam in humanis contingit : quandoque amicus ea facit quæ amico displicent, sed nollet ullo modo aliquid præstare quod fœdus amicitiæ dissolveret.

Revera sicut homo a Deo per peccatum mortale aversus, potest nihilominus aliquot opera bona facere; ita pariter homo, dum habitualiter manet ad Deum conversus per gratiam, actus elicere potest venialiter malos qui, etsi ad Deum non referantur, non ideo referuntur ad creaturam ut ad ultimum finem.

(d) Peccatum veniale sedulo distinguendum est ab *imperfectionibus* quæ, quamvis contra legem non sint, non pertingunt ad eum gradum quem studium perfectionis importat.

3° **Quo sensu veniale dicitur præter legem.** Peccatum veniale a *S. Thomâ*[3] et quibusdam aliis theologis, dicitur *præter legem æternam,* quatenus est præter ultimum finem quem primario respicit lex æterna, et quia non destruit caritatem, quæ est plenitudo legis. Ex hoc autem inferre non licet peccatum veniale esse solum *præter*, non autem *contra legem.* Omne peccatum, etiam leve, est transgressio legis; sed peccatum veniale non est contra ultimum finem, nec proinde stricte loquendo contra legem æternam, quâ omnia entia ad ultimum finem ordinantur.

---

[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 88, a. 1.

[2] *S. Thom.*, in II Sentent., dist. 42, q. 1, a. 3, ad 5.

[3] *S. Thom.*, Q. disp., de Malo, q. 7, a. 1, ad 1.

482. 4° **Conditiones ad peccatum veniale requisitæ.** Veniale peccatum dupliciter committi potest : (a) quando ipsa materia *levis* est : tunc peccatum manet veniale, etiamsi adsit perfecta cognitio plenusque consensus; (b) quando materia *gravis* est, sed deficit plena cognitio plenusve consensus (supra, n. 474-475). — Quandonam vero materia levis habeatur, colligi potest ex dictis supra, n. 472-473, et in toto decursu hujus operis fusius exponetur.

II. De effectibus peccati venialis.

483. Ut æquum feratur judicium de malitiâ et effectibus peccati venialis, sedulo distinguendum est inter ea quæ ex *merâ fragilitate*, absque maturâ deliberatione plenove consensu, committuntur; — et ea quæ *deliberate* fiunt, ex quodam affectu, præsertim si *frequenter* et *ex habitu* committantur : hæc enim multo majus detrimentum animæ inferunt. Quia vero non pauci oratores et ascetæ has distinctiones præ mente non habuerunt, malitiam et effectus peccati venialis plus æquo amplificaverunt.

1° Primum quidem exponere juvat quid culpa venialis *non producat* in animâ. (a) *Gratiam sanctificantem nec extinguit nec minuit.* Cum enim non sit aversio a Deo, divinam amicitiam non destruit : imo *gratiam habitualem* in se non minuit : hæc enim, cum nihil aliud sit nisi status supernaturalis conversionis ad Deum, minui non posset nisi per actus ultimo fini aut caritati contrarios; jamvero, ex dictis, peccatum veniale ultimo fini vel caritati minime adversatur. — Neque exinde minuuntur virtutes infusæ, dona Spiritûs Sancti, quæ gratiæ habituali adnectuntur, nec merita jam acquisita.

(b) Hinc *maculam proprie in animam non inducit;* macula enim peccati consistit in privatione gratiæ sanctificantis; porro peccatum veniale hanc minime tollit aut minuit. Attamen sensu *minus proprio* aliquando dicitur maculam causare, et comparatur pulveri ac sordibus quæ faciem hominis deturpant. Quod ita declarat *S. Thomas*[1] : in animâ duplex est nitor, unus quidem habitualis, ex gratiâ sanctificante, alter actualis ex actibus virtutum; jamvero peccatum veniale impedit quidem fulgorem qui ex actibus virtutum oritur, non autem habitualem nitorem, quia non excludit nec minuit habitum caritatis.

[1] *S. Thom.*, q. 89, a. 1.

484. 2° Perniciosos tamen effectus producit veniale peccatum, *frequenter* ac *deliberate ex affectu* commissum.

(A) *Fervorem caritatis imminuit;* fervor siquidem consistit in *promptitudine ad omnia devote ac generose propter Deum facienda;* jamvero qui frequenter, deliberate et ex affectu peccat venialiter, ad omnia propter Deum agenda minime paratus est, sed in multis sibi magis quam Deo placere deliberate eligit. Paulatim igitur ardua relinquit, et nonnisi faciliora prosequitur : in oratione, animi divagationes expellere non multum curat, in officiis statûs adimplendis negligenter se habet, in virtutibus progredi non studet; languent caritatis opera, torpentque voluntariæ mortificationes; uno verbo, sensim et sine sensu, inducitur *tepiditas*, seu status in quo languescunt animæ vires.

485. (B) *Ad peccatum mortale paulatim disponit,* non quidem *ex se*, cum omnino differat a mortali, sed per *quamdam consequentiam*, ut ait *S. Thomas*[1] : (a) Crescente enim, ex habitu et affectu, dispositione rebus creatis inhærendi, ita augeri potest libido peccandi, ut voluntas, etiam in rebus majoris momenti, creaturæ inhæreat contra Dei voluntatem; sic, v. g., qui primum leviter iracundiæ consentit, repetitis actibus deliberate commissis, facile iræ motus graves admittit; pariter qui curiositati et sensualitati sæpe indulget, legendo libros satis periculosos, fovendoque imaginationes ad voluptatem prope accedentes, mox, libidine victus, graviter peccat. — Cujus ratio est quia peccans venialiter, ut ait Angelicus Doctor, "ex hoc quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subjicere, disponitur ad hoc quod etiam voluntatem suam non subjiciat ordini ultimi finis, eligendo id quod est peccatum mortale ex genere." Revera, teste Christo[2], "qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est." (b) Insuper qui frequenter et ex affectu venialiter peccat, eo ipso gratiâ actuali abutitur, deliberate inspirationibus Spiritûs sancti resistens; quapropter abundantioribus auxiliis privatur, et, quando gravis exsurgit tentatio, ad eam superandam debilior invenitur.

486. (C) Peccatum veniale inducit etiam *reatum culpæ* et *reatum pœnæ :* (a) *reatum culpæ*, quia, etsi divinam amicitiam non dissolvat, Deo tamen displicet eumque contristat : peccans enim venialiter suam voluntatem divino beneplacito præfert, ideoque vere culpæ reus est; si id frequenter fiat, reatus quotidie augetur, et refrigescit caritas Dei erga nos sicut et nostra erga Deum : "Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo,

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 88, a. 3. — [2] *Luc.* XVI, 10.

nisi pœnitentiam egeris[1]." (b) *Reatum pœnæ*, quatenus venialiter peccans, etsi pœnam æternam damni non mereatur, aliquam tamen pœnam temporalem delicto proportionatam subire debet, sive in præsenti tempore, sive in purgatorio. Quænam vero pœna peccato veniali debeatur, definiri nequit, sed divino judicio relinquendum est[2].

Cum *S. Francisco Salesio* igitur concludere licet extirpandum esse *affectum* ad venialia[3]: "Nunquam ex toto, ait, a venialibus puri et mundi esse possumus, saltem ut diu in hâc puritate vivamus et maneamus; at possumus nullam erga venialia peccata *voluntariam propensionem* habere... Affectus hi devotioni directe contrarii sunt, uti affectus erga lethale (peccatum) caritati; etenim spiritûs vires evigorant, et languidas reddunt, consolationes divinas impediunt, tentationibus ostium patefaciunt, et, quanquam animam non occidunt, eam tamen valde debilitant et ægrotam reddunt[4]".

§ IV. De distinctione peccatorum[5].

Cum, ex *Tridentino*, teneamur in confessione peccata mortalia accusare secundum *speciem* et *numerum*, et confessor in hoc onere pœnitentes instruere et juvare debeat, necesse est quasdam regulas tradere de distinctione *specificâ* et *numericâ* peccatorum in genere; quibus addemus opportuna principia de peccatis *internis*.

I. De distinctione specificâ peccatorum.

487. 1° Status quæstionis. (A) *Speculative* non consentiunt theologi de principio ex quo repetenda sit specifica peccatorum distinctio. (a) *S. Thomas* eam repetit ex peccatorum *objectis formaliter diversis*[6]: peccata videlicet spe-

[1] *Apoc.*, II, 4-5. Hic agitur de *Timotheo*, Ephesino episcopo; cfr. *Fouard*, Saint Jean, 3e éd., Paris, 1905, p. 125.

[2] Cavendum est proinde ab illis oratoribus et ascetis, qui exempla congerunt ex Veteri Testamento desumpta, ad probandum pœnam mortis haud raro inflictam fuisse venialiter peccantibus. Exempla allata referuntur ad *facta publica*, quæ severe castigantur ob bonum publicum: immerito igitur ad alios casus extenduntur.

[3] *S. Fr. de Sales*, Introd. à la vie dévote, p. I, ch. 22.

[4] Hic animadvertere licet non omnia quidem venialia vitari posse juxta *Tridentinum* (sess. VI, cap. 11), sed, juxta communem doctrinam, vitari posse omnia venialia *plene deliberata*. Hinc invalidum est votum de vitandis omnibus venialibus, non autem de vitandis omnibus *deliberatis* venialibus.

[5] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 72; *Billuart*, diss. II; *S. Alphons.*, n. 12-50; *Lehmk.*, n. 240-256; *Ball. P.*, n. 514-669; *Noldin*, n. 275-285.

[6] *S. Thom.*, l. c., a. 1.

cie differunt quando versantur circa objecta formaliter diversa in esse moris; primaria enim moralitas desumitur ex objecto formaliter sumpto, ut dictum est supra, n. 114. (b) *Scotus* vero eam repetit ex *virtutibus diversis* quibus peccata opponuntur [1]; cum enim peccatum sit privatio, suam speciem desumit a formâ cui adversatur, seu a virtute. (c) Secundum *Vasquez* [2], peccata specifice differunt quatenus *præceptis moraliter diversis* opponuntur; cum enim peccatum sit transgressio legis, seu præcepti, speciem suam obtinet ex præcepto quod violatur.

488. (B) *Practice* vero tres istæ normæ simul componi possunt; verum est enim peccata specie diversa esse secundum diversa præcepta quæ violantur; sed præcepta ipsa generatim diversa sunt quia diversas virtutes respiciunt; virtutes autem diversæ non sunt nisi quia versantur circa objecta specifice distincta. Unde dici potest peccata *proxime* suam distinctionem specificam accipere a *præceptis*, aut *virtutibus* quibus opponuntur, *remote* vero ab *objectis moralibus* circa quæ versantur.

489. (C) Notandum est pariter multos fideles, theologicarum distinctionum ignaros, de variis speciebus peccatorum judicium ferre secundum prudentûm moralem æstimationem, hanc autem esse diversam secundum loca, tempora, moralem educationem, etc. Unde, in praxi, confessarii introspicere debent, in quantum possunt, subjectivas pœnitentium dispositiones, et de malitiâ peccatorum judicare secundum *cognitionem* et *advertentiam* quæ pœnitentibus inerat, et quidem eo ipso tempore quo peccabant. Si qui igitur nonnisi *in confuso* apprehenderunt diversas malitias in suis actionibus contentas, et *unum* solummodo peccatum agnoverunt in actu qui, stricte loquendo, *triplicem* malitiam specifice distinctam habebat, non sunt molestandi ut *distincte* accusent quod *obscure* perceperant; peccaverunt enim secundum gradum cognitionis ipsis proprium : nil volitum quin præcognitum.

490. 2° **Regulæ practicæ.** (A) Ut *specifice diversa* haberi debent peccata quæ **diversis opponuntur virtutibus;** ita

[1] *Scot.*, in 2. Sentent., dist. 37, q. 1, n. 9.
[2] Disput. in 1. 2æ S. Thom., disp. 98, c. 2.

infidelitas, desperatio, odium Dei sunt peccata specie diversa, quia tribus opponuntur virtutibus theologicis; item superstitio, quæ religioni adversatur, specifice distinguitur ab homicidio quod est contra justitiam. — Proinde, si unus idemque actus plures specie diversas virtutes lædit, plures specie diversas continet malitias; sic sacerdos adulterium cum consanguineâ conjugatâ perpetrans, quatuor peccata committit specifice diversa : contra castitatem, ut patet; contra religionem quia ligatur castitatis voto; contra justitiam, jus violat mariti, et contra pietatem, quia cum consanguineâ peccat.

(B) *Specifice diversa* sunt peccata *eidem virtuti* **contrario modo opposita,** v. g. *desperatio* et *præsumptio*, quæ eidem virtuti spei adversantur, sed *modo contrario*, prior videlicet per *defectum*, posterior per *excessum.*

(C) Specie pariter diversa sunt peccata eidem virtuti opposita, sed *modo moraliter diverso*, seu **diversis functionibus** ejusdem virtutis; ita detractio, furtum, homicidium specie differunt, licet eidem virtuti justitiæ opponantur, quia modo moraliter diverso jura proximi violant, jus scilicet ad famam, jus ad bona externa, jus ad vitam : hæc enim jura, secundum moralem omnium æstimationem, omnino diversa sunt.

491. N. B. Quando unus idemque actus variis legibus prohibetur, unam tantum malitiam habet, si præcepta hujusmodi ex eodem motivo lata sunt : ita est furtum, quod lege naturali, divinâ, canonicâ et civili prohibetur, propter *idem* motivum. Si vero præcepta ex *diverso* motivo lata sunt, unus idemque actus plures malitias specifice diversas in se continet; sic qui frangit jejunium ad quod tenebatur tum ex voto, tum ex præcepto Ecclesiæ, duplex peccatum committit.

II. De distinctione numericâ peccatorum.

492. Peccata *specifice* diversa eo ipso sunt *numerice* distincta. Sed quæstio est quandonam *in eâdem specie* peccata sint numero distincta. Nihil hâc de re ab Ecclesiâ definitum est; proindeque *ex morali prudentûm æstimatione*, attentis etiam *psychologicis* dispositionibus pœnitentis, quæstio dirimenda est. Quæ communius docentur ad duo principia revocari possunt; de tertio principio multum disputatur.

493. 1° **Principium 1um.** *Tot sunt peccata numerice distincta quot sunt actus voluntatis mali realiter distincti.* Dicitur *actus voluntatis*, quia peccatum est primario in voluntate; *realiter distincti*, quia si actus mali simul coadunantur ad aliquid *moraliter unum* efficiendum, unum est tantum peccatum, ut infra declarabitur, n. 494. Si vero actus voluntatis mali sunt vere et *realiter distincti*, unusquisque eorum suam habet malitiam et est vere peccatum. Ita qui *pluribus* actibus a distinctis personis furatur, tot furta committit quot diversos actus elicit; qui *tribus* actibus lædit famam trium personarum, triplex detractionis peccatum committit.

494. 2° **Principium 2um.** *Tot sunt peccata numerice distincta quot sunt actus moraliter interrupti.* Quoties enim actus moraliter interrumpuntur, singuli sunt completi, ideoque peccatum constituunt.

Actus autem interrumpuntur moraliter duplici modo : (a) per *retractationem*, sive *explicitam*, sive etiam *implicitam*, videlicet quando voluntas *deliberate* cessat ab actu sine proposito ad illum redeundi, aut convertitur ad aliquid cum eo incompossibile; (b) *per meram cessationem etiam involuntariam ab actu* (v. g. per somnum, aut per aliam occupationem), *ita diuturnam*, ut, judicio prudentûm, subsequens actus cum priore moraliter non coalescat.

Quo melius autem res intelligatur, principia variis generibus actuum applicare juvat, videlicet actibus *mere internis*, *internis exterius consummandis*, et *externis*.

Applicationes. (A) *Actus mere interni*, qui in ipsâ voluntate consummantur, quales sunt actus complacentiæ aut delectationis morosæ in pravis cogitationibus, toties multiplicantur quoties, *post retractationem* aut *diuturnam cessationem*, *innovantur*.

Ita qui voluntarie consentit delectationi malæ ex pravâ cogitatione ortæ, postea studio incumbit per longum tempus, deindeque ad malam delectationem voluntarie redit, duo peccata committit; idem dic de eo qui inimicum videns, interius ei mala imprecatur, postea ludit per notabile tempus, iterumque de inimico cogitans, eidem dira imprecatur. Si vero quis per horam in delectatione morosâ perseveret, ex eodem passionis impetu, quanquam per breve tempus de aliâ re cogitat, unum tantum peccatum committit, quia brevis interruptio non impedit quominus actus moraliter unus

censeatur. Attamen qui per integrum diem easdem pravas imaginationes revolvit, eisque post notabilem interruptionem, de novo consentit, plura peccata committit, cum actus peccaminosi per varias occupationes interrumpantur. Quo casu, difficile est numerum peccatorum accurate recensere; sed sufficit ut pœnitens dicat se per unam aut alteram diem frequenter consensum præbuisse his occurrentibus imaginationibus : ex hoc enim prudens confessarius, ratione habita omnium circumstantiarum, dijudicare poterit *quot circiter* peccata commissa fuerint, ut exponimus in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 157.

495. (B) *Actus interni eliciti cum intentione eos exterius consummandi*, videlicet *proposita* seu *desideria* aliquod malum faciendi, v. g. furandi, occidendi, toties multiplicantur quoties *post revocationem*, aut *valde diuturnam cessationem*, renovantur. Ad moralem interruptionem longius requiritur intervallum pro desideriis quam pro complacentiis in cogitationibus; nam desideria, eo ipso quod in actum externum tendunt, virtualiter durare censentur usquedum opus externe perficiatur, nisi tamen mora valde diuturna ponatur inter propositum ejusque executionem.

Quodnam vero intervallum ut *notabile* habeatur, nonnisi ex judicio prudentûm, pro diversitate actuum, determinari potest. Ita propositum legendi pravum librum qui præ manibus habetur, interrumpi censetur per intervallum plurium horarum aut saltem unius diei, dum propositum furandi aut vindictam sumendi per plures dies aut hebdomadas persistere potest, si videlicet tempus opportunum exspectetur ad propositum exsequendum : tunc enim omnes actus interni aliquid moraliter unum efformant, quia referuntur ad eumdem actum exterius exsequendum. Secus autem dicendum, si, quando sese præbuit occasio, agens hâc uti noluit, quia, per voluntariam cessationem ab iniquo proposito, prima volitio moraliter interrupta fuit.

496. (C) Actus externi toties *multiplicantur* quoties *iterantur* dummodo sint *completi et ab invicem independentes; non autem multiplicantur* si, tanquam actus *incompleti* vel *media, ordinantur ad unum actum principalem complendum.* Unde hi actus moraliter non interrumpuntur per solam cessationem, quamvis diuturnam, sed solum per retractationem explicitam aut implicitam.

(a) Plura igitur peccata facit qui decies sacrilege communicat, etsi intra breve tempus, — qui jejunium præscriptum per plures dies omittit, — qui inimicum pluries successive percutit, absque intentione eum occidendi, — aut ab eodem divite mille nummos

pluribus vicibus furatur, sine prævia intentione totam hanc summam furandi; hi enim sunt actus completi et independentes.

(b) Unum vero peccatum patrat qui inimicum occidere volens, actum vindictæ concipit, de mediis ad illum exsequendum cogitat, arma emit et parat, viam arripit, pluries perversam voluntatem occidendi innovat, vulneribus inimicum afficit, eumque tandem occidit; — qui mille nummos ab eâdem personâ surripere volens, centenis vicibus hanc intentionem renovat, variisque intervallis modo plus, modo minus aufert, donec summam compleverit; omnes enim hi actus in eumdem finem diriguntur et *unum* homicidium aut furtum constituunt. — Idem dicendum est de eo qui, *ex eodem iræ impetu*, plures blasphemias evomit, aut pluribus contumeliis eamdem personam afficit, quia hi actus *eodem passionis motu* moraliter uniuntur.

497. 3° **Controversia** *de distinctione peccatorum ex diversitate objectorum.* Quando uno eodemque actu attinguntur objecta numerice distincta, quæstio oritur utrum plura peccata committantur an unum tantum.

(A) Juxta *S. Alphonsum* (n. 45) multosque alios, *tot sunt peccata quot sunt objecta distincta*, etiamsi *uno actu* apprehendantur. Ratio est quia malitia peccati desumitur ex objecto formaliter sumpto, ideoque multiplicatur secundum diversa objecta vere distincta.

Plura igitur peccata committit qui sciens et volens uno ictu plures homines occidit, — uno actu pluribus malum imprecatur aut varias personas detrectat, — unico proposito præscriptum jejunium per plures dies vult omittere, — unicâ actione a pluribus surripit, nisi bona ejusdem sint communitatis, etc.

498. (B) *Suarez*, *Lugo*, *Laymann*, aliique[1] contendunt *unicum* actum qui ad plura objecta distincta refertur, dummodo non sint specifice diversa, et per modum unius a mente apprehendantur, *unum tantum peccatum* constituere.

Ita qui unicâ explosione plures homines vulnerat et occidit, quos in confuso tantum apprehendit per modum unius multitudinis, unum peccatum committit; secus, si singulos distincte apprehendit ac vult occidere. Qui uno sermone familiæ aut communitati detrahit, cujus membra per modum unius percipit, unum peccatum patrat; secus, si singula membra aut quædam ex eis distincte lædere velit. Qui uno actu decem homines odio habet, unum peccatum facit, quia sub confuso conceptu pluralitatis eos attingit. Qui uno desiderio tres mulieres concupiscit, semel peccat; si vero tres concupiscit sub diversâ ratione, liberam, conjugatam, monialem, tria peccata specie distincta patrat.

[1] *Suarez*, in 3 p. S. Thom., disp. XXII, sect. 5, n. 34; *Lugo*, De pœnitent., disp. XVI, n. 104 seq.; *Laymann*, l. I, tr. 3, c. 3, n. 2; *Noldin*. n. 284, 285.

Judicio nostro, dici potest in hoc casu *unum* esse peccatum, sed *specialem* præ se ferens malitiam, quæ in confessione declarari debet. Discrimen certo adest, *moraliter* loquendo, inter occisionem *unius* et occisionem *plurium;* unde si quis, unâ explosione, scienter et volenter plures occidit et vulneravit, non sufficit in confessione dicere : *semel homicidium patravi;* sed necesse est addere : *uno ictu plures occidi et alios vulneravi;* secus plane deciperetur confessor. Pariter si quis plures scandalizavit, id confiteri debet, nec satis est dicere : semel scandalum præbui. Quando numerus nonnisi *in confuso* apprehensus est, *in confuso* pariter accusari potest, etiamsi *postea* numerus eorum qui vulnerati vel scandalizati fuerunt accurate cognosceretur.

III. De peccatis internis.

499. **Status quæstionis.** Cum sæpe difficultates oriantur circa peccata *mere interna*, de his speciatim dicere expedit. Tria vero sunt interna peccata : *delectatio morosa*, *desiderium* et *gaudium*. (a) Delectatio morosa refertur ad opus malum per imaginationem exhibitum ut *præsens*. Quando videlicet imaginatio aliquid mali depingit, v. g. furtum, homicidium, turpem actum, et voluntas deliberate in eo delectatur, quin tamen concipiatur desiderium id exsequendi, habetur *delectatio mala;* et hæc dicitur *morosa*, quia voluntas in eâ sistit, seu *moratur*, licet forsan unico instanti. Ad peccatum enim non requiritur ut *diu* perseveret complacentia, sed sufficit ut consensus voluntarie præbeatur; unde delectatio *morosa* idem significat ac *voluntaria*.

(b) *Desiderium* ad rem *futuram* spectat : quando quis sibi depingit delectationem malam ut *futuram*, et *deliberate* vult eâ frui, habetur pravum desiderium.

(c) *Gaudium* vero est *complacentia libera de opere malo ut præterito*, et habetur quando quis sibi representat actum malum præteritum, simulque in eo deliberate sibi complacet. Huc etiam spectat *tristitia* de bono peracto, vel de malo non peracto, ut si quis dicat : doleo quod tunc temporis, quando se dabat occasio, inimicum non percussi.

De delectatione et gaudio eadem sunt principia, cum hoc tamen discrimine quod gaudium, utpote de re præteritâ *magis concretâ*, facilius induit malitiam circumstantiarum objecti in imaginatione depicti.

500. 1° De delectatione morosâ et gaudio. (A) Delectatio vel gaudium potest esse de *ipsâ re cogitatâ*, vel de *cognitione* hujus rei; ita medicus, audiens aliquem vulneratum fuisse, potest gaudere de ipso vulnere inflicto, quia, v. g., vulneratus est inimicus, vel gaudere ex eo quod *sciat* talem fuisse vulneratum, ut ipsi succurrere valeat. Gaudere de re malâ quatenus mala est, peccatum merito censetur; gaudere de *cognitione* hujus mali *per se* non peccatum, imo bonum esse potest, si ex honesto fine id fiat. Ita qui arti medicæ studet, ea discere debet quæ ad generationem spectant; si de *cognitione* acquisitâ *intellectualiter* delectetur, ut possit artem suam exercere, nullomodo peccat; si vero de his rebus deliberate cogitet ut *veneream* voluptatem inde percipiat, peccati reus est.

501. (B) *Delectatio morosa, seu voluntaria, vel gaudium de re malâ est peccatum ejusdem speciei et gravitatis ac opus malum per imaginationem repræsentatum.*

Etenim delectatio morosa vel gaudium suam moralitatem accipit ab objecto formaliter sumpto, sicut quilibet alius actus humanus (supra, n. 144). Si igitur res, de quâ deliberate cogitatur, mala est, delectatio exinde orta est peccatum; si delectatio circa furtum versatur circa furtum *leve*, peccatum est *veniale; mortale* autem, si agitur de furto *gravis* momenti.

Notandum est pariter delectationem malam assumere malitiam objecti, *quale* in imaginatione *pingitur;* ita delectatio de *furto rei sacræ* duplicem malitiam induit, dummodo circumstantia *rei sacræ* ab agente apprehendatur. Si vero imaginatio ideoque voluntas has circumstantias non apprehendit, *probabiliter* non contrahitur *specialis* malitia ex his circumstantiis orta; ita qui delectatur de furto rei sacræ, non quia sacra est, sed quia pretiosa, probabiliter solam incurrit malitiam furti, non autem sacrilegii.

502. (C) *Illicitum est delectari vel gaudere de re malâ propter effectum bonum exinde secutum; licitum est tamen per se loquendo, delectari de bono effectu ex re malâ secuto dummodo ipsa res mala sincere improbetur.*

Ratio prioris est quia non licet approbare malum, etiam propter finem bonum, ut exposuimus, n. 151. Unde merito

ab *Innocentio XI* damnatæ sunt propositiones 13ª et 15ª quæ directe spectant ad *gaudium* de malo præterito, et indirecte ad *delectationem* de præsenti : " Si cum debitâ moderatione facias, potes absque peccato mortali de vitâ alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere... non quidem ex displicentiâ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. — Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas [1] ".

Ratio posterioris est quia delectatio non fertur in objectum malum, quod improbatur, sed in effectum bonum. — Dicitur tamen *per se loquendo*, quia in praxi qui voluntarie delectatur de effectu bono, haud raro exponitur periculo consentiendi in ipsum objectum malum; hinc istud sincere improbare non negligat.

503. (D) Delectari vel gaudere *non de opere malo*, sed *de modo ingenioso quo perficitur*, aut *de modo lepido quo narratur*, *per se culpâ vacat*, etsi haud raro sit periculosum. Voluntas enim in hoc casu fertur in aliquid bonum aut indifferens, non autem in objectum malum; sed, cum facilis sit transitus de *modo* ad *rem*, præsertim in materiâ castitatis, talis delectatio periculo non vacat.

Ita delectari de modo artificioso quo quis furtum perficit, de modo ridiculo quo mulieres inter se rixantur, de picturis maximâ arte factis, licet immodestis, de lepidâ narratione rerum minus pudicarum, *per se* non est peccatum, sed facile ad peccatum ducit.

504. 2° **De desideriis pravis.** Desiderium dicitur *efficax*, seu *propositum*, quando quis *absolute* intendit rem malam exsequi; *inefficax* vero, si *conditionate* tantum, v. g. si *possem*, si *liceret*.

(A) *Desiderium absolutum rei vel actionis malæ est peccatum ejusdem speciei et malitiæ ac externus actus in quem fertur.* Etenim malitia actûs, ejusque gravitas et species desumitur ex objecto in quod tendit. Unde Christus dixit [2] : " Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo ". — Desiderium igitur omnes malitias includit quæ in ipso objecto reperiun-

[1] *Denzing.*, nn. 1030, 1032; *Viva*, in h. proposit. — [2] *Matth.*, V, 28.

tur, dummodo implicite saltem apprehendantur; facilius autem apprehenduntur in casu *desiderii* quam in casu *simplicis delectationis;* qui enim exoptat aliquam rem, generatim in eam fertur qualis est, — dum qui delectatur de re cogitatâ, haud raro abstrahit a quibusdam ejus dotibus.

505. (B) *Desiderium conditionatum per se peccatum non est, si conditio vere malitiam aufert; secus, peccatum est.*

Ad quod intelligendum, distinguendum est inter ea quæ *extrinsece* et ea quæ *intrinsece* mala sunt.

(a) In iis quæ sunt *extrinsece mala*, conditio apposita "*si liceret*" tollit peccatum, quia tollit malitiam objecti; v. g. hodie carnes comederem, si non prohiberetur ab Ecclesiâ; nuberem, si voto castitatis non essem ligatus. — Sæpe tamen hujusmodi desideria non solum otiosa, sed *periculosa* sunt, quia facilis est transitus de desiderio conditionato ad absolutum.

(b) In omnibus *intrinsece et absolute malis*, conditio apposita non tollit peccatum, quia ab his actibus malitia sejungi nequit; peccant igitur qui dicunt : *vellem blasphemare, furari, turpiter agere, pejerare, si liceret.*

(c) *A fortiori* non excusat a peccato conditio quæ ad liceitatem non spectat, v. g. furtum committerem, si clam fieri posset, blasphemarem si infernus non esset.

506. Notandum est tamen aliquando desiderium *inefficax* rei malæ non esse peccatum, aut saltem non esse grave, quia non est deliberatum, sed solum manifestatio naturalis cujusdam propensionis, quâ sensitivus appetitus in malum fertur, quin voluntas eidem consensum, saltem plenum, præbeat. Ita nonnulli ad vindictam, iram aut voluptatem proni, dicunt se libenter his vitiis indulgere velle, nisi esset infernus; sed, quia credunt infernum esse, ista desideria compescunt. — Quidquid sit, cogitationes et desideria, etiam conditionata, de rebus malis, quamprimum atque strenue expellere necesse est, ne forte voluntas his vanis ac periculosis phantasmatibus illecta, mox consensum præbeat.

CONCLUSIO HUJUS ARTICULI :
DE PECCATO MATERIALI [1].

507. Peccatum *materiale* est transgressio legis *involuntaria*, ideoque agenti *non imputabilis ad culpam.*

1° Jamvero multa committi hujusmodi peccata, inferre licet ex dictis sive in hoc Tractatu sive in præviis Tractati-

[1] Cfr. *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXI (1899) 1105-1109; 1169-1175; t. XXII (1900) 49-55; 113-117.

bus. Insuper non pauca peccata quæ *objective* gravia sunt, fiunt venialia propter psychologicas agentium dispositiones.

Præcipuæ *causæ*, tollentes aut minuentes objectivam malitiam peccati, sunt (A) ex parte *intellectûs :* (a) ignorantia legis, ejusve vis obligandi, aut saltem gravitatis præcepti : tot sunt enim leges quæ a fidelibus penitus ignorantur, vel quarum vis, aut amplitudo vel gravitasplus minusve mentem eorum fugit, in iis præsertim locis ubi multi nonnisi raro sacras conciones audiunt, vel ubi sacri oratores nonnisi modo vago et confuso, absque logicâ connexione, christianam ethicam exponunt ! (b) Defectus *advertentiæ* seu deliberationis : quam multi parum cogitant, antequam agant, ideoque non prævident mala ex ipsorum actionibus secutura ? Alii mente distracti, terrenisque rebus toti inhærentes, parum advertunt ad gravem malitiam certorum actuum, aut facile *omittunt* officia *per se* gravia, v. g. auditionem missæ quibusdam festis diebus, vel jejunium, etc. (supra, n. 89-98).

(B) Ex parte *voluntatis :* (a) vehementes passionum impetus, et propensiones quibus vix resisti potest, habitus vitiosi sive innati sive acquisiti, status quidam pathologici, qui vires voluntatis multum extenuant (supra, n. 99-135); (b) causæ externæ, violentia, metus injuste incussus (supra, n. 105 et 112), mundi illecebræ (441), aliaque hujusmodi.

508. 2° Quibus positis, ad judicandum de numero, specificâ malitiâ et gravitate peccatorum quæ in sacro tribunali accusantur, confessarius non solum præ mente habere debet regulas superius traditas (n. 472-498), sed etiam ad *psychologicas cujuslibet pœnitentis* dispositiones sedulo attendere. Has autem melius cognoscet, si pœnitentes *benigne* excipiat, etiam et præsertim eos qui multis gravibusque peccatis sunt onerati; si verbis caritate et misericordiâ plenis eos alloquatur et interroget.

(A) Quoad *præterita*, facile admittet omnes causas quæ sive a *toto* sive a *tanto* peccatores excusant. Sane *judex* est pro tribunali sedens, ideoque æquum ferre judicium debet, in quantum sinit humana infirmitas; sed, si res dubia sit, in benigniorem partem propendere juvat, cum pœnitentes a peccato efficacius deterreantur benignitatis quam severitatis excessu.

509. (B) Quoad *futura* vero : (a) confessarius non negligat eos instruere qui per ignorantiam peccaverunt, non prætermittendo tamen *prudentiæ* regulas. Peccatum enim *materiale*, etiamsi non imputetur ad culpam, vera est *deordinatio*,

ut supra monuimus, n. 356, sæpe scandalum præbet, bonis moribus societatis nocet, et aliquando periculum formaliter peccandi inducit. Quare confessarius istud extirpare, in quantum fieri potest, conabitur, paulatim et prudenter *instruendo* pœnitentes; quod quidem præstare debet, etiamsi prævideat eos quædam peccata formalia exinde commissuros, dummodo serio exspectari possit eorum futura emendatio. Non expedit tamen *omnia* officia ipsis ignota *simul* exponere, sed solum successive, prout se dabit opportunitas, et attentis etiam eorum viribus ac dispositionibus. — In privatis colloquiis, necnon in publicis concionibus, sed præsertim in sacro tribunali possunt pariter ac debent instrui.

(b) Si qui vero, ob voluntatis infirmitatem, gravesque tentationes, paulatim conscientiam laxam sibi efformaverint, doceantur quomodo fortes in Domino effici valeant, ea exponendo quæ tradidimus de voluntatis et conscientiæ educatione, nn. 136, 422, necnon de remediis conscientiæ laxæ, n. 358. His aliisque similibus mediis præcavebuntur multa peccata materialia, atque bonum pœnitentium totiusque societatis christianæ promovebitur.

Art. II. De vitiis seu peccatis capitalibus[1].

I. Notio et partitio vitiorum capitalium.

510. 1° Sæpe ad peccata inclinantur homines per habitus vitiosos, sive *innatos* sive *acquisitos*. (a) Adsunt siquidem in homine propensiones ad malum, quæ dimanant ex ejus *naturâ* : cum enim componatur ex animâ et corpore, tendit non solum ad bonum spirituale, sed etiam ad bonum *sensibile*, aliquando contra ordinem rationis, saltem in statu præsenti naturæ lapsæ, ut dictum est *de Deo Creante*, n. 171 et 198. Præterea, etiam quando bonum *spirituale* prosequitur, haud raro inordinate propriam excellentiam appetit, contra divinam voluntatem, quia naturaliter ejus ratio vult

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 84, a. 2-3; Quæst. disp., de Malo, q. 8-15; *Natalis Alexander*, De peccatis (*Migne*, Theol. Curs., XI, 707-1168); *Pruner*, Théol. Mor., trad. Bélet, Paris, 1880, t. I, p. 336-352; *Ball. P.* n. 697-744; *Alibert*, Physiologie des Passions, 2e éd., Paris, 1827; *Noldin*, n. 301-312; *Descuret*, La Médecine des Passions, Paris, 1860; *Paulhan*, Les Caractères, Paris, Alcan, 1902.

autonoma esse. — Aliquando etiam istæ propensiones *hæreditate* firmantur et augentur, supra, n. 116-119. (b) Eædem *educatione* et *repetitis actibus* multum crescunt, ut dictum est supra, n. 108 et 123.

Jamvero illæ propensiones ad peccatum nos sollicitant, ideoque sunt veluti fontes et *capita*, ex quibus multa oriuntur peccata; hinc vocantur *capitalia peccata*, non quidem eo sensu quod actus ex iis procedentes sunt semper graviter peccaminosi, sed quia hujusmodi propensiones sunt quasi *capita* multorum delictorum. Melius tamen dicerentur *vitia capitalia*, quia plerumque non considerantur ut actus peccaminosi, sed ut inclinationes ad peccandum.

511. 2° *Septem* communiter recensentur peccata seu vitia capitalia, post *S. Gregorium* et *S. Thomam.*

(A) Prior, vitia describens, tradit eorum *radicem* esse *superbiam*, ex quâ septem proferuntur principalia, quæ et ipsa in multa alia dividuntur[1] : —

"Radix quippe cuncti mali *superbia* est, de quâ, Scripturâ attestante, dicitur : initium omnis peccati est superbia[2]. Primæ autem ejus soboles, *septem* nimirum *principalia vitia*, de hâc virulentâ radice proferuntur, scilicet *inanis gloria*, *invidia*, *ira*, *tristitia*, *avaritia*, *ventris ingluties*, *luxuria*." — Singula autem vitia suum habent exercitum : "Nam de *inani gloriâ* inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur. De *invidiâ* odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur." Et ita cuique vitio capitali assignat quædam vitia minus principalia. — Postea vero eorum *genesim* et inter se *connexionem* ita describit : "Prima namque superbiæ soboles *inanis* est *gloria*, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox *invidiam* gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. Invidia quoque *iram* generat, quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur; et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex irâ quoque *tristitia* oritur, quia turbata mens quo se inordinate concutit, eo addicendo confundit... Tristitia quoque ad *avaritiam* derivatur, quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat foris quærit; et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet ad quod

[1] *S. Greg.*, Moral. lib. XXXI, c. 45, P. L., LXXVI, 620-622.
[2] *Eccli.*, X, 15

intrinsecus recurrat. Post hæc vero duo carnalia vitia, id est *ventris ingluties* et *luxuria* supersunt."

512. (B) *S. Thomas* theoriam S. Gregorii expolivit[1]. Capitalia vocat ea peccata quæ sunt non solum *principia* aliorum, sed etiam *directiva* et quodammodo *ductiva* eorum. Convenienter autem septem numerantur vitia capitalia. Voluntas enim *inordinate prosequitur* bonum aut *refugit* malum. (a) Quatenus inordinate appetit bonum *animæ*, videlicet *excellentiam laudis* vel honoris, dicitur *inanis gloria*[2]; inordinate prosequendo bonum *corporis*, vocatur *gula* aut *luxuria;* quærendo bona *externa*, contra ordinem rationis, *avaritia* nominatur. (b) Inordinate etiam refugit quædam mala : quandoque *tristatur* de bono alieno, in quantum est impeditivum propriæ excellentiæ, et hæc est *invidia;* si de eodem tristatur cum violento appetitu *vindictæ*, exardescit *ira;* quando refugit *laborem*, bono spirituali adjunctum, exoritur *acedia*, seu pigritia[3].

Hæc autem vitia capitalia *proxime* e triplici *concupiscentiâ* originem sumunt, et *remote* ex inordinato *suiipsius amore*. Unde a quibusdam dicitur *unum* esse vitiorum *principium*, videlicet inordinatum *sui amorem*, — *triplex fomentum*, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, — *septiforme caput*, septem namque vitia capitalia.

513. Hæc divisio non est quidem *adæquata*, nec *membris opposita*, sed *præcipuas* tamen pravas propensiones amplectitur, ad quas ceteræ facile reducuntur. Eam proinde sequemur, agentes primum de *superbiâ*, necnon de *invidiâ* et *irâ*, quæ magis directe e superbiâ dimanant; postea de *gulâ* et *ebrietate*, quæ bona sensibilia corporis prosequuntur; dein de *avaritiâ*, quæ bona externa appetit; tandem de *pigritiâ*, quæ laboris difficultatem horrescit. De *luxuriâ* in speciali *Tr. de Castitate* sermo erit.



[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 84, a. 3-4.

[2] S. Doctor *inanem gloriam* recenset inter peccata capitalia; *superbiam* vero declarat esse *initium* omnis peccati, ideoque fontem peccatorum capitalium, dum *avaritia* est *radix* omnium malorum ex parte exsecutionis (q. 84, a. 2).

[3] De aliis partitionibus peccatorum capitalium, quas exposuerunt *Cassianus* et *S. Joannes Climacus*, vide *Mangenot*, Dict. de Théol., t. II, p. 1689-1690.

II. De superbiâ[1].

514. 1° Superbia describitur. Superbia est *inordinatus propriæ excellentiæ appetitus.* Seipsum diligere, de seipso bonam existimationem habere secundum justitiam et veritatem, ideoque propriam excellentiam appetere modo rationi consentaneo, non est quidem peccatum.

Sed quadruplici præsertim modo hanc excellentiam *inordinate* quærimus : (a) cum quis *a semetipso* habere existimat quod *a Deo* habet, aut saltem ita agit quasi id existimaret; jamvero, teste Apostolo, quidquid in ordine naturali aut supernaturali nobis inest, a Deo procedit, Deoque *primario* tribui debet[2] : " Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? " (b) Quando quis putat se hæc bona accepisse a Deo, sed ex *propriis meritis tantum;* quod quidem pariter falsum est; nam multa accipimus quæ nullomodo meremur, et ipsa merita, quamvis vere nostra, Deo magis quam nobis tribuenda sunt, cum esse, facultates, merendi facultatem, et divinum auxilium, ad merendum necessarium, nonnisi a Domino habeamus. Quare de donis *supernaturalibus* scribebat *Paulus*[3] : " *Gratiâ* enim estis salvati per fidem; et *hoc non ex vobis : Dei enim donum est; non ex operibus*, ut ne quis glorietur. *Ipsius enim sumus factura, creati* in Christo Jesu, in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. " Idem dici potest de bonis *naturalibus*, quæ merita nostra multum excedunt. (c) Cum quis *jactat* se habere *quod non habet*, aut saltem *majus bonum* quam habet; haud raro enim nostras dotes, ex inordinato vanæ gloriæ desiderio aut pro-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 162 et 132; de Malo, q. 8-9: *Nat. Alexander*, op cit., 728-818; *Bossuet*, Tr. de la Concupiscence, c. 10-23; *id.*, Sermon sur l'Ambition; *Bourdaloue*, Carême, Serm. pour le mercredi de la 2e sem.; *Alibert*, op. cit., t. I, p. 23-57; *Descuret*, op. cit., t. II, p. 191-240; *Paulhan*, Les Caractères, p. 167, aliique allegati n. 120; necnon *Formation à l'Humilité*, Paris, 1902. p. 33-55; *Thomas*, L'Education des sentiments, Paris, Alcan, 1904, p. 113-124, p. 113-123 et 133-148.

[2] *I Cor.*, IV, 7. — Si superbus vere *crederet* hæc omnia *a seipso* habere, hæreticus esset; plerumque tamen id non putat, sed ita practice se habet quasi hæc dona non essent a Deo.

[3] *Ephes.*, II, 8-10.

priâ deceptione, extra modum amplificamus. Quod quidem reprobat *Joannes*[1] : "Quia dicis quod dives sum, et locupletatus et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus." (d) Quando quis, propriæ excellentiæ conscius, alios exinde *contemnit*, et vult *singulariter videri et æstimari;* ita pharisæus, gratias agens Deo quod non erat peccator, sicut ceteri homines, publicanum despiciebat; sed Christus hanc agendi rationem sic redarguit[2] : "Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur."

515. 2° **Filiæ superbiæ recensentur.** Superbia, modo *generali*, *mater* omnium vitiorum dicitur; quod quidem verum est, si sumatur sensu *lato*, quatenus est *sui ipsius amor;* si vero sensu *stricto* superius exposito intelligatur, quædam vitia magis immediate ex eâ procedunt, ejusque filiæ sensu *speciali* vocantur, videlicet *ambitio*, *præsumptio*, *vana gloria*.

(A) *Ambitio*, quæ est *inordinatus appetitus honoris indebiti*, vel debito *majoris*, — aut honoris debiti, sed *modo mediisve indebitis*. — Quo vitio laborabant scribæ et pharisæi, de quibus Christus dicebat[3] : "Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus *rabbi*". Huic tentationi obnoxius esse voluit Dominus, dum diabolus eum tulit in montem excelsum, ostenditque ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, dicens : "Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me[4]". — Nec desunt hodie qui diabolo et mundo serviunt, ut honores dignitatesque assequi valeant; in ipso ordine sacerdotali, sunt nonnulli, teste *S. Gregorio*[5], qui "videri doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, atque, attestante Veritate, primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in conventibus cathedras quærunt." Quos sane Magister his verbis redarguit[6] : "Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis."

(B) *Præsumptio*, quæ *opera aggreditur vires excedentia*. Ita non pauci dignitates et munera appetunt, ad quæ exercenda imperiti

[1] *Apoc.*, III, 17. — [2] *Luc.*, XVIII, 14.
[3] *Matt.*, XXIII, 6-7. — [4] *Matt.* IV, 9.
[5] *S. Greg.*, Pastoral., p. I, c. 1, P. L., LXXVII, 14.
[6] *Matt.*, XX, 25-28.

THE INSTITUTE OF

sunt, magno cum proprio aliorumque detrimento; alii, de propriis viribus nimium præsumentes, imprudenter sese in pericula projiciunt, ibique frequenter peccant.

516. (C) *Vana gloria*, quæ est *inordinatus appetitus manifestandi propriam excellentiam*, et *captandi æstimationem laudesque hominum*[1]. Multi sunt enim qui de æstimatione proximi magis curant quam de ipsâ virtutum praxi : placere volunt, ideoque dotes veras aut commentitias, corporis aut animi, naturales aut supernaturales, vanâ cum ostentatione aliis exhibent.

Sunt qui de generis nobilitate aut magnatum favore gloriantur; alii quod splendide vestiuntur, aut nobili equo insident; at quis non videt quanta hæc sit fatuitas : si quæ enim hâc in re sit gloria, proavis, magnatibus, sartori aut equo tribuenda est. " Alii, *ait S. Franciscus Salesius*[2], ob unciam unam scientiæ honorari et coli ab omnibus volunt, tanquam si omnes eos ceu oraculum consulere, semper ab iis discere, et ipsos ceu magistros habere deberent : hinc non immerito *pædagogi* vocantur. Alii se jactant ac venditant, dum suam considerant pulchritudinem, putantque se ab omnibus propter eam coli et amari. Omnia hæc valde sunt vana, stolida, impertinentia; et quæ a rebus adeo inanibus mutuatur gloria, vana, stulta et frivola appellatur. " Illos vero qui de bonis operibus laudari volunt sic reprehendit Christus :[3] " Attendite ne justitiam vestram faciatis *coram hominibus, ut videamini ab eis;* alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. "

Inter *filias* inanis gloriæ, quæ septem recensentur[4], tres eminent : (a) *jactantia*, quâ propria excellentia *verbis* inordinate manifestatur; (b) *ostentatio*, quâ per facta aliave externa signa, æstimatio hominum quæritur; (c) *hypocrisis*, quæ, per *simulatas* virtutes aut dotes, gloriam appetit.

517. 3° **Superbiæ malitia.** Quæ malitia spectari potest *in se* et in suis *consectariis*. (A) *De gravitate hujus peccati in se spectati.* (a) Quando superbia *completa* est, videlicet quando quis ita aliis excellere appetit ut neque Deo neque legitimis superioribus subesse velit, peccatum est *mortale* ex genere suo, et quidem *gravissimum :* tunc enim a Deo

[1] *Superbia* proinde ab *inani gloriâ* distinguitur in eo quod hæc *famam* seu *aliorum æstimationem* quærit, dum superbia in *propriâ excellentiâ* complacet. Hæc duo tamen sæpe unita in eodem homine inveniuntur : in quibusdam tamen prævalet superbia, in aliis vanitas. Cfr. *Thomas*, L'Education des sentiments, Paris, Alcan, 1904, ch. 14.

[2] Introd. à la Vie dévote, IIIe p., c. 4; cfr. c. 5-7.

[3] *Matt.* VI, 1; cfr. 2-9. — [4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 132, a. 5.

sese avertit, non propter ignorantiam aut infirmitatem, vel propter desiderium cujuscumque alterius boni, sed quia non vult Deo et ejus supremo dominio subjici [1]. — Hoc tamen superbiæ genus raro admodum occurrit.

(b) Superbia *incompleta*, quâ quis, salvâ subjectione Deo et superioribus debitâ, se pluris facit ac vult ab aliis pluris æstimari quam par est, *per se* peccatum veniale non excedit, quia gravem deordinationem non importat. *Per accidens* autem grave peccatum fieri potest, si gravem injuriam proximo infert, vel ad alia peccata gravia inducit, v. g. si ex læsâ superbiâ gravis excitatur ira, aut vindictæ appetitus.

518. (B) *De pravis consectariis superbiæ.* (a) Notant Patres superbiam fuisse initium omnis peccati, per eam angelos fuisse e cœlo projectos, et homines e paradiso eliminatos; addunt nullum esse malum quod conferri possit cum superbiâ, propter effectus pravos quos producit : " Hominem efficit dæmonem contumeliosum, blasphemum, perjurum, facit ut appetantur cædes. Superbus semper vivit in doloribus et molestis, semper irascitur, semper est tristis [2]". Siquidem, teste *Gregorio*, [3] radix est omnium vitiorum : " Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt quibus ipsa destruuntur... superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis exstinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illâ invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur."

(b) Animadvertunt insuper superbiam esse maximum malum ex eo quod, teste Scripturâ, Deus superbis resistit [4] : " Scriptura ait : *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vide, frater, quale malum sit, quod adversarium habet Deum. Ob quod in Evangelio et pharisæus arrogans spernitur, et humilis publicanus auditur." Revera Deus, qui tam profuse sua bona nobis largitus est, gloriam suam alteri dare non vult [5], ideoque superbis resistit qui sibi retinent gloriam quæ soli Deo competit; eos privatione gratiæ aliisque pœnis affligit : " Dies Domini super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur [6]".

519. 4° **Remedia contra superbiam.** Cum inter homines, etiam simplices et rusticos, multi sint qui superbiæ

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 162, a. 5-6.
[2] *S. Chrysost.*, in ep. II ad Thessal., cap. I, homil. I, n. 2, P. G. 471.
[3] *S. Gregor.*, Moral., lib. XXXIV, c. 33, n. 48, P. L., LXXVI, 744.
[4] *S. Hieronymus*, ep. 12 ad Anton., n. 26, P. L., XXII, 346.
[5] *Isa.*, XLII, 8. — [6] *Isa.*, II, 12.

indulgeant [1], pauca de mediis eam evellendi, dicere juvat. (A) Ad coercendos superbiæ motus, multum sane prodest *suiipsius intima et sincera cognitio;* qui enim præterita peccata recogitat, propriasque infirmitates aut morales defectus attente considerat, simulque agnoscit dotes, quibus præfulget, a Deo esse [2], — super alios sese extollere rationabiliter non potest. Quod quidem eo efficacius est quo simul benignius aliorum virtutes dotesque consideramus, eorum vitia caritatis velo tegentes. Cum enim proni simus ad proprias virtutes amplificandas vitiaque dissimulanda, necesse est ut, sepositis hujusmodi præjudiciis, ad ea quæ alii recte agunt vel dicunt attendamus : tunc alios nobis meliores esse sæpe deprehendemus.

520. (B) Sedulo pariter consideranda est *vanitas* eorum quibus gloriari solemus. Quâ de re audiatur *Chrysostomus* [3] : "Robustus es ac superbis? Inde potius deprimi debueras... Etenim et leo te audacior est, et sus robustior... et latrones et sepulcrorum effossores et gladiatores et famuli tui, fortasse vero et qui inter ipsos hebetiores sunt, te robore et viribus superant... At pulcher es et formosus? Cornicum hæc gloriatio est; non es pavone pulchrior... At divitiis abundas? Unde? Quibus rebus abundas? Auro, argento, lapillis pretiosis? Hæc et latronum gloriatio est." Et ita percurrit varia bona de quibus jactant homines, ostenditque quam insulsum sit his gloriari. Præterea, homo *mortalis* est; et in sepulchro quis discernit servum a domino, pauperem a divite, victum a rege, pulchrum a deformi?

Qui igitur humanæ gloriæ sunt cupidi, altius mentem erigant, æternamque ambiant gloriam. Qui propriam excellentiam quærunt, non in caducis dotibus, sed in virtute, quæ perennis est et vere excellit, eam prosequantur, secundum ea quæ sapienter scribebat Apostolus [4] : "Qui autem gloriatur, in Domino glorietur... Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi".

521. (C) Præsertim vero *contemplare* juvat *humilitatem Christi*, qui, "cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,

---

[1] *Bossuet*, Tr. de la Concup., ch. 16-18.

[2] "Absit tamen ut christianus homo in se ipso confidat, vel glorietur, et non in Domino; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona". (*Trident.*, sess. VI, c. 16.)

[3] *S. Chrysost.*, in ep. ad Philip., c. 2, hom. 7, n. 5, P. G., LXII, 236.

[4] *II Cor.*, X, 17; XII, 9.

in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis[1]". Et sane, infans cum esset, in præsepi jacuit; in domo fuit fabri et matris pauperis, utrique subditus[2]. Initio vitæ publicæ, a Joanne baptismum pœnitentiæ accipit, a diabolo tentatur, insurgentibus in se non resistit, neque potestatem divinam, quâ præditus erat, adversus inimicos exercebat. In passione, injustis aggressoribus quasi potentioribus se tradebat, sistebatur pontificibus injuste ipsum accusantibus, ad præsidem ducebatur, et, cum potuisset falsos testes redarguere, silentio ferebat calumnias; conspuebatur a servis, flagellabatur, spineâ coronâ ignominiose coronabatur, morti turpissimæ tradebatur injuste. Merito igitur ad humilitatem nos allicit : "Discite a me quia mitis sum et humilis corde[3]"; merito *S. Hieronymus* addit[4] : "Nihil habeas humilitate præstantius, nihilque amabilius. Hæc est enim præcipua conservatrix, et quasi custos quædam virtutum omnium; nihilque est quod nos ita et hominibus gratos et Deo faciat, quam si *vitæ merito magni, humilitate infimi sumus.*"

III. De invidiâ[5].

522. 1° **Invidiæ notio.** Invidia, quæ dicitur etiam *livor*, *zelus*, *zelotypia*, ex superbiâ oritur : cum enim quis inordinate propriam excellentiam appetit, facile de bono alterius tristatur quatenus concipitur ut propriæ excellentiæ diminutivum, ac consequenter ut malum nostrum. Invidia siquidem est *tristitia de bono alterius in quantum concipimus nostram excellentiam exinde minui.*

Proinde si quis dolet de bono alterius, quia hunc hujusmodi bono indignum putat, non est invidia, sed *indignatio.* — Pariter si tristamur de alterius elevatione, quia aliquod

---

[1] *Phil.*, II, 6-8. Quo argumento utitur Apostolus ad urgendam humilitatis necessitatem : "Cum metu et tremore vestram salutem operamini." (II, 12.)

[2] De quo exclamat *Bossuet*, Elévat. sur les Mystères, 20e Sem., 8 : "O Dieu, je suis saisi encore un coup. Orgueil, viens crever à ce spectacle : Jésus, fils d'un charpentier, charpentier lui-même, connu par cet exercice, sans qu'on parle d'aucun autre emploi, ni d'aucune autre action !" — Cfr. 24e Sem., 1, ubi agit de humilitate J. Baptistæ.

[3] *Matt.*, XI, 29. — De *humilitate* infra dicemus, n. 1079.

[4] *S. Hieronym.*, ep. ad Celant., 148, n. 20, P. L., XXII, 1213.

[5] *S. Cyprianus*, De zelo et livore, P. L., IV, 637-652; *S. Gregorius*, Moral., lib. V, c. 46 (alias 31), P. L., LXXV, 727-730; *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 36, et De Malo, q. 10; *Natal. Alexander*, op. cit., 1027-1081; *Alibert*, op. cit., t. I, p. 331-340; *Descuret*, t. II, p. 241-274.

malum exinde nobis imminet, non invidiæ, sed *timoris* effectus est. — Dolere de bono proximi, quia hoc caremus volumusque honestis mediis idem aut aliquid simile assequi, non est invidia, sed *æmulatio :* cavendum est tamen ne proximum velis eo spoliare.

Plerumque invidia inter *æquales* aut *fere æquales* reperiri solet : quando enim agitur de iis qui multum excellunt, minus timendum est ne eorum gloria nostram excellentiam minuat. — Haud raro etiam in viris perfectis hujus vitii semen atque primos motus invenire est. Oritur plerumque ex illis bonis quæ honorifica censentur, qualia sunt dignitates, magistratus, titulorum insignia, divitiæ, pulchritudo, ornatus, celebritas nominis, eloquentia, eruditio, amicitiæ, pietas, virtutes, etc.

523. 2° **Invidiæ filiæ.** Quinque numerantur, videlicet *susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis, odium.*

Cum enim invidus de bono proximi doleat, mox cupit ut hic eodem privetur. Hinc illud minuere conatur vel penitus destruere, puta, male de proximo loquendo, sive occulte per *susurrationem*, sive magis aperte per *detractionem;* si finem intentum assequitur, *exsultat* in adversis alterius, secus in ejus prosperis *affligitur;* porro hæc omnia, quando diu perdurant, *odium* generant [1].

524. 3° **Malitia invidiæ.** (A) *Invidia proprie dicta est peccatum ex genere suo mortale*, quia directe opponitur caritati quæ per se sub gravi obligat; est enim de ratione amicitiæ ut proximo velimus bona, sicut et nobis ipsis; porro invidus e contra vult proximo malum, cum tristetur de bono quod hic possidet.

Sed, ut invidia sit peccatum grave, duo requiruntur : (a) ut bonum proximi, ad quod refertur, sit, omnibus sedulo perpensis, gravis momenti; unde quo majus est hujusmodi bonum, eo gravius est peccatum. Hinc *S. Thomas* ait [2] : "Est tamen invidia quæ inter gravissima peccata computatur, scilicet invidentia fraternæ gratiæ, secundum quod aliquis dolet de ipso augmento gratiæ Dei." Cui affinis est invidia eorum qui tristantur de bono spirituali ab aliis prædicatoribus, confessariis, parochis peracto. (b) Ut invidus

[1] De *susurratione* et *detractione* fusius agitur in *Tr. de Virtute Justitiæ*, n. 374-396; de aliis dicitur ubi de *Caritate*

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 36, a. 4, ad 2.

deliberate et *serio* velit proximum hoc bono carere; ex hoc capite, multi invidiæ motus veniale non excedunt, quia sunt imperfecte deliberati, aut plenum voluntatis consensum non obtinent.

525. (B) *Invidia est etiam grave peccatum, quoties nos inducit ad grave damnum proximo inferendum;* malitia enim alicujus actûs non solum ex ejus naturâ, sed etiam ex effectibus dimetienda est.

Jamvero, teste *S. Cypriano*[1], multa sunt mala ex hoc vitio orta : "Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde *odium* surgit, animositas inde procedit. *Avaritiam* zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. *Ambitionem* zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur ... Hinc *dominicæ pacis vinculum rumpitur*, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, *unitas scinditur*, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum". Raro sane hæc omnia simul ex invidiâ nascuntur, sed sæpe caritas fraterna læditur, — unio, inter catholicos hodie tam necessaria, abrumpitur, — legitimis superioribus obedientia aut detractatur aut saltem nonnisi ægre præstatur : et hæc satis superque!

526. 4° **Remedia contra invidiam.** (A) Frequenter præ mente haberi debet *societas illa spiritualis*, quæ inter fideles viget; omnes siquidem ejusdem Patris cœlestis filii, omnes in Christo fratres, ejusdem Ecclesiæ cives, in eamdem hæreditatem æternam vocati, unum corpus efficimus, cujus Christus est caput[2]. Quare *alterius* bona quisque *sua* existimare debet, ideoque de proximi dotibus, bonis operibus atque profectu gaudere, quasi his omnibus ipse frueretur : quod enim uni membro corporis, ceteris etiam prodest. Ita sentiebat *Paulus* dum, quibusdam prædicantibus, non ex caritate, sed propter invidiam et contentionem, ut pressuram suscitarent vinculis ipsius, sincere tamen scribebat[3] : "Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo." — Et sane, dum invidi

[1] *S. Cyprianus*, op. cit., P. L., IV, 642.

[2] "Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi et membra de membro". (*I Cor.*, XII, 26-27). Integrum legatur caput.

[3] *Philip.*, I, 18.

zelotypiâ tabescunt, mente turbantur et accenduntur, et inclusum vulnus in pectore gerunt, ob alienam felicitatem; ex adverso pace et gaudio fruuntur qui tanquam sua existimant aliorum bona.

527. (B) Qui invidiæ motibus obnoxios se esse noverunt, illud vitium in *nobilem æmulationem* vertant[1]. Imprimis quidem res caducas, ut opes, honores, corporis robur et elegantiam, imo scientiam et eloquentiam non tanti faciant quanti pietatem ac virtutes : cur enim ob fragilia perituraque proximo invidemus? Quoad *virtutes* vero alienas, eas imitari virili conatu nitamur : "Consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum[2]. " Quod præclare exponit *Augustinus*[3] : " Quare invides justo, o homo injuste? Quia vis videri justus? Cito fac quod melius est, et facilius eris quod vis videri. Esto justus : ita diliges cui invidebas; quia quod illum doles esse, eris et tu, et amabis in eo te, et ipsum in te. Etenim si invideres diviti, non esset in potestate tuâ ut dives esses; si invideres honesto alicui senatori nobili, non esset in potestate tuâ ut nobilis tu esses et clarus; si invideres pulchro, nunquam te pulchrum faceres ... *si invides justo, res in voluntate est; esto quod doles esse alterum.* "

(C) Ad invidiam penitus evellendam, opportunum erit mala quæ ex invidiâ oriuntur (n. 525) considerare; necnon radicem, ex quo oritur, superbiam videlicet, eradicare; nam, ut ait *Augustinus*[4], "diabolus superbiâ lapsus est, et, quoniam superbiæ comes est invidentia, fieri non potest ut superbus non invideat. "

IV. De ira[5].

528. 1° **Notio iræ.** Ira sub duplici respectu spectari potest : quatenus est *passio* (supra, n. 100), seu vehemens *motus appetitûs irascibilis* ad repellendum malum præsens; et quatenus est *vindictæ appetitus*. Haud raro hæc duo simul junguntur et aliquid immoderati seu inordinati complectuntur. Tunc ira definitur *immoderatus animi motus vindictam inordinate appetentis*. Duplici igitur elemento constat : (a) *immoderato motu appetitûs* irascibilis, cum commotione corporis, prætergrediente justos limites ratione præscriptos; (b) *inordinato appetitu vindictæ*, quatenus quis injustam aut

[1] De quâ præclare disserit *Thomas*, Educ. des sentiments, p. 203-222.
[2] *Hebr.*, X, 24.
[3] Enarrat. in ps. 139, P. L., XXXVII, 1807-1808.
[4] *S. August.*, Enarr. in ps. 58, P. L., XXXVI, 709.
[5] *S. Gregor.*, Moral., lib. V, c. 45, P. L., 723-727; *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 158, et de Malo, q. 12; *N. Alex.*, op. cit., p. 1112-1148; *Descuret*, t. II, p. 1-57; *Thomas*, op. cit., ch. 9, p. 94-103.

immoderatam ultionem sumit vel expetit ab eo a quo reipsa læsus est, vel se læsum arbitratur.

Unde ira non est peccatum nisi quando aliquid inordinati præ se fert, sive quoad *modum* irascendi, cum scilicet motus iræ immoderate fervescit sive interius, sive exterius; sive quoad *objectum*, quando videlicet aliquis expetit vindictam contra ordinem rationis, v. g. puniri appetens eum qui *non meruit* vel *ultra* quam meruit, aut *non servato juris ordine* vel propter finem qui legitimus non est, puta ex odio, non ex amore justitiæ aut emendationis desiderio.

Quare justa *indignatio*, seu zelus quo quis, ex amore justitiæ, malos reprobat aut castigat, ab irâ multum differt. Hunc zelum demonstravit Christus cum venditores e templo ejecit, et nummulariorum effudit æs eorumque mensas subvertit[1]; quia vero quoad filios suos, Heli zelum non habuit, contra se motum divinæ ultionis merito excitavit.

529. Sæpe ira ex superbiâ oritur; cum enim superbi se læsos arbitrantur, facile incenduntur et ultionem quærunt. Attamen, cum ira sit passio, haud raro etiam ex ipso temperamento oritur, et ex hoc capite facilius excusatur.

Virum iratum graphice describit *S. Gregorius*[2]: "Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat... Aliquando ira perturbato animo, quasi ex judicio silentium indicit; et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit... Sicque fit ut perturbatus animus majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque gravius clausæ iræ flamma consumat."

530. 2° **Varii gradus iræ.** Præcipui sunt : *impatientia*, quâ etiam levibus incommodis aut injuriis facile commovemur interius exteriusque; *excandescentia*, quâ iram interne conceptam verbis injuriosis et clamoribus manifestamus; *violentia*, quæ non solum ad verba, sed etiam ad actus inju-

[1] *Joan.* II, 13-17.

[2] Moral., l. c., p. 724-725. — Gregorio præiverat *Seneca*, qui in Tr. de Irâ, l. I, n. 1, ita depingit iracundum : "Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli; spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque... Nescias utrum magis detestabile vitium sit, an deforme."

riosos et ad verbera incitat; *furor*, qui violentiæ aliquid effrænatum addit, quamdam veluti insaniam[1]; *vindicta*, seu vehemens et assiduum ulciscendi desiderium.

Varias iræ formas eleganter describit *Seneca*[2] : "Quædam enim sunt iræ, quæ intra clamorem considant; quædam non minus pertinaces quam frequentes; quædam sævæ manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ; quædam ultra querelas et aversationes non exeunt; quædam altæ gravesque sunt, et introrsus versæ. Mille aliæ species sunt mali multiplicis."

531. 3° **Malitia iræ.** (A) *De irâ in se spectatâ.* Ad dijudicandum de ejus gravitate, distinguendum est inter iram quatenus *passio* est, et iram quæ est *vindictæ appetitus.*

(a) Ira, quatenus est *inordinatus motus appetitûs irascibilis, est peccatum ex genere suo veniale.* Hæc enim ira non est inordinata nisi in *modo*, quatenus quis excandescit ultra quod res meretur, vel sæpius quam oportet; jamvero inordinatio quæ modum agendi solum attingit, *per se* non est gravis.

Attamen excessus tantus esse potest, ut mortale peccatum evadat, quando quis *deliberate nimis ardenter* interius effervescit, aut exterius signa iræ manifestat, ita ut animæ pacem amittat, aut proximum graviter offendat. Sæpe tamen inopinati motus iræ, etiam vehementiores, a mortali excusantur, quia non sunt sufficienter deliberati.

532. (b) Ira, prout est *inordinatus vindictæ appetitus, est peccatum ex genere suo mortale.* Nam opponitur *caritati*, et quandoque *justitiæ*, quando videlicet is de quo vindictam sumere volumus, vere innocens est; porro utraque virtus sub gravi obligat, ut explicite traditur ubi de his virtutibus. Hic sufficiat verba Magistri referre[3] : " Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit *judicio;* qui autem dixerit fratri suo *raca*, reus erit *concilio;* qui autem dixerit *fatue*, reus erit *gehennæ ignis.*" Ibi enim *gravi* pœnâ dignus affirmatur qui *interne* irascitur contra

[1] Hinc *Horatius* (Epist. I, 2), iram describens, ait :

" Ira *furor brevis* est : animum rege; qui, nisi paret,
Imperat : hunc frenis, hunc tu compesce catenâ."

[2] De irâ, lib. I, n. 4. — [3] *Matth.*, V, 22.

proximum, aut iram internam gravibus improperiis manifestat.

Haud raro tamen etiam appetitus vindictæ a gravi excusatur, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ prævenit judicium maturum intellectûs, vel ex parte objecti, quando quis in aliquo modico appetit se vindicare.

533. (B) *Si vero ira in suis effectibus spectatur*, tanto gravior est quanto pejores effectus.

(a) Quando ad *extremum* perducitur, multa graviaque inducit mala, quæ describit *Seneca*[1]: "Videbis cædes ac venena, et reorum mutuas sordes, et urbium clades, et totarum exitia gentium, et principum sub civili hastâ capita venalia, et subjectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flammâ relucentia... Aspice tot memoriæ proditos duces : alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; alium inter leges celebrisque spectaculum fori lancinavit; alium filii parricidio dare sanguinem jussit..." Plerumque tamen istis infandis criminibus non indulget ira.

(b) Nihilominus sæpe alios effectus post se trahit, quos describit *Gregorius*[2]: per iram *sapientia* perditur, quia mens vehementer commota mox obnubilatur, et quid quove ordine agendum sit vix scire potest; — *gratia vitæ socialis* amittitur, quia inhumane agit qui humanâ ratione iracundiæ motus non temperat, et exinde *concordia* rumpitur; — *justitia* relinquitur : dum enim perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat; — *gratia* et *inhabitatio* Spiritûs S. excluditur : cum enim hic nonnisi in quietâ resideat animâ, quietem mentis expellendo, nostram Spiritui S. claudimus animam.

534. 4° **Remedia contra iram.** (A) Primum quidem, in quantum fieri potest, *præcavenda est ira*, causas removendo quæ eam excitare valent.

Ita si *naturâ* irascibiles sumus, primos motus iracundiæ sedulo cohibere debemus, et antequam in verba prorumpamus, septies linguam in ore vertere, seu, ut aiebat græcus philosophus, viginti quinque alphabeti græci litteras pronuntiare. — Si ex quorumdam provocatione inflammatur ira, hos fugere oportet : "Elige simplices, faciles, moderatos, qui iram tuam nec evocent, et ferant. Magis adhuc proderunt submissi et humani, et dulces, non tamen usque in adulationem; nam iracundos nimia assentatio offendit.[3]" — Si ex nimiâ corporis lassitudine, ex nervorum inordinatione, valetudini attendas. — Si ex iis quæ contra te dicuntur multum commoveris,

[1] De Irâ, l. I, n. 2. — [2] *S. Gregor.*, Moral., l. c. P. L., 724.
[3] *Seneca*, de Irâ, lib. III, n. 8.

de istis minime inquiras : " Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat[1] ".

535. (B) Quia vero non omnes valemus iræ causas avertere, ad omnes injurias æquo animo tolerandas parati esse debemus.

Quod optime declarat *Gregorius*[2] : " Primus quippe est ut mens sollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat, quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet... Qui enim improvidus ab adversitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumque inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans exspectat, et inde ad victoriam valenter accingitur." — Quo patientius autem aliorum vexationes toleremus, proprios excessus erga alios consideremus oportet : " Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aquâ ignis exstinguitur, cum, surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur; quia erubescit peccata non parcere, qui vel Deo vel proximo sæpe se recolit parcenda peccâsse[3] ".

536. (C) Si vero ira nihilominus exarserit, simul ac ortam animadvertis, eam compesce; initio quidem, satis facile est eam temperare; sed, si per longas invaluerit moras, id omnino difficile evadit.

Quare Apostolus dicit[4] : " Irascimini et nolite peccare; *sol non occidat super iracundiam vestram*... Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitiâ. Estote invicem benigni, misericordes, *donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* " — Propter idem motivum, nihil statuere vel decernere oportet de vindicatione alicujus noxæ, nisi cum ira deferbuerit; secus enim mens, commotione turbata, intra justos limites vindictam ceteroquin justam continere non valebit.

537. (D) Optimum sane remedium, quod Christus verbo et exemplo docuit, est fraterna erga omnes, etiam inimicos, *benevolentia*, vi cujus benefacimus iis qui nos odio prosequuntur, nedum vindictam de eorum injuriis sumere quæramus : " Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos;

[1] *Seneca*, ibid., n. 11. — [2] *S. Gregor.*, Moral., P. L., t. LXXV, 725-726.
[3] *S. Gregor.*, op. cit., P. L., LXXV, p. 726. — [4] *Ephes.*, IV, 26, 31, 32.

ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos[1]."

Quod quidem Christus mirifice præstitit; tempore enim quo adhuc inimici eramus, sese tradidit pro nobis : "Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste[2]" Idem Apostoli docuerunt[3] : "Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus." *Carbones*, de quibus hic agitur, non sunt pœnæ inimicis infligendæ, sed, ut ait *Augustinus*[4], "urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseriæ subvenitur." Revera primi christiani patienter sævissima tormenta tolerabant, et, nedum persecutoribus irascerentur, pro eis eorumque emendatione orabant[5]. "Patientia est, inquit *Cyprianus*[6], quæ nos Deo et commendat et servat. Ipsa est quæ iram temperat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam caritatem."

V. De gulâ, ebrietate et alcoolismo.

Tria vitia, de quibus jam actum est, *spiritualia* dicuntur, quia circa bona *animi* versantur; duo sunt quæ *carnalia* vocantur, quia bona *corporis* inordinate appetunt, *gula* videlicet, quæ versatur circa cibum potumque, et *luxuria*, quæ inordinate veneream voluptatem prosequitur : de hâc vero agemus ubi de *Castitate*. — Dicemus : 1° de *gulâ in genere;* 2° de *ebrietate*, seu de excessu in potu qui usque ad privationem usûs rationis pertingit; 3° de *alcoolismo*, seu habitu alcoolicos liquores frequenter bibendi : hi sunt veluti tres gradus unius ejusdemque vitii.

---

[1] *Matt.*, V, 44-46. — [2] *I Petr.*, II, 23. — [3] *Rom.*, XII, 20.

[4] *S. August.*, De doct. christ., l. III, c. 16, n. 24, P. L., XXXIV, 75. Unde hunc textum non intellexit *Séailles*, qui vitio vertit Paulo quod ibi Apostolus vindictæ voluptatem approbat (Les Affirmat. de la Cons. mod., Paris, Colin, 1903, p. 73-74).

[5] De patientiâ in persecutionibus eloquenter disserunt *Tertullianus*, De Patientiâ, P. L., I, 1249-1274; *S. Cyprianus*, de Bono patientiæ, P. L., IV, 621-638.

[6] *S. Cypr.*, op. cit., c. 20, P. L., 635.

1° *De gulâ in genere*[1].

538. (A) Notio. (a) Gula est *inordinatus comedendi vel bibendi appetitus*, ideoque virtuti temperantiæ oppositus. Illa inordinatio quinque præsertim modis fieri potest : —

"*Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose*".

Laute aut *studiose*, quando videlicet quæruntur cibi potusve *exquisitiores* aut nimis *delicate præparati;* — *nimis*, quando quis excedit quoad *quantitatem*, seu ultra naturæ appetitum; — *præpropere*, si quis debitum *tempus prævenit*, aut *sæpius* quam par est comedit bibitve; — *ardenter*, quando quis nimis *avide* cibum sumit.

(b) *Effectus*, qui sæpe ex intemperantiâ fluunt (quique filiæ gulæ communiter dicuntur), sunt : *inepta lætitia*, quæ provocat jocandi genus minus honestum; *multiloquium*, seu nimia garrulitas, quâ frequenter secreta manifestantur; *scurrilitas*, seu immoderatio in verbis actibusque externis justos honestatis limites prætergrediens; *hebetudo mentis*, quæ hominem minus aptum reddit ad veritatis contemplationem, et ad actiones quæ rationis attentionem prudentiæque moderamen requirunt; *propensio* quædam *ad libidinem* : "Nolite inebriari vino in quo est luxuria[2]."

539. (B) Malitia gulæ. (a) *Moderatam percipere delectationem* in cibo et potu, *nullum est peccatum;* nam auctor naturæ alimentis annexuit delectationem, ut his libenter utamur ad corporis sanitatem servandam; nec proinde culpandus est qui cibum delectabilem delectabiliter sumit, huicque delectationi consentit, dummodo omnem vitet excessum (supra, n. 191). Perfectius est tamen huic delectationi *affective* renuntiare, et nonnisi propter finem honestum et supernaturalem cibum sumere, juxta illud Apostoli[3] : "Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite." Vide supra, nn. 155-157, 195.

(b) Gula vero, quatenus *immoderatus* cibi vel potûs appetitus, est *peccatum*[4] *ex se leve*, quod tamen fit *mortale*, quando

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 148; de Malo, q. 14; *Nat. Alexander*, op. cit., 1081-1110; *Jaugey*, De quatuor virt. card., 1876, p. 569-574; *Ball. P.*, n. 716-735. — [2] *Ephes.*, V, 18.

[3] *I Cor.*, X, 31. Quod quidem de *idolothytis* prædicatur, sed ad quamlibet comestionem extendi potest.

[4] Gulam esse peccatum, constat ex damnatione hujus propositionis (8) ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679 : "Comedere et bibere usque *ad satietatem* ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini." (*Denzing.*, n. 1025; *Viva*, in h. proposit.)

quis ita delectationi adhæret ut *grave* præceptum transgredi paratus sit potiusquam ei renuntiare.

Ita graviter peccant qui in cibo et potu supremam reponunt felicitatem, quorum proinde *Deus venter est;* qui, ut gulæ satisfaciant, debita non solvunt, scienter propriæ sanitati graviter nocent, aut ineptos se reddunt ad officia adimplenda sub gravi obligantia. Extra hos aut similes excessus, gula est quidem *peccatum*, utpote rectæ rationi opposita, sed *leve*, quia gravem deordinationem non importat.

540. (C) **Remedia contra gulam.** (a) Præ mente habere cibum et potum non esse finem hominis, sed solum *medium* ad vires reparandas, quo melius laborare propter Deum valeamus. Cogitare pariter de pravis consectariis quæ ex gulâ sequuntur, de corporis ægritudinibus, accelerată morte, memoriæ et ingenii hebetudine, etc. (b) Vitanda sunt incentiva ad hoc vitium, videlicet esculenta nimis delicata, exquisite condita, frequentia convivia præsertim cum iis qui intemperantiæ indulgere solent; ideoque generatim communibus cibis utendum, quæ ad valetudinem magis prosunt. (c) In ipsis conviviis temperantia sedulo excolatur, et aliquid subtrahatur præsertim ex iis quæ palato dulciora sunt.

Quæ quidem *Sapiens* multis in locis commendat : "Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur[1]... Exultatio animæ et cordis vinum moderate potatum... vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit[2]."

2° *De ebrietate.*

541. (A) **Ejus malitia.** Specialis malitia ebrietatis in eo sita est quod privationem usûs rationis sine causâ inducit, ebriosumque in discrimen adducit actiones perpetrandi bonis moribus contrarias. — Dantur *gradus* in ebrietate : *imperfecta* dicitur, quando rationis usus minuitur, quin penitus auferatur, cum v. g. pedes et genua titubant, lingua hæsitat, oculi objecta aspiciunt duplicata aut per gyrum sese moventia; — *completa* vero dicitur, quando penitus aufertur usus rationis, v. g. cum quis insolita facit quæ sui

[1] *Prov.*, XXIII, 20-21. — [2] *Eccli.*, XXX, 36-38.

compos agere non consuevit, aut inter bonum et malum distinguere nescit, vel non recordatur rerum notabilium quæ ebrius peregit, aut sensibus destitutus prolabitur. Quibus positis : —

542. (a) *Ebrietas voluntaria, saltem ea quæ privat omni rationis usu, etiam semel admissa, est per se peccatum mortale. Declaratur :* hic agitur de *voluntariâ* ebrietate, quæ scilicet scienter et volenter incurritur; si quis enim vinum aut liquorem bibat nimis generosum, cujus tamen vim inebriandi non novit, ita ut non prævideriť saltem probabiliter ebrietatem inde secuturam, non peccat; idem dic si, propter debilitatem virium aut jejunum stomachum, inopinate ex paucis haustibus, absque morali prævisione fit ebrius. — Pariter agitur de ebrietate quæ *plena* est, aut saltem graviter rationem perturbat, et periculum inducit gravis deordinationis; ebrietas enim imperfecta *per se* veniale non excedit, quamdiu quis illam retinet cognitionem quæ ad *moraliter* recte agendum necessaria est[1]. — Quæ ebrietas, etiam *semel* admissa, grave est peccatum, quidquid in contrarium dicunt pauci theologi qui solam ebrietatis *consuetudinem* ut mortale peccatum existimant.

Probatur. Scriptura vehementer reprobat ebrietatem, eamque recenset inter peccata quæ a regno Dei excludunt : "Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis... Attendite autem vobis ne forte graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate... Neque fures, neque avari, neque *ebriosi*... regnum Dei possidebunt[2]."

Revera per ebrietatem, homo voluntarie, sine necessitate, ob meram voluptatem, privat se præstantissimo bono, quo a brutis distinguitur, nimirum usu rationis, ita ut inferiores facultates, quæ sopitæ non sunt, ductu et regimine rationis careant : sic non solum ad bonum ineptus, sed ad malum proclivis efficitur. Quæ quidem

[1] Nonnulli dicunt graviter non peccare eum qui ad breve tempus, quod horam non attingit, se privat usu rationis; ita *Noldin*, n. 309. — Quod tamen ut minus probabile rejicimus; si quis enim scienter et volenter ita bibat ut certo prævideat se per dimidiam horam rationis usu privatum fore, et quidem absque ullâ necessitate, hæc est gravis deordinatio, ideoque mortalis culpa. Aliunde, ut recte notat ipse *Noldin*. prævideri vix potest potum non diutius horæ spatio usu rationis esse privaturum.

[2] *Isa.*, IV, 11; *Luc.*, XXI, 34; *I Cor.*, VI, 10.

gravis est deordinatio, quam certo non excusat sola voluptas, ut ex communi honestorum sensu certo colligitur.

543. (b) *Attamen ebrietas non est tam intrinsece mala, ut permitti non possit gravi de causâ*, v. g. ad curandum morbum, vel elidendam vim veneni ex serpentis morsu hausti. Ita *probabilius*, cum *S. Alphonso* (n. 76), contra *Collet*, *Billuart*, etc., qui putant voluntariam privationem rationis esse omnino et penitus malam. Etenim per ebrietatem non amittitur ipsa ratio, sed solum rationis usus per aliquod tempus; jamvero impotentem se reddere, modo transitorio, ad utendum ratione, est quid malum, si fiat ex solâ voluptate, quia præfertur bonum inferius bono superiori; sed si id fiat propter gravem causam, quæ malum effectum compenset, illicitum dici nequit, quia tunc e duobus malis minus eligitur. Quis, v. g. unquam vituperabit eum qui inebriantem potum sumit, ad vitam salvandam omnino necessarium?

544. Hinc probabile est licere privationem usûs rationis, per potum inebriantem, si id necessarium sit ad securius operationem chirurgicam perficiendam. — Pariter *probabilius* non peccat qui, ex metu mortis incusso, bibit cum periculo se inebriandi, quia non intendit ebrietatem, sed solum vult mortem vitare.

545. Alicui ebrietatis occasionem præbere, sine gravi causâ, non licet, ut constat ex dictis de cooperatione ad malum, supra, n. 185; sed, existente causâ proportionate gravi, id *probabiliter* licitum est; nam materialiter cooperari actioni malæ non prohibetur, dummodo actus non sit intrinsece malus, et aliunde proportionata habeatur ratio cooperandi, ex dictis supra, n. 185. Ita excusandus videtur qui, a latronibus captus, his vinum abundanter propinat, ut ex eorum manibus evadere possit. — Putamus autem non licere aliquem *positivo* consilio ad ebrietatem *formalem inducere :* id enim nihil aliud est nisi peccatum positive suadere. Si vero prævideri possit ebrietatem ex adjunctis non fore culpabilem, quia v. g. ii de quibus agitur generositatem vini aut liquoris ignorant, *probabiliter* non illicitum est eos inducere ad *bibendum*, cum *prævisione* quod inebriaturi sunt, quando id necessarium est ad vitandum majus malum, v. g. homicidium : tunc enim non suadetur malum *morale*, sed ponitur actio ex se indifferens, cum prævisione mali effectûs, et quidem ad vitandum majus malum. In quâlibet hypothesi, ratio etiam habenda est scandali, aut effectuum qui ex ebrietate, etiam materiali secuturi prævidentur.

546. (c) *Peccata in ebrietate commissa eo modo imputantur quo prævisa sunt;* quare, si *in confuso* tantum prævidentur, generatim mortalia non sunt ; si vero satis clare et

distincte, ab eo qui experientiâ novit se in ebrietatis statu talibus peccatis esse obnoxium, nil prohibet quin sint mortalia *in causâ*, ex superius dictis, n. 171.

547. (B) **De usu morphii, cocaini et chloroformii**[1]. Hodie, ad dolores ægrotorum leniendos, et securius operationes chirurgicas perficiendas, sæpe adhibentur *narcotica* remedia, quæ aliquando usum rationis per aliquod tempus tollunt. De horum usu pauca notare expedit.

(a) *Morphium* (idem fere dic de *cocaino*), non solum per modum potûs, sed etiam ac sæpius per *injectionem subcutaneam* sumitur. Ad leniendos dolores omnino efficax est, imo quemdam hilaritatis sensum provocat, sed simul nervos debilitat, magnamque inducit *cupiditatem* iterum atque iterum novas injectiones accipiendi. Si medicus, repetitis infirmi querelis victus, acquiescit, vis doloribus resistendi in infirmo decrescit, et morphii injectio in dies frequentius postulatur. Frequentior autem et copiosior usus hujus remedii *morphimaniam* mox secum trahit : tunc infirmus modo lividus et torpens, modo agitatus apparet; trepidat ut potator, cibum fastidit et nonnisi ægre digerit; insomniâ et animi anxietate laborat, et haud raro in furorem ac delirium tremens incidit.

548. Quibus positis, nonnisi *caute* et *moderate* medici remedio tam periculoso uti possunt, quando videlicet tanquam necessarium aut valde utile existimatur; strenue igitur obsistant importunis infirmorum querelis, quoties hi *morphium* postulant sine sufficienti ratione. Qui vero morphimaniâ jam laborant, generatim nonnisi in speciali hospitio curari possunt, ubi per aliquod tempus veluti incarcerati custodiuntur : secus, mox in dementiam incident.

In articulo mortis, non licet morphium præbere eo fine ut infirmus rationis usu destituatur, et sine doloris conscientiâ decedat. Id sane *scelestum* esset, si infirmus nondum esset ad mortem præparatus, quia privaretur opportunitate pœnitentiam agendi, et periculum incurreret æternæ damnationis. — Si ad mortem sit rite dispositus, generatim non licet eum usu rationis privare, quia ita careret opportunitate merita acquirendi, et immediate sese præparandi ad mortem, necnon eliciendi actus obedientiæ, patientiæ, fiduciæ, amoris, quibus ejus gloria in cælo tantum augeri valet. — Attamen si nimii sint dolores, et infirmus impatientiæ motibus valde obnoxius sit, ita ut probabiliter timeri possit ne in peccatum labatur, positive quidem permitti non potest præfatus morphii usus, sed tolerari potest.

549. (b) *Chloroformium*, in operationibus chirurgicis adhibitum, soporem et insensibilitatem inducit, et ex hoc capite operationes multo facilius et securius peraguntur. Sed quandoque, licet raro,

[1] *Capellman*, Medicina Pastoralis, ed. 11ª, Aquisgrani, 1896, p. 34-42.

mors exinde causatur. Quare nonnisi gravi de causâ, et caute hoc remedio uti licet, post diligens examen, ex quo constet nullum in casu probabile esse periculum mortis pro infirmo. Antequam vero quis medicis se tradat, prudentia suggerit ut suæ conscientiæ consulat per devotam sacramentorum susceptionem.

3° *De alcoolismo*[1].

550. *Alcoolismi* nomine designatur habitus frequenter bibendi varios liquores alcoolicos, etiam absque ebrietate, ex quo fit ut cupiditas potandi fere invincibilis contrahatur, totumque corpus, veneno alcoolico infectum, in dies debilitetur.

(A) Origo et causæ alcoolismi. Hoc vitium, inter paganos valde commune[2], nec unquam penitus a christianismo extirpatum, reviviscere et ubique serpere cœpit a tempore quo facilius alcoolici liquores, chimicæ artis ope ex omnibus fere substantiis extrahi potuerunt : tunc enim non solum inter divites, sed etiam inter opifices et pauperes prævaluit. *Politici* huic vitio non parum faverunt : ad obtinenda siquidem civium suffragia, plus æquo cauponas tabernasque multiplicare non dubitârunt; imo, ad captandum popularem favorem, pecunias distribuere non erubuerunt in potationibus dissipandas. Operarii, qui in sordidis ædibus aut cubiculis sæpe habitant, domi vespertinis horis manere non curant, sed in tabernis aliisque locis ubi liquores venduntur, cum sociis colloqui malunt. Præterea, cibo levi et parco enutriti, compensationem quamdam in alcoolicis potationibus haud raro quærunt[3]. — Quandoque, etiam inter *ditio-*

[1] *Centennial Temperance Volume*, New York, 1876; *Farrar*, Talks on Temperance, London; *Cyclopædia of Temperance*, New York; *M. Vanlaer*, L'alcoolisme et ses remèdes, Paris, Colin, 1897; *Mgr Turinaz*, Trois fléaux de la classe ouvrière, Nancy et Paris; *id.*, Le clergé catholique et la lutte contre l'alcoolisme, Paris, 1901; *Racl*, Alcoolisme et décadence, Paris, 1900; *Riémain*, Plan de campagne contre l'alcoolisme, Paris, 1901; *Dr Legrain*, Un fléau social, l'alcoolisme, Paris, Gautier; *Oudaille*, Le Foyer familial et la femme contre l'alcoolisme, Paris, 1904; *J. Bertillon*, L'alcoolisme et les moyens de le combattre, Paris, 1904; *Cheysson* et *Riémain*, Premier Congrès national contre l'alcoolisme, Paris, Asselin, 1904 (quod opus allegamus infra uno vocabulo *Congrès*).

[2] *A. Westphal*, L'alcoolisme dans l'antiquité, in *Congrès*, p. 31-50.

[3] De alcoolismo inter operarios vigente, cfr. *Pelloutier*, La vie ouvrière en France, Paris, 1900, p. 303-322; *Congrès*, p. 341 et 487-518.

res, dantur qui, otio addicti, solatium quærunt in sæpe repetitis libationibus[1]. — Vi hæreditatis, propensio ad bibendum frequenter transmittitur, et educatione firmatur : non desunt enim parentes qui etiam infantibus nocivos liquores propinare non erubescunt! Et ita via paratur innumeris malis, quæ ex alcoolismo nascuntur[2].

In quibusdam regionibus alcoolismus crescit, dum in aliis paulatim minuitur, secundum quod leges et privatæ consociationes eidem favent vel obstant[3].

551. (B) Mala quæ ex abusu alcooli oriuntur. Hæc fere innumera sunt quoad individua, familiam, societatem[4] ·

[1] *M. Peter*, L'alcoolisme chez les gens du monde, ap. *Congrès*, p. 550.

[2] Ex sequenti tabellâ, quam mutuamur a *Bertillon*, op. cit., p. 5, lector intelliget quænam quantitas alcooli in præcipuis regionibus consumatur.

Nombre de litres d'eau-de-vie (*ramené par le calcul à 50 p. 100 d'alcool*), *de bière et de vin absorbés en un an par un habitant* (1891-1895) :

Pays	Eau-de-vie	Bière	Vin
Suède	6.86	26.0	0.6
Norvège	3.54	20.1	0.9
Danemark	14.40	87.7	1.6
Iles britanniques	5.20	135.0	1.7
Allemagne	8.80	106.9	5.7
Suisse	6.12	40.0	60.7
France	8.54	22.5	107.0
Italie	1.25	0.6	96.5
Espagne	1.00	1.3	115.0
Russie	9.40	4.6	3.3
Etats-Unis	5.95	64.6	1.5

[3] Ex eodem opere, p. 11, hæc notentur quoad quantitatem *spiritûs vini* (*eau-de-vie*) diversis temporibus consumptam : —

Suède	1850 :	22. 0	France	1851-60 :	4. 0
	1855-70 :	9. 6		1861-70 :	4. 8
	1871-80 :	11. 0		1871-80 :	5. 7
	1891-95 :	6. 8		1881-90 :	7. 8
				1891-95 :	8. 5

[4] Quos effectus breviter descripserunt duo insignes medici, *Debove*, decanus Facultatis medicinæ Parisiensis, et *Faisans*, medicus hospitalis quod dicitur *Hôtel-Dieu*, in documento publice vulgato, an. 1902 (ap. *Bertillon*, op. cit., p. 217-218) : " L'habitude de boire entraîne la désaffection de la famille, l'oubli de tous les devoirs sociaux, le dégoût du travail, la misère, le vol et le crime. Elle mène, pour le moins, à l'hôpital; car l'alcoolisme engendre les maladies les plus variées et les plus meurtrières : les paralysies, la folie, les affections de l'estomac et

(a) Alcoolismus siquidem non solum vires physicas minuit, sed etiam graves morbos inducit, præcipue paralysim, hydropisim, tuberculosim, stomachi et jecoris alterationem, quandoque delirium tremens, amentiam, etc.; præterea incidentes morbos multo graviores reddit, ut pleuresim, pneumoniam, eresypelum, eosque lethales reddit[1]. — Intellectuales moralesque effectus habet : ita mentis aciem gradatim hebetat, memoriam minuit, nobiles et generosos affectus extinguit, pravas propensiones auget, et hominem bruto similem corpore et animâ paulatim efficit. Hinc multo plura crimina ab ebriosis et alcoolicis committuntur quam a sobriis[2].

(b) Præterea *familiæ* vincula dissolvit; plerumque enim liquores alcoolici non domi, sed apud cauponas sumuntur, ideoque patresfamilias, adolescentes diuturnum tempus terunt in tabernis, longe ab uxore, a dulcibus natis aut fratribus. Interea pecunia, ad familiam sustentandam necessaria, dissipatur, et infantes pessime educati miseram vitam ducunt. Haud raro ipsi eodem vitio laborant : lue alcoolicâ jam ab utero infecti, nihil avidius cupiunt quam mores paternos imitari[3]; si pecunia desit, furantur. — Quot dissidia, dissensiones, divortia huic vitio tribui debent? Inde dissolvuntur ac pereunt familiæ.

(c) Inde etiam ipsa *societas* periclitatur; viribus enim civium debilitatis, agricultura, commercium et industria languescunt[4]; si bellum exsurgat, milites et duces, alcoolismo enervati, hostium invasionem repellere nequeunt, et mox victas manus dare coguntur[5]. Cum propensio alcoolica hæreditate propagetur, et educatione altas radices mit-

---

du foie, l'hydropisie; il est une des causes les plus fréquentes de la tuberculose. Enfin il complique et aggrave toutes les maladies aigües : une fièvre typhoïde, une pneumonie, un érysipèle, qui seraient bénins chez un homme sobre, tuent rapidement le buveur alcoolique."

[1] *Bertillon*, op. cit., p. 44-72; *Vanlaer*, op. cit., p. 23-36; *Congrès*, p. 375-388; 421-426.

[2] E. Masoin, *L'alcool et le crime*, ap. *Revue néo-scolastique*, nov. 1901, p. 362-369; cfr. *Congrès*, pp. 89 et 92-95.

[3] *Roux*, L'alcoolisme et l'enfance, ap. *Congrès*, p. 321-331.

[4] *Roy*, ap. *Congrès*, p. 349-352.

[5] Cfr. *Congrès*, pp. 87, 95-96; 666-674.

tat, restauratio gentis in dies difficilior evadit, et nonnisi strenuis heroicisque conatibus perfici valet [1].

552. (C) **Remedia contra alcoolismum.** Contra tam exitiosum malum omnes honesti cives unanimiter virili atque assiduo conatu certare debent : —

(a) Ipsis infantibus domi, junioribusque in scholis verbo et exemplo inculcanda est temperantiæ necessitas, clare et strenue patefaciendo detrimenta ab alcoolismo inducta [2]. In collegiis, academiis et seminariis, necnon in publicis concionibus ista lues aperte denuntietur et reprobetur ut quid turpe, corpori animæque nocivum, non minus patriæ quam religioni perniciosum. Parum vero aut nil proficient parentes, magistri, sacerdotes aliive educatores, nisi exemplo confirment id quod ore docent, ideoque non solum publice, sed privatim abstineant a *frequenti* et *inutili* liquorum usu, etiam illo qui a multis ut moderatus habetur : experientiâ enim constat alcoolismum induci non solum immoderato, sed etiam assiduo, quamquam moderato, alcooli usu [3].

553. (b) *Materfamilias*, secundum suam conditionem, domum ita nitidam et decoram custodiat, omnibusque rebus quæ viro filiisque placent ita instructam, ut hi paternam domum deserere non cogitent, sed potius in eâ honestas, quibus indigent, recreationes quærant [4].

(c) Ubique instituantur *consociationes* temperantiæ faventes. Multæ jam existunt : quædam, quales sunt societates a *T. Mathew* fundatæ, et non solum in *Hiberniâ* et *Angliâ*, sed etiam ubique terrarum sparsæ, *totalem* abstinentiam ab omni alcoolico liquore, etiam vino, prædicant [5]; aliæ vero

[1] Quot damna alcoolismus intulerit uni ex opulentioribus Galliæ provinciis, *Normanniæ* scilicet, exposuit *Douarche*, ap. *Congrès*, p. 52-84.

[2] *Galtier-Boissière*, L'enseignement de l'anti-alcoolisme; *id.*, Tableau mural d'Anti-alcoolisme, Paris, Colin; cfr. *Congrès*, p. 685-687.

[3] *Bertillon*, op. cit., p. 37-43.

[4] "A ne considérer que son action dans la lutte antialcoolique, la femme qui est la première à souffrir du fléau, peut exercer un double apostolat : *à l'enfant, elle fera ignorer l'alcool; à l'homme, ce grand enfant, elle le fera oublier.*" (*Oudaille*, op. cit., p. 217). Cfr. *M. Duclos* et *Kuntzel*, ap. Congrès, p. 558-581; *Willard*, Woman and Temperance, Hartford.

[5] Pater *T. Mathew* (1790-1856), in Hiberniâ natus, Capuccinorum ordinem ingressus est, et *societates temperantiæ* fundavit in Hiberniâ,

abstinentiam a liquoribus *distillatis*, ut aiunt, præcipiunt, *moderatum* vero usum *vini* aliorumve liquorum hujusmodi commendant; aliæ autem solummodo vetant accessum cauponarum, aliorumque locorum ubi inebriantes potus bibuntur; aliæ hospitalia instituunt ad curam ebriosorum, vel tabernas ædificant ubi venduntur potus non fermentati, in quibus alcoolicum venenum non continetur [1].

554. (d) Neque respuenda est discreta cooperatio Statûs, qui opportunis legibus vitium intemperantiæ cohibere potest, illisque societatibus auxilium præstare quæ temperantiæ favent. In quibusdam Americæ Statibus omnino prohibita est liquorum inebriantium venditio; plerumque tamen lex servata non fuit. In aliis regionibus numerus popinarum intra certos limites limitatus fuit, sive majorem taxam exigendo a cauponis, sive popinas proportionando incolarum numero. Alibi *monopolium* quoddam institutum est, tum ad minuendam quantitatem liquoris venditi, tum ad qualitatem expoliendam. His variis experimentis alcoolismus non extinctus quidem, sed attenuatus fuit[3]. Quodnam vero efficacius sit, ex multis circumstantiis pendet, ideoque in quâlibet regione determinari debet ex prudentûm consilio, præsertim vero experientiâ.

555. (e) *Religio* tandem ad tanti vitii imminutionem efficacissimum remedium præbere potest ac debet : ipsam enim juniores instruere oportet de perniciosis hujus vitii effectibus, parentesque monere ut filios ab eodem avertant. Ipsa, virtutes inculcando, præsertim animi fortitudinem et sensualitatis mortificationem, voluntates disponit ad strenue resistendum tentationi liquoribus abutendi. In pulpito, necnon in sacro tribunali sacerdotes temperantiam et sobrietatem frequenter doceant. Ubi adsunt sodalitates, patronatus aliæque societates catholicæ, inter statuta quidam articuli de temperantiâ et mediis eam servandi sedulo inserantur. Præ mente tandem habeant ad hoc vitium extirpandum

---

Majori Britanniâ et Statibus Americæ Fœderatis, quibus, antequam mortuus est, jam circiter 4.000.000 adhæserant; merito igitur *apostolus temperantiæ* dictus est. Cfr. *J. F. Maguire*, Father Mathew, a biography, 1863.

[1] De his societatibus, cfr. *Winskill*, History of the Temperance, Reformation, New York, 1886; *Congrès*, pp. 590-603; 604-610; 627-638. — In *Galliâ*, variæ societates anti-alcoolicæ *unicam fœderationem* constituere decreverunt; cfr. *Congrès*, p. 741-742.

[2] De his variis methodis eorumque exitu scripsit *Bertillon*, op. cit., p. 80-214.

nihil efficacius esse quam ipsorum clericorum exemplum : quare omni laude digni sunt qui non solum societatibus temperantiæ nomen dant, sed, propter amorem animarum, ab omni inebriante potu abstinent [1].

Quibus omnibus mediis sapienter et assidue adhibitis, optandum est ut paulatim minuatur, tandemque penitus exstinguatur lues alcoolica [2].

VI. De avaritia et cupiditate [3].

556. 1° **Notio.** (A) Avaritia est *immoderatus divitiarum amor.* Immoderatus esse potest triplici præsertim modo : (a) si divitiæ acquiruntur non ex fine honesto, qualis est intentio propriis aut familiæ necessitatibus providendi, sed ex inordinato pecuniæ amore, qui in acervatis opibus delec-

[1] Ad rem *C. Baltimorense III*, n. 262 : " Approbamus et magnopere commendamus laudabilem plurium morem, qui temporibus nostris ab usu potuum inebriantium omnino abstinent, quo vitium intemperantiæ securius coerceant, sive ejusdem occasiones a semetipsis amovendo, sive aliis virtutis temperantiæ exemplum præclarum exhibendo ". — De *sacerdotibus* autem statuit, n. 261 : " Nunquam cessent contra ebrietatem ejusque occasiones fortiter conclamare; præsertim vero cum exercitia spiritualia pro populo habent... Præterea, cum verba moveant tantum, exempla vero trahant, sacerdotes ipsimet qui, monente Apostolo, debent esse forma gregis ex animo, sint temperantiæ virtutis exempla. " — In *Galliâ* recenter instituta est catholica temperantiæ societas, *La Croix Blanche*, 1271, Boulevard Raspail, Paris.

[2] Hæc omnia sic contrahit *J. B. Dumas*, ap. *Vanlaer*, op. cit., p. 165 : " Faisons donc appel à la fois à la *science*, aux *lois*, aux *mœurs* et à la *religion*. Car l'ennemi que nous avons à combattre ne sera pas facilement vaincu. Il a pour complices tous les mauvais sentiments de l'humanité, tous ses penchants funestes. Il personnifie, au plus haut degré, l'insubordination de la matière contre l'esprit, l'assujetissement de l'âme aux appétits farouches du corps. Au nom de la famille, de la patrie et de la religion, faisons donc encore une fois appel aux lumières de la science, aux dévouements de la charité, et à la prévoyance de la raison d'Etat, pour éloigner de notre patrie bien-aimée des misères morales qui ont leur part dans ses malheurs passés et qui pourraient amener sa ruine. "

[3] *S. Thom*, 2. 2æ, q. 118; de Malo, q. 13; *Nat. Alexander*, op. cit., p. 819-951; *Ball. P.*, n. 708-709; *Pruner*, p. 344-346; *Descuret*, t. II, p. 275-297; *Massillon*, Discours synodaux, De l'avarice des prêtres, De la compassion des pauvres; *Monsabré*, Retraites pascales, 1892-1894, Paris, Les Idoles : la richesse.

tatur; (b) quando *nimiâ sollicitudine* acquiruntur divitiæ, ita ut mens nihil cogitet, cor nil ambiat nisi lucrum (c) quando *nimiâ parsimoniâ* impenditur pecunia, quatenus quis se suosque privat iis rebus quæ, secundum cujusque statum, necessariæ habentur.

(B) Avaritia non solum in divitibus, sed etiam quandoque in pauperibus invenitur, in quantum hi nimio affectu rebus possessis inhærent, vel immoderato desiderio ea quæ non habent, inhiant. — Etsi in junioribus aliquoties reperiatur, frequentius tamen in *senibus*, qui, ceteris passionibus attenuatis, huic adhærent, et, ex immodicâ prudentiâ, timent ne forte necessariis careant[1]. — Olim, quando pecunia domi retinebatur et in arcis sedulo custodiebatur, avari non deerant qui nummos veluti *idola* quædam colebant, et *mammonæ* vere serviebant, necessariis etiam se suosque privantes[2]. Hodie vero, cum pecunia tam diversis modis *frugifera* sit, plerumque non propter seipsam amatur, sed propter diversa quæ affert commoda, videlicet splendidas domus, exquisitos cibos, voluptates, honores, in alios auctoritatem, cum *pecuniæ obediant omnia*[3].

557. *Effectus* vero quos producit (communiter dicuntur *filiæ*) sunt : (a) *obduratio cordis* erga pauperes, quia cor, divitiis inhærens, misericordiâ non emollitur, nec miseris vult subvenire, sed eos dure alloquitur et repellit, imo rigorose ab eis debita exigit, etsi solvendo impares sint; (b) *inquietudo cordis*, seu anxia mentis applicatio ad divitias acquirendas et servandas, aut sollicitudines multæ ac timores ne perdantur opes tam sollicite quæsitæ; (c) *fraudes, fallaciæ*, ad decipiendos contrahentes circa qualitatem aut quantitatem rerum venditarum, quo facilius et citius lucrum percipiatur; quibus quandoque adjunguntur perjuria, imo et proditiones, ut patet de Judâ

[1] " Mais ce qu'il y a ici de plus déplorable pour ce vice dans un prêtre, c'est que l'âge et les réflexions guérissent d'ordinaire les autres passions, au lieu que celle-ci semble se ranimer et reprendre de nouvelles forces dans la vieillesse... Plus la mort approche, plus on couve des yeux son misérable trésor; plus on le regarde comme une précaution nécessaire pour un avenir chimérique. Ainsi l'âge rajeunit, pour ainsi dire, cette indigne passion; les années, les maladies, les réflexions, tout l'enfonce plus profondément dans l'âme; et elle se nourrit et s'enflamme par les remèdes mêmes qui guérissent et éteignent les autres." (*Massillon*, op. cit., Œuvres, Besançon, 1822, t. IX, p. 183).

[2] " L'autre (l'avare) n'amasse que pour amasser : ce n'est pas pour fournir à ses besoins; il se les refuse : son argent lui est plus précieux que sa santé, que sa vie, que son salut, que lui-même; toutes ses actions, toutes ses vues, toutes ses affections, ne se rapportent qu'à cet indigne objet". (*Massillon*, op. cit., p. 180).

[3] Ita multi hodierni divites (*ploutocrates*), ut videre est ap. *Carnegie*, The empire of business.

qui ex avaritiâ prodidit Christum; (d) *violentiæ* et *facinora*, quibus injuste arripiuntur bona aliena.

558. 2° **Malitia avaritiæ et cupiditatis.** (A) *In se* spectata, avaritia (a) est peccatum *mortale ex genere suo*, quando opponitur *justitiæ*, aliena videlicet surripiendo vel retinendo, ut fuse exponitur in *Tr. de Justitiâ;* (b) est autem peccatum *veniale*, quando adversatur *liberalitati*, quia hæc virtus *ex se* non obligat nisi sub levi; si quis tamen, in particulari casu, ex inordinatâ cupiditate, pauperi in extremâ necessitate versanti succurrere denegaret, mortaliter peccaret, ut patebit ex dicendis infra *De Caritate.*

559. (B) In suis vero *effectibus*, avaritia haud raro ad peccata gravia trahit contra Deum, proximum, seipsum : (a) contra *Deum*, quatenus avarus, propter bonum temporale, contemnit æterna, et divitias, non autem Deum colit. Hinc avaritia ab Apostolo vocatur *idolorum servitus*[1], et Christus ait[2] : " Non potestis Deo servire et mammonæ ", quia videlicet nemo potest duobus dominis servire. Revera non desunt qui, propter divitiarum amorem, non verentur agere contra amorem Dei. (b) Contra *proximum*, quia, ut ait *S. Thomas*[3], " in exterioribus divitiis non potest unus homo superabundare nisi alter deficiat, quia bona temporalia non possunt simul possideri a multis ". Jamvero divites ditiores effici valent, et quandoque contractibus injustis, litibus improbis, monopoliis, iniquis exactionibus pauperes vexant et spoliant. Quare *S. Ambrosius*, Nabuthis historiam recordans, a crudeli Jezabel spoliati, scribit[4] : " Nabuthe historia tempore vetus est, usu quotidiana. Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cujus non inflammet divitis animum vicina possessio? " (c) Contra *seipsum*, quatenus avarus divitiarum *servus* efficitur; non enim possidet aurum, sed potius ab auro possidetur, et captivus fit propriæ opulentiæ; quot enim labores, sollicitudines, vigiliæ requiruntur ad illas opes congerendas vel custodiendas aut augendas? In seipsum crudelis est, veris bonis spiritualibus se defraudans, ut perituras comparet divitias. In summâ bonorum affluentiâ inops et pauper est, non solum quia animi tranquillitate cordisque læti-

[1] " Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus aut *avarus*, quod est *idolorum servitus*, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei " (*Ephes.*, V, 5). Non pauci tamen putant, nomine *avari* designari, ex contextu, eum qui immoderate luxuriæ indulget.

[2] *Matt.*, VI, 24. — [3] *S. Thom.*, q. 118, a. 1, ad 2.

[4] De Nabuthe, c. 1, P. L., XIV, 731.

tiâ caret, sed etiam quia majores divitias semper appetit : insatiabilis est enim avaritia, nec in ipsâ hominis senectute expleri valet. — Præterea multis *tentationibus* se obnoxium reddit : quo quis ditior, eo frequentius incidit in occasiones peccati, juxta illud Apostoli[1] : "Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas".

560. 3° *Remedia contra avaritiam et cupiditatem.* (a) Christianos de avaritiâ deterrere debet bonorum temporalium vanitas, cum spiritualium excellentiâ comparata : "Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur... Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis[2]."

Dives est sane qui possidet Deum, et valde pauper qui, opibus affluens, gratiâ Dei caret. Quare primævi Christiani de suâ paupertate non erubescebant, sed gloriabantur : "Ceterum quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria : animus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur : et tamen, quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui *Deo dives est?* Magis pauper ille est qui, cum multa habeat, plura desiderat"[3].

Ceteroquin mors venit, nosque etiam invitos ab omnibus divitiis separat, ideoque stulte agit qui suam spem in perituris collocat : "Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt?[4]"

561. (b) Maxime præsertim valet *exemplum Christi*, qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopiâ divites essemus[5]; videlicet ex paupere matre in stabulo natus, et in præsepi pannis involutus, pauperem cum pauperibus vitam duxit, pauperes discipulos elegit, pauperes beatos aperte declaravit, pauperrimus in cruce mortuus est, propriis vestibus spoliatus. Signum ejus

---

[1] *I Tim.*, VI, 9-10. — [2] *Matt.*, VI, 19-20, 33.

[3] *Minucius Felix*, in Octavio, c. 37, P. L., III, 351; cfr. *Bossuet*, Sermon sur l'éminente dignité des pauvres, — sur nos dispositions à l'égard des nécessités de la vie.

[4] *Luc.*, XII, 20. — [5] *II Cor.*, VIII, 9.

divinæ missionis est pauperum evangelizatio. Nostrum igitur patrimonium Christi paupertas est, et Christum denegat qui in divitiis gloriatur eisque toto corde adhæret.

(c) Pauperes igitur paupertatem suam non erubescant, sed potius eâ contenti sint, æternis bonis inhiantes. Divites autem præterita peccata redimant eleemosynâ, et futura præcaveant opibus utendo ad benefaciendum pauperibus : " Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo... divites fieri in bonis operibus; facile tribuere, communicare; thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam[1]. " — Revera nil efficacius mentem a terrenis avertit, nil salutem reddit securiorem quam copiosa eleemosynæ effusio in sinum pauperis.

VII. De acediâ et pigritiâ[2].

562. 1° **Notio acediæ.** Hucusque de vitiis quæ nos ad male agendum impellunt; nunc de pigritiâ quæ e contra nos inducit ad *non agendum* vel *remisse agendum*, quando aliquod urget officium implendum. *Pigritia* modo generali est propensio ad remisse et negligenter agendum, vel ad otiositatem. Quando ista negligentia versatur circa res spirituales et quoddam *tædium* generat, vocatur *acedia.* Hæc proinde definiri solet *tristitia seu tædium de bono spirituali (dégoût des choses spirituelles), ob laborem huic annexum.* In præsenti videlicet rerum ordine nullum bonum sine labore peragere valemus, sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali. Jamvero ab omni laborioso opere naturaliter plus minusve refugimus, ideoque haud raro tristamur quando agitur de arduo officio implendo, proptereaque ab eo faciendo abstinemus.

Acedia versatur circa res spirituales; *pigritia* circa quæcumque officia, etiam vitæ naturalis. Uterque defectus ex eodem vitioso principio oritur, scilicet horrore difficultatis et laboris.

563. Effectus (seu filiæ) acediæ sunt : (a) *irrisio* quædam omnium quæ ad pietatem spectant : qui enim officia sua negligunt, naturali quodam instinctu derident ea quæ peragere nolunt : (b) *indignatio* adversus eos qui hortationibus, monitis, increpationibus acediosos

[1] *I Tim.*, VI, 17-19.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 35, et de Malo, q. 11; *Nat. Alex.*, op. cit., p. 1148-1170. — Græce ἀκηδεια significat negligentiam.

ad perfectionem et laborem incitant : hi siquidem in suâ requie turbari horrescunt; (c) *torpor*, quo præceptorum observantia vel penitus omittitur, vel nonnisi perfunctorie et oscitanter peragitur; exinde oritur *tepiditas*, quæ, teste Scripturâ, Deo maxime displicet[1]; (d) *pusillanimitas*, quæ opera ardua fastidit et aversatur; (e) quandoque *desperatio*, quæ ex eo nascitur quod propriæ salutis cura, propter difficultates superandas, abjicitur.

564. 2° **Malitia acediæ et pigritiæ.** (A) *Acedia, in se* spectata, peccatum *mortale* est, quoties inducit tristitiam *perfectam* de *bono divino*, et *negligentiam propriæ salutis mediorumque ad eam assequendam necessariorum.* Tunc enim graviter opponitur mandato Deum diligendi ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus. — *Pigritia* autem est peccatum plus minusve grave prout neglectum inducit officii plus minusve gravis.

(B) Si vero in suis *effectibus* spectantur, pigritia, et a fortiori acedia, multa sane et gravia mala causant : (a) anima pigri merito comparatur agro, in quo non segetes bonorum operum, sed urticæ ac *spinæ vitiorum* mirifice crescunt : "Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ[2]". (b) Multis *tentationibus* et *peccatis* obnoxia est : "Multam malitiam docuit otiositas... Hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ : superbia, saturitas panis et abundantia, et *otium ipsius et filiarum ejus*[3]". Revera, cum mens omnino vacua esse non possit, neque voluntas omnino quiescere, si otio vacamus, eo ipso pravæ cogitationes mentem invadunt, et ad pravas actiones voluntatem sollicitant. (c) In *discrimen æternæ salutis* proripit : cum enim quisque propriam mercedem accipiat secundum suum laborem[4], qui non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur[5]. Non enim sufficit, ad salutem consequendam, a malo abstinere, sed necesse est etiam bonum operari, præsertim vero officia statûs diligenter implere : "Etenim, ait *S. Chrysostomus*[6], bonum non fecisse, hoc est fecisse malum. Nam dic mihi, si quem habeas famulum, qui neque furetur, neque sit contumeliosus, neque contradicat, et ab ebrietate abstineat ab aliisque omnibus, sed perpetuo sedeat otiosus, et nihil faciat ex iis quæ famulus debet hero præstare, non eum cædes flagris, non torquebis? Porro Dei famuli sumus, ad laborem arduum damnati, non solum propter protoparentum culpam, sed etiam ob personalia peccata; operarii in ejus vineâ conducti ad obtinendam laborum mercedem; ideoque strenue

[1] *Apoc.*, III, 15-16. — [2] *Prov.*, XXIV, 30-31.
[3] *Eccli.*, XXXIII, 29; *Ezech.*, XVI, 49.
[4] *I Cor.*, III, 8. — [5] *Matt.*, VII, 19.
[6] *S. Chrysost.*, in ep. ad Ephes., hom. 16, n. 1, P. G., LXII, 112.

et assidue laborare debemus, ad præmium vitæ æternæ consequendum.

565. 3° **Remedia contra acediam et pigritiam.** (A) Frequens cogitatio de necessitate bonum operandi atque strenue laborandi. Deus siquidem vult omnes homines, etiam divites et nobiles, otium fugere bonumque assidue operari. Lex autem, quæ laborem Adamo peccatori imposuit[1], omnes peccatores ligat, viros et feminas[2], ditiores æque ac pauperes. Omnes siquidem tenentur fructus bonorum operum proferre, et in vineâ Domini viriliter laborare; secus merito paterfamilias acediosos ita increpabit[3] : "Quid hic statis totâ die otiosi?"; et si ficus nullum fructum profert, succidetur, juxta illud[4] : "Succide ergo illam; utquid etiam terram occupat?"

Divitibus quidem, *otio* vacantibus, difficile est intrare in regnum cœlorum[5], quia multam malitiam docuit otiositas, præsertim ea quæ opibus abundat; sed divites qui strenue laborant, propriam mercedem accipient secundum suum laborem : "Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet[6]." — Et, si a labore deterreat difficultas et tædium, ad eum accendat cogitatio præmii bonis operariis promissi : "Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis... Id enim quod in præsenti et momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis[7]."

566. (B) Qui pro seipsis laborare non indigent, *pro aliorum sublevamine* operari non dedignentur. Tot sunt enim pauperes qui se suamque familiam proprio labore alere nequeunt, — tot rerum religiosarum ignari, qui instructione indigent, — tot parvuli qui domi nullam educationem accipiunt et, nisi christiane educentur, inter socialistas et anarchistas mox annumerabuntur, — tot opifices, præjudiciis contra religionem ordinemque socialem imbuti, quos vera principia edocere necesse est? Hæc aliaque hujusmodi

[1] "In sudore vultûs tui vesceris pane" (*Gen.* III, 19).

[2] De utilitate ac necessitate laboris quoad puellas et uxores sapienter scripsit Ctesse Z., sur le Travail, Paris, Lethielleux, 1902; quoad pueros virosque, *Payot*, Educ. de la volonté, l. IV, ch. 4; *P. Doumer*, Le Livre de mes fils, Paris, 1906, p. 63-72.

[3] *Matt.*, XX, 6. — [4] *Luc.*, XIII, 7. — [5] *Luc.*, XVIII, 25.

[6] *I Cor.*, IX, 6. — [7] *Rom*, VIII, 18; *II Cor.*, IV, 17.

mente revolvant qui ad otiositatem propendunt, et intelligant in hodiernâ societate nulli licere acediæ et pigritiæ indulgere : arbores enim inutiles et ficus infructuosæ mox succidentur et in ignem tribulationis projicientur.

567. (C) Cogitent pariter nullos *miserabiliores* esse *quam otiosos* : tædium vitæ, vitia carnis, intemperantia, sæpe dissensiones et discordiæ hos infelices reddunt. Ab honestis merito contemnuntur, invidiam excitant pauperum, sibi aliisque graviter onerosi efficiuntur. In spiritualibus autem, acedia generat tepiditatem; tepidi vero miseram ducunt vitam : non enim mundi voluptatibus fruuntur, quas conscientia vetat, nec divino solatio quod vere devotis reservatur, sed a Deo contemptim repelluntur, juxta illud : " Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo[1]. "

Ardeamus igitur igne caritatis, ne ardeamus igne tribulationis : ardor iste sursum nos rapit, ad Deum glorificandum, ad proximum sublevandum, ad colendas virtutes, de quibus agendum superest.



[1] *Apoc.*, III, 15-16.

De Virtutibus in communi.

568. Sicut dantur *habitus vitiosi* quibus ad peccatum inclinamur, ita pariter nobis insunt *habitus boni*, quibus ad actus honestos et meritorios suaviter disponimur : hi autem *virtutes* dicuntur. Hujusmodi habitus possunt *naturaliter* per actus repetitos *acquiri*, vel *supernaturaliter* a Deo in animam *infundi*. Quare, post prævias notiones de *habitibus*, dicemus :

I. De virtutibus *acquisitis;*
II. De virtutibus *infusis.*

Prænotanda de habitibus in genere [1].

Cum hæc materia sit magis philosophica quam theologica, pauca tantum in memoriam revocabimus de habituum *notione*, *subjecto*, *origine* et *augmento*, *amissione* et *divisione*, ea quæ communius admittuntur exponentes.

569. 1° **Notio.** Habitus (a voce *habere*) sensu *generali* significat modum se habendi. Sensu autem magis *particulari* designat qualitatem stabilem quâ perficitur aliquod ens. Hoc autem dupliciter compleri potest : in suo *esse* et in suis *operationibus;* in priori casu, habitus dicitur *entitativus :* ita v. g. sanitas corporis quoad ordinem naturalem, gratia habitualis in ordine supernaturali; in posteriori casu, habitus dicitur *operativus :* tales sunt virtutes prudentiæ, fortitudinis, etc.

Hic agimus de habitibus *operativis.* Quo sensu, habitus

---

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 49-54; *Suarez*, Disput. metaphys., XLIV; *Joannes a S. Thomâ*, Cursus theologicus, Ludguni, 1663, Tr. de Passionibus, habitibus et virtutibus, disp. XIII; *Lequeux*, De Virtutibus, Parisiis, 1843, diss. I, c. 2, p. 15-29; *Barré*, Tract. de Virtutibus, Parisiis, 1886, p. 93-119; *Billot*, De Virtutibus infusis, Romæ, 1901, Prolegomenon, p. 17-29; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXI (1899), p. 529-536; *Rabier*, Psychologie, p. 571-587; *Marion*, Leç. de Psychologie, Paris, Colin, p. 140-158.

definiri solet *qualitas stabilis quæ potentiam disponit et juvat ad actum.* Est igitur quædam *realitas*, ad genus *qualitatis* pertinens, alicui facultati superaddita, ut hæc ad agendum expedita fiat. Juxta *S. Thomam*, aliquo modo differt a *dispositione*, quæ est veluti inchoatus habitus, sed non adhuc illam stabilitatem obtinet quæ ad habitum proprie dictum desideratur [1].

570. Habitus juvat potentiam ad actum duplici modo; habitus *naturalis* et *acquisitus* eam juvat ad *promptius*, *facilius* et *delectabilius* perficiendam operationem; habitus vero *supernaturalis* et *infusus* [2] *ex se* non confert facilitatem, sed potentiam *elevat*, quæ naturâ suâ inepta est ad quosdam actus, ut hos actus peragere valeat; ita virtus infusa fidei non dat quidem promptitudinem ad actus fidei eliciendos. Notandum est tamen *facilitatem* operandi acquiri per *exercitium* virtutum infusarum, v. g. per actus repetitos fidei, quatenus removentur obstacula, et potentiæ redduntur aptiores ad hos actus eliciendos, ut infra exponetur.

571. 2° **Subjectum habitûs.** (a) Habitus proprie dicti non existunt in subjectis determinatis *ad unum* tantum operandum, vel ad agendum semper *uno eodemque modo :* tunc enim difficile concipi potest quid habitus addat potentiæ quæ semper idem, et eodem modo agit. Existere autem potest in omnibus subjectis quæ non determinantur ad unum, sed diversimode operari possunt, et plus minusve prompte ac perfecte suas operationes exercere : tunc enim

[1] " Dispositio autem dupliciter accipitur : uno modo secundum quod est genus habitûs, nam dispositio ponitur in definitione habitûs. Alio modo secundum quod est aliquid contra habitum divisum. Et potest intelligi dispositio proprie dicta condividi contra habitum dupliciter : uno modo sicut *perfectum* et *imperfectum* in eâdem specie, ut scilicet dispositio dicatur retinens nomen commune, quando *imperfecte* inest, ita quod *de facili* amittatur; habitus autem, quando perfecte inest, ut non de facile amittatur, et sic dispositio fit habitus, sicut puer fit vir... Ex quo patet quod nomen habitûs *diuturnitatem* quamdam importat, non autem nomen dispositionis. " (*S. Thom.*, 1. 2æ, q. 49, a. 2, ad 3.)

[2] Ad recte intelligendum discrimen inter habitus *naturales* et *supernaturales*, in memoriam revocanda sunt quæ diximus in *Theologiâ Dogmaticâ*, De Deo Creante, n. 144-146, et supra n. 85. *Supernaturales virtutes* infunduntur a Deo, — ad finem supernaturalem tendunt, — sub influxu gratiæ actualis exercentur, — nec *per se* dant facilitatem, sed solum potentiam ad supernaturaliter agendum.

inclinare et disponere potest facultates ad unum vel aliud genus actionum, et ad illas actiones plus minusve prompte ac perfecte eliciendas.

(b) Hinc habitus possunt esse in *corpore humano*, quia, in quantum animæ spirituali substantialiter unitur, potest disponi et habilitari ad prompte deserviendum operationibus animæ[1]. Ita assiduâ praxi temperantiæ, castitatis et mortificationis, corpus promptius atque facilius obedire assuescit voluntatis imperio; quapropter maximi momenti est bonis habitibus corpus edomare, ut docile animæ instrumentum efficiatur.

572. (c) Animæ facultates *intellectuales* sunt *proprie* subjectum habituum, quia non sunt determinatæ ad unum operandum; sed voluntas est *principale* subjectum in quâ radicantur, quia ipsa, utpote libero arbitrio prædita, maxime eligendi potestate pollet. Attamen etiam *sensitivæ* potentiæ subjectum sunt habituum, quamvis minus principaliter in quantum voluntatis imperio subjacent (supra, n. 73-75). Quod quidem *experientiâ* constat; per consuetudinem, imaginatio plus minusve edomatur vel ex adverso divagari solet; — per consuetudinem, passiones refrænantur vel e contra ad illicita facilius feruntur. Imo experientiâ teste, consuetudo consuetudine vincitur : ita ad iracundiam proni, repetitis conatibus, fiunt mites, superbi humilitatem colere discunt, ambitiosi ad res divinas sese convertunt, etc. (supra, n. 107). Maximi igitur interest bonos habitus jam a pueritiâ acquirere, malos autem penitus eradicare.

573. 3° **De origine et augmento habituum.** Quidam a Deo supernaturaliter infunduntur : de quibus infra. Alii naturaliter acquiruntur : et de his nunc agendum.

(a) Dari propensiones naturales hæreditate transmissas jam supra notavimus, n. 116-117; hujusmodi inclinationes dici possunt *latentes* habitus, quatenus sopiti manent usquedum externâ occasione quasi ex somno excitentur; ita filii, ex ebriosis parentibus nati, haud raro inclinationem ad potus alcoolicos contraxerunt, quæ statim ac libationibus excitatur, in habitum transit.

(b) Juxta *S. Thomam*[2], quidam habitus sunt ab ipsâ naturâ inditi,

[1] Attamen *S. Thomas* tenet hujusmodi habitus *principaliter* esse in animâ, et *secundario* in corpore, quia corpus suum motum ab animâ accipit.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 51, a. 1. — Alii quidem, cum *Suarez* (Disput. metaph., disp. 44, sect. 13, n. 7) nolunt has propensiones vocari habitus; sed quæstio est magis de nomine quam de re.

saltem *inchoative*. Ita, quoad prima principia (v. g. totum est majus suâ parte, bonum est amandum), adeo inclinamur ad ea cognoscenda, ut habitus horum principiorum naturaliter inditus dici possit. Pariter in certis individuis inveniuntur quædam propensiones naturales quæ sunt veluti *inchoati habitus :* sunt enim quidam dispositi, ex propriâ corporis complexione, ad castitatem, alii ad mansuetudinem, alii ad fortitudinem, ut dictum est supra, ubi de temperamento et charactere, n. 120-121.

574. (c) Sed præsertim *ex multiplicatis actibus* generantur et augentur habitus, ut experientiâ constat : videlicet quo *frequentius*, *diutius* et *intensius* repetuntur actus, dummodo tamen vires non exhauriantur, eo major facilitas et promptitudo obtinetur ad eosdem actus faciendos. *Primus* actus jam aliquam producit dispositionem, quam auget *secundus ;* alii actus complebunt generationem habitûs. Cujus ratio est quia quælibet facultas est simul activa et passiva; quatenus *activa*, quemdam motum imprimit, et quatenus *passiva*, impressionem accipit et retinet, vi cujus subsequentes actus evadunt faciliores.

Attamen, juxta *S. Thomam*[1], actus non auget habitum, nisi sit saltem æque intensus ac ipse habitus; si enim sit remissior, non disponit ad ejus augmentum, sed potius ad ejus diminutionem; ita qui habitum fervoris jam acquisivit, eum non auget, sed potius minuit, quando remisse et tepide orat.

575. (d) Dupliciter habitus crescere possunt, *extensive* et *intensive* : *extensive*, quando objectum circa quod versantur multiplex est, et successive amplificatur; ita habitus scientiæ crescit, quando ad plura sese extendit, et humilitas augetur quando varii attinguntur gradus hujus virtutis; *intensive*, quando magis radicantur in animâ, ita ut actiones facilius et delectabilius eliciantur. Quod quidem ita explicari potest : per repetitionem actuum, minuitur difficultas ad agendum, proindeque cum eodem conatu subsequentes actus facilius perficiuntur, ac consequenter delectabilius[2].

---

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 52, a. 3. — Quidam tamen ex adverso tenent cum *T. Raynaud*, De Virtutibus, l. I, c. 2, etiam remissos actus augere cum aliquâ proportione vim habitûs.

[2] " A mesure que l'acte n'exige plus pour être répété qu'un moindre effort, l'excédent de puissance, que la cause ne dépense pas pour le reproduire, devient en quelque façon disponible pour des efforts nouveaux et supérieurs. " (*Lemoine*, ap. *Rabier*, Psychol., p. 587.)

Quomodo vero habitus in libertatem influant, exposuimus n. 109-110.

576. 4° **De amissione habituum.** Habitus acquisitos minui aut quandoque penitus perire experientiâ constat. (a) Imprimis, juxta omnes, decrescunt aut pereunt per *actus contrarios*, præsertim *intensos* et *diuturnos;* ita habitus temperantiæ paulatim minuitur et tandem penitus tollitur per actus ebrietatis sæpe repetitos. Contraria enim contrariis destruuntur, et consuetudo consuetudine vincitur; ita facilitas cibo potuque moderate utendi mox decrescit quando quis gulæ et ebrietati indulgere incipit: nam, sicut per actus repetitos temperantiæ bonus habitus acquisitus fuerat, ita per frequentes actus contrarios malus habitus contrahitur; jamvero, quando adsunt habitus contrarii, vehementior elidit remissiorem.

577. (b) Insuper minuuntur et aliquando pereunt per *diuturnam cessationem ab exercitio*, non quidem directe, ut fert *probabilior* opinio, sed *indirecte*, quatenus, cessante exercitio, multiplicantur impedimenta, et pedetentim inducuntur habitus contrarii qui primos obruunt. Ita memoria minuitur nisi eam exerceas. Idem dicendum de habitibus moralibus: cum enim aliquis, per diuturnum tempus, non utitur habitu virtutis ad moderandas passiones, hæ contra rationem insurgere solent, justosque limites prætergrediuntur; ita paulatim minuitur inclinatio ad bonum, pravique nascuntur habitus qui bonos evertere possunt[1]. Attamen, si post aliquod tempus, novi conatus efficiuntur, antequam habitus penitus exstinguatur, facilius reviviscit.

Per accidens autem habitus, organicis potentiis impressi, alterari possunt alteratione ipsius organi; ita aliquando minuitur aut perit memoria.

578. 5° **De divisione habituum.** (a) Ratione *objecti* circa quod versantur, habitus sunt *boni* vel *vitiosi*, prout eorum objectum est bonum vel malum. *Boni* habitus dicuntur *virtutes*, mali autem *vitia;* de prioribus hic solum agimus, cum jam de posterioribus dictum fuerit, ubi de peccatis. (b) Ratione *originis* et *naturæ*, virtutes sunt *acquisitæ* aut *infusæ:* de quibus seorsim agendum.

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 53, a. 3.

Art. I. De virtutibus acquisitis.

579. Prænotanda. (A) *Virtus* (a vocabulo *vir*) primum quidem designavit qualitatem viro propriam, seu *fortitudinem*[1], postea vero quamlibet dotem[2], præsertim illam vi cujus juxta dictamen rectæ rationis operamur. Quo sensu definiri solet *habitus disponens hominis potentias ad recte operandum*[3], seu *bonus habitus.* Est igitur qualitas facultatibus superaddita, eas adjuvans ad agendum secundum rectam rationem.

580. (B) Virtutes proinde non in essentiâ animæ, sed in ejus *potentiis* proprie resident : hæ siquidem immediate ordinantur ad actum[4]. Jamvero facultates, quibus inhærent proprie dictæ virtutes, sunt potentiæ *rationales*, videlicet intellectus et voluntas, maxime vero *voluntas*[5]. Virtutes enim proprie dictæ actus nostros recte ordinant in ordine *morali;* jamvero solus actus vere moralis ille est qui procedit a voluntate cum prævia cognitione intellectûs (supra, n. 66); ideoque virtutes proprie inhærent iis facultatibus quæ actus morales eliciunt, præcipue voluntati. Attamen aliæ facultates in tantum participant de ratione virtutis in quantum voluntatis imperio subsunt (supra, n. 73-75) : sub hoc enim respectu, moralitatis capaces efficiuntur, ideoque secundario possunt esse subjectum virtutis : ita virtus temperantiæ aliquo modo appetitui sensibili inhæret ad moderandas passiones sensuales[6].

581. (C) Cum duplex sit ordo, naturalis et supernaturalis, duplicis sunt generis virtutes, videlicet *naturales*, seu *acquisitæ*, et *supernaturales* seu divinitus *infusæ.* De prioribus hic tantum agitur.

Virtutes acquisitæ etiam in *paganis* aut *hæreticis* inveniri possunt, cum hi capaces sint bonorum operum ac consequenter habituum, ex dictis in *Tr. de Gratiâ*, n. 34. — Fide-

[1] Ita *Cicero*, Tuscul., l. II, 18 : "Appellata est enim a viro virtus : viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio." Cfr. *Bréal* et *Bailly*, Dict. étymol., p. 441.

[2] Apud *Ciceronem*, Brut., 17 : "In Catonis orationibus omnes oratoriæ virtutes reperientur."

[3] Juxta *S. Thomam*, 1. 2æ, q. 55, a. 4, virtus est bona qualitas mentis, quâ recte vivitur, quâ nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. — Hæc ultima verba de solis virtutibus *infusis* prædicari possunt; priora vero etiam ad virtutes *acquisitas* spectant.

[4] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 56, a 1. — [5] *Ibid.*, a. 3 et 6.

[6] *Ibid.* a. 4; cfr. *Cajetanus*, in 1. 2æ, q. 74, a. 4.

les vero, qui dono veræ fidei et gratiâ sanctificante fruuntur, has virtutes *ex se* naturales totis viribus excolere debent, et quidem modo perfectiori quam infideles, ut exemplis manifeste ostendant gratiâ non destrui, sed e contra perfici quidquid boni est in naturâ humanâ[1]. Sed, ut vere christiani sint, has virtutes colere debent modo *supernaturali*, id est propter finem supernaturalem, et sub influxu gratiæ actualis : ita siquidem non solum finem honestum, sed finem supernaturalem, ad quem de facto ordinantur, prosequentur, meritaque supernaturalia acquirent.

Hujusmodi virtutes sunt duplicis speciei : *intellectuales* et *morales :* priores *intellectum* perficiunt quoad cognitionem *veri;* posteriores *voluntatem* perficiunt quoad prosecutionem *boni :* de utrisque seorsim dicendum.

I. De virtutibus intellectualibus[2].

582. 1° **Notio.** (A) Virtutes *intellectuales speculativæ*[3] tres communiter distinguuntur : (a) *intellectus*, seu habitus perficiens intellectum ad *prima principia* intime cognoscenda ; intelligere enim idem est ac *intus legere.* (b) *Scientia* est habitus perficiens intellectum ad logice deducendas *conclusiones* in primis principiis contentas. (c) *Sapientia* est habitus perficiens intellectum ad cognoscendas res non solum in se, sed etiam in *causis* suis, præsertim in *Deo*, qui est altissima et ultima omnium causa ; quare vere sapiens dicitur qui Deum cognoscit ut primum principium et finem ultimum omnium, et de omnibus judicat quatenus ad Deum referuntur. — Itaque sapientia sub se continet intellectum et scientiam, cum judicet tum de principiis tum de conclu-

[1] De quibusdam naturalibus virtutibus præclare disserit *Card. Gibbons*, The Ambassador of Christ, Baltimore, 1896, ch. 8-10 ; *gallice* versum auctore *André :* L'Ambassadeur du Christ, Paris, Lethielleux ; cfr. *S. Franç. de Sales*, Introd., 3ᵉ P., ch. 36 ; *Ribet*, Honnête avant tout.

[2] *S. Thom.*, 1. 2æ, 57-58 ; *Suarez*, in 1ᵃᵐ 2æ, Tr. IV, disp. 3 ; *Joan. a S. Thomâ*, op. cit., disp. 16 ; *Billuart*, De Passionibus et Virtutibus, diss. II ; *Lequeux*, op. cit., p. 33 et 74-81 ; *Barré*, op. cit., p. 143-147 et 165-184.

[3] Præter virtutes speculativas, duæ recensentur *practicæ*, *prudentia* de quâ infra ubi de virtutibus moralibus, et *ars* seu habitus disponens intellectum ad recte faciendas res artificiosas, de quo nil speciale dicendum occurrit.

sionibus ex eisdem deductis. — Forsan igitur dici potest *unam* esse virtutem intellectualem, videlicet *sapientiam*, quæ e rebus creatis ad Deum ascendit, et utitur cognitione principiorum et conclusionum ad judicandum de rebus creatis juxta earum relationem ad Deum.

583. (B) Sapientia vero, sicut ceteræ virtutes intellectuales, non est *proprie* virtus, nisi in quantum ad recte agendum ordinatur. Virtus siquidem spectat ad mores honeste formandos; si quis igitur scientiâ et sapientiâ speculativâ polleat, quin eâ utatur ad rectam vitæ institutionem, ex hoc dici nequit virtute præditus; sed sapientia, quæ ad honeste agendum ordinatur, virtus merito appellatur[1]; eamque colere debent omnes quidem christiani, sed ii præsertim quibus officium incumbit alios illuminandi et docendi, maxime vero ministri Christi, quibus dictum est : " Euntes ergo *docete* omnes gentes[2] ".

584. 2° **Excellentia.** Hanc sapientiam, quatenus recte nos ordinat ad Deum, et ad divinam legem implendam nos impellit, Scriptura sæpe commendat. (a) Sapientia videlicet omnibus *divitiis anteponi* debet : " Præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius... Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, et innumerabilis honestas per manus illius[3]". (b) Ejus *dotes* sunt fere innumerabiles : " Est enim in illâ spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis[4] ". (c) Hinc Deus non diligit nisi eos qui sapientiam colunt : " Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientiâ inhabitat[5] ". (d) *Fortiter* simul et *suaviter* operatur : " Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter[6]". (e) Ceteras *virtutes docet :* " Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vitâ hominibus[7]". Ex quibus multisque aliis, quæ in libris *Proverbiorum* et *Sapientiæ* legere est, excellentia sapientiæ intelligi potest.

Hodie vero non pauci, præsertim *positivistæ*, nomine scientiæ audiunt cognitionem rerum quæ experientiâ et inductione investigari possunt, simulque contendunt impossibile esse primam causam attingere, ideoque non solum scientiam theologicam, sed et

[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 57, a. 1. — [2] *Matt.*, XXVIII, 19.
[3] *Sap.*, VII, 8, 11. — [4] *Ibid.*, 22-23. — [5] *Ibid.*, 28.
[6] *Sap.*, VIII, 1. — [7] *Ibid.*, 7.

metaphysicam respuunt; nihilominus scientiam positivam extollunt tanquam unicam veri ac honesti normam, et medium quo genus humanum perfectam felicitatem ultimo consequetur[1]. Quem errorem supra confutavimus, n. 43-47. Hujusmodi scientiam non esse virtutem, etsi multa utilia inveniat et doceat, ex eo patet quod a Deo nos avertit, nedum ad Eum dirigat.

II. De virtutibus moralibus.

585. 1° **Notio.** (A) Virtutes morales sunt *habitus acquisiti voluntatem et appetitum perficientes ad recte agendum.* — Quatenus *naturales* sunt, motivo naturali innituntur, videlicet honestati, quæ provenit ex conformitate cum rectâ ratione. Finis ad quem *per se* tendunt, est naturalis perfectio hominis ejusque felicitas. — Attamen, cum de facto homo ad finem supernaturalem destinetur, virtutes hujusmodi, quamvis *ex* se naturales, ad finem supernaturalem referri possunt, et sub influxu gratiæ supernaturalis exerceri, imo et supernaturaliter infundi, ut infra dicetur, n. 598.

586. (B) *Dubitatum* fuit num præfatæ virtutes sint *veri nominis virtutes.* Jamvero certum est eas rationem virtutis vere habere, quando ad ultimum finem supernaturalem, mediante caritate, referuntur. Certum est pariter easdem, quamdiu intra ordinem naturalem sistunt, non posse mereri aut consequi salutem æternam, cum desit proportio inter finem supernaturalem et actus virtutum naturalium.

Attamen dici potest has esse virtutes *veras* et *perfectas in genere suo;* nam, ut recte ait *Benedictus XIV*, "si infideles possunt honesta opera facere, et in eis frequenter se exercere, possunt etiam habitus talium operum acquirere et sibi comparare, et sic per consequens veras et perfectas in suo genere habere morales virtutes [2]".

587. 2° **Partitio.** Inter virtutes morales, quatuor sunt principales, quæ *cardinales* vocantur, quia in his veluti *cardinibus* ceteræ virtutes nituntur : *prudentia* videlicet, *justitia, fortitudo* et *temperantia* [3].

---

[1] Insufficientiam scientiæ ad rectam vitæ moralis institutionem, veramque cordis felicitatem præclare ostendit *Brunetière*, in *Revue des Deux Mondes*, 1 Jan. 1895; cfr. *M. d'Hulst*, L'empoisonnement de la Science, in *Mélanges oratoires*, t. IV, p. 174-189.

[2] *Benedict. XIV*, De servorum Dei beatific., lib. III, c. 21, n. 6.

[3] *Vacant-Mangenot*, Dict. de Théol., t. II, 1714.

Patres et theologi sæpe hanc divisionem colligunt ex his *Sapientiæ* verbis [1] : "Sobrietatem enim (id est temperantiam) et prudentiam docet, et justitiam, et *virtutem* (fortitudinem), quibus utilius nihil est in vitâ hominibus." Ibi sane non traditur *scientifica* virtutum divisio, sed quarumdam principalium recensio. — Pagani pariter philosophi quatuor præcipuas virtutes connumerabant, cum præfatis consonantes [2]. Hæc autem divisio jam a tempore *S. Ambrosii* communis evasit in Ecclesiâ.

588. (A) Hic prior esse videtur qui quatuor prælaudatas virtutes *cardinales* appellaverit : "Et quidem scimus virtutes esse quatuor *cardinales*, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem [3]. Postea vero earum notionem sic tradit [4] : "Quarum primo loco constituerunt *prudentiam*, quæ in veri investigatione versatur, et scientiæ plenioris infundit cupiditatem; secundo *justitiam*, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit ut communem æquitatem custodiat; tertio *fortitudinem*, quæ et in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, et domi eminet, corporisque præstat viribus; quarto *temperantiam*, quæ modum ordinemque servat omnium, quæ vel agenda vel dicenda arbitramur."

589. (B) Quam theoriam, ab aliis Patribus generatim acceptam, *S. Thomas* expolivit, exponendo videlicet *cur* quatuor sint virtutes cardinales, et *quâ ratione* ab invicem distinguantur. Animadvertit imprimis virtutes cardinales dupliciter posse considerari : (a) quatenus significant *quasdam generales conditiones* humani animi, quæ in omnibus virtutibus inveniuntur; sic *prudentia* est quædam rectitudo judicii practici, quâ servatur discretio in singulis actibus; *justitia* est animi rectitudo quâ homo recte se habet in omnibus agendis; *fortitudo* est firmitas quædam contra quoscumque passionum impetus vel operationum labores; *temperantia* intelligitur quædam moderatio in omnibus. Quo sensu, hæ virtutes non sunt ab invicem distinctæ, sed dicuntur cardinales, quia sunt generales conditiones aut proprietates cujuslibet virtutis, quæ debet esse simul *prudens*, *justa*, *moderata* et *fortis*. (b) Alio modo autem considerari possunt præfatæ virtutes, secundum quod versantur circa *objecta formaliter diversa*, et in *variis potentiis* subjectantur. Ita *prudentia* in *intellectu practico* residet, et percipit suggeritque media adhibenda ad finem honestum in singulis actibus consequendum; *justitia voluntatem* inclinat ad recte se habendum circa actiones alteri debitas,

[1] *Sap.*, VIII, 7. — [2] *Cicero*, Tuscul., c. 14; De officiis, lib. I, c. 20.
[3] *Ambros.*, Exposit. in Luc., lib. V, n. 62, P. L., XV, 1653.
[4] De officiis ministrorum, lib. I, c. 24, P. L., XVI, 57.

seu ad reddendum cuique suum; *fortitudo* appetitum *irascibilem* perficit, ut firmiter stet contra omnia pericula; *temperantia* est in appetitu *concupiscibili* ad cohibendas sensuales delectationes, eas præsertim quæ ex tactu oriuntur. Juxta hanc acceptionem, prædictæ virtutes vere et realiter distinguuntur, etsi sint aliquo modo connexæ.

590. Præterea in virtutibus cardinalibus distingui possunt partes *integrales*, *subjectivæ* et *potentiales*. Partes *integrales* sunt quædam conditiones aut dispositiones, quæ, etsi virtutem essentialiter non constituant, ad illius integram perfectionem requiruntur; ita ad perfectionem *prudentiæ* desiderantur *memoria*, *intelligentia*, *providentia*, etc. — Partes *subjectivæ* dicuntur variæ species alicujus virtutis; ita justitia dividitur in *commutativam* et *distributivam*. — Partes *potentiales* seu *annexæ* vocantur quædam virtutes minus principales quæ alteri principaliori adjunguntur, etsi ejus naturam perfecte non attingant; sic *religio* et *pietas* erga parentes sunt partes potentiales *justitiæ*, quia nos inclinant ad reddendum Deo et parentibus quidquid ipsis debetur, ita tamen ut quod eis debetur non valeamus ad æqualitatem reddere.

Hanc divisionem esse satis implexam patet ex solâ consideratione *arboris virtutum* quam delineaverunt quidam Scholastici. Et sane, ad perfectionem vitæ christianæ, necesse non est accuratam tradere notionem omnium virtutum cum omnibus partibus suis; sed præcipuas exponere et colere satis est; cum enim multæ sint connexæ, qui præcipuas acquirere satagit, eo ipso in aliis proficit.

591. 3° **De proprietatibus virtutum moralium.** Hic duo exponemus, videlicet quo sensu virtutes morales sint *connexæ*, et quid intelligatur per axioma : *in medio stat* virtus.

(A) *De connexione virtutum.* Jam suo tempore *Augustinus* putabat quatuor virtutes cardinales ita inter se connecti, ut una non possit vere et proprie coli sine aliis[1] : " Certe hinc persuadent, qui unam virtutem habuerit habere omnes, et omnes deesse cui una defuerit, quod *prudentia* nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse : nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro si et prudentia tunc erit, si et fortis, et justa, et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet ceteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta; sic temperantia necesse est ut prudens, fortis et justa sit; sic justitia non est, nisi sit prudens, fortis et temperans. Ita ubi *vera* est aliqua earum, et aliæ similiter sunt; ubi autem aliæ desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur."

[1] *S. August.*, epist. 167 (al. 29) ad Hieronymum, P. L., XXXIII, 735.

Quam theoriam amplexi sunt *Scholastici*, eo sensu quod virtutes morales *perfectæ* ita inter se connectuntur, ut, unâ amissâ, ceteræ suam perfectionem amittant. Virtutes autem *perfectæ* dicuntur quando non sunt meræ inclinationes, sed inclinationes *firmæ* ad sequendam rationem, omniaque habent requisita ad earum integritatem. Tunc vere dici potest has virtutes esse connexas, quia diu in unâ perseverare nequimus quin et aliis ornati simus; ita nemo potest esse diu justus, quin sit prudens, temperans atque fortitudine præditus. Hinc qui perfecte et stabiliter unam ex his colit, eo ipso in aliis proficit, ut modo dicebamus.

592. (**B**) *De medio virtutum moralium.* Hujusmodi virtutes *in medio* consistunt : (**a**) quatenus excessus oppositos vitant[1]; v. g. fortitudo media stat inter ignaviam et temeritatem. Ideo enim sunt morales quia conformes sunt regulæ morum; porro a regulâ deflectere possunt duplici modo, vel excedendo mensuram, vel ab eâ deficiendo; ergo, ad vitandum hunc duplicem excessum, in medio consistere debent. (**b**) Præterea, quando adest jurium aut officiorum collisio, *medium* virtutum consistit in eo quod una virtus per aliam temperetur : ita, si justitia inclinat ad sontes stricte puniendos, quandoque clementia suadet ut, omnibus attentis circumstantiis, pœna mitigetur. — Ad *prudentiam* vero spectat, quatenus est *auriga* virtutum, hoc *medium* suggerere.

593. 4° **De augmento, diminutione et amissione** virtutum moralium acquisitarum valent principia superius tradita de habitibus acquisitis, n. 573-577.

Art. II. De virtutibus infusis[2].

594. Præter virtutes acquisitas, in animâ justi insunt habitus *supernaturales* divinitus *infusi*, quibus ad actus meritorios eligendos finemque supernaturalem consequendum dirigitur. Etenim ad vitam supernaturalem, ex quâdam analogiâ cum vitâ naturali, tria requiruntur : (**a**) *principium vitale*, quod nihil aliud est nisi *gratia habitualis*, substan-

[1] Hæc erat *Stoicorum* doctrina, teste *Horatio*, Ep. 18, 9 :

"Virtus est medium vitiorum, et utrimque reductum."

[2] *S. Thom.*, 1, 2æ, q. 62-63; *Suarez*, de Passionibus et habitibus, diss. III; *Joan. a S. Thomâ*, op. cit., disp. XVI; *Lequeux*, op. cit., p. 40-49 et passim; *Müller*, § 114-119; *Pesch*, Prælect. dogmaticæ, t. VIII, n. 19-96; *Billot*, op. cit., th. 1-5

tiam animæ nostræ perficiens et elevans, ita ut principium *remotum* possit esse actionum supernaturalium; (b) *facultates operativæ*, seu *virtutes infusæ*, quibus potentiæ naturaliter nobis insitæ ita elevantur ut principium *proximum* esse valeant actuum supernaturalium; (c) *concursus Dei supernaturalis*, gratia videlicet actualis, vi cujus facultates nostræ, virtutibus infusis roboratæ, excitantur et juvantur ad actus supernaturales et meritorios eliciendos.

I. Notio et species.

595. (A) Virtutes infusæ sunt *habitus supernaturales a Deo inditi, quibus animæ facultates potentiam accipiunt eliciendi actus supernaturales.* (a) In hoc enim primario a virtutibus naturalibus distinguuntur quod non repetitis actibus acquiruntur, sed divinitus infunduntur. Quædam virtutes dicuntur infusæ *per se*, quia solis viribus naturæ acquiri nequeunt, ideoque existere non valent nisi infundantur; aliæ vero *per accidens* infunduntur, quia, etsi repetitis actibus acquiri possint, a Deo tamen, ex speciali ejus benevolentiâ, conferuntur. (b) Præterea, juxta communem sententiam, non præbent *facilitatem*, sed solum *potentiam* supernaturaliter agendi : experientiâ enim constare videtur eos, qui virtutes infusas in baptismo acceperunt, non esse conscios hujus facilitatis ad supernaturaliter agendum, — et ex adverso, per repetitos actus harum virtutum, mox suaviter inclinari ad eosdem facilius et delectabilius eliciendos.

596. (B) Virtutes infusæ possunt esse *theologicæ* aut *morales*. (a) *Priores* ita vocantur quia immediate ad Deum referuntur; siquidem *objectum materiale* circa quod versantur non est res creata, sed Deus ipse supernaturaliter cognitus; *motivum* autem (*objectum formale*) cui innituntur, est unum e divinis attributis. Tres sunt, videlicet *fides*, *spes*, *caritas*, de quibus mox disseremus.

(b) *Morales* virtutes versantur immediate circa aliquod objectum creatum (v. g. justitia reddit unicuique suum), et motivum propter quod coluntur est ipsius actûs supernaturalis honestas. Ad quatuor revocantur, quæ *cardinales* dicuntur; hæ non differunt ex parte *objecti* a quatuor cardinalibus acquisitis de quibus supra; sed solum ratione *ori-*

ginis, cum divinitus infundantur, ratione *exercitii*, cum sub influxu gratiæ actualis exerceantur, et ratione *finis*, quia *per se* tendunt ad finem supernaturalem.

II. Existentia virtutum infusarum.

597. **Thesis :** *Certum est virtutes theologicas fidei, spei et caritatis in ipsâ justificatione infundi, et communiter idem tenetur de virtutibus moralibus, præsertim cardinalibus.*

(A) *Scriptura* id satis clare innuit quoad caritatem, et subobscure quoad alias : "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis[1]"; ibi enim dicitur caritatem (Dei erga nos, ideoque caritatem nostram erga Deum, cum caritas *mutua* sit) per Spiritum infundi ipso instanti quo. Ipse nobis datur, id est quo justificamur. Aliæ pariter virtutes exhibentur ut *donum Dei :* "Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis[2]". — *Patres*, quanquam diserte thesim nostram non propugnant, haud raro asserunt virtutes christianas esse donum Dei, donum Spiritûs sancti, per gratiam donari. Ita, inter alios, *Augustinus :* "Adveniet gratia post Legem; ipsa est benedictio. Et quid nobis præstitit ista gratia et benedictio?" Respondet per gratiam multas virtutes dari, quas recenset, et, post descriptas quatuor *cardinales*, addit : "Istæ virtutes nunc in convalle ploralionis per gratiam Dei dantur nobis[3]."

598. (B) Ineunte *sæc. XIII*, ut certum supponebatur virtutes cum gratiâ habituali infundi in adultos, sed dubitabatur num idem de parvulis dicendum esset, et quidam dicebant per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, non autem gratiam nec virtutes conferri[4]. Res postea ad concilium *Viennense* (an. 1311) delata fuit, et ibi declaratum est[5] : "Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et *virtutes*, tanquam *probabiliorem* et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio duximus eligendam."

---

[1] *Rom.*, V, 5. — [2] *II Tim.*, I, 7.
[3] *S. August.*, in Ps. 73, n. 11, P. L., XXXVII, 1065-1066.
[4] *Decretal. Gregor.*, l. III, tit. 42, c. 3. — [5] *Denzing.*, n. 411.

Tridentinum idem tanquam *certum* declaravit quoad virtutes theologicas[1] : " In ipsâ justificatione *cum remissione peccatorum* hæc omnia *simul infusa* accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, *fidem*, *spem* et *caritatem*." Idem de aliis virtutibus dicendum esse tenet *Catechismus C. Tridentini;* nam, post descriptam gratiam sanctificantem, ait : " Huic autem additur nobilissimus *omnium virtutum* comitatus, quæ in animam cum gratiâ divinitus infunduntur[2] ".

599. (C) *Ratio id suadet.* In ordine naturali, Deus homini præbet non solum naturam ut principium remotum agendi, sed etiam facultates quibus immediate disponitur ad actum. Porro adest quædam *analogia* inter vitam naturalem et vitam supernaturalem; ideoque merito infertur Deum homini infundere non solum gratiam habitualem, quæ est principium remotum supernaturaliter agendi, sed etiam principia proxima, seu virtutes. Licet enim actus supernaturales elici valeant per auxilia mere actualia, magis consentaneum videtur divinæ sapientiæ ut infundantur habitus supernaturales, quorum ope hi actus regulariter producantur.

III. De augmento virtutum infusarum.

600. 1° *Virtutes simul cum gratiâ augeri* posse sic declarat *Tridentinum*[3] : " Sic ergo justificati, et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem[4] : hoc est, mortificando membra carnis suæ, et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, in ipsâ justitiâ per Christi gratiam acceptâ, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur... Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum. "

---

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 7, ap. *Denzing.*, n. 682.

[2] *Catech. Trident.*, De sacram. baptismi, n. 42. Catechismus non pollet sane auctoritate ipsius Concilii, sed doctrinam communiter acceptam tradit.

[3] *Trident.*, sess. VI, cap. 10, ap. *Denzing.*, n. 685.

[4] *II Cor.*, IV, 16.

601. 2° Hujusmodi virtutes *augentur per dignam sacramentorum susceptionem, et meritum de condigno.*

(A) *Sacramenta* enim gratiam sanctificantem conferunt et quidem *ex opere operato*[1] omnibus non ponentibus obicem, ideoque eam augent in omnibus qui primam gratiam acceperunt; crescente autem gratiâ, eo ipso crescunt virtutes infusæ, quæ cum eâ connectuntur.

(B) Pariter bona opera supernaturalia, teste *Tridentino*[2], vere merentur *augmentum gratiæ*, ac consequenter augmentum virtutum, quæ ex eâ dimanant.

602. 3° De *modo* autem quo virtutes infusæ augentur disputant theologi. (A) Omnes quidem tenent eas crescere intensive, et quidem per *infusionem divinam;* cum enim supernaturales sint, et a Deo in animâ producantur, non possunt propriis voluntatis conatibus augeri, sed solum actione divinâ. Quare harum virtutum actus repetiti non concurrunt *directe* ad earum augmentum, sed solum ut *causa meritoria*, quatenus Deus, horum meritorum intuitu, gratiam et virtutes adauget.

Sed, quando agitur de ratione intrinsecâ illius augmenti, non concordant theologi: (a) *Thomistæ* tenent *intensivum*[3] augmentum fieri non additione novæ formæ aut realitatis, sed *majori radicatione* in subjecto, quod habitus magis sibi subjicit, ejus potentialitatem facilius in actum reducendo. (b) *Scotistæ*[4] vero putant augmentum fieri per *additionem novæ realitatis*, seu novi gradus qui priori accedit et cum eo aliquid unum efficit perfectius. — Quæstio hujusmodi est magis philosophica quam theologica, modernique philosophi generatim declarant nil certi hâc de re definiri posse.

603. (B) Certum est vero *virtutum infusarum exercitio* paulatim acquiri *facilitatem* actus earumdem virtutum exercendi. Quod quidem ex duplici præsertim capite oritur: (a) Ex *remotione* impedimentorum; virtutis enim infusæ exercitio passiones moderantur, præjudicia deponuntur, difficultates superantur: atqui, remotis obstaculis, eo ipso

[1] *Synops. Theol. Dogmat.*, De Sacramentis, n. 45.

[2] *Trident.*, sess. VI, can. 32, ap. Denzing., n. 724; cfr. *Synops. dogmat. De Gratiâ*, n. 193.

[3] Ita *Joannes a S. Thomâ*, op. cit., disp. XIII, art. 6.

[4] *Scotus*, in Sentent., lib. I, dist. 17, q. 3; *Suarez*, Disput. metaphys., XLVI, sect. I, ubi varias opiniones recenset et critice expendit.

faciliores fiunt actus virtutum : (b) Ex ipsâ *consuetudine :* sicut enim, per frequentem actuum naturalium repetitionem, major acquiritur facilitas ad eosdem efficiendos, ita pariter, indirecte saltem, per actuum supernaturalium repetitionem, augetur facilitas eosdem efficiendi : sic enim potentia melius disponitur et veluti inclinatur ad actum. Hinc peccator recens conversus difficile quidem actus temperantiæ, castitatis, fortitudinis etc. operatur; sed, dummodo gratiâ adjutus harum virtutum actus eliciat, gradatim facilius et delectabilius eosdem perficiet.

IV. De amissione virtutum infusarum.

604. 1° *Virtutes infusæ theologicæ amittuntur per actus directe et graviter ipsis contrarios;* ita fides destruitur per peccatum grave apostasiæ aut hæresis, — spes per peccatum mortale desperationis, — caritas per quodlibet peccatum grave, quippe quod divinæ caritati adversatur.

(a) *Fidem* amitti *infidelitate* (id est quolibet gravi peccato contra fidem), non autem aliis peccatis gravibus, ex *Tridentino* constat[1] : " Asserendum est non modo *infidelitate*, per quam et ipsa *fides amittitur*, sed etiam quocumque alio mortali peccato, *quamvis non amittatur fides*, acceptam justificationis gratiam amitti."

(b) *Caritatem* vero *quocumque peccato mortali destrui* pariter ex *Tridentino* colligitur; nam, ex unâ parte, in textu allegato, declaratur justificationis gratiam quocumque peccato mortali amitti; et ex alterâ, definitur justificationem fieri "dum per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret"[2]; ex quo merito infertur caritatem peccatoribus non inhærere. — Quod aliunde constat ex innumeris Scripturæ textibus, in quibus asseritur peccatum opponi dilectioni, et per caritatem filios Dei a peccatoribus distingui[3], ut supra dictum est n. 449. Et revera, ex dictis in *Tr. de Gratiâ*, n. 139-140, talis est nexus inter gratiam et caritatem ut una sine alterâ subsistere nequeat.

---

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 15, ap. *Denzing.*, n. 691. Cfr. *Synopsis Theol. Dogmat.*, De Fide, n. 141-147.

[2] *Trid.*, sess. VI, cap. 7, ap. *Denzing.*, n. 682.

[3] *Joan.*, XIV, 21; *I Joan.*, II, 3-11; III, 7-12.

(c) De *spe* nil expresse definitum est; sed communis et vera sententia tenet eam non destrui, amissâ gratiâ sanctificante, propter analogiam cum fide, sed amitti per desperationem aut per actum fidei contrarium; cum enim, teste Apostolo[1], fides sit *sperandarum* substantia rerum, cum fide necessario perit spes; quid enim sperare possumus, quando jam defecit spei fundamentum, videlicet fides in Deum remuneratorem?

605. 2° *Communiter tenetur virtutes infusas morales amitti*, simul cum gratiâ habituali, *per quodcumque peccatum mortale.*

(A) Quod jam docuerat *S. Prosper*, Augustini discipulus, qui contra errores semi-pelagianos Cassiani scribens, ait: "Virtutes cum vitiis habitare non possunt: quæ enim participatio, inquit Apostolus[2], justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Virtus namque principaliter Deus est: cui non aliud est habere virtutem quam esse virtutem. Hujus cum participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus et Dei sapientia[3]; habitat fides, spes, caritas, continentia, intellectus, consilium, fortitudo, ceteræque virtutes. Cum vero ab hoc bono recedimus, omnia nobis e contrario oriuntur ex nobis[4]".

606. (B) Idem communiter tenent theologi, hâc ratione ducti: virtutes morales infusæ sunt veluti proprietates et nobilissimus gratiæ comitatus, ideoque infunduntur ut vitam nostram in finem supernaturalem ordinent. Jamvero, amissâ gratiâ sanctificante, ejus proprietates logice tolluntur; et cum, per peccatum mortale, homo a fine supernaturali avertatur, privatur consequenter virtutibus quæ ad finem supernaturalem tendunt. — Verum est quidem, ex superius dictis, fidem et spem non tolli quocumque peccato gravi; sed id contingit ex speciali benevolentiâ Dei, qui non permittit per peccatum mortale ipsum fundamentum spiritualis ædificii penitus everti, sed vult fidem et spem in peccatore manere quo facilius hic, verâ pœnitentiâ motus, ad bonum redeat Pastorem animarum.

Ceterum si quæ sint virtutes naturaliter acquisitæ, non necessario pereunt amissâ gratiâ; ita qui virtutem temperantiæ aut justitiæ repetitis actibus assecutus est, eam non perdit eo ipso quod in peccatum grave luxuriæ incidit.

---

[1] *Hebr.*, XI, 1. — [2] *II Cor.*, VI, 14. — [3] *I Cor.*, I, 24.
[4] *S. Prosper*, Contra Collatorem, c. 13, P. L., LI, 247.

607. 3° **Corollarium** : *de imminutione virtutum infusarum.*

(**A**) Communiter docetur *habitus infusos non minui per peccata venialia.* Si enim quolibet peccato veniali minuerentur virtutes infusæ, per multa peccata venialia totaliter destrui possent virtutes infusæ et ipsa gratia habitualis; hoc autem doctrinæ *Tridentinæ* adversatur : "Licet enim in hac mortali vitâ quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi[1] ". — Quod aliunde constat ex dictis de peccato veniali, n. 483; cum enim virtutes infusæ sint nobilissimus gratiæ comitatus, cum eâ augentur vel amittuntur; non autem minuuntur, quia gratia ipsa non minuitur per peccata venialia quæ a Deo nos minime avertunt.

608. (**B**) Attamen *fervor caritatis aliarumque virtutum minuitur per peccata venialia.* Nam (**a**) minuitur *facilitas* agendi juxta habitus infusos, statim ac contra ipsos etiam venialiter peccatur; (**b**) insuper qui frequenter et deliberate venialia committit, eo ipso paulatim ad peccatum grave disponitur, ut supra ostensum est, n. 485, et ita via paratur ad ipsam caritatis amissionem : " Unde consequens est, ait *S. Thomas*[2], quod caritas nullo modo diminui possit, *directe* loquendo; potest tamen *indirecte* dici diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis."

Ad tale damnum sedulo vitandum nil magis prodest quam constans conatus ad proficiendum in christianis virtutibus. De quo profectu dicendum manet in *Theologiâ morali speciali.*

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 11, ap. *Denzing.*, n. 686.
[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 24, a. 10.

Theologia Moralis specialis.

609. Post considerationem de actibus humanis *in genere*, quatenus, dirigentibus lege et conscientiâ, ad ultimum finem tendunt, — post dicta de peccatis et vitiis quæ nos a Deo avertunt, necnon de virtutibus in communi quibus ad Deum suaviter inclinamur, necesse est disserere de actibus humanis *in specie :* " Sermones enim morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt [1] ".

Hæc autem pars, quæ de actibus *in specie* disserit, *Theologia specialis* dicitur. Diversimode a diversis auctoribus dividitur : (a) *S. Thomas*, quem multi Scholastici secuti sunt, eam in duas partes distribuit, quarum prior agit de his quæ pertinent ad *omnes hominum status*, posterior autem de his quæ pertinent ad *determinatos status*. Priorem vero iterum partitur secundum virtutes; hæ septem sunt numero, tres scilicet *theologicæ* et quatuor *cardinales*, de quibus seorsim ac late disputat, eas describens cum omnibus partibus suis, et cum donis Spiritûs sancti quæ eisdem respondent.

610. (b) Alii, præsertim *casuistæ*[2], qui ad usum confessariorum scribunt, prætermittentes, in suis *Institutionibus Theologiæ Moralis*, ea omnia quæ ad christianam *perfectionem* consequendam requiruntur, de *præceptis*, quæ ad *salutem* obtinendam necessaria sunt, solum disserunt : 1° de præceptis *virtutum theologicarum;* 2° de præceptis *decalogi;* 3° de præceptis *Ecclesiæ;* 4° de *pœnis* ab Ecclesiâ latis contra graviora delicta; 5° de *sacramentis* quatenus *media* sunt ad servanda præcepta. — Hic ordo utilis est quidem *confessario* pœnitentes *interroganti*, minus vero prodest *directori*, qui animas non solum a malo avertere debet, sed etiam in viâ christianarum virtutum ducere. Posset quidem imo et deberet confessor *asceticos* auctores

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, Prologus.

[2] Ita præsertim *Busembaum*, S. J. (1600-1668), Medulla Theologiæ moralis, quem secuti sunt et commentariis exposuerunt, inter alios, *Lacroix* et *S. Alphonsus*.

legere, sed non pauci id prætermittunt, putantes theologiam moralem ad omnia sufficere. — Aliunde præcepta Decalogi aut Ecclesiæ ordinem logicum et scientificum non exhibent, et sæpe nonnisi negativa sunt; hæc igitur divisio, etsi in catecheticis instructionibus satis practica, minus apta videtur *scientificæ* expositioni christianæ Ethicæ.

(c) Alii, naturalis Ethicæ divisioni inhærentes, de officiis erga *Deum*, *seipsum* et *proximum* successive disserunt[1]: officia erga Deum et seipsum ad moralem *individualem*, officia erga proximum ad moralem *socialem* spectant. Quæ quidem divisio, præ suâ simplicitate et perspicuitate, ad popularem et compendiosam expositionem Moralis multum prodesse potest; minus tamen apta videtur *scientificæ* investigationi, quia non paucæ virtutes, ut caritas, ad Deum, seipsum et proximum referuntur, et melius res intelliguntur atque concatenantur, quando varia officia unius ejusdemque virtutis in eodem Tractatu declarantur.

611. Quapropter sequimur ordinem ab *Angelico Doctore* delineatum, eum tamen hodiernis moribus accommodantes. Disseremus proinde : —

I. De **virtutibus theologicis,** *fide*, *spe* et *caritate*, quæ *immediate Deum* attingunt, et uni e divinis *attributis* tanquam *motivo* innituntur.

II. De **virtute religionis,** quæ divinum *cultum*, sive internum sive externum, respicit, ideoque quasi *media* consistit inter virtutes theologicas et morales; in hoc tractatu exponuntur tria priora *Decalogi præcepta.*

III. De **virtutibus moralibus,** quæ ad mores nostros honeste et christiane componendos suaviter nos inclinant, præsertim de *prudentiâ*, *temperantiâ*, et *fortitudine*, quæ *cardinales* vocantur; quibus additur supplementum de *Castitate*, ubi exponitur *sextum* Decalogi præceptum.

IV. Speciatim de **virtute justitiæ,** quâ redditur cuique suum; hæc est quidem una e virtutibus *cardinalibus*, sed, propter multiplicia jura et officia quæ complectitur, fusiorem postulat expositionem. Ibi declarantur quatuor Decalogi præcepta, videlicet *quintum*, *septimum*, *octavum* et *decimum.*

V. De **variis statuum obligationibus,** seu de officiis quæ præcipuis laicorum et clericorum statibus propria sunt; ibi,

[1] Ita v. g. *Michel*, Theologiæ Moralis Principia, Parisiis, 1901-1902.

inter alias res, exponitur *quartum* Decalogi præceptum, de mutuis officiis parentum ac filiorum, dominorum et famulorum.

De **sacramentis** autem, quæ partem *dogmaticam* simul et *moralem* complectuntur, disserimus partim in *Synopsi Theol. dogmaticæ*, post *Tr. de Gratiâ*, partim in *Synopsi Theol. moralis* [1].

De virtutibus *cardinalibus* agendo, non omnes partes earum *integrales*, *subjectivas* et *potentiales* describemus, sed eas tantum quæ ad praxim magis prosunt. — Præterea, quo facilius confessarii pœnitentes interrogare valeant, in *Supplemento* de *Præceptis Dei et Ecclesiæ* ostendemus quomodo hujusmodi præcepta variis virtutibus respondeant, et quænam peccata contra præcepta committi soleant.

[1] Attamen, ad usum Seminariorum ubi doctrina *moralis* de Sacramentis *seorsim* tradi solet, speciale volumen edimus complectens quæstiones *practicas* de sacramentis in genere et in specie.

De Virtutibus Theologicis.

612. Virtus *theologica* est *virtus per se infusa*, cujus objectum *immediatum*, saltem primarium, est *ipse Deus*, et *motivum est unum e divinis attributis.*

Tres, et tres tantum, esse theologicas virtutes, ex communi Pastorum et Fidelium sensu, colligi potest. Has commemorat *Paulus :* [1] "Nunc autem *manent fides, spes, caritas*, tria hæc; major autem horum est caritas." Ex contextu, hic agitur non de actibus, sed de *virtutibus*, quæ permanent; fides et spes evacuabuntur quidem per visionem beatificam, sed caritas nunquam excidet. — De eisdem agit *Augustinus* in speciali tractatu, cui titulus *Enchiridion*, sive de Fide, Spe et Caritate, ubi inter alia hæc habet : "Propter quod apostolus *Paulus* fidem, quæ per *dilectionem* operatur [2], approbat atque commendat, quæ utique sine *spe* non potest esse. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide [3]". Alibi vero exponit quomodo hujusmodi virtutes ad spirituale perfectionis ædificium conferant; "(Domus Dei) credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur [4] ".

613. Cur vero tres sint virtutes theologicæ, et quomodo inter se connectantur, declarat *S. Thomas* [5]. (**a**) Cum *supernaturalis* beatitudo, ad quam homines ordinantur, sit supra vires nostras, necesse est ut ad eam disponamur per *habitus supernaturaliter infusos;* hi autem, ut nos sufficienter ad Deum ordinemur, tres requiruntur. Ut intellectus noster Deum supernaturaliter cognoscat in hâc vitâ, requiritur *fides*, quâ veritatibus divinitus revelatis assentimur. Voluntas autem supernaturalem finem *intendit* per *spem*, quâ salutem æternam fiducialiter exspectamus mediaque ad eam consequendam.

---

[1] *I Cor.*, XIII, 13. — [2] *Galat.*, V, 6.
[3] *S. August.*, Enchiridion, c. 8, P. L., XL, 235.
[4] Sermo 27, n. 1, P. L., XXXVIII, 178.
[5] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 62.

Tandem voluntas spiritualiter Deo *conjungitur* per *caritatem*, per quam quodammodo transformatur in eum. — Nec requiruntur plures virtutes theologicæ quam tres; intellectus siquidem, per fidem, refertur ad Deum sub ratione *veri;* voluntas, per *spem*, fertur in Deum, ut est bonum *nostrum*, quo videlicet perfecte beari valemus; per *caritatem* vero, fertur in eum, quatenus est summum bonum *in se;* et ita sufficienter his tribus ordinamur in Deum.

(b) Duplex *ordo* in virtutibus theologicis distinguitur. Ordine *generationis*, fides, quoad *exercitium*[1], præcedit spem et caritatem, non enim potest voluntas ferri in Deum per spem aut dilectionem, nisi hic prius per fidem supernaturaliter cognoscatur; pariter Deum tanquam bonum *in se* diligere non solemus, nisi prius eum ut bonum *nostrum* apprehendamus, et ita spes præcedit caritatem. — Ordine *perfectionis*, caritas præcedit fidem et spem, eo quod tam fides quam spes per caritatem formatur, et perfectionem virtutis acquirit; et ita caritas est *mater* omnium virtutum[2].

Virtutes theologicas juxta ordinem *generationis* describemus, videlicet :

I, *fidem*, per quam Deo revelanti totâ mente assentimur;

II, *spem*, quâ Dei possessionem mediaque ad eam assequendam fiducialiter expectamus;

III, *caritatem*, quâ Deum ex toto corde diligimus, et proximum propter Deum.

[1] Dico quoad *exercitium*, nam ipsi *habitus* fidei, spei et caritatis *simul* infunduntur, ex dictis in *Tr. de Virtutibus*, n. 597.

[2] Excellentia caritatis ejusque supereminentia egregie describitur *I Cor.* XIII.

Caput j.

DE VIRTUTE FIDEI.

614. Præsupponentes quæ in *Theologiâ Dogmaticâ* scripsimus de *objecto* et *actu* fidei, hic quæstiones morales expendemus : —

I. De *naturâ* et *præstantiâ* fidei;

II. De ejus *necessitate;*

III. De *peccatis* contra fidem;

IV. De *mediis* in fide *proficiendi.*

Art. I. De naturâ et præstantiâ fidei.

I. De naturâ fidei[1].

615. Fides *divina*, de quâ agitur, distingui debet tum a *scientiâ naturali*, tum a fide *humanâ.* Scientia naturalis, qualis est Philosophia, versatur circa veritates quæ solo rationis lumine acquiri possunt, et innititur evidentiæ *intrinsecæ*, quæ methodo sive deductivo sive inductivo attingitur. Fides *humana* innititur *hominum testimonio*, nobisque illas cognitiones præbet, quas ex intrinsecâ rerum evidentiâ aut propriâ investigatione adipisci nequimus; ita scientiæ historicæ humano innituntur testimonio. Fides vero *divina* versatur circa res divinitus revelatas, et eisdem assentimur non propter intrinsecam rerum evidentiam, nec propter testimonium hominum, sed propter *auctoritatem ipsius Dei revelantis.*

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 2, a. 1-2; *Suarez*, De fide, disp. I et VII; *Lugo*, de Virtute fidei, disp. XV, aliique quos allegavimus in *Synopsi Theol. Dogmat.*, De Fide, p. 10; *Newman*, University Sermons; *id.*, Grammar of assent; cujus doctrinam de naturâ et genesi fidei digessit *H. Bremond*, in opere : Newman, Psychologie de la Foi, Paris, Bloud, 1905.

Attamen fides humana, seu propensio quæ nobis inest testimonium accipiendi tanquam unum e fontibus indagandæ veritatis, optima est dispositio ad fidem divinam; nam, "si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est[1]". Quis enim sanæ mentis, et a præjudiciis immunis, Dei testimonium respuere potest, quando jam Dei infinite sapientis et veracis existentiam admittit? Naturalis igitur propensio credendi hominibus innata est quasi præparatio ad donum fidei divinæ accipiendum[2].

Quibus positis, breviter contrahemus quæ alibi[3] jam scripsimus de fidei *definitione*, *conditionibus* ad actum fidei, ejusque *genesi*.

616. 1° **Definitio.** (A) Fides, in *ep. ad Hebræos* describitur tanquam "sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium[4]" Eamdem *Vaticanum* profitetur[5] "virtutem esse supernaturalem, quâ, Dei aspirante et adjuvante gratiâ, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest". Exinde erui potest definitio fidei, sive ut habitûs, sive ut actûs.

(B) Fides, ut *habitus*, definiri solet *virtus supernaturaliter infusa et theologica, disponens mentem*, id est intellectum et voluntatem, *ad assentiendum firmiter*, sub influxu *gratiæ actualis*, propter *divinam auctoritatem*, omnibus a Deo *revelatis*[6]. — *Actus* vero fidei definiri potest actus quo intellec-

[1] *I Joa.*, V, 9. — [2] *M. d'Hulst*, Confér., 1892, 3e Conf., p. 91.

[3] *Synop. Th. Dogmat.*, De Fide, n. 19-26 et 102-119.

[4] *Hebr.* XI, 1. Quam descriptionem poetice exponit *Dante*, La Divina Commedia, Paradiso, cant. 24. Ex Paulinâ definitione sequitur fidem versari circa res *sperandas*, quæ videlicet ad beatitudinem nostram supernaturalem spectant.

[5] Sess. III, cap. 3, *Denzing.*, n. 1638.

[6] Recenter impugnata fuit hæc definitio, quia non est satis *psychologica*, nec sufficienter ostendit quomodo fides supernaturalis *naturali facultati credenti* innitatur; ideoque hæc alia proposita fuit : *facultas naturalis supernaturaliter a Deo per gratiam transmutata*, disponens mentem ad assentiendum firmiter, etc." (*Péchegut*, in *Rev. du Clergé français*, t. XXIX, déc. 1901, p. 72-76). Hæc vero facultas *naturalis supernaturaliter transmutata* conceptum valde obscurum exhibet : in quo enim consistit hujusmodi *transmutatio?* — Ceteroquin *classica* defi-

tus, ex imperio voluntatis per gratiam adjutæ, firmiter assentitur propter auctoritatem Dei, omnibus divinitus revelatis.

617. 2° **Conditiones ad fidem.** E triplici capite requiruntur nempe ex parte *objecti*, *subjecti*, *Dei* : —

(a) Ex parte *objecti* : *revelatio* alicujus veritatis; secus nil fide *divinâ* credi potest; — hujus veritatis *propositio*, seu manifestatio iis facta quibus Deus non immediate revelavit; — *motiva credibilitatis*, seu rationes, probationes quibus *certo moraliter* judicari possit aliquam veritatem esse revelatam, ideoque *credibilem* et *credendam;* sufficit autem illa certitudo *moralis*, quæ *prudentem* errandi formidinem excludit.

(b) Ex parte *subjecti* : *præjudiciorum absentia;* nam, in re præsertim morali, nihil magis intellectum obnubilat et excæcat quam judicia *a priori*, sine sufficienti fundamento formata, qualia sunt v. g. hæc aut similia : miraculum est impossible, facta præternaturalia demonstrari nequeunt; — desideratur insuper *pius credendi affectus :* cum enim veritates fidei sæpe sint obscuræ, et humanis passionibus maxime adversentur, intellectus, naturali quodam instinctu, ad eas negandas pronus est, nisi suaviter inclinetur a voluntate.

(c) Ex parte *Dei*, requiritur gratia actualis quæ hominem *præveniat*, ejus intellectum *illuminet* quo facilius *motivorum credibilitatis* vim percipiat, moveatque voluntatem ut hæc intellectûs assensum imperet. Fides enim est actus vere supernaturalis, donum Dei speciale quod est vere gratuitum : " Nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest sicut oportèt ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati " [1].

618. 3° **De genesi fidei.** Quibus positis, intelligi potest quomodo *regulariter* actus fidei, *logico* processu, eliciatur ab adulto qui nondum fidem christianam amplexus est. Supponimus eum esse *recte dispositum*, ita ut veritatem accipere paratus sit, etiam præjudiciis aut passionibus oppositam : secus enim vim argumentorum vix capere poterit. (a) Imprimis *Dei existentiam* ejusque *infallibilem veracitatem naturaliter* agnoscere debet sive ratiocinio, considerando videlicet argumenta quæ in *Prælect. Philosophicis* exponuntur; sive

---

nitio, quæ *C. Vaticano* innititur, *psychologice* exponi potest : jam enim satis clare significatur virtutem fidei in intellectu et voluntate inseri, cooperante Dei gratiâ, et in declaratione definitionis, præsertim vero ubi agitur de actu fidei, processus psychologicus fidei describi valet. — Controversias hâc de re habitas inter *Péchegut* et *Gayraud*, *Guillemant*, *Le Bras*, vide in *Rev. du Clergé français*, t.XXIX, pp. 206, 320, 537, 636.

[1] *Vaticanum*, sess. III, cap. 3, ap. *Denzing.*, n. 1640.

aliis mediis naturalibus, v. g. auctoritate parentum vel doctiorum, qui has veritates proponunt. Ad cognitionem hujusmodi sufficit *per se* concursus Dei naturalis. (b) Postea, propriæ conscius inhabilitatis ad detegendas omnes veritates quarum cognitione indiget ad vitam recte ordinandam, *revelationis factum* investigatur, historiæ ac criticæ ope, *motiva credibilitatis* considerando, sive *intrinseca*, sive *extrinseca*, quæ exponuntur in *Tr. de Verâ Religione*, præsertim argumenta quibus divinitas missionis Christi probatur. Quæ quidem motiva, præsertim si *omnia simul*, *attente* et *sincere* percurrantur, *moralem* generant certitudinem, quæ *prudentem* errandi formidinem excludit. Ad hoc sufficit etiam *per se* concursus Dei naturalis, licet Deus auxilio præternaturali tum intellectum tum voluntatem in hoc studio juvare soleat; hinc valde expedit ut auxilium Dei frequenti oratione postuletur. (c) Ex hâc duplici consideratione jam efformari poterit judicium *speculativum* de *possibilitate* et *obligatione* credendi, seu, ut aiunt, de *credibilitate* et *credentitate*. Nam si Deus infallibiliter verax quasdam veritates revelavit, eisdem assensum præbere tenemur. Tale judicium *in se* est naturale; sed, cum sit proxima et positiva præparatio ad ipsum actum fidei, facultates nostræ jam gratiâ *supernaturali* de facto ad illud efformandum juvantur. (d) Huic succedit actus *voluntatis* assensum intellectûs imperantis : cum enim agatur de re *in se inevidenti*, et quæ aliunde nonnisi certo moraliter constat, certitudine *prudens* dubium excludente, necesse est ut voluntas hunc prudentem intellectûs assensum imperet. Exinde elicitur actus *fidei implicitæ*, seu judicium practicum intellectûs assentientis modo generali omnibus veritatibus a Deo revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis. Hic est vere actus fidei supernaturalis, ab *intellectu* elicitus, sub *imperio liberæ voluntatis*, excitante ac cooperante *gratiâ* Dei quæ intellectum illuminat ac voluntatem movet : est proinde actus *liber*, et positis ponendis, *meritorius*. (e) Postea inquirendum remanet quænam sint *in specie* veritates a Deo revelatæ, ut explicite credi valeant. Jamvero una e veritatibus, a Christo manifestatis, est *infallibilis auctoritas Ecclesiæ* concessa, ad auctoritative proponendas veritates credendas : huic veritati assensus superna-

turalis est actus fidei *explicitæ*, ab intellectu elicitus, sub imperio voluntatis et influxu gratiæ. Quo peracto, jam facilis erit via ad credendum explicite quidquid Ecclesia infallibilis tanquam de fide proposuerit.

II. De fidei præstantiâ[1].

619. Fides, præsertim ea quæ fiduciæ conjungitur et per caritatem operatur, multum sane confert ad bonum *privatum* et *publicum*.

1° Ad bonum **privatum**. Siquidem, (A) fides, modo *generali* sumpta, teste *Tridentino*[2], merito dicitur "*humanæ salutis initium, fundamentum* et *radix* omnis *justificationis*, sine quâ impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire." Est videlicet *salutis initium;* non enim possumus mediis uti ad salutem necessariis, nisi ea noverimus; neque ea cognoscere valemus nisi per fidem, cum sint *supernaturalia :* fide cognoscimus Deum ut finem ultimum supernaturalem, — Christum Redemptorem et mediatorem, — omniaque a Christo instituta ad justificationem consequendam, gratiamque augendam et servandam. Hinc, teste Apostolo[3], justus *ex fide vivit*, *ex fide justificatur*, et *per fidem salvatur*. Fides igitur vere est *fundamentum* totius ædificii spiritualis, et veluti *lapis angularis* sine quo stare nequit. Merito etiam dicitur *radix* totius justificationis; sicut enim radix non solum sustentat arborem, sed ei succum etiam subministrat, quo folia et fructum profert, ita fides vitam spiritualem non solum sustentat, sed etiam nutrit, dum varias ac pias affectiones timoris, spei, aliasque similes, tanquam succum aliquem nobis ingerit, ex quo caritatis fructus pullulant.

620. (B) Si spectatur quatenus *intellectum* perficiens, est veluti *novum lumen* rationis lumini superadditum, quo veritates humanæ rationi impervias attingere valemus; ut enim

---

[1] *Lacordaire*, 12e Conférence; *Largent*, Une station de Carême, Paris, 1881, p. 33; *Bouquillon*, De virt. theologicis, n. 198-204; *M. d'Hulst*, Confér. 1892, p. 123-129; *Gay*, Vie et Vertus chrét., Paris, 1876, t. I, l. III, De la Foi, p. 142-155.

[2] *Trident.*, sess. VI, cap. 8 (*Denzing.*, n. 683).

[3] *Rom.* I, 17; V, 1; *Galat.*, III, 11; *I Cor.*, XV, 1-2, etc.

dictum est in *Tr. de Verâ Religione*, n. 142-145, multa sunt ordinis moralis problemata, et quidem maximi momenti, quæ mens humana sibi relicta solvere nequit, præsertim circa hominis originem, naturam, finem ultimum mediaque ad eum attingendum necessaria ; jamvero his omnibus quæsitis fides responsum præbet certum, rationi consentaneum, omniumque ingenio accommodatum ; ita a multiplici *dubio* et *errore* nos liberat, et est veluti *pharus* ostendens recti itineris semitam, inter errorum scopula, salutisque portum ad quem tendimus.

621. (C) Quoad *voluntatem, roboris* et *solatii* fons perennis merito dicitur. (a) *Roboris* quidem ; quod præclare declarat Apostolus : post descripta egregie facta a Patribus, fide adjuvante, hæc addit[1] : " Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones... convaluerunt in infirmitate, fortes facti sunt in bello".

Revera fides præ oculis exhibet quidquid Deus pro salute nostrâ præstitit, quâ caritate nos ab æterno dilexit, quomodo nos in filios adoptavit, et Filium suum Unigenitum ad salvandos peccatores tradidit ; — quot et quanta beneficia Christus nobis contulit, qualia tormenta ad nos redimendos libenter passus est, quæ media ad nostram sanctificationem benigne instituit, quo perenni amore nos in altari delitescens prosequitur ; — quæ æterna præmia aut tormenta nobis præparantur, prout bene vel male egerimus. Porro hæc omnia, aliaque multa quæ fides suggerit, meliori quo fieri potest modo homines ad amorem Dei et proximi provocant, novasque vires his addunt, ut, contemptis sæculi vanitatibus spretisque voluptatum illecebris, strenue ac constanter bonum prosequantur.

(b) Maximum pariter *solatium* præbet fides inter vitæ ærumnas ; nam si omnis creatura ingemiscit, exemplo Christi patientis et in cruce morientis, necnon spe futurorum bonorum haud parum leniuntur dolores : " Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum... Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem[2]... Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus

[1] *Hebr.*, XI, 33-34 ; integrum legatur caput.
[2] *Rom.* V, 1-4.

temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis[1]... Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum[2]".

Quod quidem maxime apparet quando parentes, cognatos, amicos intime dilectos amittimus : "Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo"[3]. Per mortem enim, "vita mutatur, non tollitur, et, dissolutâ terrestris hujus habitationis domo, æterna in cœlis habitatio comparatur"[4]. Interea vero, vi communionis sanctorum, defunctis amicis intime conjuncti manemus : pro eis in purgatorio detentis deprecamur, et ipsi in cælum ingressi, jam de suâ immortalitate securi, pro nostrâ salute fiunt solliciti, et pro nobis intercedunt[5].

622. (D) Ex quo sequitur fidem esse valde *meritoriam*, hæc est enim præstantissimum mentis nostræ *obsequium*, quo voluntatem simul et intellectum divinæ auctoritati libere subjicimus. Cum enim res, quibus assentimur, non sint evidentes, sed plerumque creditu difficiles, necnon passionibus adversentur, præsertim superbiæ, voluptati et egotismo, necesse est ut voluntas nostra suaviter et fortiter intellectum inclinet non solum ad motiva credibilitatis attente consideranda, sed etiam ad assensum humiliter præbendum veritatibus revelatis; quod quidem valde meritorium esse nemo est qui non videat.

Exinde etiam colligitur eam esse quasi *auroram* et *prælibationem* visionis beatificæ; credimus enim per fidem ea quæ per lumen gloriæ contemplabimur, et, quanquam nonnisi *obscure* eadem percipimus, *certo* et *firmiter* assensum præbemus propter auctoritatem Dei, qui nec falli, nec fallere potest. Quare de christianis multo magis quam de patriarchis dici potest : "Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram"[6].

623. 2° Ad bonum **publicum** seu *sociale*. (A) Societas

[1] *Rom.*, VIII, 17-18. — [2] *Rom.*, VIII, 28. — [3] *I Thess.*, IV, 12.

[4] *Missale*, Proprium pro Galliâ, Præf. pro defunctis.

[5] Quantum solatium fides afflictis præbeat eloquenter declarant *Bougaud*, Le Christianisme et les temps présents, t. I, ch. XI sq.; *Gay*, op. cit., l. XIII, De la douleur chrétienne; *H. Perreyve*, La journée des malades; *Ctesse de Flavigny*, L'Année des malades, Paris, 1905.

[6] *Hebr.*, XI, 13

cum sit familiarum consociatio, sine familiis recte ordinatis florere nequit. Aliunde non minus *historice* quam *psychologice* constat familias stabiles non esse, nisi ubi viget matrimonii unitas atque indissolubilitas[1]. Jamvero utramque docet fovetque fides christiana, quæ per sæcula familiis maximam præstitit securitatem. Decrescente vero fide, jam divortia multiplicantur, familiarum vincula disrumpuntur, et exinde societas labefactatur.

624. (B) Societas insuper diu et pacifice stare nequit sine jugi exercitio *justitiæ*, quâ redditur cuique suum, et *caritatis*, quæ cives inclinat ad mutuam opem sibi invicem præstandam. Porro has virtutes constanter inculcat et inspirat fides christiana, ut infra dicetur; diminutâ vero, et a fortiori sublatâ fide, paulatim obnubilatur ipsa notio justi et æqui, languescit et refrigescit caritas; mox jurgia, dissidia, partium luctamina augentur; divites erga pauperes duriores evadunt, et hi ditioribus invident atque eos odio prosequuntur, ut lugendâ hodie constat experientiâ; et ita societatis fundamenta nutare videntur[2]. — Philosophi quidem, cum antiqui tum moderni, normam justi et æqui, et caritatis, seu, ut aiunt, *altruismi* et *solidaritatis* fundamentum in variis systematibus quæsierunt, sed incassum, ut supra demonstravimus, *De Ultimo Fine*, n. 33-64.

---

[1] *Synop. Theol. Dogmat.*, De Matrimonio, n. 45 et n. 58-63.

[2] Ad rem *M. d'Hulst*, op. cit., p. 127-128 : " Tout le monde convient aujourd'hui que, sans justice et sans amour, la terre serait un enfer. Il ne reste donc plus qu'une question à résoudre : où est la garantie de la justice? où est la source de l'amour? Les contempteurs du christianisme nous promettent de trouver l'un et l'autre dans l'éducation scientifique des instincts. Mais, depuis le temps qu'ils redisent cette promesse, nous ne voyons grandir chez leurs disciples authentiques que la férocité de l'égoïsme et le culte de la force. Et cependant la société vit encore sur les restes de l'héritage chrétien. Que sera-ce quand elle aura achevé de le dissiper? L'un de ceux qui traitent notre foi d'illusion, le confessait naguère, en mêlant un blasphème à son aveu : " Les personnes religieuses, disait-il, vivent d'une ombre". Ceci est le blasphème; voici l'aveu : " Nous, nous vivons de l'ombre d'une ombre. De quoi vivra-t-on après nous?" (*Renan*, Préface des *Feuilles détachées.*) Idem probat *Taine* ex iis quæ, tempore gallicæ Revolutionis, acciderunt : rejectâ siquidem fide, paganorum crudelitas et libido mox floruerunt. (Les origines de la France contemporaine : le Régime moderne, t. II, p. 118-119.)

Art. II. De necessitate fidei[1].

625. Status quæstionis. (A) Positâ elevatione hominis ad statum supernaturalem, revelatio necessaria evadit ad manifestanda media ad hunc finem conducentia; positâ vero revelatione, fides fit necessaria ad salutem, prout docet *Vaticanum* :[2] "Cum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectûs et voluntatis obsequium fide præstare tenemur... Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illâ contigit justificatio, nec ullus, nisi in eâ perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur". Hanc obligationem credendi postea sic definit : "Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit".

626. (B) Duplici modo autem necessaria esse potest, videlicet necessitate *medii*, et necessitate *præcepti*. (a) Illud est necessarium necessitate *medii*, quod est *medium*, et quidem *necessarium*, justificationis, ac proinde sine quo, etiam *inculpabiliter* omisso, salus obtineri nequit; in hoc casu igitur, neque ignorantia, neque impotentia excusare potest. Aliquid autem potest esse necessarium necessitate medii dupliciter : *intrinsece*, quando ex *naturâ suâ* ordinatur ut medium necessarium ad salutem, ita ut per aliud suppleri nequeat, v. g. amor Dei; *extrinsece*, quando solum *liberâ Dei institutione* requiritur ad salutem, ita ut per alia media, Deo volente, suppleri possit : v. g. Baptismus aquæ. — (b) Illud est necessarium necessitate *præcepti*, quod ita præscribitur ut libere omitti nequeat *sine peccato;* si igitur culpabiliter omittatur, est causa damnationis; si autem

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. II, a. 3-8; *Suarez*, De Fide, disp. 12-12; *Lugo*, disp. XII-XIV; *Billuart*, De Fide, disp. 3; *S. Alphons.*, lib. III, tr. I, De præcepto fidei; *Lequeux*, op. cit., n. 145-169; *Bouquillon*, op. cit., n. 156-197; *Mérit*, La Foi, Tours, Cattier, 1886, p. 187-264; *Pesch*, n. 426-465.

[2] *Vatican.*, sess. III, cap. 3 et can. 1 de Fide, ap. *Denzing.*, nn. 1638, 1642, 1657.

omittatur inculpabiliter, ob ignorantiam, vel impotentiam, absque eo salus obtineri potest. Jamvero fidem necessariam esse tum necessitate *medii* quoad aliquot objecta, tum necesssitate *præcepti* quoad alia, ex dicendis constabit.

§ I. De fidei necessitate medii.

627. Fides, ut est *habitus* infusus, *omnino* necessaria est necessitate *medii* ad salutem, ut ex jam dictis colligi potest. Nam sine gratiâ justificationis nemo salvari potest, ut constat ex *Tr. de Gratiâ;* aliunde, in præsenti rerum ordine, justificatio non confertur sine infusione virtutum fidei, spei et caritatis (*De Virtutibus*, n. 597); qui igitur caret habitu fidei, eo ipso gratiâ sanctificante caret.

Sed quæstio est de *actu* fidei, et quidem quoad *adultos :* infantes enim aliique usu rationis carentes, si, per baptismum, habitum infusum fidei acceperunt, salvantur sine actu fidei, cujus sunt incapaces [1]. De adultis igitur inquirendum est *utrum* et *quid* credere teneantur necessitate medii.

628. I. *Thesis :* **Adultis absolute necessarius est aliquis actus fidei theologicæ ad justificationem, ideoque ad salutem consequendam.** Certum est.

1° Id clare docet *Tridentinum;* siquidem de peccatoribus ait : " Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ et adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum ". Postea addit causam instrumentalem justificationis esse sacramentum baptismi, " quod est sacramentum *fidei, sine quâ nulli unquam contigit justificatio* ". Tandem apertius rem his verbis declarat : " Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ consensus tenuit et expressit : ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis : sine quâ impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire " [2].

---

[1] De statu puerorum, qui sine baptismo decedunt, dictum est in *Tr. de Deo Creante*, n. 201-205.

[2] *Trident.*, sess. VI, cap. 6, 7, 8, ap. *Denzing.*, nn. 680, 681, 683.

629. 2° *Scriptura* idem tradit variis modis : (a) asserit fidem esse humanæ salutis initium et fundamentum; ita Christus, in sermone ad Nicodemum, ait[1] : " Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam " ; pariter, quando Apostolos mittit in mundum, eos sic alloquitur : " Prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur " [2]. Hinc diaconus Philippus eunucho baptismum petenti respondet " [3] : " Si *credis* ex toto corde, licet " ; et Apostoli a neo-conversis fidem in Christum exquirunt ; ita custos carceris in Philippis a Paulo et Sila inquirit : " Domine, quid me oportet facere, ut salvus fiam. At illi dixerunt : *Crede* in Dominum Jesum, et salvus eris, tu et domus tua " [4]. — (b) Declarat insufficientia esse opera legis et opera naturalia *sine fide :* quod diserte et multoties inculcat Apostolus, præsertim in ep. ad *Romanos* et ad *Galatas :* " Arbitramur enim justificari hominem *per fidem* sine operibus legis... Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi *per fidem* Jesu Christi" [5]. — (c) Tandem asseritur fidem esse *medium* necessarium ad vitam spiritualem et ad Deo placendum : " Justus autem meus ex fide vivit; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ... Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit " [6].

630. 3° *Ratione* confirmatur, supposità elevatione hominis ad finem supernaturalem. Cum enim hujusmodi finis ita vires nostras exsuperet, ut neque ipsum cognoscere naturaliter valeamus, et aliunde media ad eumdem assequendum, qualia sunt Christi sacrificium et sacramenta ab eo instituta, naturalem mentis aciem transcendant, necesse fuit ut hæc omnia per fidem cognoscerentur. — Insuper finis ad quem tendimus est perfecta visio Dei; jamvero *decebat* ut ad hanc perfectam cognitionem manuducere-

[1] *Joa.*, III, 14-15. — [2] *Marc.*, XVI, 15-16. — [3] *Act.*, VIII, 37. Qui tamen textus in nonnullis manuscriptis deficit.

[4] *Act.*, XVI, 30-31. — [5] *Rom.*, III, 28; *Galat.*, II, 16.

[6] *Hebr.*, X, 38; XI, 6

mur per fidem, quæ est veluti *inchoata* visio rerum divinarum, quatenus nos participes efficit divinæ scientiæ [1]: divino siquidem innixi testimonio, ea *credimus* quæ ipse *videt*, et quæ postea videbimus.

II. **De veritatibus necessitate medii credendis.**

631. 1° **Certum est** *necessarium esse necessitate medii explicite credere in Deum existentem et remuneratorem.*

(A) *Declaratur.* Tenemur quidem modo generali ea omnia credere quæ Deus revelavit; et qui deliberate unam veritatem negaret quam novit divinitus revelatam, eo ipso hæreticus esset, ut infra exponetur. Præterea vero quædam veritates *explicite* credendæ sunt, seu in seipsis, in suo proprio conceptu; nec sufficit eas credere *implicite*, id est quatenus in aliis veritatibus explicite creditis continentur.

(B) *Probatur.* (a) Dei existentia, ejusque providentia quoad bonorum malorumque remunerationem *explicite* credi debent, juxta illud *Apostoli* [2]: "Credere enim oportet accedentem ad Deum quia *est*, et inquirentibus se remunerator sit". — Insuper ab *Innocentio XI*, 2 martii 1679, hæc damnata est propositio (22): "Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem *explicita Remuneratoris*" [3]; utriusque igitur veritatis explicita fides necessaria est.

(b) Quod quidem rectæ *rationi* consentaneum est. Cum enim Deus sit ultimus finis noster in ordine tum naturali, tum supernaturali, eum attingere nequimus, nisi ejus existentiam cognoscamus. — Quidam sane dicunt id sufficere; nam, statim ac novimus Deum esse summum bonum, procedere possumus ad actum perfectæ caritatis et contritionis, et ita justificari. Sed, datâ hominis naturâ et imperfectione, hic ad perfectam contritionem de facto non pervenit nisi per *timorem* et *spem*, Deum videlicet considerando ut supremum *remuneratorem*, qui malis pœnas et bonis præmia, secundum æquitatis leges, juste retribuit.

632. (C) *Quæritur* vero *quo sensu* in Deum remuneratorem credere debeamus.

(a) Quoad *existentiam Dei*, multi *Thomistæ* dicunt requiri

[1] "Fides... hominem divinæ cognitioni conjungit per assensum (*S. Thom.*, de Veritate, q. XIV, a. 8).

[2] *Hebr.*, XI, 6. — [3] *Denzing.*, n. 1039; *Viva*, in h. proposit.

fidem Dei, ut est auctor ordinis supernaturalis, non autem fidem Dei, ut est auctor ordinis naturalis; hanc enim veritatem ratione cognoscimus, et aliunde *credi nequit* quod certo et evidenter scitur [1]. Multi tamen alii, ut *Suarez*, *Lugo* [2],etc., tenent necessariam esse fidem Dei, ut est auctor ordinis naturalis, seu quatenus his perfectionibus præditus quæ naturali lumine cognosci valent : possumus enim *fide* credere quod jam *ratione* novimus, et aliunde *S. Paulus* hanc fidem requirit.

Apostolus revera nullam distinctionem facit, sed solum docet Deum credendum esse prius ut *existentem*, posterius ut *remuneratorem*. Aliunde agit de fide *supernaturali*, de eâ videlicet quæ est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* [3], ideoque de eâ quæ non humano ratiocinio, sed divino testimonio innititur. Ad hanc vero fidem non requiritur ut distinctus habeatur conceptus *supernaturalitatis*, qui a vulgo exigi nequit, sed sufficit ut credens intelligat has veritates aliquo modo divinitus proponi, sive per *externam* revelationem, sive per *internam* manifestationem conscientiæ factam.

633. Non sufficit igitur illa fides *late dicta*, naturali *discursu* innixa, quæ ex testimonio et cognitione creaturarum, quatenus invisibilia Dei attributa manifestant, originem ducit. Damnata est siquidem ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679, hæc propositio (23) : " Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 1, a. 4-5; *Gonet*, Clypeus, De fide, disp. I, art. 5-6; *Salmantic.*, de Fide, disp. III, dub. 2; *Berthier*, De locis theolog., n. 504.

[2] *Suarez*, de Fide, disp. III, sect. 8, et disp. XII, sect. 3, n. 4; *Lugo*, disp. XII, sect. 5, n. 123; *Pesch*, n. 445. — Cfr. *Synop. Theol. Dogmat.*, De Fide, n. 129-132.

[3] *Hebr.*, XI, 1. — Quod sic exponit *M. d'Hulst*, Confér. 1892, p. 113-114 : " Le second domaine de la foi, ce sont les vérités naturelles qui servent de base à la révélation. L'homme les découvre d'abord par l'effort de sa raison, s'il est capable de cet effort. Mais, quand la foi est survenue, elle lui montre ces mêmes vérités sous un jour nouveau, comme faisant partie de l'enseignement divin; et ce qui était matière à raisonnement devient objet de croyance. Tels sont les enseignements relatifs à l'existence de Dieu, à ses perfections, à l'immortalité de l'âme humaine... Pour l'esprit cultivé, ces vérités s'éclairent donc d'une double lumière, l'une qui vient de la nature, l'autre qui s'allume au foyer de la grâce. "

sufficit"[1]. Fides enim ex solâ creaturarum cognitione orta, ad finem supernaturalem assurgere nequit, nec caritatem supernaturalem gignere, quæ ad salutem maxime necessaria est.

634. **Corollarium.** Exinde intelligitur quomodo Deus saluti provideat eorum qui inter paganos vivunt, ubi de fide evangelicâ nihil audierunt. Juxta *S. Thomam* et theologos communiter, si quis paganus "ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per *internam inspirationem* revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium"[2]. Et sane Deus, qui olim patriarchis aliisque extra Judaicam gentem locutus est, haud ægre *intus* loqui potest iis qui recte sunt dispositi, ita ut hi intelligant se a supremo Numine instrui.

635. 4° **Controvertitur** *num fides explicita SS. Trinitatis et Christi Redemptoris necessaria sit necessitate medii.*

(A) Communiter tenetur, ante Christi adventum, non fuisse necessarium necessitate medii explicite credere mysteria SS. Trinitatis et Verbi incarnati; hæc enim nondum sufficienter hominibus revelata fuerant, ut constat ex dictis in *Tr. de Deo Trino*, n. 29-36.

(B) Nonnulli vero, auctoritate *S. Augustini* et *S. Thomæ* fulciti[3], putant, post Adami lapsum, fuisse ad justificationem necessarium necessitate medii explicite credere *aliquem mediatorem*, cujus meritis salus obtineri posset. Allegant verba *Scripturæ :* "Non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri"[4]; et exinde inferunt neminem salvari posse sine fide in Christum, seu in aliquem mediatorem.

636. (C) Attamen hodie tanquam probabilius multi theologi docent fidem explicitam mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis, vel etiam Christi mediatoris, non esse necessariam necessitate medii[5]. Etenim (a) tam gravis necessitas statui non debet sine cogente ratione; atqui hæc

[1] *Denzing*, n. 1040; *Viva*, in h. proposit.

[2] *S. Thom.*, De Veritate, q. 14, a. 11, ad 1.

[3] *S. August.*, De Civit. Dei, lib. XVIII, cap. 47, P. L., XLI, 610; *S. Thomas*, 2. 2æ, q. 2, a. 7; *Bouquillon*, n. 169. — Totam controversiam expositam videas ap. *Perrone*, De virtutibus fidei, spei et carit., Ratisbonæ, 1865, n. 344-379.

[4] *Act.*, IV, 12; cfr. *I Cor.*, 11, 11. — [5] *Suarez*, disp. XII, sect. 4.

ratio deficit; nam Apostolus, dum de necessitate fidei sermonem habet, loco superius citato, non loquitur nisi de fide in Deum remuneratorem; aliunde actus fidei, spei, caritatis et pœnitentiæ ad justificationem requisiti, elici possunt absque fide Trinitatis et Incarnationis; statim ac credimus Deum esse, et quidem summe bonum ac perfectum, cuique reddentem secundum opera ejus, jam nil prohibet quin eliciantur actus ad justificationem necessarii. Non igitur ex naturâ rei, etiam posito fine supernaturali, absolute requiritur fides in Trinitatem et Incarnationem; si necessaria est, id nonnisi positivâ Dei voluntate; sed hæc voluntas clare non fuit manifestata. (b) Aliunde, si hæc fides requiritur, moraliter impossibilis evadit salus eorum qui de Evangelio nil audierunt, id est plus quam dimidiæ partis generis humani; *extraordinarium* siquidem lumen necessarium esset ad paganos instruendos de hoc duplici mysterio, cujus existentiam plerique non suspicantur.

Hanc igitur fidem explicitam non requiri *probabilius* putamus. Textus vero Scripturæ de necessitate fidei in Christum intelligi possunt de necessitate *præcepti*, aut necessitate medii *implicitâ*, vel etiam eo sensu quod nullus salvatur nisi per merita et satisfactiones Christi.

637. Corollarium. In *praxi*, cum hic quæstio sit de re ad salutem necessariâ, *tutior* pars sequenda est. Itaque : (a) ii omnes qui curam habent animarum sedulo docere debent fideles sibi commissos non solum Deum existentem et remuneratorem, sed etiam Deum trinum et Verbum incarnatum et Redemptorem. Non requiritur tamen ut rudibus tradatur *scientifica* horum mysteriorum notitia, cujus incapaces sunt; sufficit ut doceatur tres esse personas in Deo distinctas et æquales, Patrem videlicet, Filium, et Spiritum sanctum, et has tres unum esse Deum, — secundam vero personam Trinitatis, seu Filium Dei, hominem factum, suâ morte nos redemisse.

638. (b) *Regulariter* neque baptizandi neque absolvendi sunt qui horum mysteriorum ignorantiâ laborant etiam invincibili[1]; sed, in

[1] Hinc *S. Offic.*, 25 jan. 1703, declaravit "missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria Fidei quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt præcipue

casu extremæ necessitatis, si tempus ad instruendos catechumenos desit, baptizandi sunt *absolute*, quia, ubi agitur de requisitis non ad validam, sed ad fructuosam tantum baptismi receptionem, nulla conditio apponi debet; si supervixerint, sedulo instruantur. Pœnitentes autem absolvendi sunt sub conditione *si sunt capaces*, et, si supervixerint, instrui et iterum absolvi debent. Nam ex unâ parte, ubi agitur de mediis ad salutem necessariis, *tutior pars eligi debet*, et ex alterâ in casu necessitatis, ubi deficiunt remedia certa, probabilia adhiberi debent (supra, n. 388-389).

(c) Quando agitur de *semi-fatuis* aut *valde ignorantibus*, eis suggerendus est actus fidei in Deum unum et trinum, et in Christum redemptorem, *antequam* absolvantur, quo securior evadat absolutionis validitas.

§ II. De necessitate fidei præcepti.

Duo præcipiuntur : actus fidei *internus*, et *externa* fidei *professio* : de quibus seorsim dicendum.

I. De actu fidei interno.

639. Divinum datur præceptum credendi veritates a Deo revelatas, *negativum* simul et *positivum*. Quatenus *negativum*, prohibet ne respuantur aut in dubium vocentur veritates revelatæ sufficienter propositæ et cognitæ; quatenus *positivum*, nos obligat ad eliciendos aliquoties actus fidei. De *existentiâ* et *extensione* hujus præcepti dicemus, necnon de *tempore* quo obligat.

640. 1° **Existentia.** *Datur divinum præceptum actus fidei internos explicite eliciendi circa præcipuas veritates a Deo revelatas.*

(a) Quod docuit ipse Christus, dum apostolos misit in mundum[1] : " Prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur " ; ex quo patet fidem in Evangelium ab apostolis prædicatum, non minus explicite ac baptismum, ad salutem necessariam esse. Idem tenuerunt apostoli,

mysteria Trinitatis et Incarnationis" (*Collect. P. F.* n. 549). Quod declaratum est de adulto relate ad baptismum; sed ratio eadem est quoad absolutionem. — Constat insuper ex damnatione ab *Innocentio XI* hujus propositionis 64 : " Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi ". (*Denzing.*, n. 1081; *Viva*, in h. proposit.)

[1] *Marc.*, XVI, 16. — [2] I *Joan.*, III, 23.

inter quos *Joannes*, qui præceptum fidei æquiparat præcepto caritatis [2] : " Et hoc est *mandatum* ejus, ut *credamus* in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis " : ibi enim agitur de fide *explicitâ* in Christum.

(b) Et sane eo ipso quod Deus aliquid revelat, præcipit ut sibi fides habeatur; qui enim, certo cognitâ revelatione, fidem detrectat, non potest non inferre injuriam Dei sapientiæ et veracitati, sive de revelatis dubitando, sive eas negando. — Aliunde si nolit eisdem assentiri, Dei supremo dominio se subtrahit. Homo siquidem non est magis independens a Creatore quoad intellectum quam quoad voluntatem, ideoque Deus a nobis exigere potest intellectûs assensum non minus quam voluntatis obedientiam.

641. 2° **Extensio.** Hic agitur de iis quæ *explicite* ab *omnibus* credenda sunt, non autem de iis quæ a doctioribus, præsertim Dei ministris, pro munere suo, cognosci debent. Modo generali fideles explicite credere debent quidquid requiritur ad *christiane sentiendum* et *agendum*, ideoque, præter veritates necessarias necessitate *medii* supra recensitas : —

(a) *Veritates præcipuas*, quæ in **Symbolo Apostolorum** [1] continentur : ibi enim, modo brevi ac simplici, exponuntur præcipui articuli, quibus catholici ab infidelibus et hæreticis

[1] De *Symbolo* diximus in *Tr. de Fontibus theolog.*, n. 17-18. Hodie non admittitur singulos articulos singulis apostolis adscribendos esse; symbolum dicitur *apostolorum*, quia *substantiam* dogmatum, quæ complectitur, ipsi apostoli tradiderunt. Vox ipsa *symbolum apostolorum* primâ vice reperitur in epistolâ Concilii *Mediolanensis* ad *Siricium*, circa finem quarti sæculi (*Migne*, P. L., t. XVI, 1125); antea confessio fidei, quam catechumeni et fideles profitebantur, vocabatur *regula fidei*, *doctrina*, *traditio*, *tessera*. Quomodo brevis formula fidei in Trinitatem, quæ ante baptismum recitabatur, successive aucta fuerit, ut pullulantes hæreses præcaverentur, declarant auctores a nobis allegati (l. cit.), et insuper *S. Bäumer*, Das apostoliche Glaubensbekenntniss, Mayence, 1893; *A. E. Burn*, An introduction to the Creeds, Londres, 1899; *Sanday*, Recent research on the origin of the Creed, in *Journal of Theological* studies, Chicago, oct. 1899 et oct. 1901; *Semeria*, Dogma, Gerarchia e Culto, Rome, 1902; *Ermoni*, Histoire du Credo, Paris, Bloud, 1903; *Vacandard*, Etudes de critique, Paris, 1905, p. 3-68; *Vacant*, Diction. de Théol., t. I., p. 1660.

secernuntur, ii videlicet qui olim catechumenis proponebantur ante baptismi susceptionem. Paulatim quidem creverunt hujusmodi articuli, sed substantialiter in Scripturis jam continentur, et Ecclesia suâ infallibili auctoritate hos omnes nobis credendos proponit.

Præceptum *divinum* non versatur quidem circa ipsa *verba* symboli, prout hodie leguntur, sed circa substantiam dogmatum quæ his verbis exprimuntur. Omnino sane *expedit* ut memoriæ fideliter commendentur ac quotidie recitentur ipsissima verba : ita enim efficacius retinentur veritates his verbis expressæ. Sed de hoc probabilius nullum datur præceptum sive divinum sive ecclesiasticum[1].

642. (b) *Præcepta præcipua* **Decalogi** : hæc enim principales morum regulas naturales et divinas complectuntur; et, cum christianis obligatio incumbat eas servandi, primum eas cognoscere et credere debet. — *Præcepta Ecclesiæ*, utpote mere ecclesiastica nec revelata, non sunt quidem objectum fidei, sed scienda sunt, ut impleri valeant.

(c) **Orationem domesticam,** saltem valde probabiliter, quia ea complectitur quæ Christus petere docuit, et quæ ad salutem magis necessaria sunt. Ceteroquin sub gravi sciendum est orationem in genere esse ad salutem necessariam. Requiritur etiam ut quisque fidelis actus fidei, spei et caritatis elicere sciat; formulam certam memoriter tenere omnino expedit. — *Salutatio angelica* (seu *Ave Maria*) multum quidem prodest, et pie eam recitare juvat; sed eam scire aut explicite credere non tenemur.

(d) **Sacramenta** *omnibus necessaria*, videlicet *baptismum*, *pœnitentiam* et *eucharistiam :* cum enim omnes christiani ea accipere teneantur, ea credere debent quæ ad eorum dignam susceptionem requiruntur. Quoad alia sacramenta, qui ea suscipiunt, prius tenentur cognoscere et credere quæ de eisdem revelata sunt.

643. Exinde sequitur eos peccare qui præfatas veritates addiscere *negligunt;* — necnon *parentes* et *pastores*, qui suos filios aut subditos nec per se, nec per alios de eisdem non instruunt : officium enim grave non adimplent[2].

---

[1] Attamen, juxta *S. Alphonsum* et *Lehmkuhl*, I, n. 280, fideles sub veniali tenentur, ex consuetudine, symbolum ipsum memoriter tenere.

[2] Hujus officii adimpletionem recenter urgebat *Pius X*, Encycl. *Acerbo nimis*, 15 apr. 1905 (*Acta S. Sedis*, t. XXXVII, p. 613) ubi hæc, inter alia, statuit, p. 623 : " Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per integrum horæ spatium, pueros et puellas de iis quæ quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.... In omnibus

Hinc etiam confessarii absolvere non debent pænitentes, harum veritatum ignaros, nisi hi serio ac sincere eas discere velint; secus enim, non sunt recte dispositi, cum præceptum grave implere nolint.

644. 3° **De tempore** *quo præceptum fidei obligat.* Illud præceptum obligat sive *per se*, sive *per accidens* : —

(A) *Per se*, seu *vi ipsius præcepti* credendi : (a) *Quando aliqua veritas revelata sufficienter proposita est*, seu quando obligatio credendi certo moraliter conscientiæ manifestatur; item quando *nova* definitio proponitur, v. g. quando promulgata sunt decreta *C. Vaticani.*

Idem dic de pueris fidelium, qui, usum rationis adepti, ita in fide instructi sunt ut clare percipiant talem aut talem veritatem fuisse divinitus revelatam ; necnon de infidelibus et hæreticis, statim ac ipsis certo moraliter constat catholicam religionem a Deo fuisse institutam. Etenim reverentia et obedientia, quam Deo præstare debemus, postulat ut credamus statim ac aliquid ut divinitus revelatum certo moraliter ostenditur; secus enim infallibilis ejus auctoritas contemnitur. Peccant igitur qui actum fidei et ingressum in Ecclesiam diu differunt postquam clare obligationem credendi perceperunt. — Qui vero nonnisi *probabiliter* motiva credibilitatis apprehendunt, non tenentur quidem statim credere, sed *orare* debent, simulque serio *inquirere*, ut veritas ipsorum oculis clarius effulgeat : Deus enim lumen et gratiam recte dispositis non denegat.

645. (b) *Sæpius in vitâ*, quin tamen tempora magis particulariter determinari possint aut debeant[1]. Id sane constat ex propositionibus ab *Innocentio XI* damnatis 17 et 65 : "Satis est actum fidei semel in vitâ elicere. — Sufficit illa mysteria (Trinitatis et Incarnationis) semel credidisse". — Nonnulli quidem dixerunt actus fidei eliciendos esse diebus festis, alii semel in anno : sed nil certi hâc de

et singulis parœciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo *Congregatio Doctrinæ Christianæ*. Eâ parochi, præsertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adjutores in catechesi tradendâ laicos habebunt.... Majoribus in urbibus, inque iis præcipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholæ religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitæque christianæ institutis juventam, quæ publicas scholas frequentat, ubi religiosæ rei mentio nulla injicitur." — Tota epistola attente legatur et fideliter executioni mandetur.

[1] *Denzing.*, n. 1034 et 1082; *Viva*, in propos. 1 ab *Alexandr. VII* confixam.

re definiri potest. Ceterum id parum utile videtur; nam, moraliter loquendo, contingere nequit quod homo christianus, qui fidem christianam amplexus est et retinuit, non repetat sæpius actus fidei sive *explicite*, — sive *implicite*, opera supernaturalia exercendo, tentationibus resistendo, aliave præcepta implendo, quæ vix servari possunt sine aliquo fidei actu.

646. (c) *Probabilius in articulo mortis*, quia tunc maxime tenemur ad Deum tendere, ultimum finem supernaturalem. Quidam tamen dicunt tunc actum fidei *per se* non necessarium esse, sed solum si urgeat tentatio gravis contra fidem.

(d) *Post negationem alicujus veritatis fidei;* qui enim hæreticus aut apostata factus est, ad Deum se convertere debet positivo fidei actu. — Idem dic, si urgeat tentatio contra fidem, quæ nonnisi per actum fidei superari possit; sæpe vero efficacius expellitur tentatio mentem ad alias res divertendo.

(e) Ad repellendas eas tentationes quæ sine actu fidei superari nequeunt v. g. tentationes contra fidem aut spem.

647. (B) *Per accidens*, seu *vi aliorum præceptorum;* videlicet toties ad actum fidei eliciendum tenemur, quoties id necesse est ad servandum aliud præceptum quod tunc obligat : nam qui tenetur ad aliquem finem, tenetur etiam mediis uti necessariis ad eumdem assequendum. Hæc obligatio habetur : (a) quando quis se præparat ad justificationem, quæ sine fidei actu obtineri nequit; (b) cum urget præceptum spei et caritatis : neutrum enim sine fidei actu impleri potest; (c) quando gravis urget tentatio contra aliquam virtutem, nec aliunde sine fidei actu vinci potest.

II. De præcepto externæ fidei professionis.

De *existentia* et *extensione* hujus præcepti dicemus.

648. 1° **Existentia** : *Divinum exstat præceptum fidem aliquando externe profitendi.*

Id sane docuit *Christus*[1] : "Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cælis est". Idem inculcat *Paulus*[2] : "Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem".

[1] *Matth.*,X, 32-33; cfr. *Luc.*, IX, 26; XII, 8-9. — [2] *Rom.*, X, 10.

Et merito; nam qui, corde credens, exterius fidem profiteri timet : (a) exponitur *periculo amittendi fidem :* hâc enim voluntariâ omissione minuitur firmus assensus rebus revelatis, paulatimque dubia exsurgunt; ex adverso autem apertâ confessione haud parum roboratur interna fides. (b) *irreverentiam* erga Deum committit, cum, ob vanum timorem, rationabile obsequium, supremo Domino debitum, præstare recusat : eo ipso enim videtur humana judicia divinæ sapientiæ præferre. (c) Aliunde *ignaviæ* reus est; qui enim contra propriam animi persuasionem agere non erubescit, eo ipso ostendit se non esse virum, sed debilem impuberem, qui vanis timoribus ab officio adimplendo deterretur. (d) Tandem *Ecclesiæ indignum civem* se exhibet; cum enim Ecclesia sit societas *visibilis*, quæ visibilem membrorum unionem postulat, qui fidem exterius non profitetur, hanc externam unitatem enervat, — et comparatur militi qui patriæ vexillum defendere erubescit.

649. 2° **Extensio.** Illud præceptum, quatenus *affirmativum*, fidei confessionem aliquoties postulat; et quatenus *negativum*, vetat ne unquam fides denegetur.

(A) Præceptum **affirmativum** profitendi fidem obligat, juxta *S. Thomam*[1], quando "per omissionem hujus confessionis subtraheretur *honor debitus Deo*, et etiam *utilitas proximis* impendenda" : —

(a) Quando *honor Deo debitus* id postulat, videlicet si, ex omissione hujus professionis, Deus inhonoratur vel privatur honore ipsi debito. Ita si quis *publice* aut *privatim* interrogatur, ab *auctoritate publicâ*, in *causâ fidei*, v. g. num sit catholicus, vel quid de tali fidei articulo sentiat, sine hæsitatione et ambiguitate fidem suam confiteri debet, etiam cum vitæ periculo : id sane exigit honor Dei, et in his adjunctis, silentium æquivaleret negationi fidei. Quare ab *Innocentio XI* damnata est hæc propositio 18 : "Si a potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum *consulo;* tacere, ut peccaminosum per se *non damno*"[2]. Licet enim publica potestas jus non habeat de fide interrogandi, sed solum de rebus ad bonum temporale societatis pertinentibus, tenetur tamen fidelis respondere, propter honorem Dei, et ad vitandum scandalum, ne ex silentio inferatur veram fidem denegatam fuisse. Excipe tamen si taciturnitas, ex adjunctis, satis clare indi-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 3, a. 2.
[2] *Denzing.*, n. 1035; *Viva*, in h. propos.

cat constantiam in fide. — Idem dicendum, si quis *in odium fidei* etiam a privatâ personâ interrogatur, in iis saltem adjunctis in quibus silentium negationi fidei æquivaleret.

Si vero *generali* tantum *edicto* præcipitur ut fideles se coram magistratibus sistant, vel certo signo se ut catholicos prodant, obedire non tenentur; eorum enim silentium haberi nequit ut fidei denegatio, quando in particulari non interrogantur.

650 (b) Quando *proximi spiritualis utilitas* id exigit : ex caritate enim tenemur impedire, in quantum fieri potest, ne proximus magnum spirituale damnum incurrat; necessaria est igitur professio fidei, quoties, ex ejus omissione, aliquis a fide avertitur aut retardatur, vel aliquo magno spirituali commodo privatur, dummodo aliter proximi bono provideri nequeat; v. g. si ex tali omissione neoconversi aut debiles in fide scandalizarentur.

(c) *Aliquoties in vitâ :* cum enim *visibiliter* Ecclesiæ adhærere teneamur, hanc adhæsionem aliquoties manifestare debemus per externam fidei professionem. Ad hoc autem sufficit christiana officia adimplere, quæ hanc professionem important, qualia sunt susceptio sacramentorum, auditio missæ, etc.

651. **N. B.** Præter præceptum *divinum*, adest præceptum *ecclesiasticum* quibusdam impositum, in determinatis circumstantiis, fidei professionem emittendi, juxta formulam, quæ dicitur *Piana*[1]. Hanc facere tenentur modo generali qui promoventur ad aliquam dignitatem aut munus ecclesiasticum vel ad subdiaconatum, prout exponitur in *Codice*, c. 1324, ad calcem operis allegato.

652. (B) Præceptum *confitendi* fidem, quatenus **negativum**, vetat ne *unquam*, etiam *externe*, fides negetur. Deo enim injuriam infert non solum qui hæresim interius amplectitur, sed etiam qui *exterius* fidem negat, et *facto* aut *verbo* falsæ religionis se simulat sectatorem : etsi enim interne credat, *mendacium* grave committit, et plerumque *scandalum* aliis præbet. — Attamen discrimen adest inter *negare* et *occultare* fidem : prius nunquam licet, posterius gravi de causâ in quibusdam adjunctis permittitur.

653. (a) Peccati gravis reus est quicumque *verbis* aut *factis* fidem universim, vel aliquem fidei articulum negat. 1) *Verbis*, v. g. qui negat se esse catholicum, aut credere in supremam auctoritatem R. Pontificis; vel affirmat se esse rationalistam, positivistam, pro-

[1] Quam fidei professionem *cum jurejurando* a Pio X præscripto, ad modernismi periculum propulsandum, emittere debent : (a) Universitatum et Seminariorum professores, quotannis; (b) clerici majoribus ordinibus initiandi; (c) sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores; (d) parochi, canonici, beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem; (e) officiales et judices diœcesani; (f) moderatores et doctores religiosarum familiarum. Cf. *A. A. S.*, 9 sept 1910.

testantem, mahumetanum. 2) *Factis*, actiones exercendo, quæ ex se vel ex circumstantiis negationem fidei important, v. g. coram idolis genuflectere aut thus adolere, cœnæ hæreticorum communicare, circumcisionem adhibere ut ritum *religiosum* (non autem ut medium quosdam morbos præcavendi); aut vestibus aliisve signis utendo quæ, ex usu et consuetudine, adhæsionem alicui sectæ indicant[1], v. g. si quis insignia francomurariorum gestaret, ita ut huic sectæ nomen dedisse videretur. Non prohibetur autem uti vestibus (v. g. turcarum pileo), quæ sunt distinctivæ *gentis* potiusquam sectæ religiosæ. — Pariter adire templa hæreticorum ex *curiositate*, vel ad officium *civile* implendum, minime censetur externa fidei negatio; secus, si talis ingressus speciem cooperationis in divinis præ se fert, et fidei negationem significare videtur[2]. — Uno verbo igitur, omnia vitanda sunt quæ, ex omnibus adjunctis, fidei negationem importare videntur.

654. (b) Licet vero fidem *occultare* vel *dissimulare*, quando non urget præceptum confitendi fidem, et aliunde gravis est ratio : id enim non est *ex se* malum, ideoque licet gravi de causâ.

Ita si quis catholicus per loca infidelium aut hæreticorum transit, potest diebus prohibitis carnes comedere, si serio timeat (quod hodie raro occurrit) ne, ut catholicus agnitus, aliquod grave damnum subeat; hæc enim comestio *per se* negationem fidei non significat; secus autem, si quis, in contemptum fidei aut Ecclesiæ, ad comedendas carnes urgeretur : his enim in adjunctis, videretur esse fidei negatio[3]. — Potest pariter illis uti vestibus, quæ sunt distinctivæ *gentis* potiusquam religionis, ut supra dictum est.

---

[1] Ita, in decreto *S. C. de Prop. Fidè*, 19 febr. 1774 (*Collectanea*, n. 1653), declaratur : " In primis itaque a simulatæ infidelitatis notâ excusari non posse subdolam agendi rationem illorum, qui, dum diebus solemnioribus Missæ sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate turcarum præsentiam formidantes, nunquam omnino caput aperiunt, nec signant se crucis signo, abstinentque a ceteris catholicæ religionis actibus, qui ab aliis qui christiano censentur nomine, palam solent exerceri; atque *ita agentes* id obtinent, ut *mahumeticæ superstitionis sectatores reputentur*". — Ita etiam primævis sæculis, Ecclesia ut gravissimæ culpæ reos habuit *libellaticos*, qui, licet idolis non immolaverint, pecuniâ *libellos* a magistratibus impetrabant, quibus declarabatur ipsos imperatoris mandata implevisse.

[2] Ita olim contingebat in *Angliâ*, quando Catholici edicto regio cogebantur, sub gravissimis pœnis, precibus et concionibus adesse protestantium. Tunc *Paulus V* ad eos scripsit, 10 kalend. oct. 1606 : " Cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis ".

[3] " Præterea gravi culpâ non caret, quod iidem occulte credentes, cum diebus ecclesiastico jejunio aut abstinentiæ consecratis, turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesiâ vescuntur cibis, aut

A fortiori licet persecutionem *fugere*, nisi agatur de animarum pastoribus quorum præsentia ad salutem subditorum *necessaria* est: hi enim, quando aliter parochiæ provideri nequit, debent pro ovibus suis animam suam tradere.

Art. III. De peccatis contra fidem[1].

Dicemus tum de *ipsis peccatis*, tum de *causis* eorum.

§ I. De ipsis peccatis contra fidem.

655. Contra fidem quis peccare potest *omissione* et *commissione.*

(a) *Omissione*, non solum prætermittendo actum fidei præceptum, ut supra dictum est, n. 640; sed etiam debitam diligentiam omittendo in addiscendis veritatibus scitu necessariis, n. 643, aut in quærendâ solutione difficultatum quæ contra fidem proponuntur. Hoc tamen peccato non amittitur habitus fidei infusus, sed incurritur periculum eliciendi actum fidei contrarium, quo ipse habitus amittatur.

(b) *Commissione*, et quidem dupliciter : per *excessum*, *temerâ credulitate* accipiendo aut aliis tradendo tanquam revelatum quod revelatum non est, v. g. privatis revelationibus absque sufficienti ratione credendo, proprias opiniones tanquam dogmata fidei proponendo, non sine magno fidelium et incredulorum scandalo[2]; — per *defectum*, triplici præsertim modo, videlicet *hæresi*, *apostasiâ* et *infidelitate*, de quibus seorsim disserere oportet. Quæ tria peccata olim generali nomine *infidelitatis* appellabantur[3] : his sane amittitur habitus fidei, quando scienter et volenter committuntur.

---

se manducare fingunt; simulatio enim hæc non alio animo facta præsumi potest, quam ut christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane mahumetani inter mahumetanos existimentur". (*S. C. de Prop. F.*, 19 febr. 1774, Collectanea. n. 1653).

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 10-12; *Suarez*, disp. XV-XXIII; *Lugo*, disp. XVIII-XXV; *Billuart*, diss. V; *S. Alphons.*, lib. III, n. 17-19; *Lequeux*, n. 173-178; *Ball. P.*, n. 73-108; *Müller*, § 8-11; *Noldin*, n. 27-42.

[2] Præ mente igitur haberi debent hæc *S. Joannis* verba (*I Joan.* IV, 1) : "Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum".

[3] Nil dicimus de *schismate;* quando nihil aliud est nisi secessio ab auctoritate legitimâ, opponitur quidem obedientiæ et caritati, non autem fidei; sed quando, ut plerumque, negat infallibilitatem S. Pontificis aut aliam veritatem definitam, conjungitur hæresi, et de eo tunc dicendum quod de hæresi tradimus.

I. De hæresi.

656. 1° **Notio.** Hæresis (græce αἵρεσις, selectio) designat *sectam* quæ quasdam veritates seligit et alias rejicit; sensu ecclesiastico, significat errorem in fide.

(A) Hæresis *proprie dicta*, seu *formalis*, est *hominis baptizati error voluntarius et pertinax contra aliquam veritatem fidei catholicæ.* Unde ad hæresim proprie dictam plures requiruntur conditiones :

(a) Ut qui in eam incidit, *valide baptizatus* fuerit; si nullomodo baptismum susceperit, v. g. si adhuc sit catechumenus, non est hæreticus in foro *Ecclesiæ*, etsi in foro *Dei* ut talis habeatur; Ecclesia enim non judicat de iis qui corpus Ecclesiæ nondum ingressi sunt per baptismum. — Si quis autem baptizatus fuerit *invalide*, non ut hæreticus, sed ut infidelis habetur.

(b) *Error voluntarius* et *pertinax*, id est *judicium falsum* intellectûs, quo scienter ac volenter negatur aut positive in dubium vocatur aliqua veritas fidei; qui igitur ex levitate, metu aliove motivo *exterius tantum*, sermone aut opere, veritatem fidei negat, interius fide retentâ, non est vere hæreticus, etsi ut talis in foro externo haberi possit; pariter qui dubiis agitatur, et anceps manet, non est proprie hæreticus, quia judicium non profert : secus vero, si *positive judicat* aliquod dogma esse dubium. — Ad *pertinaciam* non requiritur ut quis pluries moneatur et diu in suâ obstinatione perseveret, sed sufficit ut *sciens* ac *volens* veritati sufficienter propositæ assensum deneget, sive id fiat ex superbiâ, sive ex cupiditate contradicendi, aut ex aliâ causâ. Pertinax igitur non est qui veritatem fidei negat ex ignorantiâ, etiam vincibili et affectatâ, dummodo ita paratus sit ut assensum præberet, si hanc cognosceret ut revelatam et definitam.

(c) *Contra aliquam veritatem fidei catholicæ*, id est veritatem divinitus *revelatam* et ut talem *ab Ecclesiâ propositam*, magisterio sive solemni sive ordinario. Non est proinde hæreticus qui negat veritatem, quam plures ut revelatam agnoscunt, quin tamen hæc ab Ecclesiâ proposita fuerit; neque *a fortiori* qui conclusionem theologicam rejicit, aut veritatem ab Ecclesiâ quidem propositam, sed non ut revelatam : quo casu error quidem temere incurritur, sed non contra fidem. Dictum est contra *aliquam* veritatem : si enim omnes rejiciuntur, jam non est hæresis, sed *apostasia.*

657. (B) Hæresis *materialis*, seu involuntaria, ea est quæ ex *ignorantiâ* procedit, sine pertinaciâ voluntatis, et in eo existit qui paratus est se submittere auctoritati Dei revelantis et Ecclesiæ infallibili judicio, statim ac noverit talem veritatem divinitus esse revelatam.

(a) Materialiter hæretici sunt multi protestantes et schismatici, qui in hæresi aut schismate nati, nullum serium conceperunt dubium de veritate suæ religionis, quia catholica religio aut nullo modo, aut insufficienter eis proposita fuit; non paucos esse, etiam inter ipsos doctiores, qui in bonâ fide perseverent, testantur conversi, necnon ii qui hæreticos frequentârunt[1].

658. (b) Quidam pariter catholici, in religione nonnisi imperfecte instructi, et inter acatholicos versantes, aliquando bonâ fide negant quasdam veritates definitas, quia non clare percipiunt has esse revelatas. — Utrum vero ab Ecclesiâ catholicâ secedere valeant sine *formali peccato contra fidem*, controvertitur.

Quidam negant, quia, ex unâ parte, nulla est *justa causa* fidem in dubium vocandi, et, ex alterâ, Deus neminem deserit nisi prius deseratur, ideoque catholicos gratiâ suâ juvat ne in hæresim labantur. Alii *affirmant;* nam dantur juniores catholici qui, insufficienter in fide instructi et roborati, ab hæreticis aut rationalistis multa contra catholicam religionem audiunt, quæ solvere non valent; ita sensim et sine sensu aliquot dubia concipiunt, et mox fidem in Ecclesiæ auctoritatem amittunt, quin tamen *grave* peccatum *formaliter* contra fidem commiserint, quia neminem inveniunt qui propositas difficultates sufficienter solvat.

659. Si mentem in re tam difficili aperire liceat, putamus quidem nullum a verâ fide jam *susceptâ* sine aliquâ culpâ,

[1] Ita, cum sacerdos catholicus quâdam die miraretur quomodo viri eruditi bonâ fide credere possint anglicanam sectam esse veram Ecclesiam, *Manning*, protestans minister ad fidem catholicam conversus, ait : " Vous êtes dans une profonde erreur. Ce n'est qu'après beaucoup de temps, de prière et d'étude que nombre d'esprits, les meilleurs et les mieux doués, mais nés dans l'hérésie, parviennent à comprendre que leur église n'est pas la véritable. Quand vous proposez à quelqu'un, même fort intelligent, une énigme, dont vous-même avez la solution, vous êtes étonné de voir votre interlocuteur hésiter, chercher et ne pas trouver une solution qui vous paraît à vous-même d'une enfantine simplicité. Donnez-lui l'explication cherchée; lui-même s'étonnera de ne l'avoir pas trouvée tout de suite. Ainsi en est-il de l'hérétique le plus instruit et de la meilleure foi; il peut étudier, prier longtemps sans être éclairé; et ce n'est qu'à un certain moment, marqué par la grâce, qu'il découvre la vérité, et s'étonne de ne l'avoir pas reconnue plus tôt". (Apud *Abbé de Broglie*, Les fondements intellectuels de la Foi, Paris, Bloud, 1905, p. 223, not. 1.)

saltem *imprudentiæ*[1], secedere posse; sed hæc culpa non est semper mortalis, neque contra fidem, ideoque non necessario habitum fidei expellit. Hanc esse mentem *Vaticani* censemus; ait enim *Vaticanum* :[2] "Etenim benignissimus Dominus et errantes gratiâ suâ excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, *quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum*, in hoc eodem lumine *ut perseverent gratiâ suâ confirmat, non deserens, nisi deseratur.* Quocirca minime par est conditio eorum, qui per cœleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui, ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, *nullam unquam habere possunt justam causam mutandi*, aut in dubium fidem eamdem revocandi". Ex quibus duo colligere fas est : (a) Deum gratiâ suâ nos juvare ut in fide perseveremus, ita ut, si divino auxilio fideliter cooperemur, eam retinere valeamus; (b) nullam exstare causam *objective justam* fidem in dubium revocandi vel negandi.

Animadvertimus tamen, post *Granderath*[3], a Concilio non definitum fuisse, nunquam fieri posse, ut homo catholicus sine *peccato formali contra fidem* divinitatem Ecclesiæ in dubium vocet vel ab eâ deficiat. Siquidem *Vaticanum* hic solum condemnare voluit *Hermesii* errorem, qui causam objective justam dubitandi adesse docuit, imo doctis dubium commendavit, ut aperte declaratur ab ipsis scriptoribus schematis Patribus Concilii propositi : "Neque etiam in propositâ declaratione doctrinæ et condemnatione erroris illud attingitur, quod aliqui veteres theologi concedere non dubitant, posse *per accidens*, et in certis quibusdam adjunctis, conscientiam rudis cujusdam hominis catholici ita induci in errorem invincibilem, ut sectam aliquam heterodoxam amplectatur sine peccato formali contra fidem, quâ in hypothesi

[1] *Imprudentiæ* reus est v. g. qui, in religione parum instructus, acatholicos frequentare eosque audire non dubitat, qui ephemerides et libros legit fidem impugnantes, nec ad doctum sacerdotem recurrit, quando occurrunt dubia contra fidem.

[2] *Vatic.*, sess. III, cap. 3, *Denzing.*, n. 1642.

[3] *Granderath*, Constitut. C. Vaticani explicatæ, 1892, p. 61; cfr. *Vacant*, op. cit., t. II, n. 731-737.

fidem non amitteret, nec formalis, sed materialis hæreticus foret (*Tanner*, de fide, q. 2, dub. 5, n. 139; *Platelius*, de fide, n. 61). Hæc quidem nisi cautissime explicentur, periculose disputantur; sed ab hæresi, quæ sacro Concilio examinanda proponitur sunt alienissima".

660. 2° **Hæresis malitia.** Hæresis proprie dicta, seu voluntaria, sicut apostasia et infidelitas, est *gravissimum* peccatum, *per se* omnibus gravius ceteris peccatis, uno excepto Dei odio; denegare enim assensum Deo revelanti debitum, quemdam *contemptum* divinæ auctoritatis importat. Præterea hæresis radicitus evellit non solum gratiam habitualem, sed etiam habitum fidei, qui est radix justificationis [1].

Quare Ecclesia excommunicatione latæ sententiæ, speciali modo Pontifici reservatâ, plectit "omnes a christianâ fide apostatas et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet eorum defensores" [2]. Ad incurrendam hanc excommunicationem, necesse est ut hæresis, interius concepta, *exterius* manifestetur verbo, scripto aut facto, quia de mere internis non judicat Ecclesia; non requiritur autem ut hæc manifestatio fiat coram aliis, neque ut hæreticus alicui sectæ se adjungat.

661. 3° **Corollarium** : *de dubio in fide.* (**A**) Quoad *catholicos.* Quando dubium occurrit circa veritatem fidei, mens diverso modo se habere potest : (**a**) si voluntas non consentit dubio, sed illud *prompte* repellit, actum meritorium perficit : si negligentem se ostendit ad illud repellendum, sine periculo consensûs, peccat tantum venialiter. (**b**) Si quis de articulo fidei dubitat ex *ignorantiâ*, paratus assentiri statim ac noverit rem esse revelatam, nullum peccatum hæreseos committit, sed peccat vel non, prout ignorantia vincibilis aut invincibilis est. (**c**) Qui dubitat de articulo sufficienter proposito dubio *mere negativo*, id est qui judicium suspendit, quin

[1] Hæresis formalis rei sunt *Liberales absoluti*, qui plenam independentiam Statûs ab Ecclesiâ profitentur (*De Ecclesiâ*, n. 910); necnon *Modernistæ* qui integrum systema a Pio X damnatum amplectuntur aut aliquas opiniones hujus systématis vere hæreticas. Cfr. *Motu proprio* 18 nov. 1907 (*A. S. S.*, t. XL, p. 723).

[2] Constit. *Apostolicæ Sedis*, 1869, § 1, n. 1.

positive dubio consentiat, — v. g. quia vult ad alia mentem divertere, aut inquirere motiva quibus suavius inclinetur ad credendum, etc., — non est proprie hæreticus, quia judicium falsum non profert, sed solum abstinet a judicando; quandoque tamen *imprudenter* agit, et incidit in periculum positive dubitandi. (d) Qui *deliberate* et *positive* dubitat de aliquo fidei articulo sufficienter ab Ecclesiâ proposito, et ut tali cognito, est vere hæreticus, quia positive et erronee judicat hunc articulum non esse certum, et consequenter Ecclesiam errare dum eumdem fidei nostræ proponit.

662. (B) Quoad *acatholicos.* Plerique acatholici *privatum judicium* agnoscunt ut proximam fidei normam, ad detegendas veritates revelatas, in sacris Scripturis contentas. Hi non possunt quidem, sine peccato, dubitare de auctoritate Dei revelantis, aut librorum quos ut inspiratos agnoscunt. Sed, quando agitur de tali vel tali veritate credendâ, ministrorum aut synodorum auctoritatem accipere non tenentur, cum eorum infallibilitatem non admittant. Possunt igitur, juxta principia sua, aliquot dubia concipere de tali vel tali veritate, imo de veritate suæ sectæ. Orto autem dubio, tenentur serio veritatem *investigare*, simulque *orare* ut veritatem detegere et amplecti valeant. Si datâ operâ illud officium negligunt, peccatum committunt plus minusve grave secundum negligentiæ gradum. Non pauci ab ulteriori inquisitione deterrentur ex innato Ecclesiæ contemptu; alii vero ex metu temporalium damnorum quæ ex conversione passuros esse prævident; quibus revocanda sunt hæc Christi verba[1] : "Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam".

II. De apostasiâ.

663. 1° **De apostasiâ in genere.** Apostasia (ἀπό, ἵστημαι, secedo) est *totalis recessus a fide christianâ per baptismum receptâ.* Differt proinde ab *hæresi* in eo quod totam fidem rejicit, dum hæresis nonnisi unam aut quasdam veritates

[1] *Matt.*, X, 28.

negat. Attamen, ut aliquis sit apostata, necesse non est ut ad falsam religionem transeat, v. g. judaismum, mahumetismum, sed sufficit ut, post susceptum baptisma, exterius fidei christianæ valedicat, prolabendo scilicet in deismum, positivismum, atheismum, indifferentismum, etc. Si catechumenus, nondum baptizatus, qui mente fidem conceperat, eam totaliter deserit, apostata quidem erit coram Deo, qui intuetur cor, sed non coram Ecclesiâ, cui exterius nondum fuerat coadunatus.

Quæ de *hæsesis malitiâ* et *pœnis* diximus, vera sunt etiam de *apostasiâ*, cum radicitus fidei fundamentum evellat, et longius a Deo recedat quam hæresis. Inter apostatas vero, ii sane pejores et magis perniciosi sunt qui magis funditus a fide christianâ secedunt, quales sunt athei, positivistæ, monistæ aut materialistæ, quorum numerus in dies crescit.

664. 2° De apostasiâ per adhæsionem sectis massonicis[1]. Sed inter eos eminent *massones (francs-maçons, free-massons)*, qui, per totum orbem dispersi, non solum *naturalismum* propugnant, sed infensissimos christiani nominis hostes sese exhibent, et universalem gentium apostasiam a fide totis viribus promovent[2].

(A) Quo facilius incautos decipiant, *philanthropiæ*, *democratiæ* et fraternæ omnium *solidaritatis patronos sese decla-*

[1] *Deschamps et C. Jannet*, Les sociétés secrètes et la société, Paris, 1880; *Copin-Albancelli*, La franc-maçonnerie et la question religieuse, Paris, 1892; *P. Nourrisson*, Le club des Jacobins sous la troisième République, Paris, 1900; *id.*, Les Jacobins au pouvoir, Paris, 1904; *Prache*, La pétition contre la franc-maçonnerie; *Goyau*, La Fr. Maçonnerie en France, Paris, 1904; *M. Le François*, Le Plan Maçonnique, Lille, 1905, ubi et alia opera allegata invenies, p. 145.

[2] Origo hujus sectæ valde obscura est. Certum est eam in *Angliâ* viguisse jam anno 1717, et citissime in præcipuis Europæ regionibus propagatam fuisse mediante sæculo XVIII. Sed etiam circa finem prævii sæculi quidam massonici conventus in *Scotiâ* et *Suecià* habiti fuerant. Valde probabile est has sectas e consociationibus opificum, qui ædificiis exstruendis operam dabant, ortas fuisse : sæculo XVI his consociationibus cooptati sunt viri qui non erant opifices, sed eis patrocinium præstabant; inter hos autem inventi sunt qui, philosophicis et religiosis erroribus imbuti, naturam et indolem harum consociationum immutaverunt. Cfr. *Gyr*, La Franc-maçonnerie, Paris, 1859, p. 238-250; *Findel*, Les principes de la franc-maçonnerie.

rant, necnon opificum et oppressorum defensores : " Habent in linguâ promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem : unice velle se meliores res multitudini quærere, et quæ habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare " [1]. Præterea moribus et opinionibus diversarum gentium solerter se accommodant [2] : ubi christiana religio multos strenuosque habet asseclas, non aperte christianismum impugnant, sed liberalem religionis formam advocant; alibi deismo favent, et Deum tanquam Magnum Architectum agnoscunt; sed in nonnulis regionibus, ut in *Gallia*, atheismo aperte favent. Ubique vero sua proposita *secreti* sigillo velant, nec ea omnibus sociis, sed paucis tantum initiatis manifestant, ita ut multi massones ea penitus ignorent. Omnes tamen juramento cæcam ducibus promittunt obedientiam [3], et ita inscii ad finem pessimum cooperantur.

665. (B) Hunc *finem* esse *christianismi eversionem*, constat ex apertis declarationibus ducum, in iis saltem

[1] Ita *Leo XIII*, Encycl. *Humanum genus*, de secta massonum, 20 apr. 1884. De secretis societatibus in *Statibus Americæ Fœderatis*, cfr. *Concil. Balt. III*, n. 244-245.

[2] Quod aperte constat ex conventu massonico Genevæ an. 1902 habito; ita legitur in periodico *Revue maçonnique l'Acacia*, dec. 1902 : " Il est certain que la maçonnerie n'est pas comprise partout de la même façon. Les Anglo-Saxons en ont fait une confraternité aristocratique et conservatrice au double point de vue politique et religieux... Quant à la maçonnerie latine, elle doit son caractère distinctif à la lutte qu'elle soutient contre le catholicisme ". — In conventu generali gallico, an. 1903, *F.·. Mayoux* aiebat : " Nous disons qu'un franc-maçon peut être matérialiste, oui ; qu'il peut être positiviste, oui ; qu'il peut être déiste, spiritualiste, oui ; mais qu'il soit catholique, protestant ou juif, jamais, jamais, jamais. *(Applaudissements)*. Je sais bien que, dans les siècles passés, il y a eu des curés qui faisaient partie de la franc-maçonnerie, je sais bien qu'encore aujourd'hui la franc-maçonnerie élève à ses plus hautes fonctions des dignitaires des églises protestantes et juives, mais cela, mes FF.·., c'est le passé ". (Apud *P. Nourrisson*, Les Jacobins au pouvoir, p. 249-250).

[3] De quo juramento dicebat *Leo XII*, Constit. Apost. *Quo graviora*, 13 mart. 1825 : " Jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illâ etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi ".

regionibus ubi audaciores facti sunt [1]. Ad quem securius prosequendum, primum quidem totis viribus curant *neutrales* scholas a Statu institui, quibus via paretur *indifferentismo* et *naturalismo;* postea vero religiosas scholas, variis vexationibus, paulatim evertere conantur, imo soli Statui juniorum educationem committendam esse volunt; tandem curant ut in scholis publicis *positivismus* aut *agnoticismus* edoceatur [2]. A publicis muneribus et officiis, *delationis* ope, paulatim removent christianos [3]. *Familiæ* fundamenta divellunt, divortium et unionem liberam promovendo [4]. *Societatis* perturbationi favere non dubitant, vires cum *socialistis* jungendo, ut opificum suffragia obtinere valeant [5].

Non omnes quidem, nec ubique palam hæc omnia prosequuntur; sed experientiâ constat eos audaciores paulatim

[1] Recenter enim, 30 mai 1904, *F.·. Léon Martin*, in conventu massonum *Parisiensis* regionis, aiebat : " La F.·. M.·. doit poursuivre la *déchristianisation* de la France, en étendant sans cesse son influence morale et philosophique ". (*Compte-rendu*, p. 31). — Cfr. *A. Leroux*, La Franc-Maçonnerie sous la 3e République, t. I, pp. 168, 173; hæc loca, ubi Dei existentia negatur, excerpta esse e genuinis documentis massonicis certo compertum habuit *F. Mouret*, collega noster, qui hos textus ipse perlustravit.

[2] Quomodo in scholis, collegiis et universitatibus impiæ hujusmodi doctrinæ spargantur exposuit *G. Goyau*, L'Ecole d'aujourd'hui, Paris, 1899. — Revera jam in quibusdam scholis adhibentur libri, a massonibus scripti, in quibus asseritur neque existentiam Dei neque animæ immortalitatem demonstrari posse.

[3] *M. Le François*, Le plan Maçonnique, Lille, 1905, p. 108-118.

[4] Ita, in massonico Rituali, auctore *F.·. Blatin*, p. 20, legitur : " Les époux comprendront par ce symbole (une baguette de verre qu'on brise sous leurs yeux), que leur union peut être volontairement et légalement rompue par eux, comme vient de l'être cette baguette. Nous n'admettons pas, entre citoyens libres, les liens indissolubles et les contrats sans clause résolutoire ". (Ap. *M. Le François*, op. cit., p. 54-55).

[5] Ita, an. 1896, *F.·. Rouanet*, massones alloquens, dicebat : " Si la Maçonnerie veut continuer son rôle, elle sera socialiste. La Maçonnerie a tué Dieu et vidé le Ciel, mais si le Ciel est vide, la terre n'est pas encore à vous. *Ni Dieu, ni Maître*, telle sera bientôt la formule maçonnique ". (Ap. *M. Le François*, op. cit., p. 134). Pariter, in generali conventu an. 1900, *F.·. Bédarride* asserebat " que dans le socialisme seul, et le socialisme appliqué en son intégrité, se trouve la clef de la question sociale... la conclusion logique et le seul couronnement conséquent des idées de solidarité de là maçonnerie universelle ". (Ap. *Nourrisson*, Les Jacobins, p. 32).

fieri, et publice manifestare quæ antea mente conceperant, sed sedulo dissimulaverant [1].

Ex quibus colligitur unam e præcipuis apostasiæ causis esse juniorum adhæsionem sectis massonicis : statim ac nomen secretis societatibus dederunt, in periculum incidunt a fide totaliter recedendi, et quidem *permanenter ;* timent enim ne, si ad fidem redeant, tanquam juramenti violatores diris plectantur pœnis.

Merito igitur excommunicationem latæ sententiæ S. Pontifici reservatam incurrunt "nomen dantes sectæ massonicæ aut carbonariæ aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, necnon eisdem sectis favorem qualemcumque præstantes, earumque occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint" [2].

666. - Totis igitur viribus sacerdotes ac probi laici conentur *juniores avertere ab ingrediendis secretis hujusmodi societatibus*, opportune revelando "quæ sint societatum ejus generis in blandiendo alliciendoque *artificia*, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudo" [3]. Quo efficacius vero ab his removeantur, ubique *honestæ societates* instituendæ sunt : cum enim *robur* simul et *solatium* in consociationibus inveniantur, nostrisque diebus adolescentes proni sint ad fœdera jungenda, necesse est omnino ut pravis societatibus honestæ opponantur [4]. In *Galliâ* præsertim,

[1] Hujus dissimulationis exempla multa invenies in massonum conventibus; ita v. g. primum *neutralem* advocant educationem, ne deistarum aures offendant, sed paulo post declarant eamdem *anti-religiosam* esse debere, imo *atheisticam*, ideoque enixe postulant ut nomen Dei ab omnibus exulet libris, qui discipulis traduntur. (Cfr. *M. Le François*, op. cit., p. 10-13).

[2] Bulla *Apost. Sedis*, § II, n. 4. — Præter *massones* et *carbonarios*, huic excommunicationi subjacent *feniani*, ex decreto S. Officii 12 jan. 1870, *nihilistæ* et *anarchistæ*, et probabilius *socialistæ* proprie dicti, quatenus contra Ecclesiam et legitimas potestates machinantur.

[3] *Leo XIII*, Encycl. *Humanum genus*, quæ tota attente legenda est.

[4] Ad rem *C. Baltim. III*, n. 257 : "Pro juvenibus, quia majoribus periculis objiciuntur, majorem curam impendi volumus; proinde statuimus ut in omni parœciâ vel missione, ubi numerus eorum sufficiens invenitur, societates speciales pro ipsis a rectore instituantur et omni operâ foveantur." Revera in plerisque locis institutæ sunt hujusmodi societates, v. g. in *Statibus Fœderatis* societas dicta *Knights of Columbus*, in Galliâ *Le Sillon*, L'Assoc. cath. de la *Jeunesse française*, etc.

ubi massones, quamvis pauci numero, omnia hodie regunt, religio catholica iterum florere non poterit, nisi fideles et sacerdotes, vanis querelis omnino sepositis, vires jungant et bonum certamen contra infensissimos christiani nominis osores [1] strenue et constanter instituant.

III. De infidelitate.

667. Infidelitas *late sumpta* est quilibet defectus fidei internæ, et sub hoc respectu etiam hæresim et apostasiam complectitur. *Stricte* sumpta, quatenus ab hæresi et apostasiâ distinguitur, est carentia fidei in eis qui non fuerunt baptizati, qui proinde habitum fidei non acceperunt.

(a) Dantur infideles mere *negativi*, qui videlicet de fide nihil audierunt, aut quibus fides non fuit sufficienter proposita, ita ut conscii non sint obligationis credendi. Hi sane non peccant : *nil volitum quin præcognitum*. Hinc merito damnata est a *Pio V*, 1 oct. 1567, hæc *Baii* propositio 68 : "Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est" [2].

668. (b) Alii sunt vero qui audierunt de fide christianâ, simulque opportunitatem habuerunt ulterius de ejus veritate inquirendi, sed eam *scienter* et *volenter* neglexerunt; horum infidelitas vocatur *privativa*, et *ex se* graviter culpabilis est, quia in re tanti momenti serio inquirere tenentur. Quidam tamen a peccato *gravi* excusantur, si conscii non sunt hujus gravis obligationis.

---

[1] Massonibus spem inesse religionem catholicam evertendi, et in nostris ecclesiis aperte suos nefandos errores prædicandi, constat ex hâc declaratione *F.·. Blatin*, in conventu 1883 (*Bul. du G^d Orient*, p. 645) : "Dans ces édifices, élevés de toutes parts, aux superstitions religieuses et aux suprématies sacerdotales, nous serons peut-être appelés à notre tour, à prêcher nos doctrines, et au lieu des psalmodies cléricales qui y résonnent encore, ce seront les maillets, les batteries et les acclamations de notre Ordre, qui en feront retentir les larges voûtes et les vastes piliers". Eadem verba protulit *F.·. Masson*, 25 febr. 1884, ut legere est ap. *Bull. Maç.·. de la grande Loge symbolique*, t. v., p. 63.

[2] Ap. *Denzing.*, n. 948. — Nostris diebus multi sunt hujusmodi infideles, non solum inter exteras nationes, sed etiam inter christianas, præsertim in magnis civitatibus; multi, inquam, baptizati non fuerunt, nec de catholicâ religione aliud audierunt nisi quod sit omni progressui et libertati inimica.

(c) Dantur etiam quibus *sufficienter* proposita est fides christiana, cum motivis credibilitatis eorum ingenio accommodatis, ita ut obligationem credendi intellexerint, quique tamen assensum denegaverunt. Quorum infidelitas vocatur *positiva*, et est grave peccatum, quia includit contemptum Dei revelantis, et rejectionem medii ad salutem necessarii : " Qui non crediderit, condemnabitur " [1].

Maximi igitur momenti est illis consociationibus adhærere, quæ infidelibus præcones subministrant quibus ad veram fidem converti valeant; his opem præstare eleemosynis, orationibus aliisque opportunis mediis, est opus Deo summe gratum, maximeque efficax ad fidem non solum servandam, sed et augendam.

§ II. De causis peccatorum contra fidem.

669. Multos hodie, sive doctos, sive indoctos, in infidelitatem labi, apud omnes gentes christianas, lugendâ constat experientiâ [2]; quapropter de causis quæ fidei amissionem inducunt inquirere expedit, quo facilius incredulitatis remedia detegantur. Jamvero duplicis generis sunt hujusmodi causæ : aliæ *internæ*, ex animi dispositionibus ortæ; aliæ *externæ*, seu ex ipso statu hodiernæ societatis.

1° *De causis internis, seu subjectivis.*

Cum fides ab *intellectu* eliciatur, sub influxu *voluntatis*, juvante *gratiâ*, ex hoc triplici capite difficultates credendi oriri possunt.

670. **(A) De causis intellectualibus.** Ad fidem tuto et rationabiliter servandam, necessaria est cognitio *motivorum*

---

[1] *Marc.*, XVI, 16.

[2] Ad rem *DD. Mignot*, L'Apologétique contemporaine, ap. *Revue du Clergé français*, t. XXIV, 1900, p. 581 : " Il ne faut pas être dupe des apparences : la foi véritable, nous ne disons pas la religiosité, diminue tous les jours. Extérieurement, on paraît encore croyant, on se dit encore catholique, protestant; en réalité, on ne l'est plus guère que par habitude, tradition de famille, à dose homéopathique. Et puis nous vivons dans une atmosphère saturée d'incroyance. Même dans nos populations les plus chrétiennes, dans les milieux les mieux conservés, la foi véritable a perdu une partie de son influence sur les esprits ". Cfr. *Gayraud*, La Crise de la Foi, 2e éd., Paris, Bloud, 1901.

credibilitatis; hæc vero a multis *ignorantur*, ab aliis, propter *præjudicia*, rejiciuntur.

(a) Multi fidem amittunt propter *ignorantiam*, quia, dum incredulorum opera attente legunt, apologetarum libros prætermittunt; ita difficultates contra fidem propositas solvere nequeunt, et mox in infidelitatem prolabuntur. *Laicis* igitur inculcanda est necessitas a doctioribus inquirendi solutionem difficultatum, *sacerdotibus* vero necessitas studendi, ut exhortari in doctrinâ sanâ et eos qui contradicunt arguere valeant; caveant autem ne tanquam *dogmata* tradant ea quæ Ecclesiæ infallibili magisterio nondum proposita sunt : non pauci enim a fide deterrentur propter quorumdam theologorum *opiniones*, quæ ut veritates fidei exhibentur [1].

(b) Præterea hodiernorum mens, multis *præjudiciis* imbuta, vim motivorum credibilitatis difficile percipit. Non pauci videlicet, *kantismo* faventes, rationis autonomiam proclamant, atque revelationem ut quid *extrinsecum* et humanâ *ratione indignum* denuntiant. Alii, *positivistarum* methodis plus æquo fidentes, miracula rejiciunt, utpote satis constanti experientiâ aut observatione non probata [2], vel, ut alii dicunt, quia *modernæ conscientiæ* repugnant [3]. — Alia sunt quidem motiva credendi, quæ desumuntur ex eo quod legi-

[1] Id sane intelligunt qui libros a modernis incredulis scriptos percurrunt; cfr. *A. D. White*, Warfare of science and theology, New York, *gallice* "Histoire de la lutte entre la Science et la Théologie", Paris, Guillaumin, 1899.

[2] " L'orgueil de l'esprit est donc souvent le grand obstacle à croire. On ne se résigne pas à s'en rapporter au témoignage d'autrui quand on a exploré tous les mystères de la nature depuis la résolution des nébuleuses jusqu'au rôle des microbes... Trop intelligents pour être franchement matérialistes, beaucoup de nos savants se réfugient honteusement dans les brouillards de l'agnosticisme; comme si, parce que nous ne pouvons tout savoir, nous ne pouvions rien savoir du tout. Il en résulte, nous l'avons dit, une tendance générale à ne plus croire aux miracles, à identifier le miracle avec l'inexpliqué : ce qui est encore une forme nouvelle de l'agnosticisme". (*Mignot*, l. c., p. 584).

[3] " Si nous n'admettons plus le miracle, ce n'est pas seulement qu'il ne s'en produit que quand on y croit, c'est qu'il est rejeté par la *conscience* plus encore qu'il n'est nié par la science. Loin de faire preuve, le miracle désormais est une raison de mettre en doute et de soumettre à l'examen les vérités que l'on prétend appuyer de cette singulière autorité." (*Séailles*, Les affirmat. de la conscience, p. 34.)

timæ aspirationes intellectûs, voluntatis, totiusque animæ nostræ nonnisi in christianâ religione complentur; sed hoc argumentum, quod nonnullis placet, ab iis solum accipitur qui recte sunt dispositi, veritatem et justitiam sitiunt, divinumque solatium quærunt.

Quapropter non unum tantum aut alterum argumentum apologetæ præbere debent, sed diversa diversis ingeniis accommodata. Imprimis sæpe in memoriam revocari debent hæc principia : in re morali et religiosâ, sola *moralis* certitudo exspectanda est; certitudinem moralem pariunt argumenta valde probabilia, quando *plura simul* in *eumdem* finem conspirant [1]. Pariter ostendi debet revelatione non destrui, sed perfici rationis lumen et legitimam autonomiam [2].

671. (B) **De causis moralibus,** seu ex parte *voluntatis.* Ad credendum necesse est ut voluntas intellectum moveat ad assentiendum veritatibus revelatis (supra, n. 618). Voluntas autem, quæ *independens* vult manere, haud raro assensum fidei non imperat, quia, ex unâ parte, auctoritatem Dei ægre fert, et, ex alterâ, cupiditatibus indulgere exoptat, quas refrænat christiana religio. Hæc dispositio sæpe augetur *abusu* spiritûs *democratici* qui multorum animos pervadit, et quosdam incitat ad jugum excutiendum cujuslibet auctoritatis, non solum civilis, sed etiam divinæ : hinc naturali quodam instinctu, religionem abhorrent quæ in auctoritate innititur. Aliunde, quia voluptatis amor magis ac magis in omnes civium ordines sese insinuat [3], naturaliter

[1] " Il faut donc, à notre avis, procéder par accumulation de preuves, par vue d'ensemble. On résiste à une preuve, à deux ou trois peut-être : on ne résiste pas à cent, à moins d'être de parti-pris. Si nous arrivons à la certitude par le *congeries probabilitatum*, comme on dit, bien plus sûrement encore y arriverons-nous par le *congeries probationum*. Par une singulière inconséquence, on voudrait exiger dans les questions religieuses une certitude que l'on n'a pas dans les choses de la vie ordinaire. Pourquoi cette différence?" (*Mignot*, l. cit., p. 578).

[2] *F. Dubois*, ap. *Rev. du Cl. français*, t. XXXIX, 1904, p. 113-136.

[3] " Faire ce qui plaît, se mouvoir à sa guise, satisfaire tous ses besoins, suivant l'ordre dans lequel ils se présentent et leur degré d'intensité, c'est jouir, c'est être heureux. Par contre, ne pas faire ce qui plaît, ne pas se mouvoir à son gré, ne pas satisfaire ses besoins, c'est souffrir, c'est être malheureux... Vivre, être heureux, être libre, c'est tout un ". Ita vitam moralem multi concipiunt, ut videre est ap. *Séailles*, Les affirmat. de la conscience moderne, p. 130-131.

refugiunt religionem quæ sui abnegationem passionumque mortificationem omnibus prædicat : quanto facilius argumenta in gratiam revelationis admitterentur, si, prout fit in veritatibus mathematicis, nullo modo libidinibus obstarent!

His igitur inculcandum est nullam societatem, civilem aut religiosam, sine aliquâ auctoritate subsistere posse, et rationabilem legitimæ auctoritati submissionem efficacissimum esse medium ad vitandam multorum tyrannidem; passiones autem ad veram felicitatem non conferre, nisi quatenus ad bonum ordinantur, et in christianâ religione omnia inveniri adjumenta ad passiones moderandas rectèque ordinandas.

672. (C) Cum fides acquiri et servari nequeat sine *gratiâ* Dei, non pauci ab eâ deficiunt, quia propriis viribus nimium fidentes, *orare* negligunt. Quorum in memoriam frequenter revocari debet necessitas orationis ad superandas tentationes contra fidem : "Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam... Adauge nobis fidem " [1].

2° *De causis extrinsecis.*

673. Multæ sunt hodie causæ extrinsecæ quæ ad minuendam et penitus evertendam fidem concurrunt : —

(A) **Neutralis educatio** in scholis, collegiis et universitatibus tradita, quæ sæpe *indifferentismum* gignit, et quandoque *irreligiositatem.* Ubique fere terrarum nostris diebus scholæ permultæ inveniuntur, in quibus nihil de religione

[1] *Marc.*, IX, 23; *Luc.*, XVII, 5. — Nec minus necessaria est oratio ad fidem consequendam, quando amissa fuit, ut præclare exponit *M. d'Hulst*, Confér, 1892, p. 110 : "Je crois, Seigneur, venez au secours de mon incrédulité ! Combien de pauvres âmes pourraient redire ce cri de détresse et de confiance ! Je crois, c'est-à-dire je vois qu'il faut croire; les épreuves de la vie m'ont instruit; ma raison défaillante n'a pu résoudre les problèmes qui me tourmentent. J'ai regardé du côté de ceux qui croient, j'ai envié leur bonheur. J'ai ouvert l'Evangile et j'ai cru reconnaître mon Sauveur. J'ai écouté la grande voix des siècles chrétiens et j'ai été ému de leur témoignage. Mais entre cette inclination à croire et la dernière abdication de mon doute; entre ces raisons de croire et ce don volontaire de mon esprit et de mon cœur qui s'appelle la foi, je sens qu'il y a un abîme à franchir, qu'il dépend de moi de le franchir, et je n'ose encore. *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Ah ! Messieurs, je vous en prie, emparez-vous de cette prière; Dieu l'entendra, il y répondra par le don de la foi ".

christianâ docetur, imo nihil de Supremo Numine[1]. Ita via paratur non solum religioso *indifferentismo*, sed etiam *atheismo*. Multum enim apud juniores minuitur religionis auctoritas et dignitas, quando omnino a cursu studiorum exsulat. Sed *neutralitas* diu in scholis servari nequit; in rebus historicis et moralibus, multoties sese præbet opportunitas de religione sermonem habendi, ad eam scilicet impugnandam et deridendam[2].

674. **(B) Lectio librorum fidem impugnantium.** Innumeros esse libros et ephemerides, in quibus mysteria fidei nostræ negantur aut deridentur, nemo est qui ignoret; eo periculosiores sunt quo elegantiori stylo magisque scientifico apparatu conscribuntur, et non solum doctorum, sed etiam simplicium ingenio accommodantur. Multi catholici, curiositate allecti, eos legunt, et dubia contra veritates revelatas concipere incipiunt; pauci admodum hæc dubia solvere curant, catholicos libros legendo; aliunde facilius proponuntur quam solvuntur difficultates.

675. Merito igitur ab Ecclesiâ prohibentur :

"Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes... acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri;

Libri in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut Catholicæ Ecclesiæ ejusque cultui et sacramentis, aut Apostolicæ Sedi detrahitur...; opera, in quibus inspirationis sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur...

Libri qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolicâ Sede proscriptos tuentur...

[1] Res eo pervenit in *Galliâ*, ut e nonnullis scholis expulsi fuerint libri in quibus nomen Dei legere est; imo typis mandantur expurgatæ editiones *classicorum* librorum, in quibus nomen Dei prorsus exsulat. (*M. Le François*, op. cit., p. 19, not. 1).

[2] In *Galliâ*, res hodie certa evasit. Nam in opere a *J. Payot* conscripto "Cours de Morale... destiné aux Maîtres de l'Enseignement primaire et de l'Enseignement secondaire, aux écoles normales d'Instituteurs et d'Institutrices..., Paris, Colin, 1904", jam in dubium vocantur Dei existentia et animæ immortalitas, p. 189-213. Alii libri, ad usum puerorum, eosdem errores in multas scholas diffundunt. Cfr. *Goyau*, l'Ecole d'aujourd'hui.

Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores datâ operâ impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur. Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere"[1].

Quo vero efficacius fideles a lectione pravorum librorum arceantur, necesse est ut eis legendi commendentur catholici libri, cujusque captui accommodati, non minus eleganti stylo quam soliditate doctrinæ perspicui.

676. (C) **Frequentatio hæreticorum, apostatarum et infidelium.** Hodie siquidem, in plerisque regionibus, catholici vivunt inter acatholicos, fidei nostræ osores, et cum eis frequentes et quandoque intimas relationes habent sive in collegiis et academiis, sive in officinis, in vitâ politicâ, imo in vitâ familiali. Sæpe igitur audiuntur opiniones erroneæ, aut colloquia in quibus verum cum erroribus promiscue miscetur. Exinde non pauci nutare in fide incipiunt: cum enim audiunt difficultates contra religionem motas a viris minime ignaris, et aliunde quid respondeant nesciunt, quidam facile de veritate religionis dubitant, aut ei omnino valedicunt[2].

Necesse est igitur ita fideles instruere, ut, quidquid legunt vel audiunt, immoti in fide maneant[3]. Monendi sunt proinde ut religionis studio serio incumbant, et ad

[1] *Leo XIII*, Constit. *Officiorum ac munerum*, 25 jan. 1897, nn. 2, 3, 11, 14, 21. Ad quorum intelligentiam legi possint *Vermeesch*, De prohibitione et censurâ librorum, 2ª ed., Tornaci, 1898; *Gennari*, La costituzione *Officiorum*, Napoli, 1898; *G. Périès*, L'Index, Paris, 1898; *A. Boudinhon*, La nouvelle législation de l'Index, Paris, 1899.

[2] In *Galliâ* difficultas augetur *secularisatione*, ut aiunt, omnium institutionum. Ad rem *DD. Mignot*, l. c., p. 581-582 : " La sécularisation de l'Etat dans tous ses services, l'absence voulue de tout caractère religieux dans le monde officiel contribue pour une large part à l'affaiblissement des croyances. La religion est regardée comme une affaire purement personnelle et individuelle ; la nation comme nation n'en a pas. Au sortir de l'enfance, le jeune homme, s'il n'a reçu dans la famille de fortes convictions, puisqu'on ne lui a pas même parlé de Dieu dans son stage scolaire, subira fatalement l'action délétère de son entourage. Loin d'être soutenue, encouragée, fortifiée par les exemples, sa foi ira s'affaiblissant tous les jours".

[3] Omni igitur laude digni sunt pastores qui speciales habent conciones ad virorum fidem contra hodiernas objectiones muniendam. Cfr. *Gibier*, Confér. aux hommes, Les objections contemporaines contre la religion, Paris, 1902 et 1903.

doctiores, præsertim sacerdotes, recurrant, quando difficultates occurrunt quas ipsi solvere nequeunt.

677. Ecclesia vero, ad avertendum aut saltem removendum periculum quod ex communicatione cum hæreticis et infidelibus oritur, speciales hâc de re tulit leges, quas breviter exponere juvat.

Principium generale est communicationem cum hæreticis aut infidelibus in re *civili* et *sociali* non prohiberi, secluso perversionis periculo[1]; sed communionem *activam in sacris* vetitam esse, quatenus externam professionem falsæ religionis importat. — Iterum *strictius* prohibetur communicatio cum *infidelibus* quam cum *hæreticis*, quia illorum cultus omnino falsus et superstitiosus est. — Tandem, in regionibus in quibus catholici jam a longo tempore cum hæreticis mixti vivunt, multa tolerantur quæ stricte prohibentur in aliis regionibus, v. g. in *Italiâ*, ubi hæretici suos errores spargere incipiunt : ibi enim multo majus est periculum perversionis. — Quædam particularia exponamus.

678. (a) *De assistentiâ hæreticorum et infidelium catholicis officiis.* Hi possunt quidem nostras ecclesias ingredi, ibique audire conciones, assistere sacro, quia bonus fructus inde speratur; sed, ex decreto *S. Officii*, 8 junii 1859, "illicitum est in sacris functionibus hæreticos in chorum invitare, alternis psallere, dare iis pacem, sacros cineres, candelas et palmas benedictas, aliaque id genus externi cultûs, quæ interioris vinculi ac consensionis indicia jure meritoque existimantur, tam in sensu activo, nimirum similia eis dando, quam passivo, ab iis in eorum sacris accipiendo"[2]. Pariter non licet eis permittere ut in choro musico cantent[3], vel ad functiones liturgicas faces vel lumina deferant[4].

---

[1] Olim vetabatur ne christiani cum judæis in eâdem domo habitarent, aut eidem convivio interessent, ne judæum medicum adhiberent, aut famularentur judæis, etc.; sed hæc in desuetudinem abierunt, et hodie solum attendendum est ad periculum perversionis.

[2] Ap. *Collectanea* S. C. Prop. F., n. 1843. — Quod de *hæreticis* ibi et in sequentibus dicitur, *schismaticis* applicandum est, quippe qui de facto sunt hæretici.

[3] *S. Offic.*, 1 maii 1889, ap. *Collectanea*, n. 1851. — [4] Ibid., n. 1840.

679. (b) *De assistentiâ catholicorum in sacris hæreticorum.* Secluso scandalo et perversionis periculo, catholicis licet hæreticorum templa ingredi, meræ curiositatis causâ, absque ullâ communicatione in sacris; nam "templa hæreticorum adire est actus per se indifferens, qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus. Malus nimirum efficitur: 1) si quis ea adeat animo adsistendi sacris hæreticorum functionibus; 2) vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in hæreticorum ecclesias aliquam inferat vel inferre videatur cum eisdem hæreticis in divinis communicationem, hinc et scandali occasionem præbeat; 3) aut si talis aditus indictus sit ab hæretico gubernio, tanquam protestatio ejusdem fidei ac religionis catholicos inter et acatholicos; 4) vel utrumque communiter habeatur veluti tessera unius ejusdemque communionis catholicorum et acatholicorum"[1]. — Proinde *per se* non licet *concionibus* assistere hæreticorum, nisi agatur de viris doctis, qui eas audire volunt ut errores ibi sparsos cognoscant et confutent — Neque licet in templis hæreticorum, cum ibi falsum cultum exercent, organum pulsare aut cantare; hæc enim esset activa communicatio in sacris[2].

Quoad *funeralia* hæreticorum, licet eis adesse assistentiâ *materiali*, civilis officii causâ, propter gravem rationem, et dummodo non communicetur in sacris ritibus et cæremoniis[3]. — Quoad parochos et sacerdotes, declaravit *S. Officium*, 30 mart. 1859 et 8 maii 1889, "parochum, uti parochum, funeribus acatholicorum adesse non posse: si vero tantum civiliter assistat, absque vestibus sacris et absque ullâ communicatione in ritu sacro cum hæreticis, tolerari posse, dummodo notorie constet de vinculo cognationis sive amicitiæ inter parochum et defunctum acatholicum"[4].

680. (c) *De simultaneitate.* Non licet permittere ut hæretici in ecclesiis catholicis suos ritus celebrent, neque ut catholici in eorum templis sacra perficiant; id enim perinde est ac consentire eorum hæreticis ritibus, aut saltem

[1] *S. Offic.*, 13 jan. 1818, ap. *Collectanea*, n. 1833.
[2] *S. Offic.*, 8 jul. 1889, ap. *Collectanea*, n. 1854.
[3] *S. Offic.*, 13 jan. 1818, ap. *Collectanea*, n. 1833.
[4] *Collectanea*, n. 1852.

occasionem præbere catholicis communicandi cum acatholicis in rebus sacris[1]. — Attamen, ex gravissimâ causâ, præsertim ad facilius promovendam schismaticorum et infidelium conversionem, sacrarum cæremoniarum intuitu, aliquando missionariis permittitur facultas celebrandi missam catholico ritu super altaribus in templis hæreticorum vel schismaticorum, "ita ut eadem altaria non inserviant nisi pro nudis tabulis, et more catholicorum disponantur cum sacrato lapide, mappis, SSmi Crucifixi imagine, candelabris, et aliis necessariis supellectilibus ad usum SS. Missæ sacrificii ritu prædicto"[2].

681. (d) *De participatione in sacramentis.* Non licet catholicis parentibus permittere ut ipsorum filii a ministro hæretico *baptizentur;* si id absque gravi incommodo vitari nequeat, *passive* se habeant. Absolute eis non licet "nec per se nec per alios, fungi officio *patrini in baptismis* qui hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur"[3].

Quoad *nuptias*, licet quidem assistere convivio nuptiali, sed regulariter catholici interesse non debent nuptiis coram ministro ritu hæretico celebratis; "tolerari tamen posse ut catholici hujusmodi nuptiis, civilis officii causâ tantum, adsint, semoto scandalo et quovis perversionis periculo, necnon ecclesiasticæ auctoritatis contemptu"[4]. Non licet autem ibi agere munus *testis* aut *paranymphi*, quia hæc est activa cooperatio in ritu hæretico.

De matrimoniis mixtis, vel cum infidelibus, aut nuptiis coram ministro hæretico celebratis diximus in *Tr. de Matrimonio*, nn. 237-253 et 366-371.

682. (e) *De disputatione cum hæreticis.* Disputationes *publicæ*, id est quæ fiunt statutis die et horâ, coram multitudine et controversiæ judicibus, vitentur : "Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas præsertim, cum acatholicis habeant, sine veniâ Sanctæ Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii"[5].

---

[1] *S. Offic.* 10 maii 1753, ap. *Collect.*, n. 1816.
[2] *S. Offic.* 12 apr. 1704, ap. *Collect.*, n. 1808; cfr. n. 1853.
[3] *S. Offic.* 10 maii 1770, ap. *Collect.*, n. 1825.
[4] *S. Offic.* 14 jan. 1874, ap. *Collect.*, n. 1848.
[5] *Codex.* can. 1325, § 3.

Quare S. Sedes frequenter prohibuit ne hujusmodi disputationes peragerentur sine veniâ Sedis Apostolicæ, aut saltem Episcopi, quando recursus ad S. Pontificem haberi nequit[1]. — Disputationes vero *privatæ*, coram paucis auditoribus, *clericis* licent, quando fructus aliquis in audientibus speratur, et aliunde clerici sunt periti sufficientique doctrinâ instructi. *Laicis* autem etiam privatæ disputationes non licent *jure communi*, quia generatim præsumitur eos in rebus fidei non esse sufficienter instructos. Hodie vero hæc prohibitio in desuetudinem abiit, præsertim ubi grassantur errores; quare, si laici docti sint, et ad retorquenda sophismata habiles, possunt privatim hæreticos et infideles redarguere.

Præterea hodie haud raro habentur *conferentiæ*, ut aiunt, *contradictoriæ*, in quibus docti laici, coram multitudine, veritates religiosas, morales et sociales, cum felici exitu, exponunt atque propugnant, quibusdam tamen adversariis contradicentibus. Quod quidem prudenti Ordinariorum arbitrio relinquendum est : ad ipsos siquidem spectat judicare *quandonam*, et quibus *conditionibus* hujusmodi disputationes licitæ et opportunæ dici possint[2].

Conditiones communiter requisitæ hæ sunt : (a) defensor veritatis catholicæ ita firmus sit in fide ut nullum periculum incurrat in hæresim labendi; (b) idoneus sit ad veritatem exponendam et propugnandam, ita ut fides audientium non labefactetur; (c) spes sit fundata quod exinde magna utilitas orietur pro fidelibus aut adversariis.

683. (D) De cooperatione in rebus ad fidem spectantibus. Hodie, in societatibus mixtis in quibus catholici simul vivunt cum infidelibus aut hæreticis, multæ sunt occasiones cooperandi in rebus ad falsam religionem spec-

[1] Cfr. *Decretal.*, lib. V, c. 2 *Quicumque*, de Hæreticis, in *Sexto; Collectanea*, n. 1674. — Has disputationes aliquando utiles esse ait *Perrone*, op. cit., n. 570, "quia, et si disceptans indurescat, ab audientibus saltem fructus speratur aut ex nonnullorum conversione, aut ex catholicorum confirmatione, aut etiam ex minori hæreticorum audaciâ". Præiverat *S. Thomas* (Comment. in II *Timoth.*, c. 2, lect. 2) : "Sed numquid non sine contentione debet quis disputare coram populo de fide? Respondeo : distinguendum est ex parte audientium, quia aut sunt sollicitati ab infidelibus, et tunc est utilis publica disputatio, quia per hanc simplices efficiuntur magis instructi quando vident errantes confutari; si vero non sunt sollicitati ab infidelibus, tunc non est utilis disputatio, sed periculosa."

[2] Disputationes cum *socialistis* iisdem regulis subjacere declaravit *S. C. negotiis extraordinariis* præposita, 27 jan. 1902, ap. *Acta S. Sedis*, t. XXXVIII, p. 407; cfr. *Canoniste*, t. XXV, p. 335; *Etudes*, 20 août 1905, p. 480; *Ami du Clergé*, 27 avril 1905, p. 354.

tantibus. Et sane omnis cooperatio *formalis*, seu *intentionalis*, illicita est; sed cooperatio *mere materialis* licita esse potest ob causam proportionate gravem. Quosdam particulares casus exponere abs re non erit.

(a) De ædificatione templorum heterodoxorum. Quoad *hæreticorum* templa, habemus instructionem *S. Officii*, datam 14 jan. 1818, Vicario Apostolico *Kentuchiensi*, et 7 julii 1864 confirmatam[1]. Quæsito "an permissum sit *hæreticorum ecclesias seu synagogas ædificare*", responsum fuit: "*Non esse inquietandos*, dummodo non adsit *scandalum*, nec sit in *contemptum religionis*. Curet autem episcopus ut artifices per missionarios et confessarios opportune instruantur... Tenentur scilicet ab opere se abstinere: 1) ubi hujusmodi opus communiter habeatur pro signo protestativo falsæ religionis; 2) vel aliquid in ipso contineatur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultûs, et approbationem damnati cultûs hæreticorum; 3) aut constet artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab hæreticis in contemptum catholicæ religionis. — Ceterum, quamvis extra hos casus relinquendi sint in bonâ fide, semper tamen monendi sunt ne hæreticorum cultui cooperari intendant". Hic agitur de *operariis*, sed si quæstio est de *architectis*, gravior requiritur causa ut licite exstruant templum hæreticum, quia proximior est cooperatio.

Quoad templa *mahumetana*, non sunt pariter inquietandi catholici, "dummodo gravis mali metu coacti agant, neque intendant mahumetanorum superstitionibus cooperari"[2].

684. Sed, si agitur de templis aut altaribus *idolorum*, multoties declaravit S. Sedes id non licere, etiam ad vitandam mortem: "Non posse Japonios fideles, ut periculum mortis vel exilii evitent, altaria vel templa idolis fabricare aut eorum fabricæ cooperari"[3]. Ratio esse videtur quia, in singulis casibus propositis, erectio templi censebatur esse signum protestativum falsæ religionis. Igitur, si in aliquo casu, cooperatio esset mere materialis, nec haberetur ut approbatio cultûs idolorum, tolerari posset ob gravissimam rationem.

685. Quæsitum est etiam num catholicis liceat *pecuniam* pro ædificandis templis hæreticis *contribuere; S. Pœnitentiaria* respondit (an. 1822): "Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ab incommodâ illâ ac scandalosâ cum protestantibus simultaneitate liberandum"[4]. Ex quo sequitur hanc cooperationem non esse *intrinsece* malam, sed, ob gravissimam causam, permitti posse. S. Congregatio, in præfato casu, nonnisi unam causam allegavit,

[1] *Collectanea*, n. 1845. — [2] *S. C. de Prop. F.*, ap. *Collect.*, n. 1733.
[3] *S. C. de Prop. F.*, ap. *Collect.*, n. 1697; cfr. nn. 1700, 1704, 1706, 1748.
[4] *Bucceroni*, Enchiridion, ad n. 192.

quia forsan, in hoc casu, nulla alia erat quæ sufficiens videbatur; sed graves auctores[1] dicunt id etiam licere quoties adest gravissima ratio, v. g. ne mercatoris officina penitus a protestantibus deseratur; quod quidem *probabile* censemus; et revera ita agunt multi catholici mercatores in regionibus mixtis. — Licet etiam, per modum *tributi*, pecunias solvere, quæ de facto in idololatrias expenduntur, modo constet, ex circumstantiis vel ex apertâ declaratione, catholicos falsis superstitionibus non consentire[2].

686. Ex eodem principio solvi debet quæstio num licitum sit *vendere* utensilia, vel opera artis ad *templum acatholicum* ornandum. Quando hæc bonum vel indifferentem usum habere possunt (v. g. scamna, organa, campanæ), licet ea vendere, ob gravem rationem. Si vero quæstio est de *idolis*, quæ non ad ornandos hortos domosve destinantur, sed ad cultum superstitiosum, plerumque omnino illicitum est, et nonnisi ex gravissimâ et urgentissimâ causâ tolerari potest.

687. (b) *De erectione et sustentatione scholarum et orphanotrophiorum acatholicorum.* Cum finis horum institutorum non sit directe religiosus, minor requiritur causa quam ubi de templis agitur. Attamen, ut amoveatur scandalum, pecunia concedi debet acatholicis, *non ut asseclis sectæ*, sed ut concivibus; et caveri debet ne pecunia ita collata ad pervertendos catholicos adhibeatur.

688. (c) *De advocando hæretico ministro ad moribundum.* A *S. Officio* quæsitum fuerat num moniales, curam gerentes hospitii, in quo acatholici recipiuntur, advocare possint ministrum hæreticum, si quem petunt protestantes, ut ab eo religionis auxilia et solatia recipiant. Responsum est, die 15 mart. 1848, "juxta exposita non licere; *passive* se habeant". Quod quidem decretum 16 dec. 1898 confirmatum est, sed simul declaratum nil prohibere quominus per *acatholicam* personam advocetur minister[3]; aliunde acatholica persona certior fieri potest de statu moribundi. — Si vero non accedat minister, sacerdos catholicus aut monialis moribundum, in bonâ fide versantem, excitare potest ut contritionis actum eliciat, et ita sese præparet ad christianam mortem.

Art. IV. De mediis in fide proficiendi[4].

Vitare peccata contra fidem non sufficit; qui vere christianus est, quotidie in fide proficere totis viribus conatur. Quænam media ad hunc finem sint adhibenda breviter describemus.

[1] *Konings*, n. 313; *Génicot*, n. 237; *Noldin*, n. 122.

[2] *S. Offic.*, 21 apr. 1847, ad 4, ap. *Collect.* I, n. 742.

[3] Ap. *Ami du Clergé*, t. XXI, 1899, p. 497.

[4] *Scaramelli*, Directorium asceticum, Tr. IV, art. 1, c. 4-5; *Gay*, op. cit., Tr. III, De la foi; *Mgr Lelong*, Confér. sur les vertus sacerdotales, Paris, Téqui, 1901, 3e Conf.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL ST. MICHAEL'S COLLEGE TORONTO

689. 1° Cum fides sit *donum Dei*, requiritur imprimis *oratio*, ob duplicem præsertim rationem : ad consequendum supernum *lumen*, sine quo veritates æternas recte intelligere non valemus; necnon ad fovendum *pium voluntatis affectum* quo mens suaviter inclinetur ad firmiorem assensum veritatibus revelatis præbendum, et ad easdem spiritualiter gustandas. Sicut Apostoli, frequenter dicamus : "*Adauge nobis fidem*"[1]. Quod quidem magis opportunum videtur sive tempore quo urget tentatio contra fidem, sive quando se præbet occasio fidem vividius exercendi, v. g. in tribulationibus, in angustiis.

690. 2° Cum fides eo vividior sit, ceteris paribus, quo plenius cognoscuntur veritates revelatæ, multum prodest, ad eam roborandam, *sacras Scripturas legere*, quales ab Ecclesiâ et Patribus exponuntur,— necnon libros in quibus non minus substantialiter quam lucide dogmata christiana declarantur. Sicut enim pravorum lectio librorum valde periculosa est, ita ex adverso pia Scripturarum lectio fidem augere nata est : ibi enim invenimus ipsum Dei verbum, et si illud legimus eo spiritu quo scriptum est, mens Dei nobis manifestatur, assensusque eidem præstitus vere est actus fidei[2]. Legi debet assidue[3] cum simplicitate cordis, nil quærendo nisi divinam mentem, nil volendo nisi conformiter ei vivere, juxta illud : pingebat actibus paginam quam legerat. — Legenda est tamen commentariis ornata, in quibus sensus ex Patrum operibus optimisque hodiernis interpretibus declaratur[4]. Neque prætermittendi sunt libri, in quibus

[1] *Luc.*, XVII, 5.

[2] "Beaucoup de catholiques croiraient incliner vers le protestantisme s'ils lisaient la Bible. Quelle aberration! On est protestant quand on cherche dans la Bible, interprétée arbitrairement, la règle de la foi; on est catholique quand on cherche dans la Bible, interprétée par l'Eglise, l'aliment de la pensée chrétienne, la nourriture de l'âme; car la Bible, c'est la parole de Dieu; c'est le pain de l'âme, dit le Sauveur". (*M. d'Hulst*, Confér. 1892, p. 120),

[3] De Nepotiano scribit *Hieronymus* (Ep.60,P.L.,XXII,595): "Lectioneque assiduâ et meditatione diuturnâ, pectus suum bibliothecam fecerat Christi". — Lectionem Evangelii non solum clericis, sed etiam opificibus non minus *jucundam* quam *utilem* esse experientiâ constat.

[4] Ita v. g. Commentaria a *P. Rose* aliisque edita in collectione *Pensée chrétienne*, aut gallica translatio auctore *Crampon*.

egregia facta narrantur eorum qui juxta fidem vixerunt[1]; horum siquidem exemplis fides haud parum nutritur et augetur.

Piæ lectioni æquiparatur auditio concionum, in quibus veritates fidei exponuntur; imo verbum Dei ore prolatum majorem vim et efficaciam habet, dummodo sacri oratores Christum, non autem seipsos prædicent.

691. 3° Medium vero efficacissimum est *ipsius fidei exercitium.* Licet enim fides proprie non augeatur, ut habitus supernaturalis, nisi divinâ operatione (supra, n. 602), *facilitas* actus eliciendi exercitio acquiritur (n. 603). Multum igitur in eâ proficit, qui *ex fide vivit;* ideoque *judicia, verba, operaque* secundum fidei lumen recte ordinat[2]. Sicut enim homo a brutis distinguitur per *rationem*, ita christianus a paganis per *fidem;* et sicut frequenti rationis exercitio perficitur homo, ita quo *frequentius* et *intensius* exercetur fides, eo perfectior est christianus.

(A) *Secundum fidei lumen* et *Christi* doctrinam atque exempla, recte *cogitare* et de omnibus *judicare*, debemus. Multos esse christianos, qui de divitiis, honoribus et voluptatibus judicent secundum mundanorum placita, quotidianâ constat experientiâ. Quos sic redarguit *S. Bernardus* exemplo Christi in paupertate et humilitate nascentis[3]: "Non est tale judicium mundi: aut iste (Christus) fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Merito proinde et carnis prudentia (mors siquidem et ipsa), inimica est Deo[4]; et sæculi quoque prudentia stultitia nominatur[5]. Quid enim? Christus utique, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: et quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum."

---

[1] *Gallice* habetur collectio, curâ *H. Joly* edita, videlicet Les Saints; *anglice*, Lives of the saints, curantibus Oratorii Patribus.

[2] Quare, in orat. ad *Primam*, quotidie dicimus: "Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cœli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege tuâ."

[3] Sermo 3 in Nativit., n. 1, P. L., CLXXXIII, 123.

[4] *Rom.*, VIII, 7. — [5] *I Cor.*, III, 19.

Quod de paupertate et mortificatione Bernardus scribit, de ceteris verum est : de omnibus scilicet rebus et eventibus, tribulationibus, persecutionibus et angustiis judicare debemus prout Christus ipse judicaret : Ad hæc autem quid Christus? Non enim vere christiani sumus, si mundanis assentimur fallaciis, Evangelio contrariis.

692. (B) Quare, etiam, in *sermonibus* et colloquiis, secundum Evangelium loqui debemus. Quot vero christiani sese accommodant mundi præjudiciis, approbantes quod Christus reprobavit, et minus æstuantes quod ipse laudavit?

Ita, dum ipse beatos dicit pauperes spiritu, mites corde, eos qui persecutionem patiuntur, nonne multi felices vocant eos qui divitiis gloriantur et quibus omnia prospere cedunt? Verus christianus non erubescit Evangelium, sed viriliter, absque jactantiâ, de omnibus rebus et eventibus loquitur secundum dicta ipsius Christi, et ita quotidie in verâ fide proficit.

693. (C) Sed præsertim eamdem virtutem suis *operibus* manifestat : non enim secundum carnem et sanguinem, sed secundum spiritum vivit, nihil ambiens nisi Christi vestigiis inhærere. Quare bonum operatur, non ut videatur ab hominibus, sed ut placeat Deo; absque ostentatione orationem, eleemosynam aliaque christiana opera perficit, non ex inanis gloriæ cupidine, sed ex motivo supernaturali.

Mane surgendo, signat se signo crucis, et omnes suas actiones Deo per Christum lætus offert. Si orat, in nomine Christi quidquid indiget, petit, illius verbi memor : "Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis[1]". Si obediendum est superiori, imaginem Christi superiori suo imponit, juxta illud : "Qui vos audit, me audit[2]". Si pauperi succurrendum, ei tamquam Christo eleemosynam aliudve juvamen præstat, secundum illud[3] : "Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis." Si variis tentationibus et afflictionibus vexatur, in Christo confidit : "Omnia possum in eo qui me confortat[4]". Uno verbo, omnia cum Christo, et per ipsum et in ipso peragit, et ita in fide simul et in bonis operibus quotidie crescit : "Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum[5]".

694. 4° Ultimum vero medium consistit in strenue cooperando ad fidem in aliis tuendam et propagandam.

Hodie siquidem nulli christiano licet in tranquillâ fidei possessione quiescere. Undique enim insurgentes hostes christianam religionem acriter impugnant; multi zelo flagrant Ecclesiam penitus

[1] *Joan.*, XVI, 23.— [2] *Luc.*, X, 16.— [3] *Matth.*, XXV, 40.— [4] *Philip.*, IV, 13. — [5] *Joan.*, XV, 5.

evertendi, et jam completa sunt verba Christi : " Non veni pacem mittere, sed gladium[1] ". Nihil igitur manet nisi bonum fidei certamen certare, fidem non solum in nobis sed in aliis tuendo, imo, datâ occasione, alios hortando et urgendo ad religionem nostram amplectendam. Hoc erit *gratitudinis* opus erga Deum, qui, gratis præbendo fidei lumen, maximum et pretiosum donum nobis donavit; opus *caritatis* erga *alios*, qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent, et quidem præstantissimum, cum, ex superius dictis, fides sit initium et radix totius justificationis; necnon opus caritatis erga *nosmetipsos*, cum Deus hujusmodi zelum præmiari soleat roborando fidem eorum qui aliis evangelium prædicant.

Itaque " per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum[2]"

[1] *Matth.*, X, 34; cfr. *Luc.*, XII, 51.
[2] *Hebr.*, XII, 1-2.

Caput ij.

DE VIRTUTE SPEI.

695. Ex fide nascitur *spes :* fide enim novimus hujus vitæ ærumnas et tentationes non esse perennes, sed veluti transitorium *stadium* ad vitam immortalem consequendam. Fideles igitur firmiter expectant æternam beatitudinem mediaque ad eam consequendam necessaria.

Spes in genere tria diversa designat : (a) unam e *passionibus*, videlicet motum *appetitûs* quo tendimus ad bonum *futurum*, *arduum* et *possibile : futurum*, quia spes non quiescit in bono jam possesso, sed tendit ad bonum absens quod possidere volumus; *arduum*, quia res obtentu facillimæ, quæ statim, absque conatu, obtineri possunt, *proprie* non sperantur, sed jam in nostrâ potestate habentur; *possibile* tamen, quia quod nullatenus obtineri potest desperationem excitat potiusquam spem. [1]

(b) Motum *voluntatis*, quo exoptamus aliquod bonum, cum fiduciâ illud consequendi; sicut enim appetitus fertur in bonum sensibile, ita voluntas tendit in bonum intellectuale naturalis ordinis per spem, quæ duo includit : *desiderium* et *fiduciam* illud obtinendi.

(c) *Virtutem supernaturalem* spei, quâ fiducialiter bona cœlestia expectamus. Differt quidem a spe *naturali*, quia tendit ad res *supernaturales;* sed cum eâ convenit, in eo quod prosequitur bonum *futurum*, *arduum* et *possibile*, et quidem duplici actu, videlicet *desiderio* et *fiduciali expectatione*. Desiderium supponit et involvit *amorem* boni sperati, amorem scilicet *concupiscentiæ*, [2] quo tendimus in objectum

---

[1] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 40, a. 1.

[2] Amor *concupiscentiæ*, qui apud modernos sæpe male sonat, apud veteres nihil aliud est nisi amor quo concupiscimus aliquid quatenus est *bonum nostrum*.

tanquam in bonum *proprium* et beatificans; *fiducia* autem supponit quamdam animi erectionem, voluntatisque conatum ad consequendum bonum arduum quod speratur.

Dicemus 1° de *naturâ* spei; 2° de ejus *honestate* et *necessitate;* 3° *de peccatis* contra spem; pauca addentes, per modum corollarii, de *mediis* in spe proficiendi.

Art. I. De naturâ spei [1].

696. *Spes,* ut *habitus,* est *virtus theologica voluntatem disponens ad desiderandum Deum ut summum bonum nostrum, et ad firmiter ab Eo expectandum beatitudinem supernaturalem mediaque ad eam consequendam, propter infinitam Dei bonitatem erga nos, ejusque potentiam et fidelitatem in promissis.*

Ad hujus definitionis intelligentiam, declarabimus : 1° *objectum;* 2° *motivum;* 3° *proprietates;* 4° *subjectum* spei.

I. De spei objecto.

697. **Primarium** *et principale spei objectum est* **Deus ipse,** *prout est summum bonum hominem beatificans,* objectum vero **secundarium** sunt *omnia bona* quæ ad *Dei possessionem ordinantur.*

1° *Deus ipse* ab homine *possidendus,* eumque beatificaturus, est **primarium** spei objectum. (**A**) Multoties id *Scriptura* docet; cum enim *Tobiæ* parentes et cognati pio Dei servo insultarent, dicentes : Ubi est spes tua? ipse respondebat : "Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et *vitam* illam expectamus quam *Deus* daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo [2]. In quo vero consistat hæc vita, clarius docetur in N. Testamento : "Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum [3]"; — "Charissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam *videbimus eum sicuti est*" [4].

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 17-18 et Quæst. disp., de Spe; *Suarez*, de Spe, disp. I; *Perrone*, op. cit., de Spe, n. 1-70; *Bouquillon*, op. cit., n. 309-344; *Pesch*, op. cit., n. 467-513; *Billot.*, th. 25-26; *M. d'Hulst*, Confér. 1892, 5e.

[2] *Tob.*, II, 17-18. — [3] *Joan.*, XVII, 3. — [4] *I Joan.*, III, 2.

(B) *Patres* sæpe hanc doctrinam inculcant, inter quos *Augustinus;* exponens scilicet hæc verba "*Pars mea Deus in sæcula*", ait : "Qui aliud præmium petit a Deo, et propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est".

(C) *Ratio* idem *suadet.* Illud enim primarium spei nostræ objectum esse debet quod est summum bonum, causa nostræ beatitudinis, et ad quod omnia opera nostra ordinantur; atqui, ex superius dictis, n. 13-20, suprema nostra beatitudo non in bonis creatis, sed in perfectâ Dei cognitione et dilectione consistit.

698. 2° **Secundarium** vero objectum spei sunt omnia adjumenta quæ ad Dei possessionem ordinantur : (a) imprimis *supernaturalia* gratiæ auxilia, quibus ad veritatem cognoscendam, vincendas cupiditates, superandas tentationes, peccataque vitanda, necnon ad christianas virtutes exercendas, quotidie juvamur, juxta illud[2] : "Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum, Filium Dei, teneamus confessionem... Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno". (b) Postea vero *temporalia* etiam bona, quatenus ad beatitudinem æternam referuntur; non enim *christianæ* spei objectum dici possunt bona *mere* naturalia, quæ nullomodo ad finem supernaturalem spectant. Ex adverso autem mala hujus vitæ, tribulationes, angustiæ, persecutiones et alia hujusmodi, in quantum ad nostram salutem conferunt, spem nostram augent, juxta illud[3] : "Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti".

II. De spei motivo.

699. 1° **Variæ opiniones.** Cum spes sub diverso respectu considerari possit, diversæ sunt opiniones de motivo cui innititur, secundum diversum modum quo hæc virtus spectatur.

(a) *Scotistæ*, spem considerantes præcipue ut *appetitum summi*

[1] In ps. 72, n. 32, P. L., XXXVI, 928; idem philosophice expendit S. Doctor in opusculo *De Beatâ Vitâ*, P. L., XXXII, 959-976.

[2] *Hebr.*, IV. 14-16. — [3] *Rom.*, VIII, 28.

boni, quatenus nos beatificat, dicunt motivum unicum spei esse Deum, ut est summum bonum nostrum[1]; nam quod principale videtur in hâc virtute est amor Dei, quatenus est summum bonum hominis : cetera, videlicet desiderium et expectatio gratiæ, sunt quid accessorium.

(b) *Thomistæ*, spem considerantes ut prosecutionem *boni ardui*, putant ejus motivum esse Dei *omnipotentiam auxiliantem;* nam ratio propter quam tendimus in bonum *arduum* est divina potentia quatenus nos juvare potest.

(c) Nonnulli autem motivum spei reponunt in *fidelitate* Dei; cum enim agatur de beatitudine *supernaturali* et mediis huic fini proportionatis, quæ vires et merita hominis excedunt, ea sperare nequimus nisi Deus *promiserit* eadem nobis largiri.

(d) Tandem multi sunt hodie qui, animadvertentes actum spei esse *virtualiter triplicem*, seu sub triplici respectu spectari posse, contendunt tria præfata motiva simul concurrere ad productionem hujus actûs; quæ quidem opinio nobis probabilior videtur.

700 2° **Probabilior sententia :** *Motivum spei adæquatum est Dei bonitas erga nos, simulque ejus potentia auxiliatrix, necnon fidelitas in servandis promissis.*

(A) Motivum spei, quatenus hæc includit *amorem* summi boni, est *Dei bonitas erga nos.* Etenim spes tendit in bonum divinum per *amorem;* non enim speramus nisi id quod amamus. Atqui motivum hujus amoris non est bonitas divina *absoluta*, seu *in se* spectata, quæ est motivum caritatis, sed bonitas Dei *relativa*, seu erga nos; sicut enim in ordine naturali ea speramus quæ *nobis* bona videntur, ita in ordine supernaturali speramus summum bonum quatenus *nostrum* est et beatos nos facit.

Ita Christus electis proponit regnum Dei ut mercedem ipsis paratam et ab eis speratam[2] : " Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi ". Quare Apostolus, post multos labores pro Christo fortiter toleratos, expectat coronam justitiæ quæ ipsum beatificabit[3] : " Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex ".

701. (B) Motivum spei, quatenus hæc includit *animi erectionem*, est *potentia Dei auxiliatrix.* Cum enim supremum bonum quod speramus vere *arduum* sit, nec sine

[1] *Suarez*, De Spe, disp. I, sect. 3. — [2] *Matth.*, XXV, 34.
[3] *II Tim.*, IV, 7-8.

divino auxilio attingi valeat, aliud accedit spei motivum, videlicet *potentia Dei auxiliatrix* : hæc complectitur non solum *omnipotentiam*, quâ Deus nos juvare potest, sed et *misericordiam*, quâ benigne paratus est in nostrâ infirmitate auxilium suum præstare.

Id sane colligitur ex innumeris *Scripturæ* textibus in quibus sperare in Domino jubemur, quia potens et misericors est, ideoque adjutor noster : " In Deo salutare meum et gloria mea ; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sperate in eo... Deus adjutor noster in æternum "[1]. — " Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei ; *speravi in misericordiâ Dei*, in æternum et in sæculum sæculi "[2]. — " *Potens* est autem Deus *omnem gratiam abundare* facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum "[3]. — " Deus autem, qui *dives est in misericordiâ*, propter *nimiam caritatem* suam quâ dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati, et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu ; ut ostenderet in sæculis supervenientibus *abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate* super nos in Christo Jesu "[4].

Idem colligi potest ex *Tridentino*, ubi declarat perseverantiæ munus non haberi " nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere ; nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent "[5].

Revera, ut, inter multiplices tentationes atque vitæ miserias quibus circumdamur, animum erigere valeamus ad bonum supernaturale quod non solum *arduum* est, sed etiam vires nostras superat, necesse est ut auxilium exspectemus ab eo qui, propter potentiam suam, *valeat*, et propter misericordiam, *velit* nos juvare.

702. (C) Motivum spei, quatenus hæc includit *fiduciam*, seu *firmam* et *certam* bonorum cœlestium exspectationem, est *fidelitas Dei in promissis*. Cum enim Deus minime teneatur nobis bona supernaturalia largiri, hæc sperare nequimus cum firmâ certitudine nisi *promiserit* eadem hominibus concedere ; aliunde, cum fidelis sit, ejus promissis cum omni fiduciâ inniti possumus.

Quare Scriptura haud raro certitudinem spei nostræ repetit ex Dei promissis aut fidelitate : " Teneamus *spei* nostræ confessionem

[1] *Ps.* LXI, 8-9. Quod sæpe repetitur in Psalmis.
[2] *Ps.* LI, 10. — [3] *II Cor.*, IX, 8. — [4] *Ephes.*, II, 4-7.
[5] *Trident.*, sess. VI, cap. 13, *Denzing.*, n. 689.

indeclinabilem, fidelis est enim qui *repromisit*" [1]. — "In spem vitæ æternæ, quam *promisit qui non mentitur* Deus" [2]. — Eodem sensu intelligi debent verba Pauli, superius (n. 700) allata; siquidem vita æterna non est *corona justitiæ*, nisi accedente Dei promissione.

703. Corollarium. Etsi *proprie* motivum spei nostræ sit Deus bonus, auxiliator et fidelis, certum est tamen fiduciam nostram multum *augeri ex meritis et satisfactionibus Christi :* hic enim, utpote caput morale totius generis humani, pro peccatis nostris satisfecit, et pro nobis meruit omnia spiritualia auxilia quibus indigemus ad vitam æternam consequendam, ut probatum est in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 179-214.

Vere igitur est causa *meritoria* nostræ justificationis et salutis, juxta illud *Tridentini :* [3] "Qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit." Quando igitur per Christum et in Christo agimus et oramus, ejus meritis innixi, majorem certe fiduciam concipere valemus.

Præterea, vi *communionis sanctorum*, intercessio B. Mariæ et electorum in cœlis regnantium, necnon preces justorum in terris, nostram fiduciam secundario augere possunt; hi enim pro nobis impetrare possunt auxilia opportuna, quibus non parum juvamur ad æternam beatitudinem consequendam. (*De Verbo Incarnato*, n. 292-294 et n. 304-306.)

III. De proprietatibus spei.

704. 1° Status quæstionis. Actum spei esse *supernaturalem* et *liberum* facile ex jam dictis intelligitur; sed utrum et quo sensu *certus* et *firmus* dici valeat, expendere haud inutile erit.

Certitudo *directe* et *proprie* de cognitione prædicatur, sed *indirecte* de illis actibus voluntatis qui ex prævia cognitione dependent; cum hoc tamen discrimine quod certitudo *intellectûs* excludit *dubium*, dum certitudo seu firmitas *voluntatis* excludit *fluctuationem* seu *timorem*. Quare actus spei dicitur *certus* quatenus *frustrari* nequit, et *firmus*, in quantum *timorem* excludit. Quo melius autem res intelligatur, spes considerari potest tum ex parte Dei, tum ex parte nostri.

[1] *Hebr.*, X, 23; cfr. VI, 13-20. — [2] *Tit.*, I, 2.
[3] *Trident.*, sess. VI, cap. 7, *Denzing.*, n. 681.

705. 2° **Thesis :** *Spes theologica, quantum ex parte Dei, est summe certa et firma; quantum vero ex parte nostri, quamdam incertitudinem et timorem admittit.*

(A) *Ex parte Dei summe certa et firma est.*

(a) Quod quidem sæpe sæpius in *Psalmis* inculcatur : "Deus meus, in te confido; non erubescam. Neque irrideant me inimici mei; etenim universi qui sustinent te non confundentur[1]... In te, Domine, speravi, non confundar in æternum[2]... Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis; propterea non timebimus dum turbabitur terra[3]... Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur[4]. (b) Idem in libris *sapientialibus* docetur : "Scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est, aut quis invocavit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata"[5]. (c) Nec aliter *Paulus :* "Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; *spes autem non confundit*"[6]. Quare alibi docet spem esse sicut *anchoram animæ tutam ac firmam*[7]; et, circa finem vitæ confidenter scribit[8] : "Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem." — (d) Quod confirmatur a *Tridentino*[9] : "In Dei auxilio *firmissimam* spem collocare et reponere omnes debent."

Revera id colligitur ex dictis circa motivum spei. Ille enim actus est certus ac firmus qui innititur motivo infallibili; atqui motivum, cui spes innititur, est omnino infallibile, cum Dei bonitas, omnipotentia, misericordia et fidelitas nunquam frustrari possint; ergo actus spei debet esse omnino firmus : secus injuria divinis attributis infertur.

706. (B) *Ex parte nostri*, in quantum nostram *cooperationem* supponit, spes quamdam *incertitudinem* admittit, ex quâ nascitur timor ne propriâ culpâ cœleste regnum amittamus.[10] Etenim divina promissio æternæ beatitudinis cuique dandæ est *conditionata*, posito quod videlicet gratiæ Dei cooperemur et usque in finem perseveremus; atqui, propter infirmitatem aut malitiam, deficere possumus, et a

---

[1] *Ps.*, XXIV, 2-3. — [2] *Ps.*, XXX, 2. — [3] *Ps.*, XLV, 2-3.

[4] *Ps.*, XC, 1; integer legatur Psalmus cum Commentario S. Bernardi.

[5] *Eccli.*, II, 11-13. — [6] *Rom.*, V, 3-5. — [7] *Hebr.*, VI, 19.

[8] *II Tim.*, I, 12. — [9] Sess. VI, cap. 13, *Denzing.*, n. 689.

[10] Ita contra *Protestantes*, qui existimant fiducialiter cuique sperandum esse aut credendum se prædestinatorum numero adscriptum esse. Quod confutatum vide in *Tr. de Gratiâ*, n. 164-167.

statu gratiæ excidere; ergo ex hoc capite spes non est absolute certa, sed frustrari potest.

Id sane docent *Scripturæ;* ita *Paulus* ad fideles scribebat : " Itaque qui se existimat stare, *videat ne cadat*[1]... Cum *metu* et *tremore* vestram salutem operamini "[2]; imo de se ipso aiebat[3] : " Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est... Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne *forte*, cum aliis prædicaverim, *ipse reprobus* efficiar. "

Idem contra Protestantes declaravit *Tridentinum*[4] : " Nam sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque sacramentorum efficaciâ dubitare debet : sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, *de suâ gratiâ formidare et timere potest;* cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum... Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim debent scientes, quod in *spem gloriæ* et nondum in gloriam renati sunt. "

707. Corollarium. Nemo igitur, nisi ex speciali revelatione, certus esse potest de propriâ justificatione et salute. Cum metu igitur ac tremore nostram salutem operari debemus.

Sed timor iste spem nostram non minuit, sed eam potius acuit et erigit, quia ad Deum confugere nos impellit : dum enim timemus, propter infirmitatem nostram, ne in peccatum incidamus, vigilantiores reddimur, atque totam fiduciam nostram in Deo reponimus; simulque bonis operibus magis perseveranter vacamus, ut certior evadat salus nostra, juxta illud :[5] " Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. "

IV. De subjecto spei.

708. Ex dictis facile intelligitur *subjectum proximum* spei esse *voluntatem :* spes enim reponi nequit in *intellectu*, qui *verum* respicit, cum directe ad *bonum* tendat; neque in appetitu *sensitivo*, qui versatur circa bonum *sensibile;* ergo in *voluntate*, cum in bonum *spirituale* propendat.

---

[1] *I Cor.*, X, 12. — [2] *Philip.*, II, 12. — [3] *I Cor.*, IV, 4; IX, 27.
[4] *Trident.*, sess. VI, cap. 9 et 13, *Denzing.*, n. 684 et 689; cfr. n. 688.
[5] *II Petr.*, I, 10.

Sed quæstio oritur quænam sint personæ capaces eliciendi actum spei. (A) Quoad **defunctos** : (a) *Beati in cælo* non amplius sperant saltem essentialem beatitudinem[1], cum eâdem jam fruantur, juxta illud[2] : "Spes autem quæ videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?" (b) *Damnati* pariter sperare nequeunt, cum sciant se non posse damnationem evadere, et ad beatitudinem pervenire. (c) Sed spes elici potest ab *animabus in purgatorio detentis*, juxta communem sententiam, quia, etsi de suâ salute jam certæ sint, ad eam tamen pervenire nequeunt nisi tolerando passiones et angustias, quibus subjiciuntur; itaque futura cœli possessio ipsis apparet ut quid certum, sed *arduum*.

709. (B) Si de **vivis** quæstio est : (a) spes non manet in iis qui sunt *formaliter hæretici* (supra, n. 604), quia spei fundamentum est ipsa fides, quæ in istis deficit; neque in eis qui in *desperationem* aut *hæreticalem præsumptionem* lapsi sunt, quia his peccatis amittitur spes, ex infra dicendis. (b) Manere tamen potest in aliis *peccatoribus*, qui *spe* ad justificationem sese præparare debent, juxta *Tridentinum*[3]: "Dum *peccatores* se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore."

Art. II. De honestate et necessitate spei.[4]

710. Expositâ spei naturâ, ejus excellentiam intelligere satis facile est. (a) Nonnulli tamen contenderunt spem, *seorsim a caritate* spectatam, seu alicujus mercedis desiderium, *ex se* aliquâ turpitudinis labe infici, nec *honestari* posse nisi in affectum benevolentiæ et caritatis convertatur; ideoque dixerunt opus intuitu æternæ mercedis exercitum, sine caritate, non esse vere honestum : ita

[1] Nonnulli quidem asserunt eos sperare beatitudinem *accidentalem* corporis; quod tamen negat *S. Thomas*, 2. 2æ, q. 18, a. 2 ad 4, quia gloria corporis non habet rationem boni ardui respectu habentis gloriam animæ.

[2] *Rom.*, VIII, 24.

[3] *Trident.*, sess. VI, cap. 6, *Denzing.*, n. 680.

[4] *Suarez*, De spe, disp. I, sect. 5; *Perrone*, op. cit., n. 82-124: *Bouquillon*, n. 346-371; *Billot*, th. 27-28; *Pesch*, n. 514-530.

Calvinistæ, *Baius*, et *Jansenistæ*[1]. Præterea non pauci moderni philosophi, præsertim *Kantiani*, et (quod mirum est) *evolutionistæ*, christianæ religioni vitio vertunt quod *mercedem* proponit bene facientibus; ita enim, inquiunt, virtus *mercenaria* est (supra, n. 30 et 56).

(b) *Quietistæ*, duce *Michaele Molinos*, non tam longe procedebant, sed, rati perfectionem consistere in *actu continuo contemplationis et dilectionis*, asserebant spem, quæ proprium bonum respicit, esse imperfectam, nec proinde cum puro amore Dei summâque perfectione componi posse. Exinde etiam inferebant omnia desideria, etiam pia, omnes petitiones, omnes actus, præter purum Dei amorem, utpote imperfectos omittendos esse; neque *active* resistendum esse tentationibus, sed solum *passive!* Voluntas, inquiebant, omnino *quieta* manere debet, neque agere nisi divinâ impellente gratiâ, quæ *sola* in nobis bonum operatur. A quo errore non satis recessit pia vidua *Guyon*, cujus patrocinium suscepit archiepiscopus Cameracensis, *Fénelon*, in opere *Explication des Maximes des Saints*, ubi docebat dari habitualem statum amoris puri qui spem excludat[2].

Contra quos errores *honestatem* et *necessitatem* spei probabimus.

---

[1] *Calvinus*, Instit., lib. III, c. 16; § 3, et c. 18, § 2; *Baius*, lib. de Caritate, c. 6; de virtutibus impiorum, c. 5-6; quoad Jansenistas, vide proposit. *Quesnelli* 44-45, a *Clemente XI*, 8 sept. 1713, damnatas, ap. *Denzing.*, n. 1259-1278.

[2] Maximum tamen discrimen inter errores *M. Molinos* et *Fenelonii* instituendum est. Iste siquidem multo longius processit tum *speculative*, tum *practice*, *immorales* e suis principiis deducendo conclusiones. *Theoretice* docebat : " Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate". *Practice* vero : "Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relictâ curâ et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet nisi *negativa*, nullâ adhibitâ industriâ : et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura... Cum hujusmodi violentiæ (tentationes diabolicæ) occurrunt, sinere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo : et etiamsi sequantur pollutiones et actus obscœni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietare"... (Ap. *Denzing.*, 1094, 1104, 1134). — *Fénelon* aiebat : " Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura et sine ullâ admixtione motivi proprii interesse. Neque timor paenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo inveniendam... In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse; sed nunquam amittit in parte superiori, id est in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum". (Ap. *Denzing.*, n. 1193 et 1203). Omnibus notum est quantâ cum humilitate *Fénelon* suos errores, ab

I. De honestate spei.

711. *Thesis.* **Spes theologica, quâ bonum operamur intuitu beatitudinis æternæ, non solum nihil inordinati præ se fert, sed vere habet rationem virtutis.**

(A) Id sane constat ex textibus *Scripturæ* superius allatis, n. 700-702, in quibus commendatur spes in Deum; sed insuper ex multis aliis in quibus explicite tanquam bona laudantur opera intuitu æternæ mercedis facta: "Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis"[1]. — "Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula"[2]. Quare *Apostolus* Corinthios hortatur ut, sicut athletæ, ab omnibus se abstineant et ita incorruptibilem coronam accipiant[3], et alibi addit[4]: "Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis". Jamvero Deus tam enixe et frequenter ad spem nos hortari nequit, nisi sit honesta et laudabilis. Imo *S. Joannes* explicite declarat hanc spem esse *sanctificantem*[5]: "Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille (Deus) sanctus est".

(B) Merito igitur *Tridentinum* eos reprobavit, "qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam"; posteaque declaravit: "Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam *gratia* filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam *merces* ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda"[6].

712. (C) *Rationi* consentaneum est in Deum sperare,

Innocentio XII condemnatos, retractaverit. — Historiam quietismi inter alios delineaverunt *Gosselin*, Analyse de la controverse du Quiétisme (Œuvres de Fénelon, Versailles, t. IV); *L. Crouslé*, Fénelon et Bossuet, Paris, 1894-1895, t. I, p. 375-564, t. II *ex integro*. — Doctrinam *Bossuetii* invenies præsertim in opere *Instruction sur les états d'oraison*, ubi exponuntur articuli *Issiacenses* dicti, de quietismo.

[1] *Matth.*, VI, 33. — [2] *Luc.*, XVI, 9. — [3] *I Cor.*, IX, 25.

[4] *Coloss.*, III, 23-24. — [5] *I Joan.*, III, 3.

[6] *Trident.*, sess. VI, cap. 11 et 16, *Denzing*, n. 687 et 692.

eum diligere ut bonum nostrum, et ab eo exspectare æternam vitam mediaque ad eam consequendam. (a) Bonus certe et honestus est actus quo in Deum tendimus tanquam *finem nostrum*, supremæque *beatitudinis fontem;* ita enim recte evolvuntur facultates nostræ, dum ordinantur ad infinitum bonum; aliunde, amando Deum ut bonum *nobis*, facile diligimus eum *in se* amabilem.

Dicunt quidam ita ordinem perverti, quia Deum referimus ad nos tanquam in finem. Sed immerito; quando enim beatitudinem nostram in Dei cognitione et amore quærimus, eo ipso agnoscimus Deum esse finem nostrum ultimum; quare nosmetipsos in Deum referimus tanquam ultimum finem.

(b) Aliunde, quando divinum auxilium fiducialiter exspectamus, eo ipso adhæremus Deo auxilianti; jamvero in hoc consistit perfectio hominis ut Deo uniatur. Ceteroquin sperare in Dominum est ipsi honorabile : ita enim ejus potentiam, bonitatem et fidelitatem agnoscimus : "Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum quoniam cognovit nomen meum"[1].

713. Errant igitur, ut supra ostendimus, n. 30, qui dicunt opus, intuitu æternæ vitæ factum, esse mercenarium : spes enim præmii *mere spiritualis* et *futuri* non excludit motivum honestum, sed, datâ humanâ infirmitate, potenter nos ad bonum incitat[2]. — Et sane qui jactant se propter *officium*, non autem propter præmium, bene agere, seipsos vel alios decipiunt : experientiâ enim constat homines nonnisi pedetentim allici ad bonum superioris ordinis, ad

[1] *Ps.* XC, 14.

[2] Quod fatetur ipse *Séailles*, doctrinæ catholicæ ceteroquin infensus : " Il n'entre pas dans mes intentions d'amoindrir ou de calomnier la morale chrétienne; ce qu'elle a obtenu des hommes, ce qu'elle leur a donné suffit à la défendre des injustices volontaires et des partis pris inintelligents. Elle a approfondi les âmes, elle les a faites plus délicates et plus pures, elle a contenu la bête impatiente et brutale, elle a opposé à ses désirs immédiats le rêve du paradis et les cauchemars de l'enter : en liant la béatitude au sacrifice, elle a fait sortir le désintéressement de l'égoïsme même. Quelques-uns s'en scandalisent : l'instinct se retrouve, crainte, désir, espérance, tremblement ou appétit de la bête dans cette attente de la récompense; mais, à ce qui se voit, à ce qui se touche, opposer victorieusement une image, un rêve de bonheur, ce qu'on ne vérifie pas par les sens, ce qui n'existe que dans la mesure où on le croit, n'est-ce pas idéalisme déjà, preuve que l'idée peut vaincre ?" (Les affirmat. de la conscience, p. 49-50)

amorem purum, absque ullâ spe gratitudinis aut præmii, elicitum. — Multo magis accommodata videtur humanæ naturæ infirmitati doctrina catholica, quæ homines ad bonum spirituale allicit spe præmii futuri, et paulatim a spe eos erigit ad supremum bonum *propter se* amatum. Fatemur insuper eo perfectiores esse actus nostros quo minus ad proprium commodum respicimus [1].

II. De necessitate spei.

714. *Habitum infusum spei* necessarium esse *necessitate medii* ad salutem, colligitur ex eo quod justificatio non infunditur nisi cum virtutibus fidei, *spei* et caritatis (supra, n. 597). Sed quæstio movetur de *actu spei*, num videlicet hic aliquoties sit necessarius ad justificationem adipiscendam vel servandam. Hoc negaverunt *Quietistæ*, asserentes dari statum perfectum, in quo omnis actus spei excluditur (supra, n. 710).

715. 1° *Aliquis actus spei theologicæ, juxta legem ordinariam, adultis necessarius est necessitate medii ad justificationem consequendam.*

(A) *Tridentinum* enim, dispositiones describens ad justificationem necessarias necessitate medii, inter eas *spem* reponit [2] : " In spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore ". Revera primus motus, qui in peccatoribus fidem et timorem Dei sequitur, est *fiducia* obtinendæ remissionis peccatorum quam concipiunt ad misericordiam Dei se convertendo; nisi enim in Deum confidant, in desperationem labuntur, de pœnitendo non cogitant [3], ideoque justificari nequeunt.

Fieri quidem potest absolute loquendo ut statim transeant ad eliciendum actum perfectæ caritatis aut contritionis, quo justificantur, ideoque diximus "juxta legem *ordinariam*". Sed hic actus

[1] Quod præclare exponit *M. d'Hulst*, Carême 1891, p. 200 et 412 : " Ce n'est pas parce que l'homme vertueux aura fait un calcul qu'il sera béatifié, c'est parce qu'il aura fait son devoir. Plus il se sera oublié dans l'effort vertueux, plus grande sera sa récompense. Aux âmes médiocres, éprises d'elles-mêmes jusque dans la pratique du bien, le bonheur moindre; aux âmes héroïques, désoccupées d'elles-mêmes jusque dans le soin de leur salut, la félicité la plus haute ".

[2] *Trident.*, sess. VI, cap. 6; *Denzing.*, n. 680.

[3] " Nemo enim, ait *S. Ambrosius*, potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam ". (De Pœnitent., c. 1, n. 4, P. L., XVI, 466).

caritatis virtualiter includit spem : diligendo enim Deum ut amicum, speramus eum fore nobis propitium.

(B) *Scriptura* rem aperte non declarat, cum *utilitatem* magis quam *necessitatem* spei inculcet. Attamen hæc necessitas logice ex eâ infertur. Apostolus enim, dum absolutam fidei necessitatem prædicat, eam definit *sperandarum substantiam rerum*[1], ideoque supponit spem ad justificationem requiri sicut ipsam fidem; peccator enim qui credit et non sperat, in desperationem facile cadit, et ita salvari nequit[2].

716. 2° *Qui jam justificatus est, aliquoties tenetur actus spei elicere ad perseverandum et salutem consequendam.*

(A) Id sane insinuat *Scriptura :* multis in locis, in quibus spes ita commendatur ut sub præcepto cadere videatur : " Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo"[3]. — " Christus vero tanquam filius in domo suâ : quæ domus sumus nos, *si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*"[4]. Hinc Apostolus sæpe fideles hortatur ad spem christianam : " Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam "[5]; — " Pie vivamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem "[6]. Quæ quidem omnia supponunt aliquoties saltem eliciendos esse actus spei.

(B) Id pariter colligitur ex necessitate orationis. Hanc esse ad salutem necessariam probatum est in *Tr. de Gratiâ*, n. 42 et 58, et infra demonstrabitur in *Tr. de Virtute religionis*. Atqui oratio ad Deum supponit spem : ideo enim ab eo gratias petimus, quia in eum speramus; quare ait *Jacobus*[7] *:* " Postulet autem in fide (fiduciâ) nihil hæsitans ". Aliquoties igitur eliciendi sunt actus spei.

717. 3° **Corollarium.** Rejiciendus est ergo quietismus, neque admitti potest *habitualis status amoris Dei, qui spem omnino excludat.* Potest quidem homo *aliquoties* elicere *actum* caritatis perfectæ, quo, sine ullâ admixtione motivi proprii interesse, unice Deum diligit ut in se summe amabilem; potest ad eum caritatis excessum pervenire, ut cum *Paulo conditionaliter* (id est si possibile esset, absque dis-

[1] *Hebr.*, XI, 1, 6. — [2] Infrâ, n. 720. — [3] *I Tim.*, VI, 17.
[4] *Hebr.*, III, 6. — [5] *I Cor.*, IX, 24-25. — [6] *Tit.*, II, 13. — [7] *Jacob.*, I, 6.

pendio divini amoris), æternæ felicitati renuntiet : " Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis "[1]; sed mox cum eodem ad spem redire debet : " Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu[2]... In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex "[3]. In præsenti igitur vitâ, dum peregrinamur a Deo, non solum eum diligere, sed in eum sperare debemus.

Quod etiam constat ex damnatione 68 propositionum *Michaelis de Molinos* ab *Innocentio XI*, 20 nov 1687, — et 23 propositionum, ex opere DD. *Fénelon* excerptarum, ab *Innocentio XII*, 12 mart. 1699. Ex hâc enim condemnatione certo colligitur non dari *habitualem* statum amoris Dei, sine ullâ admixtione proprii interesse[4].

718. 4° **De Tempore** *quo præceptum spei obligat.* Idem fere dicendum ac de fide, n. 644-647; videlicet hoc præceptum :

(A) *Obligat per se :* (a) quando quis *usum rationis attigit*, simulque ei sufficienter proposita fuit æterna beatitudo ad quam tendere debet; (b) in *periculo mortis*, saltem probabilius, ut mens, judicii terroribus superatis, in Deum ultimum finem fiducialiter tendat; (c) *sæpius in vitâ*, quin tempora magis particulariter determinari valeant; ceterum qui christiane vivit, orat, et sacramenta digne recipit, eo ipso præcepto satisfacit; (d) quando urget contra spem tentatio quæ nonnisi actu spei vinci potest; (e) quando per peccatum mortale desperationis amissus est habitus spei.

(B) *Per accidens :* (a) quando adimpleri debet præceptum quod sine actu spei impleri nequit, v. g. oratio, pœnitentia; (b) si urgeat tentatio quæ superari non possit nisi actu spei animus erigatur.

[1] *Rom.*, IX, 3. — [2] *Philipp.*, III, 14. — [3] *II Tim.*, IV, 8.

[4] Has propositiones invenies ap. *Denzing.*, n. 1088-1155 et 1193-1215. — Hic etiam operæ pretium est referre quosdam ex articulis *Issiacensibus*, de quibus convenerunt *Bossuet*, *Noailles*, ep. Catalaunensis, *Fénelon*, et *Tronson*, S. S. : " 1) Quivis christianus quovis in statu tenetur ad conservandum fidei, *spei* et caritatis *exercitium*, et ad earum actus eliciendos, ut virtutum distinctarum actus. 2) Non licet christiano *indifferentem* esse ad *salutem*, et ad res quæ in eam referuntur : sancta *indifferentia* eventus hujus vitæ (excepto peccato) solatiorumque atque ariditatum spiritualium dispensationem spectat ".

Art. III. De peccatis contra spem[1].

719. Duplici modo contra spem peccari potest : *omissione*, quando non elicitur actus spei præceptus; *commissione*, quando spes abjicitur per *desperationem* aut pervertitur per *præsumptionem*. Ex dictis satis intelligitur quandonam per *omissionem* contra spem peccetur. Animadvertere tamen liceat præcipuam horum peccatorum causam esse *inordinatam adhæsionem bonis terrenis*, quâ temporalia æternis præferuntur, ita ut non pauci perpetuo in hâc vitâ manere exoptent. Quod præsertim accidit iis qui divitiis et voluptatibus affluunt : hi siquidem aliquando cælestia bona contemnunt, et in terrenis suam felicitatem reponunt[2]; et hoc peccatum grave est, quando nos avertit ab amore Dei aliisque vitæ christianæ officiis quæ sub mortali obligant. — Dicendum igitur manet de *desperatione* et *præsumptione*.

I. De desperatione.

720. 1° **Notio et causæ.** (A) Desperatio est *voluntaria diffidentia beatitudinem consequendi, vel media ad illam necessaria.*

Ut peccatum sit, debet esse *voluntaria;* distinguitur proinde ab *involuntariâ perturbatione*, quæ in *timentibus* Deum, aut in *scrupulosis* frequenter exsurgit : hi siquidem, ex inani motivo, sæpe timent ne in statu peccati mortalis versentur, aut ne, propter malitiam suam, in damnationis periculum incidant. Differt pariter ab illo *spiritualis derelictionis* sensu, quem aliquando patiuntur perfectissimi : hi enim, Deo sic permittente, spirituali consolatione privan-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 20-21; *Suarez*, disp. II, sect. 2-3; *Billuart*, De spe, art. 5; *S. Alphons.*, lib. III, n. 20-21; *Perrone*, n. 145-158; *Bouquillon*, n. 372-383; *Lehmk.*, n. 310-313; *Baller. P.* n. 124-132.

[2] Quod ita exponit *M. d'Hulst*, Carême, 1892, p. 201 : "L'espérance est donc un devoir, et ce devoir si doux est coûteux à ses heures. Oui, Messieurs, quand la vie semble sourire à nos espérances terrestres, il est dur de dédaigner ces promesses flatteuses qui nous prennent par le côté sensible de nous-mêmes; il est dur de se dérober à l'enlacement du plaisir, de dire au bonheur qui s'offre à nous : tu ne saurais me suffire... Il faut au chrétien quelque chose de cet héroïsme (des martyrs) pour se dégager des caressantes étreintes du plaisir et confier aux promesses lointaines d'un mystérieux au-delà tout l'espoir de son bonheur".

tur, variisque tentationibus premuntur, ita ut ab ipso Domino derelicti sibi videantur, atque omnino despondentes evadant[1].

Ad sciendum num pœnitens vere in peccatum desperationis consenserit, confessarius opportune eum interrogabit utrum necne consueta religionis ac pietatis exercitia omiserit : si, non obstantibus timoribus et anxietatibus, orare non cessaverit, a peccato desperationis immunis censeri potest; si vero ab orando cessaverit, putans Deum nolle sibi subvenire, *ex se* graviter peccat; si, ex inordinatâ quâdam tristitiâ animo despondens, tepidus et remissus fiat, venialiter peccat.

721. (B) Inter præcipuas desperationis *causas*, recensentur :

(a) *Fidei defectus*, quia fides est spei fundamentum; talis fuit desperatio Caïn, quando dixit[2] : "Major est iniquitas mea quam ut veniam merear"; supponere enim videbatur Deum non remittere peccata etiam vere pœnitentibus. (b) *Inordinata adhæsio voluptatibus*, præsertim *libidini;* nam ex affectu harum delectationum homo fastidit bona spiritualia; et, cum resipiscere vult, tam arduum est libidinem refrænare et carnis illecebras deserere[3], ut non pauci de victoriâ et æternâ salute desperent. (c) *Acedia spiritualis* (supra, n. 562), id est languor et tædium in exercitio virtutis, horror difficultatis, labor certaminis, vi cujus utpote nimis difficile et impossibile reputamus bonum faciendum, ideoque ab eo abstinemus[4]. (d) *Præsumptio*, quatenus nos inducit in tentationem, postea vero in multiplicia peccata et desperationem; Seductor videlicet dolose incautos ad pecca-

[1] Christus in cruce hanc spiritualem derelictionem pati voluit, quando videlicet exclamavit : "Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?" (*Matth.*, XXVII, 46). Quem statum ita describit *Bona* (De discretione spirituum, c. 13) : "In parte vero superiori densissima caligine mens obscuratur, languet voluntas, nusquam inveniens consolationem nec in Deo, nec in creaturis : omnis æstus amoris refrigescit; et, quod gravissimum est, tot tentationibus premitur, ut sibi sæpius videatur diffidentiæ, blasphemiis, ac desperationi assensum præbuisse. Hoc horribile tormentum pœnis inferni assimilant qui experti sunt". Cfr. *Schram*, Instit. mysticæ, § 226-237.

[2] *Gen.*, IV, 13.

[3] Quod graphice describit *Augustinus* (Confess., lib. VIII, c. 11, n. 26, P. L., XXXII, 761) : "Retinebant nugæ nugarum, et vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, et submurmurabant : Dimittisne nos? et a momento isto non erimus tecum ultra in æternum? et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in æternum? Et quæ suggerebant?... quas sordes suggerebant! quæ dedecora!... Retardabant tamen cunctantem me abripere atque excutere ab eis et transilire quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta : Putasne sine istis poteris?"

[4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 20, a. 4.

tum inducit, suadendo peccati levitatem et facilitatem veniæ; sed, peccato jam commisso, a pœnitentiâ deterret, ampliando ejus enormitatem, pravæ consuetudinis ineluctabile pondus, implacabilem Dei justitiam. (e) Inter causas naturales recensetur *melancholica* quædam dispositio, quæ tristitiam et animi abjectionem generat.

722. 2° Desperationis malitia. (A) Desperatio *proprie dicta*, quæ versatur circa salutem aut media necessaria ad eam consequendam, est peccatum *mortale* ex *toto genere suo*, *minus* quidem infidelitate et odio Dei, sed *gravius* peccatis quæ committuntur contra virtutes morales; nam ipsi motivo fidei directe opponitur, cum Dei misericordiam, aut potentiam implicite saltem deneget; ideoque spem ipsam omnino destruit, sine quâ salus impossibilis evadit. Insuper "sublatâ spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur"[1]. Quandoque etiam cum *hæresi* conjungitur, quatenus quis credit Deum non posse aut non velle ipsum salvare : tunc specialem *hæresis malitiam* contrahit.

(B) Sed diffidentia circa ea quæ ad salutem necessaria non sunt, v. g. circa aliquod peccatum veniale vitandum, aut talem perfectionis gradum attingendum, non est desperatio proprie dicta, et *ex se* leve peccatum est. Idem dicendum de quâdam *pusillanimitate*, vi cujus de nostrâ cooperatione cum gratiâ, non autem de divinâ misericordiâ, aliquo modo desperamus.

II. De præsumptione.

723. 1° Notio et causæ. (A) Præsumptio, quatenus spei adversatur, est *temeraria exspectatio beatitudinis mediorumque ad eam consequendam, contra Providentiæ ordinem.* Deus enim, in collatione suorum donorum, quasdam leges statuit sapientiæ conformes; et peccatum præsumptionis in eo situm est quod bona spiritualia optantur absque conformitate cum his legibus. Quod variis modis contingit.

(a) Præsumptio est *hæretica*, quando videlicet aliquem errorem contra fidem importat; talis est præsumptio *pelagiana*, in eo sita quod quis sperat remissionem peccatorum, aliamve gratiam, et cœlestem beatitudinem consequi *propriis viribus;* aut præsumptio *lutherana*, quâ quis confidit se consecuturum fore remissionem peccatorum æternamque beatitudinem ex solis meritis Christi, sine pœnitentiâ

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 20, a. 3.

proprie dictâ et mandatorum observatione[1]; vel præsumptio *calviniana*, quâ quis sperat divinum auxilium ad aliquid mali peragendum, v. g. ad sumendam vindictam de inimico, quasi Deus positive cooperari posset peccato.

(b) Præsumptio est *simplex*, seu non hæretica, quando quis, absque errore in fide, nimis de divinâ misericordiâ aut propriis viribus præsumit, v. g. si confidit se consecuturum esse extraordinarias gratias, quales maximis sanctis solum conceduntur, — aut divinam misericordiam assumit tanquam motivum liberius peccandi, multiplicando peccata, quia, inquit, Deus tam facile remittit multa quam unum, et semper paratus est parcere pœnitentibus etiam sero ad virtutem redeuntibus.

Si quis vero peccat aut in peccato perseverat ex passione vel fragilitate, *cum spe veniæ consequendæ*, aut *propter facilitatem accusandi* peccata, non est proprie præsumptio, sed *gratiæ abusus* sedulo vitandus.

724. (B) Præsumptionis *causæ* præcipuæ sunt, præter errores in fide supra recensitos, *superbia* et *inanis gloria*.

Ex *superbiâ* speciatim oritur præsumptio, per quam quis confidit se gloriam sine meritis obtenturum, vel veniam sine pœnitentiâ; ipse enim tanti se æstimat, ut speret etiam se peccantem a gloriâ non excludendum fore. Ex *inani gloriâ* procedit præsertim præsumptio quâ aliquid super vires attentamus, ita exspectantes ab aliis æstimari[2]. Quandoque tamen oritur etiam ex *animi levitate*, vi cujus, propriæ infirmitatis obliti, de propriis viribus nimis præsumimus : tunc levius est peccatum.

725. 2° **De malitiâ præsumptionis.** (A) *Præsumptio hæreticalis* est *per se* gravissimum peccatum, cum opponatur tum fidei, tum spei, divinisque attributis injuriam inferat; quando voluntaria est, habitum spei destruit, cum evertat fidem, quæ spei fundamentum merito habetur. — Dixi tamen *per se*, quia dari possunt, inter Lutheranos, qui bonâ fide putent salutem ex solis meritis Christi, absque mandatorum observatione, obtineri posse.

(B) *Præsumptio simplex* est *ex se* grave peccatum, sed parvitatem materiæ admittere potest[3]; nec *per se* destruit spei habitum, quia ejus motivum salvat : licet enim quis nimis in seipso præsumat, non ideo divinum auxilium omnino respuit.

---

[1] A quo errore non satis recedunt qui sperant, ob nonnulla pietatis officia erga B. Virginem, se salutem consecuturos, etsi carnaliter vivant et liberius peccent. Cfr. *Tyrrell*, External religion (*gallice* La religion extérieure, Paris, 1902), lect. V.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 21, a. 4. — [3] *S. Thom.*, l. c., a. 2.

In praxi, ad dijudicandum num pœnitens contra spem peccaverit, simulque contra fidem, interrogandus est cur et quomodo desperaverit vel præsumpserit, et ex ejus responsis dignosci poterit natura et gravitas hujus peccati.

Conclusio : de mediis in spe proficiendi[1].

726. Præprimis notandum est spem augeri ipsis mediis quibus crescit fides (supra n. 689-694), cum hæc sit spei fundamentum. Sed insuper, sicut ceteræ virtutes, *exercitio* firmatur et promptior evadit.

(**A**) Sed ut spes recte exerceri valeat, requiritur primum *bona conscientia*, id est status gratiæ et praxis bonorum operum, aut saltem sincerum et efficax desiderium gratiam recuperandi; qui enim in statu peccati mortalis manet, merito damnationem metuit; dum justus, qui novit se esse filium Dei, in cœlesti Patre facile confidit : "Si cor nostrum non reprehenderit nos, *fiduciam* habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus"[2].

Cujus rationem sic exponit *Augustinus*[3] : " Spem gerit bona conscientia : quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe... Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem vero pungit mala conscientia, retrahit se a spe, et non sibi sperat nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; et ut habeat bonam conscientiam, credat et operetur ".

727. (**B**) Quando quis bonâ fruitur conscientiâ, jam amplius non in homine aliisve creaturis confidere debet, sed in Deo; quapropter, in omnibus eventibus, a Deo solo petere et exspectare consilium, vires et gratiam, in memoriam revocando motiva spei superius exposita, n. 700-703, videlicet Dei infinitam potentiam, misericordiam et fidelitatem. Tunc enim, divino fretus auxilio, omnia adversa superare potest : " Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ; a quo trepidabo?... Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum"[4].

---

[1] *Scaramelli*, op. cit., art. II. de Spe, c. 7-8; *Schram*, Instit. theol. mysticæ, § 119-123; *M. d'Hulst*, Carême 1892, conf. 4-5.

[2] *I Joan.*, III, 21-22.

[3] In ps. XXXI, n. 5, P. L., XXXVI, 261. — [4] *Ps.* XXVI, 1-3.

Ratio est quia nihil nos separare potest a caritate Dei, quæ ad nos beandos plane sufficit : " Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro"[1].

728. (C) Præsertim vero in *rebus adversis* tota spes in Deo reponi debet, qui solus potest nos a periculis eripere, simulque gratiam dare ut tribulationibus utamur ad æternam beatitudinem augendam

Ita sane Paulus, dum dicit : " Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit... "[2]. Ratio est quia si cum Christo et propter Christum patimur, cum ipso glorificabimur; gloria vero nostra proportionata erit tribulationibus patienter toleratis, et quodlibet opus arduum pro Deo factum æternum gloriæ pondus operatur in nobis : " Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis "[3]. — " Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis "[4].

729. (D) Sed, et in *rebus prosperis*, mentem ad æterna bona erigere debemus; secus enim, creaturæ et voluptati adhærebimus, maximo cum animæ detrimento. Quando videlicet omnia prospere cedunt, proni sumus ad Deum prætermittendum, et ad spem nostram in creaturis, divitiis, amicis collocandam; unde fit ut terreni efficiamur, voluptati inhiantes, bonaque cœlestia contemnentes.

Quapropter cœlum intueri necesse est, " non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt "[5]. Necesse est etiam orare, ut, temporalia et terrena despicientes, amare cœlestia discamus : " Da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis; ut, inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia "[6].

De exercitio spei seu fiduciæ in *oratione* infra dicemus.

His aliisque hujusmodi mediis spes firmatur et erigitur, viaque paratur *caritati*, de quâ dicendum manet.

---

[1] *Rom.*, VIII, 38-39. — [2] *Rom.*, V, 3-5. — [3] *Rom.*, VIII, 17-18.
[4] *II Cor.*, IV, 17. — [5] *II Cor.*, IV, 18.
[6] *Missale*, orat. pro Dom. 4ª post Pascha.

Caput iij.

DE VIRTUTE CARITATIS.

Prænotanda de amore et caritate in genere.

Inter virtutes theologicas eminet, teste Paulo, caritas : " Nunc manent fides, spes, caritas, tria hæc; *major* autem horum est *caritas* "[1]. Quia vero caritas est genus quoddam amoris [2], de amore pauca prænotare oportet.

1° *De amoris naturâ, causis et effectibus* 3.

730. (A) Amoris notio et species. Amor in genere est *motus in bonum*, seu *complacentia appetitûs in bono.* Triplex distingui solet : *naturalis, sensibilis* et *rationalis.*

(a) Amor *naturalis* est quædam *propensio* cujuslibet entis *in finem suum proprium :* quisque enim finem suum appetit, et in eum quodam instinctu naturali fertur : hic existit etiam in entibus libertate carentibus, nec est proprie actus moralis, de quo proinde hic non agemus : (b) Amor *sensibilis*, seu *sensitivus*, una est ex undecim passionibus supra descriptis, n. 100, et definiri potest *complacentia appetitûs sensitivi in bono sensibiliter apprehenso.* Versatur proinde circa qualitates quæ sensibus placent, et non fertur versus bonum *intelligibile* nisi in quantum hujusmodi bonum per imaginationem appetitui sensibiliter proponitur. Quia vero hæ qualitates frivolæ sunt et mutabiles, amor qui exinde nascitur est vanus et inconstans[4].

---

[1] *I Cor.*, XIII, 13.

[2] Quod sic declarat *S. Thomas* (1. 2æ, q. 26, a. 3) : " Omnis enim dilectio vel caritas est amor, sed non e converso; addit enim dilectio supra amorem electionem præcedentem, ut ipsum nomen sonat; unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum, et est in solâ rationali naturâ. Caritas autem addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur, magni pretii æstimatur, ut ipsum nomen designat ". — Revera vox *carus* etymologice significat aliquid magni pretii (*Bréal et Bailly*, Dict. étymol., p. 36).

[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 26-29; *S. Fr. de Sales*, Tr. de l'Am. de Dieu, (éd. d'Annecy, 1894), l. I, ch. 1-13; *Barré*, De virtutibus, t. I, n. 12-20.

[4] " Amor, super sensualium voluptatum communicationem fundatus, prorsus crassus est, et amicitiæ nomine indignus, uti et ille qui vanis

– Si existit inter personas diversi sexûs, in ordine ad carnales delectationes, dicitur amor *sexualis*, et sæpe in vehementem passionem transit[1].

731. (c) Amor *rationalis*, seu *dilectio*, est complacentia *voluntatis in bono intellectu apprehenso;* oritur ex dotibus, non externis ac frivolis, sed intellectualibus et moralibus, puta scientiâ, prudentiâ, benignitate, fortitudine aliisque ejusmodi virtutibus. Quapropter magis constans est, quia dotibus innititur quæ minus sunt mutabiles; dignus est homine atque honorabilis, utpote qualitatibus vere humanis fundatus. Qui pariter duplex est : quando aliquem diligimus maxime propter nostrum commodum, quia videlicet *nobis* bonus est et utilis, hic amor dicitur *concupiscentiæ;* si e contra eum diligimus præsertim quia *ipsi* bonum volumus, vocatur amor *benevolentiæ.* Plerumque utrumque motivum simul conjungitur, aliosque diligimus propter nostrum illorumque commodum. — Præterea, cum homo sit rationalis simul et sensibilis, sæpe amor intellectualis sensibili amori permixtus invenitur.

732. Amor autem dicitur *amicitia*, quando est *mutuus*, utrique amanti qua talis *cognitus*, ideoque quamdam *communicationem* bonorum importat : " Amor omnis amicitia non est : amare quippe possumus et tamen non amari, et tunc amor est, sed non amicitia, cum amicitia mutuus quidam et reciprocus sit amor. Secundo, satis non est eum esse mutuum, sed necesse est præterea amicos se invicem amantes reciprocum suum affectum nosse; si enim hunc ignorent, amorem quidem habebunt, non vero amicitiam. Tertio requiritur ut inter eos aliqua sit communicatio, quæ amici-

et frivolis quibusdam dotibus gloriatur a sensibus perceptis. Sensuales autem voluptates voco illas quæ immediate et præcipue circa sensus exteriores versantur, uti est voluptas illa quæ e conspectu pulchritudinis corporalis, suavis vocis auditu, molli tactu oritur, et aliæ id genus. Dotes autem frivolas appello vanos quosdam naturæ habitus, quos imperiti et futiles virtutum et perfectionum nomine vocant... Ita magnâ virtute præditus esse censetur qui eleganter saltat, in omni lusûs genere versatissimus est, scite se vestit, canit, jocatur, aut confabulatur, elegantes habet gestus ". (*S. Fr. de Sales*, Introduct., p. III, c. 17).

[1] *Descuret*, op. cit., t. II, p. 151-180; *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXI, 1899, p. 129-137 et 241-248; *Ribot*, Psychologie des sentiments, Paris, 1896, p. 244-255.

tiæ basis sit et fundamentum. Jamvero, pro diversitate communicationum, diversa etiam est amicitia... si falsa et vana sint ea quæ communicantur, falsa et vana est amicitia; si vera et solida, vera etiam est amicitia; et quo excellentiora sunt hujusmodi bona, eo excellentior amicitia " [1].

De verâ amicitiâ præclare scribit *Ambrosius* [2] : " Solatium quippe vitæ hujus est, ut habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris tui; ut colloces tibi fidelem virum, cui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur... Pietatis custos amicitia est, et æqualitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat æqualem, inferior superiori... Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim amicitia, non quæstus, quia non pecuniâ paritur, sed gratiâ : nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ ". — Ambrosio præiverat *Scriptura* [3] : " Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum invenit thesaurum; amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius; amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis ".

733. (B) **Amoris causæ** [4]. Tres sunt præsertim quæ amorem inducunt vel augent : *bonum, similitudo, familiaris consuetudo.*

(a) *Bonum* quidem est causa *principalis* amoris, cum appetitus, sive sensitivus sive rationalis, naturaliter feratur in bonum sensibile aut intellectuale; et generatim eo intensior est amor quo perfectius apparet objectum amatum. Si malum quandoque amatur, id non fit nisi quia sub *specie* boni apparet; ita non diligitur iniquitas, nisi quia delectationem aut commodum præbet. — Ad hanc causam refertur *pulchrum*, quod nihil aliud est nisi bonum in quantum visum *placet.*

(b) *Similitudo* inter amantes amorem secundario inducit, juxta illud [5] : " Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi ". Revera homo naturaliter seipsum

---

[1] *S. Fr. de Sales*, Introduct., p. III, c. 17. — De amicitiâ eximium tractatum scripsit *Cicero*, Lælius sive de Amicitiâ.

[2] *S. Ambros.*, De officiis, lib. III, c. 22, P. L., XVI, 181-182.

[3] *Eccli.*, VI, 14-16.

[4] *S. Thom.* 1. 2æ, q. 27; *S. Fr. de Sales*, Traité de l'Am. de Dieu, l. I, ch. 8; *M. d'Hulst*, Carême 1892, 6e Conf., p. 217-220.

[5] *Eccli.*, XIII, 19.

primario diligit, ideoque, inter homines, vi cujusdam affinitatis et *sympathiæ*, eos qui sibi magis similes sunt, v. g. qui ad eamdem gentem aut familiam pertinent, aut similibus dotibus gaudent. Unde amicitia *æquales* accipit aut facit. — Attamen hæc similitudo, quæ causa amoris est, non excludit quædam discrimina; imo plerumque intensius se invicem diligunt qui, dum in multis similes sunt, in paucis tamen differunt, ita ut unus in alio quærat suî complementum; sic qui mitis sed debilis est, facilius amicitiâ conjungetur ei qui iracundus quidem sed fortis est ac strenuus [1]. Unde non perfecta æqualitas, sed quædam *proportio* inter amantes requiritur.

(c) *Familiaris consuetudo* amorem haud parum auget; nihil enim volitum quin præcognitum, ideoque bonum, pulchritudo et similitudo ad amicitiam non movent, nisi in quantum cognoscuntur. Multum igitur amicitiam fovent intima ac frequens *conversatio* et *colloquia* : ita enim amici se melius cognoscunt, ita præsentiâ objecti amati delectantur, et ex hoc duplici capite crescit amor. Ad hanc causam refertur *amoris exhibitio* et *redamatio;* nam, ut ait *Seneca* [2], " si vis amari, ama " ; teste *Augustino* [3], " nulla est enim major ad amorem invitatio quam prævenire amando et nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere ".

734. (C) **Amoris effectus** [4]. Præcipui sunt *unio, extasis, zelus, ordinatio actionum in objectum amatum.*

(a) *Unio* quidem; nam amor quilibet eo tendit ut amantes conjungat, et ex duobus vel pluribus *unum* moraliter efficiat, juxta illud : " Multitudinis autem credentium erat *cor unum* et *anima una* " [5]. Duplicem efficit unionem :

[1] " En cette sorte les mélancholiques et les joyeux, les aigres et les doux s'entr'ayment quelquefois réciproquement, pour les mutuelles impressions qu'ils reçoivent les uns des autres, aux moyens desquelles leurs humeurs sont mutuellement modérées. Mais quand cette mutuelle correspondance est conjointe avec la ressemblance, l'amour sans doute s'engendre bien plus puissamment ". (*S. Fr. de Sales*, op. cit., l. I, ch. 8).

[2] Epist. IX ad Lucilium.

[3] De catechiz. rudibus, c. 4, P. L., XL, 314.

[4] *S. Thom.* I. 2æ, q. 28. — [5] *Act.*, IV, 32.

unam *affectuosam*, vi cujus amici eadem velle et eadem nolle satagunt, et amans est in amato, sicut sua reputans bona amici; ita legitur in *Scripturâ* [1] : " Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam " ; — alteram *realem*, quæ consistit in præsentiâ et possessione rei amatæ [2] ; quæ tamen, quamvis ab amantibus exoptata, aliquando per obstacula impeditur aut retardatur.

(b) *Exstasis* (ἔκ στασις, egressus), quâ veluti *extra se* ponitur amans; quod fit duplici actu intellectûs et voluntatis; secundum *intellectum*, amans, sui oblitus, de amato frequenter cogitat; secundum *affectum* extra seipsum fertur : per amorem *concupiscentiæ*, non contentus de bono quod habet, quærit aliud quo fruatur extra se; per amorem *amicitiæ*, non *sibi* solum agit, sed vult et operatur amico bonum, ejusque curam gerit. Quare maximi momenti est nonnisi honesta et sancta diligere, cum amans veluti a se exeat et similis fiat objecto amato [3].

735. (c) *Zelus* pariter ex intensione amoris provenit : quo enim vehementius in aliquid tendimus, eo fortius repellimus quidquid huic propensioni adversatur. Ita, in amore *concupiscentiæ*, qui intense aliquid concupiscit, eo ipso fertur contra omne illud quod ejus consecutioni aut quietæ fruitioni obstat ; in amore *amicitiæ*, qui sincere vult amici bonum, eo ipso vehementer movetur contra omne illud quod ejus bono repugnat [4].

(d) Præterea qui vehementer aliquem diligit, suas actiones in eum *ordinat*, videlicet ad ei placendum ejusque amicitiam consequendam ; et, cum ceteræ passiones ex amore procedant, omnes animi motus plus minusve reguntur ab amore prædominante. Ex quo sequitur nil magis interesse quam recte suas affectiones ordinare, ut vita ipsa recte instituatur. Vere igitur sapientes sunt qui Deum ex toto corde diligunt; nam, ut ait *Augustinus*, " fecerunt itaque civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui " [5].

[1] *I Reg.*, XVIII, 1.

[2] Quod vivide describit *S. Fr. de Sales*, Tr. de l'amour de Dieu, l. I, ch. 9.

[3] *S. Thom.*, 1. 2æ, q. 28, a. 3; *S. Fr. de Sales*, op. cit., l. I, ch. 10.

[4] *S. Thom.*, l. c., a. 4.

[5] De Civit. Dei, lib. XIV, c. 28, P. L., XLI,436.

2° De virtute caritatis in genere.

736. Caritas, ut *habitus*, est *virtus theologica quâ inclinamur ad Deum super omnia diligendum eo modo quo seipsum amat*, et *omnia quæ Deus diligit* et *sicut ea diligit.*

Quæ definitio æquivalet ei quæ tradi solet, nempe est *virtus theologica quâ inclinamur ad Deum super omnia diligendum propter seipsum, nos vero et proximum propter Deum.* Ad quod melius intelligendum, exponendum est quodnam sit *objectum*, *motivum* et *subjectum* caritatis.

737. (A) **Objectum** *primarium* et *principale* caritatis est *Deus* ipse, super omnia diligendus : "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tuâ" [1]. Objectum vero *secundarium* sunt omnes creaturæ in quantum divinæ gratiæ et gloriæ sunt capaces : "Secundum autem (præceptum) simile est huic : diliges *proximum* tuum sicut *teipsum*" [2]. Etenim, cum amor essentialiter tendat in *bonum*, primarium dilectionis objectum non potest esse nisi *summum* et *infinitum bonum;* secundarium vero omnia entia quæ *divinam bonitatem* aliquo modo *participant.*

738. (B) **Motivum** proprium caritatis est Dei *bonitas absoluta in se* et *propter se* infinite amabilis. Ita distinguitur ab *amore spei*, cujus motivum est bonitas Dei *relativa*, quâ scilicet erga nos bonus est. Deus siquidem amari potest duplici modo : quatenus est bonus *nobis*, imo summum bonum *nostrum*, cujus fruitione beati aliquando erimus, et hic est amor *spei*, seu *castæ concupiscentiæ ;* potest insuper diligi ut bonus *in se*, seu quia est infinite amabilis *propter se :* hic est amor *caritatis.*

739. (a) Pauci quidem theologi, ut *Bolgeni* et *Ballerini* [3], contenderunt amorem *concupiscentiæ* referri etiam ad *caritatem*, et ad justificationem sufficere ante actualem sacramentorum susceptionem. Nam, inquiunt, in sacrâ Scripturâ nunquam proponitur nobis amor Dei solummodo propter se dilecti, sed sæpe Deus

[1] *Luc.*, X, 27; cfr. *Matt.*, XXII, 37. — [2] *Matt.*, XXII, 38.

[3] *Bolgeni*, Della carità o amor di Dio, Roma, 1788; *Baller. P.*, t. II, n. 135-139; — Quos confutârunt *Muzzarelli*, Del motivo formale dell'atto di carità, Foligno, 1791; *Perrone*, op. cit., de Caritate, n. 29-62; *Pesch.*, n. 537-564; *Mangenot*, Dict. de Théol., t. II, p. 2220.

exhibetur ut diligendus quatenus est summum bonum *nostrum*, fons omnis *nostri* gaudii, etc. Præterea unicum motivum quod hominem excitat ad agendum est amor proprius, ideoque Deum non diligimus nisi in quantum eum concipimus tanquam nostræ beatitudinis fontem. — Sed communiter theologi hanc opinionem ut erroneam rejiciunt. (a) Licet enim Scriptura directe et explicite non doceat Deum esse diligendum *propter se*, id tamen insinuat quando asserit eum amandum esse ex totâ mente, ex toto corde, ex totis viribus, — aut caritatem esse excellentiorem spe[1], — vel imitandam proponit caritatem quâ animam suam ponit quis pro amicis suis[2]. (b) Aliunde, licet homo sæpe agat ex amore proprio, non semper tamen, nec exclusive; sed paulatim ab amore Dei, quatenus bonus est nobis, ad amorem Dei in se et propter se amabilis assurgit, quia intelligit eum, qui in se infinite bonus est, in se et propter se esse diligendum[3].

740. (b) Sed, utrumque motivum sæpe unitum invenitur in uno eodemque actu, et amor spei minime impedit exercitium caritatis. Etenim, ex unâ parte, Deus est summe bonus *in se*, ideoque amore *benevolentiæ* diligendus, et summe bonus *nobis*, ideoque amore castæ *concupiscentiæ* amandus; ex alterâ vero, finis noster ultimus est tum *gloria Dei*, quam exoptamus amore *benevolentiæ*, tum æterna nostra beatitudo, quam amore *concupiscentiæ* prosequimur. Imo amor concupiscentiæ recte ordinatus nos ducit ad amorem benevolentiæ : nam quanto magis Deum possidere optamus, tanto magis ad ejus honorem anhelamus[4].

Quare damnata est propositio quâ *Fénelon* asserebat dari *statum habitualem*[5] amoris Dei, sine admixtione motivi proprii interesse

---

[1] *I Cor.*, XIII, 13. — [2] *Joan.* XV, 13.

[3] Ab hâc opinione multum differt doctrina *S. Fr. Salesii* (op. cit. l. X, ch. 10), asserentis nos non posse diligere Deum, nisi in quantum ipsi conjungi possumus : " Mais si par imagination de chose impossible, il y avait une infinie bonté à laquelle nous n'eussions nulle sorte d'appartenance, et avec laquelle nous ne peussions avoir aucune communication, nous l'estimerions certes plus que nous-mêmes... mais à proprement parler, nous ne l'aymerions pas, puisque l'amour regarde l'union; et beaucoup moins pourrions-nous avoir la charité envers elle, puisque la charité est une amitié, et l'amitié ne peut estre que réciproque, ayant pour fondement la communication et pour fin l'union ".

[4] Ita *S. Bonaventura*, in lib. III Sentent., dist. 27, a. 2, q. 2.

[5] Juxta communem doctrinam, elici tamen possunt *actus* puræ benevolentiæ seu puri amoris erga Deum, sine ullo proprii commodi intuitu : si enim quandoque homines diligimus, absque ullâ spe mercedis, cur

(supra, n. 710). *Psychologice* enim constat nos non posse diu, aut saltem per totam vitam, excludere considerationem et desiderium cœlestis beatitudinis (supra, n. 717). Quod lucide declarat pius *Bernardus*, quatuor gradus in amore distinguens[1] : "In primis ergo diligit seipsum homo *propter se*. Caro quippe est, et nil sapere valet præter se. Cumque se videt per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere et diligere. Diligit itaque in *secundo* gradu Deum, sed *propter se*, non propter ipsum. At vero, cum ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere et frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo, quâdam hujuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter et dulcescit; et sic gustato quam suavis est Dominus, transit ad *tertium* gradum, ut diligat Deum, non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu statur, et nescio si a quoquam hominum *quartus* in hac vitâ apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantum propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt : mihi, fateor, impossibile videtur".

741. (c) Bonitas Dei, quæ motivum est caritatis, non ex solo naturali lumine, sed etiam et præsertim ex *fidei lumine* cognosci debet; nam caritas est virtus supernaturalis, proindeque ejus objectum et motivum supernaturaliter percipiendum est. Hæc divina bonitas in se complectitur omnes Dei perfectiones. — Multi tamen theologi putant *quamlibet perfectionem divinam* seorsim acceptam, v. g. sapientiam, benignitatem, misericordiam, esse sufficiens caritatis motivum[2]; et merito, ut putamus, nam in Deo variæ perfectiones a divinâ essentiâ realiter non distinguuntur, et quælibet perfectio, utpote infinita, ad summum amorem nos provocare potest. In *praxi*, nulla est difficultas; non solent enim homines inter Deum et ejus perfectiones discrimen instituere, sed Deum ipsum infinite sapientem, benignum, misericordem diligunt : quod certe ad caritatem sufficit.

Eadem divina bonitas est motivum caritatis erga nosmetipsos et proximum : " Et hoc mandatum habemus a Deo,

---

Deum aliquando amare non valemus, sine ullo appetitu mercedis Quare longius processit *Bossuet* (Instr. sur les Etats d'oraison), dum contendit nullum dari *actum* amoris Dei, qui omnem excludat respectum ad bonum proprium. (*Gosselin*, op. cit., p. CXLVI-CLXXXIII).

[1] *S. Bernard*, Epist. XI, n. 8, P. L., CLXXXII, 113-114.

[2] *Ripalda*, disp. XXV, de Caritate, sect. 1-2 ; *Wirceburgenses*, n. 287, *Lehmk.*, n. 315.

ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum"[1]. Etenim, per caritatem, proximum diligimus quia filius Dei est, ad ejus gloriam destinatus, quia imaginem et similitudinem ejus gerit, ideoque propter bonitatem Dei in eo manifestatam.

742. (d) Amor *gratitudinis*, quo videlicet gratum animum Deo exhibemus pro beneficiis acceptis, sæpe dicitur ad perfectum caritatis amorem pertinere. Certum est saltem ex gratitudine facillime oriri amorem benevolum erga ipsum benefactorem; hic autem amor tamquam actus caritatis haberi potest, cum innitatur uni ex divinis attributis, videlicet beneficentiæ. Sæpe igitur expedit homines excitare ad gratitudinem erga Deum ex beneficiis acceptis, — ut reipsa plerumque fit in Scripturis, — et deinde ad amorem ipsius benefactoris : quando enim diligitur ut bonus *nobis*, facile amatur tanquam bonus *in se*.

743. (e) Pariter amor erga Christum, *pro nobis* passum et crucifixum, facillime in amorem caritatis transit : credunt enim fideles Christum esse Deum, et quando Christum diligunt, eo ipso Deum amant; aliunde, si gratitudine moti divinum Redemptorem amant ut *sibi* bonum, mox eumdem diligunt tamquam *simpliciter bonum* et infinite amabilem[2]. Cum hæc via facillima sit, humanæque naturæ accommodata, optimo consilio concionatores et confessarii eamdem fidelibus notam facient, quo facilius hi actus caritatis et contritionis perfectæ eliciant.

744. (C) **Subjectum** caritatis ii sunt omnes et soli qui gratiam habitualem possident : caritas enim indivulse cum gratiâ sanctificante connectitur (supra, n. 604). — Hæc virtus proprie in *voluntate* inhæret, cum amor boni divini, quod nonnisi intellectu et fide percipitur, a voluntate eliciatur[3];

---

[1] *I Joan.*, IV, 21.

[2] Quo motivo utebatur *Apostolus* ad excitandos fideles ad praxim caritatis : "Et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis". (*Ephes.*, V, 2).

[3] "Objectum appetitûs sensitivi est bonum per sensum apprehensum; objectum vero appetitûs intellectivi vel voluntatis est bonum sub communi ratione boni, prout est apprehensibile ab intellectu. Caritatis

attamen, quia nil volitum quin præcognitum, cognitio et fides multum ad caritatem concurrunt, motiva præbendo quibus voluntas ad amandum allicitur; præterea amor divinus quandoque redundat in facultates sensitivas, et in eis pias generat emotiones.

Divisio. Cum duplex sit caritatis objectum, *Deus* scilicet et *proximus*, dicemus : 1° de caritate erga *Deum;* 2° de caritate erga *proximum.*

Art. I. De caritate erga Deum[1].

Dicemus : 1° de ejus *naturâ;* 2° *necessitate;* 3° *peccatis* eidem oppositis.

§ I. De natura caritatis.

Caritas duplicem complectitur amoris speciem, videlicet amorem *benevolentiæ*, qui intendit bonum amati, et amorem *amicitiæ*, qui præterea importat mutuam redamationem.

I. De amore benevolentiæ.

745. Hic amor in eo consistit quod, in quantum possumus, Deo bonum volumus : tres actus complectitur, scilicet *gaudium* de bonis divinis, *desiderium* eadem *augendi*, in quantum fieri potest, et *zelum* ad promovendam Dei gloriam.

1° *Gaudium*, seu *complacentiam* de bonis quæ Deus possidet; quando enim aliquem vere diligimus, ipsius bona ut *nostra* habemus, ideoque de ejus bonis gaudemus et in eis complacemus, quasi nostra essent; quod Christus his verbis innuit[2] : " Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem ", quia videlicet hanc vallem miseriæ desero, ut divinam felicitatem adipiscar.

(a) Quare justi de infinitis perfectionibus Dei *in se* spectatis lætantur, de ejus potentiâ, sapientiâ, benignitate, etc.; imo plus gau-

autem objectum non est aliquid bonum sensibile, sed bonum divinum, quod solo intellectu cognoscitur. Et ideo caritatis subjectum non est appetitus sensitivus, sed appetitus intellectivus, id est voluntas ". (*S. Thom.*, 2. 2æ, q. 24, a. 1).

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 23-27; *Suarez*, de Caritate, disp. I-VI; *S. Fr. de Sales*, Tr. de l'Amour de Dieu, ex integro; *Müller*, § 19-23.

[2] *Joan.*, XIV, 28.

dent de gloriâ Dei quam de propriâ beatitudine. Ita *Augustinus* dixisse refertur[1] : "Domine Deus, sic te diligo, ut si ego Deus essem et tu Augustinus, vellem ego esse Augustinus, ut tu Deus esses". Ita pariter *S. Franciscus Salesius*[2] : "O dilectissime cordis mei, non cupio quidem quod possim aliquid boni tuæ majestati exoptare, sed ex toto corde complaceo in illo supremo bonitatis gradu quem tu habes, cui neque desiderio neque etiam cogitatione aliquid addi potest; sed, si tale desiderium possibile esset, o infinita Deitas et divina Infinitas, anima mea vellet esse hoc ipsum desiderium et nihil aliud". (b) Gaudent pariter de *externâ manifestatione* Dei attributorum, ideoque de divinâ providentiâ quæ omnia suaviter et fortiter disponit, de extensione regni Dei, de externâ gloriâ quam accipit ab Angelis, Sanctis in cœlo regnantibus, necnon justis in terrâ pro ejus honore militantibus. (c) Ex hâc complacentiâ sponte nascitur *laus Dei*, quâ ipsi gratulamur de omnibus quæ in ejus gloriam conferunt : "Gloria in excelsis Deo... Laudamus te, benedicimus te, glorificamus te... Te Deum laudamus, te Dominum confitemur"[3].

746. 2° *Desiderium* bona divina augendi, in quantum fieri potest, seu *benevolentiam* proprie dictam.

(a) Si agitur de perfectionibus Dei *intrinsecis*, non possumus quidem *absolute* earum incrementum optare, cum nihil boni Infinito accrescere valeat; sed *conditionaliter*, prout legitur apud *S. Franciscum Sales*[4] : "Dixi Domino, Deus meus es tu, immensâ plenus bonitate, qui nec meorum nec alterius cujusque bonorum indiges; si tamen possibile foret te boni alicujus indigere, nunquam id tibi exoptare desinerem, et, ad illud tibi procurandum, vitam omniaque mihi carissima libenter impenderem".

(b) Si agitur de gloriâ Dei *extrinsecâ*, amore inducimur ad eam promovendam tum in *nobis*, tum in *aliis* : in *nobis* quidem, quatenus parati sumus omnia pati et agere ad proficiendum in divino amore; ita *S. Joannes a Cruce*, interrogatus a Christo quid pro tot et tantis laboribus propter Deum suscepis exoptaret, respondit : Domine, *pati* et *contemni pro te*"[5]. Quoad *alios* vero, sincere desideramus ut hi, qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent, illuminentur, et Deum cognoscant, ament atque glorificent : "Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes... Laudate Dominum de cœlis... Laudate Dominum de terrâ... reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ"[6].

(c) Exinde oritur *tristitia* de peccatis a nobis aliisve commissis,

---

[1] *S. Fr. de Sales*, op. cit., l. V, ch. 6. — [2] Ibidem.

[3] In *psalmis* et Ecclesiæ precibus *liturgicis* laudes divinæ jugiter celebrantur.

[4] Ibidem. — [5] *Breviar.*, 24 nov., lect. 6.

[6] *Ps.* LXVI, 4; CXLVIII, 1, 7, 11.

in quantum Deum summum bonum offendunt; necnon *filialis timor* ne Deus offendatur; quando enim aliquem diligimus, cum eo compatimur, et de iis quibus tristatur dolemus.

747. 3° *Zelum ad gloriam Dei promovendam*, seu *beneficentiam*. Amor enim non in *solo affectu* consistit, sed *opere* manifestatur. Hoc autem fit dupliciter : vehementer *repellendo* ea quæ sunt contra honorem Dei[1], et *positive peragendo* quæ hunc honorem promovent. Qui igitur Deum vere diligunt, *strenue laborant* ut gloriam Dei externam procurent : (a) In *seipsis*, ea omnia *agendo* quæ ejus honorem augere possunt, mandata et consilia melius servando, se suaque ei devovendo et omnia opera ad ei placendum efficiendo. (b) In *aliis*, eos scilicet ad Christum trahendo oratione, verbo et exemplo.

II. De amore amicitiæ.

748. Amicitia, ex dictis, n. 732, tria importat : amorem *benevolentiæ*, amorem *mutuum* et *communicationem* alicujus boni inter amantes. Jamvero hæc tria invenire licet in caritate erga Deum. (a) Deus certe nos amplectitur amore benevolentiæ, nam multa et maxima bona nobis gratuito donavit : "Et in caritate perpetuâ dilexi te; ideo attraxi te, miserans[2]... Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret[3]... Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?[4]" Et sane hic amor est *benevolus*, cum Deus plane sibi sufficiat, nec bonis nostris indigeat. Aliunde possumus et nos Deum diligere amore benevolentiæ, sensu superius exposito, n. 745.

(b) Amorem hujusmodi *mutuum* esse et ut talem *cognitum* non minus evidenter constat; nam multoties Dominus declaravit se diligere eos qui ipsum diligunt : "Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me[5]... Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus[6].

---

[1] *S. Thom.*, I. 2æ, q. 28, a. 4; *S. Fr. de Sales*, op. cit., l. X, ch. 12.
[2] *Jerem.*, XXXI, 3. — [3] *Joan.*, III, 16. — [4] *Rom.*, VIII, 32.
[5] *Prov.* VIII, 17. — [6] *Joan.*, XIV, 23.

(c) Ex hoc amore mutuo oriri bonorum communicationem, non minus luculenter patet; nam Deus nobis largitus est bona tum naturalia, tum supernaturalia, imo propriæ vitæ quamdam participationem : " Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ " [1]. Ex parte nostri nihil quidem addere valemus divinis perfectionibus, sed quidquid sumus et habemus possumus Deo donare, omnes actiones nostras propter ipsum peragendo, in ejus gloriam [2]; possumus etiam in ejus attributis complacere, ejusque externam gloriam promovere, juxta superius exposita, n. 746. Et ita fit mutua bonorum communicatio, mutuaque amicitia, in quantum inter Deum et homines existere valet.

Hinc *Scriptura* nos Dei amicos sæpius declarat; ita Abraham dicitur Dei amicus[3], et qui sapientiam colunt, participes sunt amicitiæ Dei[4]; sed præsertim in Novo Testamento amici Dei vocantur qui ejus mandata servant : " Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis"[5]; speciatim vero apostoli sunt Christi amici, quia ejus secreta noverunt : " Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis"[6].

§ II. De necessitate caritatis.

749. Caritatis *habitum* necessarium esse *necessitate medii* ad salutem, ex eo constat quod caritas et gratia sanctificans indivulse conjunguntur, n. 597. Quæstio est igitur de caritatis *actu*. Hic necessarius non est *necessitate medii* ad justificationem consequendam, quando recipiuntur sacramenta *baptismi* et *pœnitentiæ* : tunc enim sufficit contritio imperfecta, seu attritio, ad quam non requiritur amor caritatis, ut alibi exposuimus[7]. Sed actus

[1] *II Petr.*, I, 4.

[2] Quod perbelle in hâc oratione *S. Ignatii* exprimitur (Exercit. spiritualia, ex autographo hispanico, Romæ, 1854, p. 118-119) : " Sume, Domine, et suscipe omnem meam libertatem, meam memoriam, meum intellectum, et omnem voluntatem meam, quidquid habeo et possideo . tu mihi hæc omnia dedisti, tibi Domine ea restituo : omnia tua sunt, dispone (de illis) pro omni voluntate tuâ. Da mihi tuum amorem et gratiam, nam hæc mihi sufficit."

[3] *Isa.*, XLI, 8; *Judith*, VIII, 22. — [4] *Sap.*, VII, 14.

[5] *Joan.*, XV, 14. — [6] *Joan.*, XV, 15.

[7] *Synop. Theol. Dogmat.*, De Baptismo, n. 52, et *Syn. Theol. Mor.* De Pœnitent., n. 85-92.

contritionis perfectæ, ideoque caritatis, necessarius est necessitate medii adultis, in statu peccati mortalis versantibus, qui sacramenta recipere nequeunt[1]. Præterea adest præceptum aliquoties in vitâ eliciendi actus caritatis : de cujus *existentiâ* et *extensione* dicendum manet.

750. 1° **Existentia :** *Datur præceptum speciale* aliquoties in vitâ eliciendi actus caritatis perfectæ erga Deum.

(A) Quod præceptum jam traditum fuerat *Judæis*, et quidem tanquam *primarium*, omnibus, etiam parvulis, inculcandum, et præ oculis semper habendum : "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens"[2]. — In novo Testamento, exhibetur ut *essentiale*, et summa totius legis[3] : "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ. Hoc est maximum, et primum mandatum". Necesse est igitur ut aliquoties saltem eliciamus actus divini amoris, cum hujusmodi præceptum sit omnium maximum.

(B) Sane *rationi* consentaneum est hujusmodi præceptum : cum enim Deus sit ultimus finis noster, simulque infinite amabilis, natura ipsa exigit ut ad eum mentem, voluntatem, totamque animam, necnon actiones nostras referamus, ideoque eum super omnia diligamus : amor enim est donum sui-ipsius, et qui vitam suam in Deum ordinat, eo ipso eum super omnia diligit. Hoc autem præstare nequimus nisi aliquoties in vitâ positivum amoris actum eliciamus.

Hoc præceptum est *speciale*, seu ab aliis distinctum, ita ut ad distinctos actus nos obliget; colligitur ex textibus allegatis, et ex documentis infra citandis de ejus extensione

751. 2° **De extensione hujus præcepti.** (A) Debemus quidem amare Deum *ex toto corde*, *ex totâ mente*, *ex totâ*

[1] De Pœnitent., n. 86-97. — [2] *Deut.*, VI, 5-7.

[3] *Matth.*, XXII, 37-38. — Discrimen inter *Veterem* et *Novam* legem in eo est ut in priori Deus exhibeatur præsertim ut *Dominus*, dum in posteriori ut *Pater* sæpe ostenditur. Cfr. *Batiffol*, L'Enseignement de Jésus, Paris, Bloud, 1905, p. 94-105.

animâ et ex totis viribus. Quod sic declarat S. Thomas[1] : "Præcipitur ergo nobis ut tota nostra *intentio* feratur in Deum, quod est ex *toto corde;* et quod *intellectus* noster subdatur Deo, quod est ex *totâ mente;* et quod *appetitus* noster reguletur secundum Deum, quod est ex *totâ animâ;* et quod *exterior actus* noster obediat Deo, quod est ex totâ fortitudine, vel virtute, vel *viribus* Deum diligere".

752. (B) Præcepto caritatis tenemur amare Deum super omnia *amore appretiative summo, non autem intensive summo.*

(a) Amore *appretiative* summo, quatenus pluris eum facere debemus in mente nostrâ quam quodlibet aliud bonum, ita ut parati simus omnium jacturam pati potius quam ejus amicitiæ. Id constat ex textibus allatis, et ex his Christi verbis[2] : "Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me non est me dignus". — Revera Deus est summum bonum infinite amabile, in se complectens omnes et singulas creaturarum perfectiones, et quidem modo infinite superiori, et absque ullâ imperfectione; injuriam igitur ei inferret qui pluris faceret aliquam creaturam quam Deum. — Amor vero *appretiative* summus, cum in parte animæ superiori resideat, coexistere potest cum amore creaturarum magis *sensibili;* creaturæ enim, utpote visibiles, amorem sensibilem sæpe magis excitant quam contemplatio invisibilium Dei perfectionum. Unde non peccant qui magis *sensibiliter* parentes, amicos, sponsos diligunt, quam ipsum Deum dummodo mente et voluntate parati sint omnia potius amittere quam Dei amicitiam.

753. (b) Non autem amore *intensive* summo; nullus enim amoris gradus in Scripturâ præscribitur, præter eum qui mortale et veniale peccatum excludit. — Ad cujus intelligentiam, sciendum est triplicem gradum in amore Dei communiter distingui : *primus* quidem gradus in eo consistit ut homo recedat a peccato *mortali*, ideoque strenue resistat concupiscentiis quæ caritatem evellere possunt; *secundus* in eo est ut in bono proficiat, recedendo

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 44, a. 5. — [2] *Matt.*, X, 37.

a peccato *veniali deliberato*, virtutesque assidue colendo; in *tertio*, ad hoc principaliter intendit ut Deo inhæreat eoque fruatur, præcipuos actus sub influxu caritatis eliciendo [1]. Jamvero, ad satisfaciendum præcepto, satis est primum caritatis gradum habere.

754. (C) Ad **tempus** quod spectat, præceptum caritatis obligat **per se** :

(a) Quando homo, usum rationis jam adeptus, et sufficienter instructus de Dei bonitate, clare intelligit obligationem eum super omnia diligendi; tunc enim tenetur sese convertere in Deum : quod fit per actum caritatis. (b) *Sæpius in vitâ* [2], quin possit mathematice determinari tempus : alii dicunt semel in hebdomade, alii semel in mense aut in anno, alii singulis trienniis; quare in praxi hortandi sunt fideles ut sæpe eliciant actus caritatis sive *explicite*, sive *implicite* orando devote ut sanctificetur nomen Dei, adveniat ejus regnum, — actum perfectæ contritionis eliciendo, vitandoque peccatum quia Deo displicet, — bona opera exercendo, quia Deo placent, etc. (c) *Probabilius*, in *articulo mortis*, quia in exitu vitæ, debemus ultimo fini adhærere per caritatem. (d) Si urget tentatio contra caritatem quæ nonnisi per actum dilectionis superari valet; sæpe autem vinci potest alio modo, v. g. animum ad alias res divertendo.

Per accidens obligat :

(a) Quando quis versatur in statu peccati mortalis teneturque statum gratiæ recuperare, puta ad suscipiendum aut ministrandum sacramentum, et aliunde sacramentalem absolutionem accipere nequit : tunc enim justificari nequit sine actu contritionis perfectæ, ideoque caritatis. (b) Quando gravis urget tentatio contra aliquam virtutem christianam, quæ removeri nequit sine actu caritatis.

In praxi, qui christiane vivunt, precesque matutinas aut vespertinas assidue recitare solent, non sunt hâc de re inquietandi, cum præcepto caritatis his orationibus plene satisfaciant.

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 24, a. 4; *S. Bonaventura*, De profectu religiosorum, c. 15 (Opera, ed. *Vivès*, t. XII, p. 386); *M. d'Hulst*, Carême 1892, p. 234-237.

[2] Huc spectant propositiones damnatæ ab *Innocentio XI*, 2 martii 1679 : "An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vitâ eliceret, condemnare non audemus. — Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum. — Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam quâ justificari possimus". (*Denzing.*, n. 1022-1024; *Viva*, in proposit. 1am Alexandri VII).

§ III. De peccatis contra caritatem.

755. Præter peccata *omissionis*, quæ ex jam dictis facile intelligi possunt, dantur peccata *commissionis* contra caritatem erga Deum. Omnia quidem peccata mortalia aliquomodo sunt contra caritatem, cum eam destruant. Sed duo sunt quæ directe et speciatim caritati opponuntur : *acedia*, seu tristitia de bonis spiritualibus, de quâ supra, n. 562; et *odium Dei*, de quo dicendum manet.

756. De odio Dei. (A) Odium in genere est actus quo quis aliud aversatur. Duplex esse potest : (a) quando aliquid aversamur ut *nobis* vel *nostris malum*, habetur odium quod dicitur *abominationis;* hoc directe opponitur amori concupiscentiæ; sicut enim concupiscimus aliquid *nobis* bonum, ita abominamur quidquid *nobis* est malum. (b) Si alicui personæ *volumus malum*, quatenus *ipsi* malum est, habetur odium *inimicitiæ* seu *malevolentiæ*, quod directe adversatur amori amicitiæ seu benevolentiæ.

Jamvero *odium Dei* hoc duplici modo committi potest : aliquando enim homines Deum aversantur, eique indignantur, quia talem actionem prohibuit, aut pœnas peccantibus infligit, vel adversitates immittit[1] : est odium *abominationis*. — Quandoque autem Deo volunt malum, odio videlicet *inimicitiæ;* v. g. *contristantur* de eo quod est omniscius, aut omnipotens vel justus; *optant* ut Deus non sit, aut non sit omnipotens; ejus *gloriam externam minuere* satagunt, Ecclesiam persequendo, justos opprimendo.

Tale odium haberi, etiam nostris diebus, *historiâ* et *experientiâ* constat. In sacris Litteris pluries commemorantur *inimici Dei*, qui Deum et Christum *oderunt*[2]; hodie vero dantur qui ipsum Dei nomen penitus deleri vellent, ideoque juniores atheismum, aut monismum vel positivismum docent, qui proclamant Deum esse malum, et contra eum acerbe blasphemant vel ei maledicunt[3].

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 34, a. 1.

[2] *Num.*, X, 35; *Deut.*, XXXII, 41; Ps. LXXIII, 23; *Joan.*, XV, 24.

[3] Ita, in conventu massonico an. 1903 habito, *F.·. Delpech* exclamabat : " Les Dieux se meurent : les populations, enfin désabusées,

757. (B) Odium Dei est peccatum *intrinsece* malum, et quidem *per se* omnium *gravissimum*, quia directe opponitur perfectissimæ virtuti, videlicet caritati, et injuriam facit infinitæ Dei bonitati. Parvitatem materiæ non admittit, ideoque, dummodo sit deliberatum, est peccatum mortale ex toto genere suo.

Si simul comparentur duæ species superius distinctæ, gravius est peccatum *inimicitiæ* quam peccatum *abominationis*, quia prius adversatur *internæ* Dei bonitati, dum posterius *externæ* ejusdem manifestationi.

CONCLUSIO :

DE MEDIIS IN AMORE DEI PROFICIENDI [1].

758. 1° Cum *inordinatus amor suiipsius* divino amori contrarietur, necesse est imprimis hunc inordinatum amorem minuere et paulatim eradicare, ut in amore Dei tuto progredi valeamus.

Quare nutrimentum caritatis est imminutio cupiditatis, et tantum in caritate proficimus quantum amorem proprium deprimimus. Hinc qui Christi discipulus vult esse, primum seipsum abnegare debet, juxta illud [2] : " Si quis vult post me venire, abneget semetipsum ". Quæ quidem verba præclare exponit pius scriptor libri *de Imit. Christi :* " Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est; et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est... adhuc multum sibi deest, scilicet unum, quod summe sibi necessarium est. Quid illud? Ut omnibus relictis *se relinquat*, et *a se totaliter exeat nihilque de privato amore retineat*, cumque omnia fecerit quæ facienda noverit, nil se fecisse sentiat [3] ". Ad quod præstandum, in memoriam revocentur quæ de superbiæ remediis diximus, n. 519-521.

---

sont contraintes de reconnaître, à la lumière des faits certains, que les dieux, pas plus le Christ que Boudha et Mahomet, n'ont tenu les promesses faites aux humanités par les prêtres ". (Ap. *P. Nourrisson*, les Jacobins, p. 253). In ephemeride *La Raison*, 28 febr. 1904, hæc scribebat E. D., pædagogus : " Faisons une politique de vrais apaches, *écrasons l'infâme* " (*Correspondant*, 25 juin 1904, p. 1027). Et hæc inter multa !

[1] *S. Bonavent.*, Stimulus amoris (Opera, ed. *Vivès*, t. XII, p. 631-703); *De Imit. Christi*, lib. III, c. 5-6; *S. Fr. de Sales*, op. cit., l. V-X; *Scaramelli*, Directorium, Tr. IV, art. 3, c. 3-4; *Gay*, op. cit., Tr. XII, de la Charité envers Dieu; *Faber*, The Creator and the Creature, *gallice* redditum, Le Créateur et la créature, l. II.

[2] *Matth.* XVI, 24. — [3] *De Imit.*, l. II, c. 11, n. 4.

759. 2° Frequenter etiam *considerare* debemus *motiva* quæ voluntatem ad divinum amorem inflammare valent. *Psychologice* ita procedi potest : Deus est *amator* nostri, — Deus *vult* a nobis *amari*, — Deus est *infinite amabilis*.

(A) Deus est *amator nostri*. Ab æterno videlicet nos dilexit, de nobis singulis cogitavit, ac nobis benefacere voluit : inter innumera possibilia nos selegit ut ad existentiam perduceret. Tempore opportuno nos creavit, et quidquid entis, quidquid boni nobis inest, in ordine cum naturali tum supernaturali, gratuito et benigne largitus est, " non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quæ creaturis impertitur [1] ".

Cum vero, per peccatum originale, bona supernaturalia amissa fuerint, sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, eâ fide quæ per caritatem operatur, per eum salvetur. Dilexit nos eo tempore quo per peccatum eramus filii iræ et inimici ejus, et quidem certo prævidens multos fore qui ipsum contemnerent. Jamvero sic nos amantem quis non redamaret? — Præterea considerari possunt Christi labores doloresque pro nobis patienter tolerati, præsertim vero ea omnia quæ in horto Gethsemani, necnon in cruce amanter passus est; nonne enim, dum Christum crucifixum contemplamur, cum Ecclesiâ exclamare possumus [2] : " Omnis enim figura ejus amorem spirat et ad redamandum provocat : caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum? " Ex amore autem Christi facile ad amorem Dei ascendimus.

His aliisque ejusmodi cogitationibus fovetur amor *gratitudinis*, qui, si non est amor caritatis, ad eum facile ducit (supra, n. 742).

760. (B) Deus *vult a nobis amari :* (a) huc enim spectat præceptum superius expositum, n. 750, quo jubemur Deum amare ex totâ mente, ex toto corde, ex totis viribus : tali enim præcepto, quod est primum et maximum, luculenter ostendit quanti faciat amorem nostrum, et quam ardenter cupiat a nobis amari. Unde exclamat *Augustinus* [3] : " Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? " (b) Idem colligitur ex *promissis*, *comminationibus*, *beneficiis* et *pœnis* quibus ad

[1] *Vaticanum*, sess. III, cap. 1.

[2] Breviar., in festo Sept. Dolorum, respons. ad 1^am^ lect.

[3] *S. August.*, Confess., lib. I, c. 5, P. L. XXXII, 663.

sui amorem Deus populum suum allicere conatur : ita, apud Prophetas, se comparat *benefactori*, qui, pro innumeris beneficiis quæ contulit, gratitudinem et dilectionem enixe flagitat; *patri*, qui vult a filiis amari; *sponso*, qui amorem sponsæ postulat. Diligentibus se remissionem peccatorum, bonaque temporalia et spiritualia promittit; diras e contra pœnas minatur iis qui amorem suum contemnunt[1].

(c) Quod desiderium vividius adhuc expressit, proprium Filium mittendo in terram, qui, majestatem suam velando, et humanitatis nostræ infirmitates induendo, benignitate suâ nos allicit ad divinum amorem : " Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri[2] ". Quod motivum præclare urget *Joannes*, dilectionis apostolus[3] : " In hoc apparuit caritas Dei in nobis quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum... Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos ". (d) Revera Christus ipse ad divinum amorem nos provocat, asserens Deum diligere eos qui ipsum diligunt, et in corde eorum jucunditer manere[4]. " Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ". Discipulos suaviter hortatur ut ipsi intimo affectu conjuncti maneant, sicut palmes viti insertus manet[5] : " Ego sum vitis, vos palmites... Manete in dilectione meâ ".

Exinde facilis est transitus ad amorem Dei, non solum gratitudinis, sed etiam amicitiæ : " Sic nos amantem quis non redamaret? "

761. (C) Ex his facile intelligitur Deum esse *in se infinite amabilem*. Fide enim novimus quidquid pulchri et quidquid boni creaturis inest nonnisi imperfectum esse vestigium divinæ pulchritudinis et bonitatis. Quare, si quid sancti, si quid heroici, si quid potentis et benigni in aliquo homine miramur, id totum in Deo invenitur, sine ullâ imperfectionis admixtione, et quidem gradu infinite perfectiori. Si igitur creaturarum pulchritudine aut bonitate ad amorem allicimur, quanto magis divinâ perfectione? Pariter si amor dotibus objecti amati proportionari debet, nonne modus supremum bonum amandi est illud sine modo diligere? — Et hic est proprie amor *complacentiæ*, cui mox succedit amor

[1] Ita v. g. *Isai.*, I, 2-31; V, 3-30; *Jerem.*, II, 2-37; III, 1-5; XXXI, 1-39; *Ezech.*, XX, 1-44; *Joel*, II, 1-29, etc.

[2] *Tit.*, III, 4. — [3] *I Joan.*, IV, 9, 19. — [4] *Joan.*, XIV, 23.

[5] *Joan.*, XV, 5, 9; integer locus attente legatur.

benevolentiæ, posteaque amor *beneficentiæ*, seu zelus ad Dei gloriam promovendam.

Quod præclare declarat *Augustinus;* voluptatem et felicitatem in creaturis quæsierat; sed ad meliora tandem reversus, Deum sic alloquitur[1] : "Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te... Quid es ergo, Deus meus? quid rogo, nisi Dominus Deus... Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime et justissime, secretissime et præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis; immutabilis, mutans omnia; nunquam novus, nunquam vetus; innovans omnia, et in vetustatem perducens superbos, et nesciens; semper agens, semper quietus; colligens, et non egens; portans, et implens, et protegens; creans, et nutriens, et perficiens; quærens, cum nihil desit tibi. Amas, nec æstuas; zelas, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod invenis, et nunquam amisisti... Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta... Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi!"

762. 3° Caritas vero præsertim augetur *frequenti exercitio* actuum amoris : (A) *Explicite*, eliciendo videlicet actus *gratitudinis* erga Deum insignem benefactorem, et erga Christum, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis; actus *complacentiæ*, de attributis divinis gaudendo eaque laudando; actus *benevolentiæ*, optando videlicet ut sanctificetur nomen Dei, et regnum ejus adveniat, et voluntas ejus fiat sicut in cœlo et in terrâ; actus *beneficentiæ*, totis viribus gloriam Dei promovendo; actus *perfectæ contritionis*, peccata detestando, quia Deum infinite bonum offendunt[2].

763. (B) *Implicite*, actus eliciendo aliarum virtutum, qui *caritate informentur;* v. g. actus *obedientiæ*, qui, teste *Scripturâ*, vere dilectionis actus merito habentur : "Si diligitis me, mandata mea servate... Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me"[3]. — Idem dici potest de quâlibet actione christianâ; oratio, labor, studium, sui abnegatio, mortificationes quæcumque, propter amorem Dei peractæ, dilectionis meritum consequuntur (supra, n. 149), ideoque caritatem augent.

---

[1] *S. August.*, Confess., lib. I, cc. 1, 4; lib. X, c. 27, P. L., XXXII, 661, 662-663, 795.

[2] Quos actus jam supra descripsimus, n. 745. Cfr. *S. Fr. de Sales*, op. cit., l. V et VI.

[3] *Joan.*, XIV, 15, 21; cfr. *I Joan.*, II, 4; V, 3.

Imo, cum ex voluntate divinâ, officia statûs adimplere teneamur necesse est ut vitæ activæ operam demus, et amorem nostrum *operibus* ostendamus ex caritatis factis[1]. — Ita etiam communia opera fiunt jucundiora, si ex amore peragantur, juxta *Augustinum*[2] : " Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo quid ametur. *Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur* ".

Inter hæc opera eminent opera caritatis erga proximum, quæ ad ipsum amorem Dei maxime conferunt.

Art. II. De Caritate erga proximum.

Prænotanda de caritate erga seipsum.

764. Deum recte diligere nequimus quin ejus *opera* diligamus, ea præsertim in quibus magis perfecte elucet divina bonitas, videlicet creaturas intellectuales, quæ ad Dei imaginem et similitudinem conditæ sunt, angelos et homines. Prætermissis angelis et beatis, de quibus agitur ubi de communione sanctorum, agendum manet de hominibus viatoribus. Jamvero diligere debemus *nosmetipsos* et *proximum*.

765. De *amore sui* non datur *explicitum* præceptum, quia, ut notat *Augustinus*, homini præcepto non opus est ut se diligat[3] : " Ergo, quoniam præcepto non opus est ut se quisque et corpus suum diligat... restabat ut et de illo quod supra nos est, et de illo quod juxta nos est, præcepta sumeremus ". *Implicite* tamen hanc dilectionem Christus

[1] Ad rem *S. Vincentius a Paulo* : " Aimons Dieu, mais que ce soit aux dépens de nos bras; que ce soit à la sueur de nos visages; car bien souvent tant d'actes d'amour de Dieu, de complaisance, de bienveillance et autres semblables affections d'un cœur tendre, quoique très bonnes et très désirables, sont néanmoins très suspectes quand on n'en vient pas à l'amour effectif... Plusieurs se flattent de leur imagination échauffée; ils se contentent des doux entretiens qu'ils ont avec Dieu dans l'oraison; ils en parlent même comme des anges : mais, au sortir de là, est-il question de travailler pour Dieu, de souffrir, de se mortifier, d'instruire les pauvres, d'aller chercher la brebis égarée, d'aimer qu'il leur manque quelque chose, d'agréer les maladies ou quelque autre disgrâce, hélas! il n'y a plus personne. " (Ap. *Abelly*, La vie de S. Vincent, Paris, 1891, t. I, ch. 19, p. 124-125.)

[2] *S. August.*, De bono viduitatis, c. 21, P. L., XL, 448.

[3] *S. August.*, De doct. christianâ, c. 26, P. L., XXXIV, 29.

præcepit dicens[1] : " Diliges proximum tuum *sicut teipsum*". Naturaliter quidem homo amat seipsum; hic amor non est proprie amicitia, sed aliquid majus : amicitia enim unionem quamdam importat; " unicuique autem ad seipsum est *unitas*, quæ est potior unione ad alium; unde sicut unitas est principium unionis, ita amor quo quis diligit seipsum, est forma et radix amicitiæ : in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quod ad eos nos habeamus sicut ad nos ipsos[2] ".

766. Vi autem divini præcepti, homo seipsum diligere debet *supernaturaliter*, *propter Deum :* (A) imprimis *animam* suam, quæ a Deo creata est, per gratiam divinæ effecta consors naturæ, — necnon sanguine Christi redempta, — templum Spiritus sancti, — capax æternæ beatitudinis.

Unde ait *S. Thomas*[3] *:* " Et secundum hoc boni diligunt seipsos, quantum ad interiorem hominem, quia ipsum volunt servari in suâ integritate; et optant ei bona, quæ sunt spiritualia, et etiam ad ea assequenda operam impendunt, et delectabiliter ad cor porprium redeunt, quia ibi inveniunt et bonas cogitationes in præsenti, et memoriam præteritorum bonorum, et spem futurorum bonorum ex quibus delectatio causatur". Quare *salutem animæ* nostræ ejusque sanctificationem omnibus anteponere debemus : "Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis"[4]. *Virtutes* igitur christianas colere debemus, et potius mori quam fœdari; ideoque *opera bona* et meritoria agere, potiusquam pecunias congerere : " Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur "[5]. *Gratiam* proinde, mediaque ad eam servandam atque augendam majoris æstimare debemus quam temporalia adjumenta. — *Unum* timere debemus, *peccatum* prout de *Chrysostomo* retulimus, n. 471.

767. (B) *Corpus* pariter propter Deum diligere debemus; est enim *animæ instrumentum* ad honorem Deo præstandum, et opera bona peragenda : " Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo "[6]; — necnon *templum Dei*, per redemptionem

[1] *Matth.*, XXII, 39. — [2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 25, a. 4.
[3] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 25, a. 7. — [4] *Matth.*, VI, 33.
[5] *Matth.*, VI, 19-20. — [6] *Rom.*, VI, 13; cfr. 19.

sanctificatum, et *capax* alicujus *beatitudinis*, quæ ex animâ gloriosâ in corpus resuscitatum redundabit : " An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?.... Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro"[1]. — " Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale"[2].

Sed, ut res ita se habeat, carnis concupiscentiam et inordinata desideria mortificare debemus, ne secus ad illicita trahamur, et damnationem incurramus : " Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam "[3]. Quare Apostolus proprium corpus castigabat, ne ad peccatum alliceretur[4] : " Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar ".

768. Contra amorem sui *peccant :* (a) per *excessum*, qui *egotismo* indulgent, privatum commodum inordinate quærentes, Dei et proximi bonum prætermittendo : " Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi "[5]. Possumus quidem quærere nostra, sed *non exclusive*[6] *:* " Nemo quod suum est quærat (id est tantummodo), sed quod alterius ".

(b) Per *defectum*, bona exteriora ita diligendo, ut spiritualia contemnantur : ita enim bonum corporis animæ bono præfertur, contra rectam rationem divinumque præceptum : " Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam "[7]; — vel etiam bona fortunæ ita æstimando, ut saluti et vitæ corporis anteponantur ; — aut a fortiori vitam corporalem, per *suicidium*, propriis manibus auferendo[8].

De his omnibus nonnisi breviter, quia in decursu Theologiæ Moralis fusius evolvuntur.

De caritate erga proximum tria expendemus : 1° *præceptum* caritatis ; 2° *opera* caritatis, præsertim quæ *socialia* dicuntur ; 3° *peccata* contra caritatem.

---

[1] *I Cor.*, VI, 19-20. — [2] *I Cor.*, XV, 42-43. — [3] *Colos.*, III, 5.
[4] *I Cor.*, IX, 27. — [5] *Philip.*, II, 21. — [6] *Cor.*, X, 24. — [7] *Matth.*, X, 28.
[8] De suicidio, de curâ proprii corporis, etc. diximus *De Justitiâ*, n. 288-310.

§ I. De præcepto caritatis erga proximum.

I. De existentiâ hujus præcepti.

769. Thesis : **Datur speciale et grave præceptum diligendi proximum amore supernaturali, tum affectivo tum effectivo.**

Declaratur. (A) Hic agitur non de amore *sensuali*, quo proximus diligitur propter externas dotes quæ sensibus placent, — nec de amore *mere intellectuali*, quo diligitur propter animæ dotes quibus præditus est; — sed de amore *supernaturali*, quo diligitur propter Deum, quatenus videlicet divina perfectio in creaturâ rationali resplendet. Ita *divina bonitas* vere est *motivum* cur proximum diligamus; ita apparet quomodo amor Dei et proximi ad eamdem virtutem referatur : idem est enim utriusque motivum. Exinde etiam sequitur amorem proximi ex amore Dei necessario profluere : ubicumque enim divina bonitas invenitur, ibi amari debet; jamvero omnes homines ad visionem beatificam vocantur, ideoque ad supernaturalem participationem divinæ naturæ; hanc quidem jam *inchoative* possident per gratiam sanctificantem; si vero in statu peccati versantur, capaces manent justificationis, quamdiu vivunt, et quâ tales diligi possunt ac debent.

Ad quod melius intelligendum, sciendum est proximum triplici modo diligi posse propter Deum : (a) quatenus est *opus Dei*, tum naturale tum supernaturale, ad ejus gloriam spectans, sicut pictura confert ad gloriam pictoris; (b) quatenus *divina bonitas* a proximo *participatur*, in eo elucet, eumque amabilem reddit; peccatores etiam hoc modo amamus, quia filii Dei sunt, non quidem actu, sed *potentiâ;* (c) in quantum proximus *a Deo amatur :* amicitia enim amicos ita efficit unanimes, seu unius voluntatis, ut quidquid unus amat, alter etiam amet.

770. *Controvertitur* autem utrum *participatio divinæ naturæ*, quatenus *inhæret creaturæ* intellectuali, sit motivum sufficiens caritatis. Nonnulli quidem, ut *Vasquez*[1], contendunt amorem, huic tantum creatæ participationi innixum, ad virtutem caritatis proprie non pertinere, sed ad inferiorem quemdam amorem supernaturalem, quo proximus diligitur propter bona supernaturalia quibus

[1] *Vasquez*, in 3 part. S. Thom., disp. 98, c. 2; *Lessius*, de Justitiâ, l. II, c. 36, n. 23.

ornatur. Sed, cum *Suarez* aliisque[1], putamus hunc amorem ad virtutem caritatis spectare; nam, etiam ea bonitas, quæ per gratiam justis inhæret, est divina bonitas, a Deo procedens, et ad eum tendens, ideoque diligi potest propter Deum.

771. (B) Amor ille supernaturalis debet esse non solum *affectivus*, sed etiam *effectivus* : (a) *affectivus*, consistens scilicet in illis actibus *complacentiæ* et *benevolentiæ*, quibus de dotibus proximi gaudemus, eique bona supernaturalia sincere exoptamus; (b) sed etiam *effectivus*, nos inclinans ad *beneficentiam*, id est ad omnes actus misericordiæ, quibus proximum juvare valemus.

772. (C) Nomine *proximi* intelligi debent omnes *creaturæ rationales*[2], *æternæ beatitudinis capaces*, videlicet : (a) qui inseparabiliter sunt Deo uniti per visionem beatificam, angeli atque sancti in cœlo regnantes; (b) qui indefectibiliter sunt amici Dei, etsi æternam beatitudinem nondum adepti, quales sunt animæ in purgatorio detentæ; (c) qui amici Dei vere sunt, quamvis defectibiliter, ut justi in terrâ; (d) qui divinam amicitiam adipisci valent, etsi eâdem careant, ut peccatores, hæretici, infideles, quamdiu vivunt. — Excluduntur ab hâc amicitiâ supernaturali qui irreparabiliter Dei sunt inimici, quales sunt dæmones et damnati[3].

773. **Probatur.** 1° *Scripturâ.* Notandum est tamen legem caritatis non fuisse *plene* in *Veteri* Testamento promulgatam, sed nonnisi in *Novo* suam perfectionem attigisse.

(A) In lege *mosaicâ* (a) non solum reprobantur odium et vindicta, sed præcipitur proximi dilectio, et quidem propter Deum, cum aliquo tamen discrimine inter *concives* et *alienos*. "Non oderis *fratrem tuum* in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ *civium tuorum*.

[1] *Suarez*, de Caritate, disp. I, sect. 3; *Salmant.*, disp. II, dub. 4; *Bouquillon*, n. 411.

[2] Amari quidem possunt in *irrationalibus* creaturis *naturales* dotes quæ in eis effulgent, et a Deo procedunt : hic autem amor ad supernaturalem caritatem non spectat. Attamen, per scalam creaturarum, ad Deum ipsum ascendere valemus. Cfr. *Bellarminus*, De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum.

[3] Minime tamen prohibetur in eis diligere quidquid naturaliter boni Deus contulit et reliquit.

Diliges *amicum* tuum sicut teipsum. Ego Dominus"[1]. Hic non agitur de omnibus hominibus, sed de fratribus, concivibus et amicis, id est de membris hebraicæ societatis; tunc enim temporis magnum discrimen instituebatur inter *concives* et *alienos*. Attamen quædam benevolentia commendatur erga *advenas*, qui inter fines Judæorum commorantur : diligi debent non ut fratres, sed *quasi* concives essent: "Si habitaverit advena in terrâ vestrâ, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei; sed sit inter vos *quasi* indigena, et diligetis eum *quasi* vosmetipsos; fuistis enim et vos advenæ in terrâ Ægypti. Ego Dominus Deus vester"[2].

(b) *Beneficentia* erga pauperes, et omnes qui in aliquâ necessitate versantur, sæpe jubetur : "Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ; idcirco ego *præcipio* tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terrâ"[3]. Mutuam opem sibi præstare debent Judæi quoad res amissas : "Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum; duces in domum tuam et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus et recipiat"[4].

(c) Inter opera beneficentiæ recensetur *mutuum sine auctario* : "Non fœnerabis *fratri* tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed *alieno*. Fratri autem tuo absque usurâ id quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo"[5]. Ibi etiam nota discrimen inter *fratres* et *alienos*.

(d) *Viduæ*, *orphani*, *cæci*, *claudi*, *aliique* hujusmodi speciali misericordiâ digni sunt : "Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum; et indignabitur furor meus"[6]; — "Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum"[7].

(e) Præterea quædam *legalia privilegia* egenis concedebantur[8]. Ita modica pars segetum in quolibet agro pauperibus servabatur, qui insuper remanentes spicas colligendi jus habebant : "Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ (*hebraice* non tondebis *totum* agrum, sed *angulum* quemdam pauperibus reservabis); nec remanentes spicas colliges"[9]. —

[1] *Levit.*, XIX, 17-18.

[2] *Levit.*, XIX, 33-34; cfr. *Exod.*, XXII, 21; XXIII, 9.

[3] *Deut.*, XV, 11. — [4] *Deut.*, XXII, 1-2; cfr. *Exod.*, XXII, 4-5

[5] *Deut.*, XXIII; 19-20; cfr. *Exod.*, XXII, 25.

[6] *Exod.*, XXII, 22-23. — [7] *Levit.*, XIX, 14; cfr. *Deut.*, XXVII, 18.

[8] *Many*, ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible, t. I, 1245-1247; *Lallemand*, Histoire de la Charité, Paris, Picard, 1902, p. 16-28.

[9] *Levit.*, XIX, 9.

Pariter, anno sabbatico qui quolibet septimo anno occurrebatur, terra inculta manebat, fructusque sponte nascentes erant *communes*[1], et ad pauperes sublevandos præcipue conferebant; idem servabatur anno *jubilæi*, qui quolibet quinquagesimo anno recurrebat[2]. — Insuper, quolibet tertio anno, decima pars fructuum dabatur viduis, pupillis ceterisque pauperibus[3].

774. (B) In *Novo Testamento* lex caritatis completur et perficitur, quatenus *omnes* diligere jubemur, etiam *inimicos*, absque distinctione Judæi et Græci; *modoque perfectiori*, omnes amando *sicut* Christus dilexit nos, et *quia* Christum ipsum in aliis diligere debemus.

(a) Id sane constat ex *oratione montanâ*, ubi Christus ait : "Audistis quia dictum est : oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram"[4]. Videlicet, apud Judæos[5] et Gentiles multos, vigebat lex *talionis*, non a privatis quidem hominibus applicanda, sed â magistratibus; Christus nos docet injurias patienter tolerare, quin vindicta per judices quæratur.

Pergit Dominus : "Audistis quia dictum est : diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos"[6]. Scriptura nullibi commendabat odium inimicorum; sed ex eo quod quædam tribus *exteræ* exterminatæ fuerant a Judæis[7], et quia sacri scriptores de lapsu et confusione impiorum quandoque gaudebant[8], non pauci rabbini odium erga inimicos ut legitimum approbabant. Dominus autem jubet nos diligere omnes, etiam inimicos eisque benefacere, ut ita Patrem nostrum cœlestem imitemur. Neque amor ad solos concives, sed etiam ad Græcos et Barbaros extendi debet : "Non enim est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum"[9]. Ex iisdem textibus patet motivum, propter quod fratres diligere debemus, esse quia Deus est omnium cœlestis Pater.

775. (b) Eos diligere tenemur *modo perfectiori* quam antea, videlicet sicut Christus ipse dilexit nos : "Mandatum

[1] *Levit.*, XXV, 2-7. — [2] *Levit.*, XXV, 8-12. — [3] *Deut.*, XIV, 28-29.
[4] *Matth.*, V, 38-39. — [5] *Exod.*, XXI, 24-25; *Levit.*, XXIV, 19-22.
[6] *Matth.*, V, 43-45. — [7] *Deut.*, VII, 1-11; XX, 12-18. — [8] *Ps.* VII, 5-7; LIII, 7.
[9] *Rom.*, X, 12; cfr. *Galat.*, V, 6; VI, 15.

novum do vobis, ut diligatis invicem *sicut dilexi vos*, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem"[1]. Christus autem dilexit nos, ita ut tradiderit animam suam pro nobis; quare, si velimus *perfectam* caritatem colere, " et nos debemus pro fratribus animas ponere " [2], id est nosmetipsos abnegare ut bonum proximi, præsertim spirituale, procurare valeamus. Quo facilior evadat tam perfecta caritas, Christus declarat quidquid minimo fratrum confertur, haberi tanquam ipsi Christo collatum : " Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, *mihi* fecistis " [3].

776. (c) Hæc autem caritas non solum *affectu* et *verbis*, sed *opere* exhiberi debet.

Ita sane constat ex ipsis verbis quibus supremus judex electos et reprobos alloquitur : priores regnum Dei possident quia pauperibus cibum, potum, vestimentum aliaque hujusmodi præbuerunt; reprobi e contra damnantur, quia hæc opera caritatis non peregerunt[4]. Ex quo etiam apparet caritatis opera quædam sub gravi præcepta fuisse. Quare *Jacobus* merito ait : " Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum "[5]. Nec aliter *Joannes*[6] : " Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere et veritate ". — Rem ita intellexerunt primi christiani, de quibus dicitur[7] : " Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia ". Hæc bonorum communitas non erat quidem de præcepto[8], sed ostendit quam perfecte caritas in ecclesiâ hierosolymitanâ coleretur.

(d) Quæ quidem omnia præclare contrahit Apostolus, caritatis egregias dotes sic describens[9] : " Caritas patiens est, benigna est; caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ".

---

[1] *Joan.*, XIII, 34-35. — [2] *I Joan.*, III, 16. — [3] *Matth.*, XXV, 40.
[4] *Matth.*, XXV, 34-46. — [5] *Jacob.*, I, 27; cfr. II, 2-8 et 14-19.
[6] *I Joan.*, III, 17-18. — [7] *Act.*, IV, 32.
[8] *Act.*, V, 4. — [9] *I Cor.*, XIII, 4-7.

777. 2° Scripturæ doctrinam confirmant et evolvunt *Patres*, fraternam caritatem commendantes, eleemosynæ præceptum sæpe inculcantes, aliaque beneficentiæ opera promoventes.

(a) Ita *S. Cyprianus* fraternam caritatem laudat[1] : " Caritas fraternitatis, vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quæ et spe et fide major est, quæ et opera martyrii præcedit, quæ nobiscum semper æterna apud Deum in regnis cœlestibus permanebit ". Ad rem etiam *Augustinus*[2] : " Quapropter, fratres, sectamini caritatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine quâ dives pauper est, et cum quâ pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima". Paulo post exponit verba Apostoli superius allegata de caritatis excellentiâ et dotibus.

778. (b) De *eleemosynâ* sæpe loquuntur Patres. *S. Cyprianus* integrum habet tractatum de opere et eleemosynis[3]. *S. Ambrosius* refert etiam vasa sacra confracta et vendita fuisse ad captivos redimendos, idque contra arianorum invidiam omnino approbat : " Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. Nonne dicturus est Dominus : cur passus es tot inopes fame mori? Et certe habebas aurum, ministrasses alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercio sunt, nec redempti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut vasa viventium servares quam metallorum ". Narrat pariter quomodo sanctus martyr *Laurentius* pauperibus thesauros Ecclesiæ distribuerit, atque judici interroganti ubi essent thesauri quos tradere promiserat, ostenderit pauperes dicens : Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Quod his verbis declarat[4] : " Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus fides est... Quos meliores thesauros habet Christus quam eos in quibus se esse dixit? " — Christum ipsum in pauperibus latentem, diligendum et juvandum esse egregie declarat *Fortunatus*[5] :

> " *Pascere se credens Christum sub paupere formâ*,
> Ante omnes apud hunc sumpsit egenus opem,
> Nec solum refovens, sed dona latendo ministrans,
> Amplius inde placet quod sine teste dedit ".

Pauperes etiam tanquam *filii* habebantur; *Hieronymus* enim de Paulinâ loquens, quæ multos sublevabat pauperes, eosque viro

---

[1] *S. Cypr.*, De bono patient., c. 15, P. L., IV, 632.
[2] *S. August.*, sermo CCCL, P. L., XXXIX, 1534.
[3] *S. Cyprian.*, lib. de opere et eleemosynis, P. L., IV, 601-622.
[4] *S. Ambros.*, De officiis, l. II, c. 28, n. 140, P. L., XVI, 141.
[5] Ap. *Le Blant*, Inscript. chrétiennes, t. II, n. 645.

Pammachio reliquerat, huic scribit : " Quot Romæ sunt pauperes, *tot filios repente genuisti* " [1].

Ad urgendum vero eleemosynæ præceptum, Patres sæpius docent divites esse veluti *æconomos* et *dispensatores* divitiarum Dei, ita ut si pauperibus necessaria tradere nolint, furti et rapinæ rei sint : " Esurientis est panis, quem tu detines : nudi est pallium quod tu in arcâ servas : discalceati calceus, qui apud te putrescit : indigentis argentum quod defossum habes. Quare quot hominibus dare potes, tot infers injuriam " [2].

Nec tamen omnibus indiscriminatim eroganda est eleemosyna, sed iis qui vere sunt indigentes, beneque rebus datis utuntur. Sic, in *Constitutionibus* quæ *apostolicæ* dicuntur, erogari non debet iis qui mali, invidi, ebriosi aut pigri sunt, ne præmium vitio detur [3].

Pariter *Chrysostomus* vetat ne sumptibus Ecclesiæ alantur viduæ quæ in furtis, cauponis aliisque similibus turpiter agentes deprehensæ sunt : " Nam quis unquam velit pecunias, quas Christo dare jussus est, iis largiri, qui Christi nomini calumniam pariunt ? Ideoque multo et accurato scrutinio est opus, ut neque illæ, neque aliæ, quibus res familiaris sufficere potest, tenuiorum mensam absumant " [4]. — Non autem a caritate excluduntur qui ad aliam gentem vel religionem spectant : " Quodcumque enim Dei est, in nostrâ usurpatione commune est, nec quisquam a beneficiis ejus et muneribus arcetur; quominus omne humanum genus bonitate ac largitate æqualiter perfruatur " [5].

(c) *Alia* pariter *caritatis opera* promoventur, qualia sunt visitatio infirmorum et incarceratorum, captivorum redemptio, servorum emancipatio, viduarum et orphanorum cura, etc. [6] Qua-

[1] *Hieronym.*, ep. 66 ad Pammach., n. 4, P. L., XXII, 641.

[2] *S. Basilius*, homil. in illud Lucæ : *Destruam*, etc., P. G., XXXI, 278; cfr. *S. Ambros.*, De Nabuthe lib. unus, P. L., XIV, 747; *S. August.*, in Ps. 147, P. L., XXXVII, 1922; *S. Gregor. Nyss.*, De pauperibus amandis, P. G., XLVI, 466; *S. Chrysost.*, in ep. I ad Corinthios, homil. 10, c. 3, P. G., LXI, 86. Doctrinam Patrum hâc de re contrahit *C. Guignebert*, Tertullien (thèse), Paris, Leroux 1901, p. 308-350. — Hos Patres non esse tamen socialismi fautores probavimus, *De Justitiâ*, n. 84-86.

[3] Constit. apostol., II, 1-63; III, 4-6.

[4] *S. Chrysost.*, De sacerdotio, l. III, c. 16, P. G., XLVIII, 655.

[5] *S. Cyprianus*, De opere et eleemos., c. 25, P. L., IV, 620.

[6] De quibus vide *L. Lallemand*, Histoire de la charité, t. II, Paris, 1903, cum multis auctoribus ibi allegatis. Hæc caritatis opera non mirari non potuerunt ipsi rationalistæ, ut *Lecky* History of European Morals, London and New York, ch. IV, ubi fatetur nihil simile unquam inter paganos inventum fuisse : " The high conception that has been formed of the sanctity of human life, the protection of infancy, the elevation and final emancipation of the slave classes, the suppression of

propter *diaconi* et *diaconissæ* (seu viduæ non minus sexaginta annorum), in quâlibet ecclesiâ instituebantur, ut pauperum, orphanorum, viduarum, puellarum, etc. curam gererent. *Collectæ* quâlibet die dominicâ fiebant, quo abundantius omnium necessitatibus subveniretur.

779. Quam Scripturæ et Patrum doctrinam egregie contrahit *Leo XIII*, qui motiva fraternæ caritatis heris et opificibus ita proponit : " Sentient enim et intelligent omnes plane homines a *communi parente Deo* procreatos ; omnes ad *eumdem finem* bonorum tendere, qui Deus est ipse, qui afficere beatitudine perfectâ atque absolutâ et homines et angelos unus potest ; singulos item pariter esse Jesu Christi beneficio *redemptos* et in dignitatem *filiorum Dei* vindicatos, ut plane necessitudine fraternâ cum inter se tum etiam cum Christo Domino, *primogenito in multis fratribus* contineantur".

Et hæc satis de caritate *in genere;* quousque vero se extendat præceptum inimicos diligendi et eleemosynam erogandi, ex sequentibus patebit.

II. De extensione hujus præcepti.

Quæstio expendi potest quoad *dilectionem inimicorum, eleemosynam, fraternam correptionem* et *ordinem* in caritate servandum.

1° *De dilectione inimicorum.*

770. Status quæstionis. Ex generali præcepto caritatis, 1. 769, *tenemur inimicos diligere dilectione communi. Inimici* autem dicuntur qui nos odio prosequuntur, vel aliquam offensam injuriamve nobis intulerunt, aut etiam ii quos, ob quamdam *antipathiam* aliudve motivum, naturaliter aversamur. Eos diligere humanæ infirmitati valde *arduum* videtur, sed per gratiam *possibile* evadit. Non jubemur quidem eos diligere, *quia* sunt inimici, sed *quamvis* sint inimici ; nec eorum *vitia* aut *defectus* amare, sed, non obstantibus his vitiis, ipsos amare propter dotes quas Deus eisdem contulit et conferre intendit, ideoque propter Deum et Christum. Neque agitur de *affectu sensibili*, qui a voluntate non pendet, sed de amore vero quo his volumus bonum.

---

barbarous games, the creation of a vast and multifarious organisation of charity, and the education of the imagination by the christian type, constitute together a movement of philanthropy which has never been parralleled or approached in the pagan world. (T. II, p. 100, 3rd ed., New York, 1891).

Præceptum vero tria præsertim complectitur : ut *vitentur odium* et *vindicta*, *injuriæ condonentur* ideoque exhibeantur *communia dilectionis signa*, et quæratur *reconciliatio.*

781. (A) De vitando odio. (a) Odium *abominationis*, quod versatur non circa ipsam personam, sed circa ejus *dotes*, non est semper et per se malum; sed bonum vel malum est, prout qualitas ipsa quæ odio habetur est mala vel bona.

Ita *licet* in proximo odisse peccatum, v. g. ejus superbiam, aut invidiam, vel luxuriam. Ex adverso *graviter per se illicitum est* odisse naturales aut supernaturales dotes quæ proximo insunt, puta ejus sapientiam, humilitatem, castitatem. Nam, ut ait *S. Thomas*[1], "amor debetur proximo secundum id quod a Deo habet, id est secundum naturam et gratiam; non autem ei debetur amor secundum quod habet a seipso et diabolo, scilicet secundum peccatum et justitiæ defectum".

782. (b) *Odium inimicitiæ erga ipsum proximum est peccatum ex genere suo mortale;* leve tamen esse potest, non solum propter imperfectam deliberationem aut volitionem, sed etiam propter *parvitatem materiæ*, v. g. si quis nonnisi exiguum malum proximo velit.

Hujusmodi odium sic reprobat *Joannes :* "Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus[2]... Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est; et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem"[3]. Imo statuit impossibile esse diligere Deum, nisi proximus diligatur[4] : "Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere".

Ratio est quia inimici nostri non desinunt esse filii Dei, ad cœlestem beatitudinem vocati, Christi sanguine redempti, ideoque ejusdem membra[5], et, etiamsi forte peccaverint, per gratiam converti possunt et inter sanctos connumerari. Si igitur eos oderimus, non solum non imitamur Patrem nostrum qui facit solem suum oriri super bonos et malos,

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 34, a. 3. — [2] *I Joan.*, II, 11.

[3] *I Joan.*, III, 14-15. — [4] *Ibid.*, IV, 20.

[5] "Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra". (*Rom.*, XII, 5). Cfr. *Bossuet*, Serm. sur la charité fraternelle, t. III, p. 181, ed. *Lelarcq*.

sed ei aperte contradicimus, eos odio prosequendo quos ipse diligit, malumque optando iis quibus benefacere non desinit.

783. *Corollaria.* (a) Non licet igitur proximo, etiam inimico, optare aliquod malum nisi ut majus malum vitetur, nam optare malum quod majori bono non compensatur, nihil aliud est nisi alicui velle malum ; si vero malum non optatur nisi ad vitandum majus malum, eo ipso volumus alicui bonum.

Ita nemini, nec etiam Ecclesiæ persecutori, possumus æternam damnationem optare, quia hoc malum nullo bono sufficienter compensari potest. Neque desiderari potest mors alicujus personæ, ad ejus capessendam hæreditatem[1]; ordo enim caritatis postulat ut vita proximi præferatur emolumento temporali proprio vel alieno. — Licite vero homini pravo optatur aliquod malum *temporale*, v. g. tribulatio, morbus, jactura aliquot bonorum, quo facilius ejus bonum *spirituale*, seu conversio, promoveatur. Pariter gaudere possumus de morte peccatoris *scandalosi*, non in quantum est malum illius, sed ne amplius sit causa ruinæ spiritualis aliorum. Communiter etiam dicitur licite desiderari, ob bonum commune, mortem hæresiarchæ vel persecutoris, ne alios in errorem aut peccatum inducat. Sed melius est *conversionem* postulare, juxta illud[2] : "Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a viâ suâ et vivat". Quare nonnisi conditionaliter peti potest mors impii, posito quod videlicet, secundum Dei scientiam, nullum aliud sit medium scandalum tollendi.

Illicita est igitur cupiditas *vindictæ privatæ*, ubi auctoritas civilis jam ordinate constituta est; sed licitum est optare, justitiæ et publicæ securitatis zelo, ut sontibus a legitimâ auctoritate, post diligens et æquum judicium, infligatur pœna delicto proportionata : id enim nihil aliud est nisi velle ut ordo in societate servetur.

784. (b) *Maledictio*, quâ alicui malum imprecamur, contra

[1] Huc pertinent propositiones 12, 13, 14 ab Innocentio XI, 2 mart. 1679, damnatæ (*Denzing.*, n. 1030-1032; *Viva*, in has proposit.) : "Si cum *debitâ moderatione* facias, potes absque peccato mortali *de vitâ* alicujus *tristari*, et de illius *morte naturali gaudere*, illam inefficaci affectu *petere* et *desiderare*, non quidem ex displicentiâ personæ, sed *ob aliquod temporale emolumentum.* — Licitum est *absoluto desiderio cupere mortem patris*, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, *quia* nimirum *ei obventura est pinguis hæreditas.* — Licitum est filio gaudere de *parricidio parentis* a se *in ebrietate* perpetrato, *propter ingentes divitias* inde ex hæreditate consecutas".

[2] *Ezech.*, XXXIII, 11.

ordinem caritatis, est *peccatum grave ex genere suo;* nihil enim est nisi externa manifestatio alicujus interni odii. — Præterea maledictio quæ fit coram aliis, *detractionis* malitiam induere potest; si fiat ipso inimico præsente, est *contumelia* (*De Justitiâ*, nn. 374, 397).

785. **Notandum pro praxi.** Etsi odium sit *ex se* peccatum grave, sæpe tamen pænitentes qui peccata odii accusant, gravis peccati non sunt rei : quandoque enim agitur de naturali *antipathiâ* seu animi aversione, quæ non est plene voluntaria; quandoque odio habentur defectus vel pravæ actiones, non autem ipsa persona. Si orare consentiunt pro conversione aut profectu eorum quos ita aversantur, inquietandi non sunt. — Pariter *maledictiones*, etiam ex se graves, sæpe a mortali excusantur, quia ex irâ vehementi proferuntur, absque sufficienti advertentiâ aut perfecto consensu, magis ad terrorem injiciendum, quam cum serio desiderio ut mala hujusmodi vere accidant.

786. **(B) De condonatione injuriarum et signis dilectionis.** (a) *Regulariter tenemur proximo, etiam inimico, ex interno affectu, condonare injurias* nobis illatas, ut possimus et ipsi veniam nostrorum delictorum consequi, juxta illud : " dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ".

(b) Tenemur itaque inimicis *communia exhibere dilectionis signa et beneficia*, qualia scilicet christianus christiano, civis concivi, sacerdos sacerdoti, consanguineus consanguineo dare solet; hæc enim denegare esset signum odii et vindictæ. — Excipe tamen si rationabilis sit causa hæc ad tempus denegandi, v.g., in emendationem filiorum aut subditorum, vel ob fundatum timorem ne inimicus in suâ malitiâ obstinatior fiat, dummodo interius non desit caritatis affectus. — Denegatio communium signorum caritatis est *per se* grave peccatum, quando ex interno odio procedit, aut causa est gravis scandali; sæpe tamen a mortali excusatur propter bonam fidem, quia multi putant se ad hæc signa non teneri, quando injuriam passi sunt.

Possumus autem, in signum justi doloris, inimico denegare *specialia* dilectionis signa : cum hæc enim non debeantur omnibus, minime tenemur ea exhibere inimico, qui non est melioris conditionis quam ceteri.

Omni tamen laude digni sunt qui, Christi sanctorumque vestigiis inhærentes, specialia dilectionis et benevolentiæ signa inimicis exhibent : "Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus (id est urentes pœnitentiæ gemitus, juxta Augustinum). Noli vinci a malo; sed vince in bono malum"[1].

Licet pariter satisfactionem exigere pro injuriâ illatâ, et restitutionem pro damno causato, dummodo id fiat, non ex odio aut vindictâ, sed ex sincero justitiæ amore. Quâ de re *litigantes* prudenter et opportune monendi sunt; et si res *pacifice* componi potest per arbitros, quin ad tribunal recurratur, id multo magis christiani caritati consentaneum est[2].

787. **Practicæ conclusiones.** (a) Cum debeamus modo generali pro omnibus orare, non licet inimicos a communibus orationibus excludere. Christus enim, in oratione dominicâ, docuit nos orare pro omnibus, et, nedum inimicos excludi velit, alibi dixit[3] : "Orate pro persequentibus et calumniantibus vos". Etsi non teneamur *speciatim* pro eis orare, id opportune consulendum est, quoties secus odium deponi nequit.

(b) Non licet inimicos excludere a communibus eleemosynis, — ab expositarum mercium venditione, — aliisve contractibus qui cum omnibus indiscriminatim ineuntur.

(c) Inimicum salutare non tenemur nisi forte in loco ubi mos obtinet omnes indiscriminatim salutandi; si hic vero prior salutat, eum resalutare debemus : alias enim eum contemnere censemur. Nec stricte tenemur ægrotum inimicum invisere, mœstum solari, ipsum hospitio recipere, cum hæc sint specialia amoris signa; sed verus Christi discipulus hanc opportunitatem arripiet benigne cum inimico agendi, ut eum sibi conciliet.

788. **(C) De reconciliatione faciendâ.** Quando per odium, aut per injuriam disrupta fuit amicitia, quærenda est *reconciliatio*, juxta hæc Salvatoris verba : "Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te (id est justam querelam), relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum"[4].

---

[1] *Rom.*, XII, 20-21.

[2] "Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? ... Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?" (*I Cor.*, VI, 1-5).

[3] *Matth.*, V, 44.

[4] *Matth.*, V, 23-24. Nota vocem *ibi*, in ipsâ arâ, tempore incœpti sacrificii; porro "imperfectum relinquere sacrificium magnum piaculum habebatur", ait *Maldonatus* in h. loc.

(a) Quoad *ordinem* in reconciliatione servandum, regulariter ille qui alterum offendit, tenetur prior reconciliationem quærere sive per se, sive per amicum. Si ex utrâque parte offensio intercesserit, ille prior reconciliationem petere debet qui *gravius* alterum offendit, et, si fere æqualis est mutua offensio, ille qui *prius* offendit. In praxi vero, cum haud raro cuique persuasum sit se esse prius aut gravius offensum, utrique suadendum est ut reconciliationem incipiat; et quidem *quamprimum* moraliter, ne secus odium crescat; aliquando tamen expedit paulisper rem differre, quo facilius ira deponatur.

789. (b) Aliunde qui læsus fuit, tenetur inimico reconciliationem quærenti injuriam condonare : "Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra"[1].

(c) Reconciliatio fieri potest veniam petendo, aut amicali colloquio[2], variis officiis aut beneficiis mutuo præstitis, vel priorem amicitiam gradatim instaurando. Notari tamen debet non stricte exigi antiquæ amicitiæ plenam redintegrationem : familiaris enim amicitia nulli debetur, et, quando existit, propter legitimam causam dissolvi potest. — Ad veram reconciliationem maxime conducit mediatio amici, qui utrique parti acceptus est; hoc munus præsertim *sacerdoti* competit, qui, vi muneris sui, omnibus fidelibus sibi commissis acceptus esse debet.

Dilectio inimicorum et condonatio injuriarum multis videntur quid arduum esse, imo et impossibile. Cogitent beatum *Stephanum*, qui pro inimicis lapidantibus deprecatus est, et ita Paulum ad veram fidem perduxit; sed præsertim *Christum* in cruce pendentem et pro persecutoribus orantem : "Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt[3]". Et, si ipsi peccaverint, in memoriam revocent se quotidie dicere : "Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris"; nisi igitur condemnari velint, benignè aliis injurias condonent.

2° *De eleemosynâ.*[4]

790. **Notio et obligatio.** (A) Non sufficit *affectu* omnes diligere, etiam inimicos, sed dilectionem *effectu* et *opere*

[1] *Matth.*, VI, 14-15.

[2] Sæpe inimicitiæ oriuntur ex falsâ verborum aut factorum interpretatione, quæ plerumque ex honesto et sincero colloquio evanescit.

[3] *Luc.*, XXIII, 34.

[4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 32; *Suarez*, de Caritate, disp. VII; *Billuart*, disp. V; *S. Alphons.*, n. 31-33; *Bouquillon*, n. 481-496; *Ball. P.*, n. 193-215 ; *Bourdaloue*, Sermon pour le 1er Vendredi de Carême, sur l'Aumône.

exhibere debemus per *beneficentiam*. Quæ quidem beneficentia, quando erga *miseros* exercetur, *misericordia* dicitur. Cum proximi miseria possit esse *corporalis* et *spiritualis*, opera misericordiæ alia sunt corporalia, alia vero spiritualia.

De prioribus hic agitur, mox de spiritualibus dicturi, ubi de fraternâ correptione. Inter opera misericordiæ corporalia recensetur præsertim *eleemosyna*, de quâ adest speciale præceptum, ut jam dictum est; de eâ nunc agendum est, ad definiendum quousque præcipiatur : de operibus caritatis socialibus infra dicemus. Eleemosynæ autem nomine intelligimus *quodlibet beneficium corporale, indigenti ex commiseratione præstitum, ad ejus inopiam sublevandam.*

(B) Præceptum esse eleemosynam faciendi ex superiori thesi constat; sed quousque se extendat jam determinare oportet. Porro modo generali præceptum obligat quoties hæc duo simul concurrunt : *vera necessitas* ex parte indigentis, et *moralis possibilitas* ex parte dantis, quatenus hic bona possidet de quibus disponere potest : " Est aliquod tempus in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat; ex parte quidem *recipientis*, cum apparet evidens et urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat; ex parte vero *dantis*, cum habet *superflua*, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest " [1].

791. Ad quod melius intelligendum, triplex necessitas distingui solet : (a) *extrema necessitas*, in quâ desunt necessaria vitæ, aut periculum certum imminet amittendi bona pretiosiora quam bona fortunæ, v. g. periculum amittendi membrorum integritatem, valetudinem, libertatem, castitatem. Huic accedit *quasi extrema necessitas*, quando quis versatur in periculo *valde probabili* amittendi vitam aut unum e præfatis bonis. (b) *Gravis* dicitur necessitas, in quâ proximus notabilem bonorum jacturam, aut amissionem statûs valde probabiliter passurus est, nisi alieno juvetur auxilio. (c) *Communis* tandem vocatur necessitas ea in quâ versantur ordinarii pauperes, qui, nisi juventur, satis molestam vitam agunt, quanquam necessaria sibi providere valent. — Quibus positis, hæc statuenda videntur.

792. **Regulæ practicæ.** (A) *Proximo, in extremâ aut quasi-extremâ necessitate constituto, sub gravi succurrendum*

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 32, a. 5, ad 3.

est, modo fieri possit sine damno vere magno. Si enim caritas aliquando sub gravi obligat, sane quando proximus in præfatâ necessitate versatur. — Ceteroquin, secundum ordinem divinæ Providentiæ, bona terræ ad subveniendum hominis necessitatibus primario ordinata sunt; ideoque si proximus in extremâ necessitate versatur, jus habet ad consequendum quidquid ipsi necessarium est ad propriam sustentationem (*De Justitiâ*, n. 446).

Nemo tamen tenetur proximo succurrere ex bonis *propriæ vitæ aut familiæ necessariis :* non enim adest obligatio alios diligendi plus quam seipsum aut propriam familiam.

Neque stricta est obligatio mediis utendi *extraordinariis* ad subveniendum proximo; ita non tenemur, propriis expensis, ægrotum brevi in patriâ moriturum, mittere in longinquam regionem, ut ibi salubriorem inveniat aerem : hoc enim est medium extraordinarium ad quod nullus generatim obligatur, etiam propriæ vitæ salvandæ causâ. — Nec adest obligatio magnam erogandi pecuniæ summam pauperi, ut operatione chirurgicâ extraordinariâ possit ejus vita salvari, tum propter idem motivum, tum quia hodie sunt hospitalia, ubi hæ operationes gratis, aut saltem pro minori pretio, perficiuntur.

Iis qui in præfatâ necessitate versantur, stricte loquendo, tantum dare sufficit quantum requiritur ad eorum necessitatem hic et nunc sublevandam; unde si *usus* rei sufficiat, satis est eam commodare, quin ipsa res donetur : ita si *usus* alicujus vehiculi aut equi sit necessarius, non est obligatio res ipsas donandi. — Quando familia quædam diu in quasi-extremâ necessitate reperitur, unus idemque dives non tenetur huic omnia præbere necessaria, quando alii sunt qui eidem subvenire possunt; sufficit ut partem suis opibus proportionatam conferat. Revera, in societatibus hodiernis, multa sunt caritatis instituta ad has necessitates alleviandas.

793. (B) *Proximo, in gravi aut communi necessitate constituto, aliquando succurrendum est ex bonis superfluis; et quidem sub mortali quando agitur de gravi necessitate.*

Divites non tenentur quidem *omnibus* subvenire qui in gravi aut communi necessitate versantur, sed solum *quibusdam;* neque eorum indigentiæ *totaliter* providere, quando alii sunt divites qui his succurrere possint; sed *partem bonorum superfluorum* pauperibus, præsertim in gravi necessitate

constitutis, largiri debent. "Nemo certe, ait *Leo XIII*,[1] opitulari aliis de eo jubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios : immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personæ conveniat, quodque deceat : nullus enim inconvenienter vivere debet[2]. Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus : " quod superest, date eleemosynam " [3].

Quæ quidem obligatio gravis est, cum, teste Christo, æternæ damnationis rei sint qui respuunt cibum, potum, vestimentum, hospitium dare pauperibus[4]. — Mortaliter igitur peccant qui *nunquam* eleemosynam præbent, vel *omnes* pauperes indiscriminatim repellunt.

794. Quid vero nomine *superfluorum* veniat, et *quamnam* superfluorum partem dare necesse sit, facile determinari nequit. *Superflua* dici possunt bona quæ ad suam suorumque decentem sustentationem necessaria non sunt[5]. Sed nemo non videt hæc non posse communi regulâ definiri : multa enim hac in re sunt attendenda : necessitates non solum præsentes, sed futuræ, quæ scilicet probabiliter obventuræ sunt, v. g. ex senectute aut laborandi incapacitate, ex diminutione redituum, ex familiæ incremento, filiorum educatione et dotatione, etc. Imprudens sane esset qui ad futuris necessitatibus providendum, suas opes moderate augere negligeret.

Insuper *non omnia superflua* sunt pauperibus eroganda; pars quædam debet seponi ut industria, commercium, agricultura promoveantur : ita enim totius gentis progressus fovetur, atque communitatis opes augentur, faciliusque pauperes sublevantur; ita ex viarum ferrearum multiplicatione fere impossibilis evadit fames in excultis gentibus, quia facile frumenta ex unâ regione in aliam transvehuntur. — Hodie insuper multa sunt *opera publica beneficen-*

[1] Encycl. *Rerum Novarum*, 16 maii 1891.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 32, a. 6. — [3] *Luc.*, XI, 41.

[4] *Matth.*, XXV, 41-46.

[5] Theologi communiter distinguunt bona *necessaria vitæ* et *necessaria statui :* priora requiruntur ad se suosque tuendos contra extremam necessitatem, et quæ remanent dicuntur *superflua vitæ;* posteriora dicuntur ea sine quibus non potest aliquis decenter vivere familiamque sustentare secundum suam statum, et quæ manent vocantur *superflua status*, seu superflua *simpliciter*.

tiæ a privatis, Statu, et Ecclesiâ instituta, in quibus pauperum, orphanorum, senum, ægrotorum necessitatibus providetur; qui igitur taxas solvunt, aut collectis pro piis operibus aliquid conferunt, officium caritatis aliquomodo adimplent.

795. **Conclusio practica.** Fideles igitur omnino *hortandi* sunt ad *liberaliter partem* superfluorum pauperibus aut piis operibus erogandam, quin hæc pars *mathematice* definiatur : plus enim valent hortationes hujusmodi, verbis Christi et Patrum innixæ[1], quam stricta determinatio officii graviter incumbentis, quæ sæpe impossibilis est.

Ceteroquin caritas debet esse : (a) *prudens*, ut scilicet fiat *vere pauperi*, non autem otioso qui paupertatem simulat[2], eoque tendat ut pauperem reddat habilem, in quantum fieri potest, ad laborandum et mox sibi sufficiendum; (b) ideoque *satis abundans* ut pauperes vere subleventur, atque comparare valeant non solum necessaria ad seipsos pro præsenti die sustentandos, sed etiam laboris instrumenta quibus postea se suosque nutrire valeant; (c) *velox*, seu *prompta*, ut sit opportuna, ne secus pauperes in abjectam cadant miseriam et in desperationem : "Ne dicas amico tuo : vade et revertere, cras dabo tibi; cum statim possis dare"[3]; (d) quoad intentionem, *secreta, humilis, supernaturalis :* "Cum ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi"[4].

3° *De correptione fraternâ*[5].

796. Præceptum caritatis non solum ad opera misericordiæ corporalia, sed etiam ad *spiritualia* extenditur, quæ septem communiter recensentur[6] : *docere* ignorantes, præsertim quoad res ad salutem necessarias; *consilium dare* dubi-

[1] Præter opera Patrum superius allegata, cfr. *Bossuet*, Sermon sur l'éminente dignité des pauvres, t. III, p. 117-136, éd. *Lebarcq; Mgr Pie*, Inst. pastorales sur l'urgente nécessité de l'aumône (Œuvres, t. II et IV).

[2] Hodie, in multis regionibus, societates institutæ sunt ad detegendos falsos pauperes, eos præsertim qui paupertatem fingunt ut divites evadant; ita in *Gallia* societas dicta *Office central des Œuvres de bienfaisance*, 175 boulevard St-Germain, Paris.

[3] *Prov.*, III, 28. — [4] *Matt.*, VI, 2-4.

[5] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 33; *Suarez*, disp. VIII; *Billuart*, diss. VI; *S. Alphons.*, n. 34-42; *Bouquillon*, n. 462-477; *Ball. P.*, n. 216-239.

[6] "*Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora*".

tantibus; mœstos *consolari;* acceptam *injuriam condonare;* molestos *patienter tolerare;* pro vivis et defunctis *orare;* delinquentes *corripere.* Hic de solâ *correptione fraternâ* agendum, quippe quæ sola specialem præ se fert difficultatem.

Hæc autem definiri solet *admonitio, delinquenti proximo privatim facta, ad ejus emendationem.* — Differt proinde a *judiciali* correptione, quæ a *judice* procedit, ad *puniendum* delinquentem, ob bonum *commune.*

797. (A) **De obligatione fraternæ correptionis.** *Datur præceptum naturale et divinum, per se grave, correptionem fraternam faciendi proximo graviter delinquenti, quibusdam positis conditionibus.*

(a) Hoc præceptum jam inculcat *Ecclesiasticus*[1] : "Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : non feci; aut, si fecerit, ne iterum addat facere; corripe proximum, ne forte non dixerit; et si dixerit, ne forte iteret." Christus autem non solum ipsam correptionem, sed etiam ordinem in eâ sequendum ita præscribit[2] : "Si autem peccaverit (in te) frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus."

Quæ quidem verba lucide exponit *Augustinus*[3] *:* "Ideo debemus amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi... Si neglexeris (corripere), pejor es. Ille injuriam fecit, et injuriam faciendo gravi se ipsum vulnere percussit : tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel perîsse et negligis? Pejor es tacendo quam ille conviciando."

798. (b) Id suadet *ratio naturalis.* Nam, si lege caritatis proximi miseriæ corporali subvenire tenemur, *a fortiori* ejus *spirituali* infirmitati, cum animæ vulnera multo pejora sint corporis vulneribus. Quapropter, si fratrem videamus

[1] *Eccli.*, XIX, 13-14.

[2] *Matt.*, XVIII, 15-17. — Verba *in te* desunt in codicibus *Vaticano* et *Sinaitico.* — Cfr. *II Thessal.*, III, 14-15.

[3] *S. August.*, Sermo LXXXII, P. L., XXXVIII. 506-514.

graviter peccato vulneratum, et jacentem in viâ, nonne debemus, boni Samaritani vestigiis inhærentes, ejus plagis spiritualibus mederi, eumque suavi admonitione hortari, ut, intellectûs cæcitate depulsâ, victisque pravis passionibus, a vitiorum cœno declinet, et ad virtutis semitam redeat?

Hinc quidam inter paganos *spiritualis custodis* necessitatem agnoverant, præsertim ad vincendam corruptelam quæ e pravis exemplis et colloquiis nascitur. Audias *Senecam*[1] : "Et ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit. Dum facit quisque pejorem, factus est : didicit deteriora, deinde docuit; effectaque est ingens illa nequitia, congesto in unum quod cuique pessimum scitur. *Sit ergo aliquis custos*, et aurem subinde pervellat, abigatque rumorem, et reclamet populis laudantibus. Erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci : supervenerunt, ingesta sunt. Itaque *monitionibus crebris*, convicia, quæ nos circumsonant, repellantur." *Plautus* pariter poetice idem docet[2] :

"Sed tu ex amicis certis mi es certissimus,
Si quid scis me fecisse inscite aut improbe,
Si id me non accusas, tute ipse objurgandus es."

799. (B) **De conditionibus ad correptionem requisitis.** Præceptum correptionis *sub gravi* non obligat, nisi positis quibusdam conditionibus, videlicet :

(a) Ut *certo moraliter* constet de peccato *gravi* commisso, aut de voluntate illud committendi. Si enim agitur de peccato *levi in se*, et relate ad personam, non est obligatio gravis proximum monendi, nisi certo prævideatur exinde culpam gravem secuturam esse; nam si levia delicta corrigere necesse esset, tota vita in admonitionibus consumeretur. — Pariter, si peccatum certo non constat, non adest stricta obligatio de eo diligenter inquirendi, nisi de superioribus agatur, qui curam habent communitatis, et subditorum moribus invigilare debent.

800. (b) Ut sit *spes vere probabilis emendationis* pro *delinquente* aut saltem *pro aliis*, sive *statim* sive *post aliquod tempus;* nemo enim ad inutile tenetur.

Correptio proinde non obligat quando prævidetur eam esse nocituram, delinquentem impellendo ad nova et graviora peccata, aut saltem nemini profuturam. Hinc generatim *ignotum* corripere non expedit, quia vix in hoc casu emendatio sperari potest. Si inutilis

[1] *Seneca*, ep. ad Lucil., XCIV; cfr. ep. XXII, LII.
[2] *Plautus*, in Trinunmo, Act. 1, sc. 2, V. 95-97.

prævidetur quoad ipsum peccatorem, sed *aliis profutura*, qui secus pravis exemplis aut consiliis ad grave peccatum inducerentur, eam negligere non licet. — Si vero incertum maneat utrum profutura sit an nocitura, ab eâ abstinendum est.

Proinde, si peccator jam emendatus est, aut in eo est ut brevi emendaturus sit, necesse non est eum corripere.

801. (c) *Ut sine magno corripientis incommodo fieri possit;* si enim v. g. famulus aut inferior serio timeat ne ex monitione grave sibi accidat damnum, ad eam faciendam non tenetur : lex enim non obligat cum tanto incommodo.

Quare *inferiores* raro admodum ad eam obligantur; *æquales* vero nonnisi deficientibus *superioribus* aut *amicis :* hi enim magis opportune et efficaciter, necnon cum minori incommodo, id præstant. Aliunde, licet omnes *per se* ad correptionem faciendam teneantur, primario tamen *superiores*[1] qui *ex officio* curam habent spiritualem inferiorum, quales sunt pastores, communitatum rectores, magistratus, etc.

Scrupulosi generatim ab hoc officio eximuntur, tum quia suam obligationem hâc in re facile exaggerant, tum quia ad hoc munus minus apti videntur : nam, propter animi anxietatem et perturbationem, necessariâ discretione plerumque carent.

802. (C) **De ordine in correptione servando.** Correptio fraterna cum *benignitate* facienda est, et sincerâ *humilitate*, cum et ipsi tentationibus et peccatis obnoxii maneamus : "Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne et tu tenteris.[2]" Quod quidem magis necessarium est, si de facto in eadem peccata inciderimus : tunc enim monitio non proderit, nisi coram Deo propriam agnoscamus culpam, simulque nostri emendationem sincere velimus.

Parcendum est igitur famæ proximi, quando peccatum est *occultum*, ideoque in correptione faciendâ sequendus est ordo a Christo præscriptus (n. 797). (a) Incipiendum est a monitione *secretâ :* "Vade et corripe eum inter te et ipsum solum"; forte enim, si publice eum arguas, "præ verecundiâ incipit defendere peccatum suum, et quem vis facere correctiorem, facis pejorem[3]." (b) Si vero privata correptio non profuerit, adhibeantur testes duo vel tres, ut

[1] "Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum præpositi, constituti sunt in ecclesiis, ut non parcant, objurgando peccata." (*S. August.* De Civit. Dei, l. I, c. 9, P. L., XLI, 23).

[2] *Gal.*, VI, 1.

[3] *S. August.*, sermo LXXXII, P. L., XXXVIII, 509.

hi quoque delinquentem hortentur ad resipiscentiam, et plurium auctoritate motus peccator, *pudore* aut *terrore* salutari injecto, ad meliorem frugem se recipiat. (c) Si necdum emendari velit, *Ecclesiæ* seu *superiori denuntietur*, ut hic majori cum auctoritate graviter peccatorem reprehendat, pœnam moderatam infligat, a loco vel officio amoveat, aut in eum specialiter invigilet. Quod tamen superior non præstabit nisi postquam reo opportunitatem præbuerit facta contra ipsum allegata cognoscendi, et seipsum defendendi : experientiâ enim constat aliquando multum amplificari delicta a delatoribus. (d) Si paternâ et secretâ correptione reus sufficienter emendatus non fuerit, et, ob bonum publicum, necesse sit delictum publice puniri, legitimus superior *judicialiter* procedere poterit, et, servato juris ordine, publicam sententiam publicamque pœnam proferre : hic ultimus gradus non est fraterna, sed *judicialis* correptio.

803. Exceptiones. Dantur tamen casus in quibus huic ordini licite derogatur, *delinquentem statim superiori denuntiando :*

(a) Si delictum sit *publicum*, quia in hoc casu peccator jus amisit ad famam, et aliunde bonum publicum statim correptionem postulat; (b) si, ratione boni publici, correptio efficax statim requiratur, nec obtineri possit sine recursu ad superiorem, v. g. si agatur de gravi damno quoad fidem aut bonos mores a communitate incurrendo[1]; (c) si, omnibus attentis, prævideatur correptionem inefficacem fore, nisi a superiore fiat; (d) si delinquens hâc in re juri suo renuntiaverit, v. g. religiosum ordinem libere ingrediens in quo, juxta regulam, denuntiatio delictorum directe superiori facienda sit; attamen, etiam in hoc casu, si certo constat fratrem perfecte emendâsse suum delictum, et relapsûs periculum non esse timendum, caritas postulat ut res non denuntietur superiori : tunc enim, ex principiis superius expositis, n. 800, non datur locus correptioni; caritas semper obligat ad subveniendum proximo cum minimo ejus damno[2].

804. Corollarium. Quando proximus, ex ignorantiâ invincibili, aliquod *materiale* peccatum committit, caritas aliquando postulat ut hic moneatur, videlicet :

(a) Si tale peccatum graviter nocet ipsi delinquenti, vel alteri, v. g. scandalum præbendo, rem alienam retinendo; (b) aut si Deum

[1] Ad rem *Lehmk.*, n. 614 : " In communitatibus, quando agitur de delicto nocivo, maxime si de periculo pervertendi plures, seu de communi damno gravi agitur : periculosa et inefficax generatim est privata admonitio, sed requiritur statim delatio rei ad Superiorem, qui viderit utrum paternâ admonitione an pœnâ malum potius avertat." Cfr. *Müller*, § 31, n. 6.

[2] *Ballerini P.*, n. 233-234.

inhonorat, puta si quis verba blasphema profert, quorum sensum ignorat. Quod tamen *opportune* ac *prudenter* fieri debet, id est positis conditionibus supra expositis, ubi de monitione, præsertim dummodo spes sit emendationis : secus peccatum mere materiale, formale fieret.

4° *De ordine in caritate servando*[1].

805. Caritas præcipit non solum opera præstanda, sed etiam ordinem in dilectione servandum sive quoad *personas*, sive quoad *bona*.

Quemdam ordinem inter diligenda esse statuendum sic exponit *S. Augustinus* : "Ille autem juste et sancte vivit qui rerum integer æstimator est : ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere quam seipsum. Item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum : quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, et potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit quâ fruimur Deo. Omnes autem æque diligendi sunt : sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quâdam sorte conjunguntur"[2]. Hæc verba, quæ summam catholicæ doctrinæ complectuntur, declarabimus exponendo ordinem sequendum quoad *personas* et quoad *bona* diligenda.

De ordine sequendo quoad personas diligendas.

Deum esse primo loco diligendum, patet ex superius dictis n. 752-753; sed quæstio est de ordine dilectionis inter homines servando. Jamvero principium generale est quemlibet teneri generatim *se magis diligere* quam *proximum*, ceteros vero homines plus minusve prout *Deo* et *sibi* sunt *propinquiores*.

806. (A) **De ordine inter amorem sui et proximi :** *Quisque ordinarie tenetur, ceteris paribus, seipsum magis dili-*

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 26; *Suarez*, disp. IX; *Billuart*, diss. IV; *S. Alphons.*, n. 25-27; *Bouquillon*, n. 415-435; *Ball. P.*, n. 152-168.

[2] *S. August.*, De doctrinâ christianâ, lib. I, c. 27-28, P. L., XXXIV, 35-36.

gere quam proximum. — Dico *ceteris paribus*, id est in *pari ordine* bonorum, et in *pari necessitate*, ut ex dicendis patebit.

Etenim (a) præceptum fraternæ caritatis his verbis continetur[1] : "Diliges proximum tuum sicut teipsum"; et ita dilectio sui statuitur tanquam regula dilectionis erga proximum; hoc autem supponit amorem sui esse quid magis notum et potius quam amorem proximi : regula enim est prior et potior quam regulatum. (b) Aliunde *psychologice* homo inclinatur ad se ipsum magis diligendum quam alios : sibi enim propinquior est quam alius (supra, n. 765); hinc Deum diligit ut principium omnis boni, seipsum tanquam divini boni participem, proximum vero ut consortem hujus participationis. Unde natum est axioma : *caritas bene ordinata incipit a semetipso.*

Attamen jubemur etiam proximum diligere *sicut et Christus dilexit nos*, ideoque in quibusdam casibus bonum proximi spirituale præferre debemus bono nostro temporali. Ad quod recte intelligendum, quædam traduntur regulæ.

807. Regulæ practicæ. (a) Quoad bona *spiritualia*, *non licet peccare*, etiam leviter, ad procurandum bonum temporale aut spirituale proximi : non sunt enim facienda mala ut eveniant bona. — Neque licet se exponere *periculo proximo* et *certo peccandi*, ad proximum juvandum, nisi periculum possit moraliter removeri oratione, voluntatis serio conatu, aliisve spiritualibus remediis; nam qui hujusmodi periculo se exponit, jam peccat, ex dictis in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 458. Notandum est tamen eos qui *ex officio* aliorum temporali aut æternæ saluti incumbunt, ut sacerdotes et medicos, speciali gratiâ juvari ad resistendum tentationibus in exercitio muneris occurrentibus, dummodo ipsi ad Deum frequenti oratione recurrant : hi igitur possunt et sæpe debent occasiones *ex se* proximas adire, dummodo spiritualibus remediis periculum peccandi remotum reddant.

Potest autem quis ac quandoque debet bona spiritualia utilia, sed non necessaria, dimittere aut saltem differre pro salute aut sanctificatione proximi, v. g. meditationem differre ad confessiones excipiendas; tunc enim non vere privatur bono spirituali, sed pro salute

[1] *Matt.*, XXII, 39.

animarum laborando, propter Deum, caritatem exercet, nec orare desinit; aliunde, post auditas confessiones, ad meditationem redire poterit.

Neque illicitum est cœlestis beatitudinis dilationem optare, ad diutius operam dandam animarum saluti; ita enim senserunt multi sancti, qui cum Apostolo dixerunt: "Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos"[1]. — Possumus pariter majora bona spiritualia aliis quam nobis expetere, sperantes ea in proximo ad majorem Dei gloriam cessura: id enim ex caritate erga Deum et humilitate procedit.

808. (b) Quoad bona *temporalia*, regulariter quisque tenetur *vitam temporalem propriam alterius vitæ præferre;* nam cuique præcipitur ut vitam suam servet, ideoque de eâ curet antequam aliis provideat.

Attamen haud raro licet aliorum vitam nostræ præponere: ob *bonum publicum*, v. g. si agitur de tuendâ vitâ viri qui Ecclesiæ aut Reipublicæ maxime utilis est, aut de communitate vel multitudine periclitante: nam bonum publicum anteponendum est privato. — Pariter propriam vitam *exponere* licet ad salvandam proximi vitam, propter *exercitium virtutis*, præsertim caritatis, quia actus heroicæ caritatis pluris valet quam vita temporalis; laudabile est igitur lue infectis inservire, in mare prosilire ad alium e fluctibus eripiendum, etiam cum propriæ vitæ periculo.

809. **(B) De ordine servando inter diversos proximos.** *Ceteris paribus, magis diligere debemus proximos qui Deo aut nobis sunt propinquiores.*

(a) Si agitur de amore *complacentiæ*, magis diligere debemus eos qui sunt *Deo propinquiores*, seu sanctiores; ita plus diligi debet vir sanctus quam parens improbus; nam amor complacentiæ, qui qualitatibus *jam possessis* innititur, proportionari debet virtutibus eorum quos diligimus.

(b) Si vero agitur de amore *affectivo* et *effectivo*, seu benevolentiæ et beneficentiæ, plus diligendi sunt qui nobis sunt propinquiores; hic enim agitur de bonis *nondum possessis*,

[1] *Philip.*, I, 23-24. Ita *S. Martinus:* "Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem"; de *S. Ignatio* (Breviar., 31 Jul., lect. 6) legitur: "Auditus aliquando dicere: si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo inservire, et proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriæ statim mori."

et rationi consentaneum est ut ea exoptemus aut conferamus iis quorum necessitatibus, ob speciale pietatis vel gratitudinis vinculum, magis stricte providere tenemur.

810. Propinquitas vero, quâ homines inter se conjunguntur, triplex esse potest : *carnalis*, quâ ratione *sanguinis* ad invicem connectuntur, prout sunt parentes et filii, vir et uxor, consanguinei, affines; — *civilis*, quâ inter se conjunguntur qui ejusdem societatis sunt membra, v. g. concives, commilitones, amici, socii, etc.; — *spiritualis* quando vi alicujus officii spiritualis inter se uniuntur, quales sunt superiores et inferiores, parochi eorumque subditi, confessarii et pœnitentes. — Jamvero, in quolibet conjunctionis genere, illi præferri debent qui sunt propinquiores in eodem genere; ita, in iis quæ pertinent ad naturam, consanguinei alienis præferri debent[1]; in rebus civilibus plus diligere debemus concives quam extraneos : in rebus spiritualibus, plus diligendi sunt qui intimiori vinculo conjuncti sunt.

Notandum est tamen haud raro intervenire speciales et extraordinarias circumstantias, quæ permittunt aliquam ordinis inversionem; ita, ratione specialis amicitiæ ceteroquin legitimæ, plus diliguntur amici quam consanguinei; pariter, inter consanguineos, aliquando plus diliguntur qui majora contulerunt beneficia, etsi minus propinqui. Non sunt vero inquietandi qui ita sentiunt, dummodo debitum amorem propinquioribus reddant.

De ordine servando quoad bona diligenda.

811. In ordinandâ caritate, attendendum est non solum ad personas, sed etiam ad *bona* quæ his personis procuranda sunt. *Primum* locum tenent bona *supernaturalia*, seu *spiritualia*, qualia sunt æterna beatitudo, mediaque ad eam consequendam necessaria, ut gratia et virtutes; *secundum* bona *naturalia*, sive mentis, ut animæ facultates, sive corporalia, ut vita, sanitas, etc.; tertium bona *externa*, ut honor, fama, divitiæ etc. — Quomodo, in diversis quæ occurrunt necessitatibus, sit proximo subveniendum quoad hæc diversa bona, jam statuendum est.

[1] Inter ipsos consanguineos diversus assignatur ordo, secundum diversos respectus. Ita, extra casum extremæ necessitatis, seu in *ordinariis necessitatibus*, juvandi sunt : uxor, filii, parentes, fratres et sorores, ceteri consanguinei juxta gradum consanguinitatis. — In *extremâ necessitate*, parentes *per se* uxori et filiis præferendi sunt. (*S. Thom.* 2. 2æ, q. 26, a. 9-11). Sed in praxi, ante factum, vix locus datur deliberationi, et, post factum, res ex dispositionibus subjecti dijudicanda est.

812. (A) *Homo tenetur plus diligere bonum supernaturale proximi quam bonum naturale proprium;* nam æterna beatitudo animæ longe præstat vitæ corporali bonisque externis, ideoque his anteponi debet. Quod fusius declarandum est : —

(a) Quando proximus in *extremâ necessitate spirituali* versatur, ita ut sine alieno auxilio æternam damnationem moraliter effugere nequeat, *regulariter quivis tenetur ei succurrere*, etiam *cum vitæ periculo.* Ita communiter. Ex dictis enim debemus fratres diligere, *sicut Christus dilexit nos;* porro hic dilexit nos ita ut animam suam pro fratribus posuerit; ergo, teste *Joanne*, "et nos debemus pro fratribus animas ponere" [1]. Etenim amissio vitæ temporalis, comparata cum amissione æternæ beatitudinis, leve malum est.

Aliquando, licet raro, occurrunt casus hujusmodi ; v. g. infans nondum baptizatus et brevi moriturus; adultus qui certo cognoscitur esse in peccato mortali, et moriturus est antequam moraliter valeat actum contritionis elicere : si enim facile talem actum elicere possit, jam sibi succurrere potest.

Sed, ut hoc præceptum urgeat, necesse est ut spes affulgeat valde probabilis eum juvandi, antequam moriatur; — ut gravius damnum spirituale inde non oriatur, (v. g. scandalum, aut impossibilitas alium sacerdotem inveniendi ad curandum de aliis ovibus) ; — et alius non sit qui possit ac velit eum juvare. — Nemo autem ab hoc retardetur cogitatione quod sit et ipse in statu peccati : actu enim heroico caritatis omnia delentur peccata.

813. (b) Si proximus versatur *in gravi necessitate spirituali*, id est nonnisi cum magnâ difficultate, sine alieno auxilio, salvari potest, non tenetur quis ei succurrere cum *gravissimo damno temporali*, nisi ad id obligetur ratione *officii* vel *boni publici.*

Cum enim proximus in hoc casu absolute possit, si velit, sine alieno auxilio, se a periculo damnationis liberare, nemo *stricte tenetur* morti aut gravissimo damno se exponere, quando ceteroquin ejus specialem curam non suscepit; hoc esset quidem heroicæ virtutis exercitium, sed minime præceptum est.

Secus dicendum est de iis qui *ex officio*, vi muneris sui, curam habent animarum, quales sunt pastores : hi enim,

[1] *I Joan.*, III, 16.

tale munus accipiendo, vi quasi-contractûs, obligationem susceperunt subditis ministrandi, etiam cum vitæ periculo, quando hi in gravi necessitate versantur : " Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis " [1]. Et sane si milites, medici, variique administratores periculum mortis subeunt, etiam ad temporale subsidium aliis præstandum, quanto magis ministri Dei pro ovibus sibi commissis vitam dare parati esse debent! — Hinc, tempore pestis aut publicæ calamitatis, non licet pastori gregem suum deserere, etiamsi alium sacerdotem idoneum substituat [2].

Idem dic in *gravi necessitate publicâ*, v. g. si quædam parœcia aut communitas careat sacerdote, aut in aliquo loco errores contra fidem spargantur : tali enim occurrente publico periculo, tenemur vitæ periculum subire ad fidem moresve populi tuendos : bonum enim publicum spirituale præferri debet vitæ temporali ; aliunde in necessitate gravi communitatis, vix fieri potest quod non sit necessitas extrema respectu aliquorum.

814. (c) In *communi necessitate spirituali*, a quâ videlicet quisque sine alieno auxilio absque magnâ difficultate se liberare potest, nemo tenetur ei cum magno damno succurrere; sed solum applicanda sunt principia superius tradita de fraternâ correptione.

815. (B) Tenemur *plus diligere proximum quoad bona corporalia quam nosmetipsos quoad bona externa;* nam vita aut sanitas corporis pluris facienda est quam pecunia. — Attamen, ad vitam proximi salvandam, non tenemur mediis uti extraordinariis, aut magnas expensas facere, ut jam expositum est, n. 792.

816. **Corollarium**. Quæ quidem omnia sic breviter contrahi possunt : (a) Bonum nostrum spirituale necessarium præferendum est omni bono proximi ; (b) bonum spirituale proximi necessarium anteponendum est bono nostro corporali, etiam propriæ vitæ; (c) bonum nostrum corporale regulariter præferre debemus bono corporali proximi : (d) inter diversos proximos, præferre tenemur, ceteris paribus, bonum proximi nobis magis conjuncti.

---

[1] *Joan.*, X, 11.

[2] *Benedict. XIV*, De Synodo, lib. XIII, c. 19, n. 2; cfr. *De Sacramentis in genere*, n. 105, *De Pœnitentiâ* (pars moralis), n. 365-36

§ II. De operibus caritatis præsertim socialibus [1].

817. Necessitas horum operum. Præter eleemosynam, de quâ superius actum est, multa sunt alia opera caritatis, quæ hoc versu comprehendi solent :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Septem recensentur : visitare infirmos, sitientibus potum dare et cibum esurientibus, captivos redimere, nudos vestire, peregrinos hospitio accipere, mortuos sepelire. Et hæc quidem sunt laudabilia. Hodie vero, propter sociales dissensiones, quæ inter heros et opifices vigent, et ob miserabilem multorum operariorum conditionem, opportuna imo et necessaria sunt opera quædam caritatis *socialia*, quibus dissidia inter divites et proletarios facilius componi possint, et melior effici opificum conditio.

Egregie hâc de re scripsit *Leo XIII;* post descripta officia justitiæ quæ heros simul et opifices obligant [2], exponit etiam *caritatis* officia quæ heri erga operarios, et divites erga pauperes exercere debent. (a) *Principii generalis* instar hæc proponit : "Quicumque majorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiæ divinæ, ad utilitates adhibeat ceterorum." (b) Postea speciatim agit de *miserâ opificum conditione*, quam meliorem reddere tenemur : "De *proletariis* nominatim vult et contendit ut emergant *e miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur.*" Quod quidem Ecclesia præstat primum coercendo "geminas vitæ pestes, quæ nimium sæpe hominem efficiunt in ipsâ opum abundantiâ miserum, *rerum appetentiam nimiam* et *voluptatum sitim.*" Pergit Pontifex : "Sed præterea, ut bene habeant proletarii, recta providet *instituendis fovendisque rebus*, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligat conducibiles." —

[1] *C. S. Loch*, Charity organization, London, 1890; *A. G. Warner*, American Charities, New-York, 1895; *Lefébure*, L'organisation de la charité privée en France, Paris, 1900; *id.*, Paris charitable et prévoyant, Paris, Plon, 1900; *M. du Camp*, La Charité privée à Paris, Hachette, 1886; *id.*, Paris bienfaisant, ibid., 1888; *E. Rostand*, L'Action sociale par l'initiative privée, Paris, 3 vol., 1892, 1897, 1902; *V. Brants*, Les grandes lignes de l'Economie polit., 4e édit. 1904, Louvain et Paris, t. II, p. 266-317; *Millot*, Que faut-il faire pour le peuple? Paris, Lecoffre, 1901.

[2] Encycl. *Rerum Novarum*, 16 maii 1891 ; cfr. *Graves de Communi*, 18 jan. 1901 ; Lettre *Notre charge apostolique* (Pie X, 25 août 1910).

Quænam sint instituta quæ hodie ad hanc proletariorum sublevationem magis conducant, in sequentibus exponemus.

818. **Principia generalia de his operibus.** Antea vero quædam principia generalia de his operibus exponere juvat: (a) *Egestatem prævertere multo magis expedit quam curare.* Quare caritas bene ordinata eo tendere debet ut pauperes *reddat habiles ad se suosque sustentandos*, educatione scilicet virili, christianâ et professionali, præbendo laboris media et opportunitates potiusquam eleemosynas; ita enim non solum efficacius præcavetur egestas, sed etiam promovetur laboris amor et personalis dignitatis conscientia. Pariter cavendum est ne, dum orphanis juvamen datur, opificibus noceatur, salarium infimum pro labore accipiendo [1].

(b) Omnino curandum est ut vere indigentibus subveniatur, quin tamen pigris et vagis [2], qui operari nolunt, præmium detur. Quare, antequam eleemosyna erogetur, inquirendum est de vero statu mendicorum, et, cum cuilibet privato difficile sit admodum de singulis serio inquirere, ubique promovendæ sunt *societates*, quarum speciale munus sit de his specialiter investigare; illæ vero societates quâdam *fœderatione* simul conjungi debent, quo facilius detegantur et denuntientur mendici qui falso se egenos dicunt [3].

---

[1] Ad rem *Cte d'Haussonville*, Salaires et misères de femmes, Paris, 1900, p. 42-43: "Si les dix ou douze congrégations qui tiennent, à Paris, tous les orphelinats, ouvroirs, patronages, s'entendaient entre elles... et si, au lieu de se disputer, comme elles font trop souvent, les commandes, au moyen de rabais, elles arrêtaient d'un commun accord, pour tous les articles, des prix au-dessous desquels elles ne travailleraient pas, comme, d'autre part, elles travaillent dans des conditions de régularité, de soin, de propreté qui sont très appréciées, les grands magasins finiraient par en passer par où elles voudraient, à condition toutefois que leurs exigences fussent raisonnables. Un syndicat des congrégations pourrait donc rendre de grands services en relevant les prix du travail féminin."

[2] De mendicis et vagis, mediisque institutis in variis regionibus ad eos emendandos aut puniendos, sapienter scripsit *L. Rivière*, Mendiants et Vagabonds, Paris, Lecoffre, 1902.

[3] In multis regionibus jam institutæ sunt societates hujusmodi; pro *Majori Britanniâ*, vide *C. S. Loch*, Charity organization, London, 1890; pro *Americâ*, *A. G. Warner*, American charities, New York, 1895; pro *Galliâ*, *Lefébure*, L'organisation de la charité privée en France, Paris, 1900.

819. (c) Vera caritas non solum temporalibus pauperum necessitatibus providet, sed etiam eos ad virtutum praxim inducit. Quapropter generatim *privata* beneficentia magis prodest quam *publica*, quia, dum hæc modo *officiali* de solâ corporali sublevatione cogitat, illa, *fraternâ* pauperum visitatione et curâ, horum educationem moralem et religiosam promovet.

Ad rem *Leo XIII* (l. cit.) : " Hodie quidem multi, quod eodem modo fecere olim ethnici, ad arguendam transgrediuntur Ecclesiam hujus etiam tam egregiæ caritatis : cujus in locum subrogare visum est constitutam legibus publicis beneficentiam. Sed quæ christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanæ nullæ reperientur. Ecclesiæ solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo Jesu Christi corde ducitur, nulla est uspiam : vagatur autem a Christo longius quicumque ab Ecclesiâ discesserit. "

Jamvero inter opera socialia, hæc præsertim commendari debent : 1° ea quæ bonam educationem promovent; 2° *consociationes inter ipsos opifices*, ad sua jura tuenda; 3° consociationes divitum, *ad operarios vel pauperes juvandos* sive corporaliter sive spiritualiter.

I. De operibus piis ad educationem spectantibus.

820. Præ mente semper habendum est optimam educationem eam esse quæ domi ab ipsis parentibus, quando honesti ac christiani sunt, præbetur. Haud raro autem evenit multos esse juniores utriusque sexûs qui a parentibus de facto non recte instituantur; sæpe enim maritus et uxor extra domum laborare debent, ad se suosque sustentandos, nec de filiorum educatione curare possunt; aliquando deficiunt opes ad eos alendos; aliquoties etiam parentes, vitiis addicti, natos derelinquunt, aut prave educant [1]. — Multa orphanotrophia antiquis et recentioribus temporibus ad his pusillis subveniendum instituta fuisse omnes nôrunt [2].

Sed hæc minime sufficiunt : necesse est ut iis qui domi retinentur, aut neutrales scholas frequentant, educatio christiana præbea-

[1] *G. Bonjean*, Enfants révoltés et parents coupables, Paris, Colin, 1895; *H. Joly*, L'Enfance coupable, Paris, Lecoffre, 1904.

[2] De variis institutis hujusmodi, in diversis gentibus et sæculis, erudite scripsit *L. Lallemand*, Histoire des enfants abandonnés et délaissés, Paris, Picard, 1885.

tur : quod fit in piis operibus quæ *patronatus* dicuntur[1]. Quando vero adolescunt juniores, et mox inter operarios sunt annumerandi, necessarium est ut *specialem educationem* accipiant, quâ contra socialistarum, agnosticorum aut materialistarum errores se tueri valeant : hæc tradi potest in illis consociationibus quæ dicuntur *studiorum circuli* (*cercles d'études*, *debating clubs*), aut *popularia instituta*[2] : ibi etiam pedetentim præparantur ad *syndicatus professionales* formandos.

His institutis, quæ directe ad moralem educationem spectant, alia jungi possunt quæ indirecte eamdem promovent, physicam educationem directe procurando. Ita, cum in magnis civitatibus, æstatis tempore, non pauci juvenes ad morbos contrahendos ex aeris insalubritate proni sunt, societates efformatæ sunt (*Œuvres des saines vacances*[3]), quarum ope non pauci ex eis puriorem aerem ruri anhelare valent, simulque moralem ac religiosam educationem accipere. Utinam hæc omnia opera, faventibus ac promoventibus devotis seminariorum alumnis ac sacerdotibus, necnon piis laicis, ubique multiplicentur !

Sed, ut finis intentus obtineatur, novaque instituatur opificum generatio, qui nonnisi legitimis mediis sua jura sapienter ac strenue vindicent, educatio in his variis institutis tradita, debet esse *christiana*, *virilis*, *professionalis*[4] :

821. (A) *Christiana*, id est eo tendens ut in junioribus opportune excolat *sensum religiosum* et *moralem*, veram ac solidam pietatem, necnon virtutes naturales et supernaturales, quæ necessariæ sunt ad christiane vivendum, finemque supernaturalem attingendum. Nemo igitur cogatur, sed exemplis et persuasione quisque suaviter inducatur ad religionem amplectendam et colendam. Quia hodie errores undique sparguntur, non solum recte exponantur, sed etiam solidis firmentur argumentis præcipua fidei nostræ dogmata, qualia sunt Dei existentia, animæ immortalitas, Christi

[1] *Max Turmann*, Au sortir de l'école, les Patronages, 3e éd., Paris, Lecoffre, 1901 ; *Gatouillat*, Patronages de jeunes gens, Troyes, 1899; *Schæffer*, Comment diriger nos patronages de jeunes filles, Paris, Lecoffre, 1905.

[2] *Max Turmann*, L'Education populaire, 2e éd., Paris, 1904, p. 57-80, 335, etc. — [3] *Max Turmann*, op. cit. p. 297.

[4] Educationem hujusmodi tradi in quibusdam orphanotrophiis exponit *G. Bonjean*, La Protection de l'Enfance abandonnée ou coupable, ap. *La Nouvelle Revue*, 1er fév. 1896; cfr. *P. Delay*, Les Œuvres de préservation et de réhabilitation, ap. *Correspondant*, 25 nov. 1903, p. 723, 10 déc. 1903, p. 936.

divina missio, Ecclesiæ auctoritas, etc. Adolescentes edoceantur quomodo communibus incredulorum difficultatibus pro captu suo respondeant, et in magis arduis, ad doctos recurrant. Inter ipsos quidam seligantur, acutiori intellectu et nobiliori ingenio præditi, qui specialem efforment societatem, *apostolico spiritu* imbutam, et alios juvenes verbis et exemplis ad pietatem virtutumque praxim alliciant : hi erunt veluti totidem *apostoli*, qui in propagandâ fide sacerdotes maxime juvabunt.

822. (B) *Virilis*, id est, eo tendens ut *animi fortitudinem* et invictum *voluntatis robur* præstet; ideoque pedetentim pueros in *viros* immutet, qui sibi sufficere valeant. Opifices siquidem variis exponuntur illecebris, sive interne ex passionibus, sive externe ex vano hominum timore diversisque occasionibus quibus ad malum alliciuntur; maxime igitur interest ut firmiter credant, suamque fidem exterius, absque jactantiâ et rubore, operibus manifestent; pariter ut, in virtute roborati, voluptatum illecebras despiciant, et pravis sociis strenue resistant. Quare gradatim edoceantur quomodo, gratiâ Dei juvante, viriliter agere valeant, inutiles peccandi occasiones fugiendo, in necessariis autem fortiter dimicando.[1] Eisdem exponatur quanta sit *consociationis* efficacia ad superandas difficultates et cujuslibet individui vires multiplicandas; et quam necessarium sit probos simul uniri, ut malorum contundant audaciam : ita enim, inter gravissimas tentationes in fide et virtute stabiles manebunt.

823. (C) *Professionalis*, quatenus efformet opifices in *suâ arte peritos*[2]; quo peritiores enim simul ac honestiores, eo

[1] "Obligée sans doute de préserver l'enfant de certains dangers supérieurs à son âge ou à ses forces, l'éducation n'a pourtant pas pour fin la préservation : ce qui serait la substitution de l'effort du maître à l'effort de l'enfant. Elle vise au contraire à former des énergies qui puissent se suffire à elles-mêmes et se garder elles-mêmes : il faut aider les faibles, mais arriver à les rendre assez robustes pour se passer d'aides... Un mot résume tout : notre éducation morale veut faire des hommes." (*Ackermann*, ap. *Congrès internat. du Patronage de la Jeunesse ouvrière*, 1900, Paris, 1901.) Cfr. *Guibert*, Le Caractère, Paris, 1905.

[2] "Oui, il est nécessaire de développer la formation professionnelle et de préparer le jeune homme à la coopération sociale. L'évolution industrielle oblige à l'un, l'évolution sociale impose l'autre : ce sont

pluris existimabuntur tum a sociis tum a dominis; quapropter majus salarium et nobiliora munera tempore opportuno consequentur. Nostris autem diebus omnino expedit ut eis tradantur palmaria principia scientiæ *socialis*, quo facilius socialistarum sophismata confutare valeant, et in collegiis opificum plurimum auctoritatis habere; ita enim moderate ac sapienter, *opportunis* ac *justis* mediis sua sociorumque jura tueri poterunt; ita etiam via parabitur concordiæ inter dominos et opifices.

Puellis autem detur educatio non speculativa tantum in litteris et artibus, sed *practica*, ut discant quomodo *rei domesticæ* attendere valeant, et *officia* sibi *propria* adimplere.

II. De consociationibus inter ipsos opifices fovendis.

824. Hodie, vi ineluctabilis *concurrentiæ* quæ ubique viget, operarii qui non sunt variis collegiis coadunati, sua jura vindicare nequeunt, sed mox effrænatæ competitorum cupiditati solitarii atque indefensi traduntur, ut ait *Leo XIII*, l. cit. Necesse est igitur ut, viribus consociatis, sua jura tueantur, suamque conditionem legitimis mediis gradatim meliorem reddant. Ad quod multum inservient variæ *consociationes :*

1° **Collegia opificum,** seu *syndicatus* (*syndicats professionnels, labor-unions*), de quibus actum est in *Tr. de Justitiâ*, n. 833-843. Ut autem hæc collegia vere utilia sint, necesse est ut, sepositis politicarum partium præjudiciis et passionibus, solummodo intendant, ac justis mediis prosequantur, bonum operariorum physicum, intellectuale ac morale. Ab his proinde non arceantur viri probi et catholici, sub vano prætextu quod his collegiis foventur dissidia inter heros et opifices. Si enim soli acatholici has societates ingrediuntur, facile in eis spargentur socialistarum errores, et exinde multa dissidia et certamina orientur. Promoveantur ergo bonorum opificum collegia seu syndicatus; his se adjungant optimi catholici, in fide roborati, sincerâ pietate præditi, et in suâ arte periti, ut verbis et exemplis socios instruere valeant, et ad virtutum praxim adducere : sicut enim modicum fermentum totam massam sublevat, ita

---

deux éléments nouveaux qu'il est urgent d'introduire dans l'éducation de l'enfant du peuple. On complétera donc son instruction, on développera donc son intelligence et son habileté technique. Puis on l'habituera à la prévoyance, à l'économie, au sentiment de solidarité en l'initiant à toutes sortes d'institutions de prévoyance et de mutuel secours."

pusillus grex catholicorum totam opificum multitudinem paulatim ad meliora convertet. Si enim sinceræ pietati perfectam honestatem et benignitatem conjungant, simulque industrios et modestos sese ostendant, multorum fiduciam ac benevolentiam sibi conciliabunt, et catholicæ religioni reverentiam et honorem[1].

825. Ad vitanda autem aut componenda dissidia, quæ haud raro inter dominos et opifices oriuntur, multum sane expedit *concilia conciliationis et arbitrii* instituere et promovere. Hæ siquidem constant æquali numero herorum et opificum, qui statis diebus conveniunt ut solvant difficultates quæ de rebus ad industriam spectantibus sæpe oriuntur, v. g. de quotitate salarii, duratione laboris, regulis in officinâ sequendis : sincerâ factorum et rationum expositione, ex utrâque parte factâ, multa præjudicia dimittuntur, viaque concordiæ et paci sociali paratur[2].

826. 2° Valde utiles sunt etiam **mutuæ consociationes** (*mutualités*), quibus operariis sibi invicem juvamen et auxilium præstare possunt, et parsimoniam augere.[3] Cum enim opifices modicum salarium accipiant, multisque damnis obnoxii sint ex inopinatis casibus aut morbis, vel ex cessatione a labore, multum sane proficient si sobrie, caste ac frugaliter vivendo, tempore quo res sat prospere succedunt, aliquam pecuniam seponant, eamque deponant apud illas *societates mutuales* dictas, quæ in variis regionibus institutæ sunt. Quædam in *scholis* creatæ sunt, ut jam a pueritiâ juniores parsimoniæ studere valeant, et, vanâ prodigalitate contemptâ, ad aliquid pro futuris necessitatibus providendum assueti fiant;[4] has in *catholicis scholis* instituere omnino expedit.

827. 3° His adjungi possunt **societates cooperativæ** sive ad merces *emendas* minori pretio, ideoque ad minuendas expensas sociorum, sive etiam ad res quasdam *conficiendas*, proindeque ad

[1] Ad socialem et christianam juniorum opificum institutionem multum conferunt societates dictæ *Le Sillon*, aut *L'Association de la Jeunesse française;* et multum sane optandum est ut hæ aliæque ejusmodi associationes, quamvis inter se distinctæ et autonomæ, amico fœdere jungantur, et de communi actione conveniant. Cfr. *M. Turmann*, Education populaire, p. 216-256.

[2] De quo fusius in *Tr. de Justitiâ*, n. 849-85c, ubi multi allegantur auctores.

[3] *F. Lépine*, La Mutualité, ses principes, ses bases véritables, Paris, Colin, 1903; *L. Mabilleau*, La Prévoyance sociale en Italie; *E. Dédé*, Les Sociétés de secours mutuels, Paris, Bonne Presse, 1904.

[4] *Lépine*, op. cit. p. 53-67; *M. Turmann*, Educ. populaire, p. 50 56.

augenda opificum emolumenta[1]. Priores facile instituuntur ac geruntur; sed, in parvis oppidis, plerumque expedit societates creare, quæ non directe merces emant ad eas cooperatoribus minori pretio vendendas, sed pactum ineunt cum mercatoribus ut hi consentiant aliquam determinatam partem sui lucri cooperatoribus cedendam; secus, excitatur odium et invidia mercatorum, qui, ex fundatione *cooperativæ* societatis, maximam partem sui lucri haud raro amittunt. — Multo difficilius est feliciter et prospere curam gerere *societatum quæ productivæ* dicuntur; ad hoc enim duo desiderantur : *capitale* haud modicum, non solum ad instrumenta comparanda, sed etiam ad solvendas multiplices expensas quas incurrere necesse est per plures menses, antequam ullum percipiatur lucrum; *peritus administrator*, qui rem sapienter gerere valeat, et auctoritate polleat sufficienti ad ceteris operariis imperandum; quæ quidem ægre inveniri possunt[2].

Quidquid sit, si sacerdos harum societatum promotor fuerit, in occulto latere consentiat, et rem gerendam committat probis et prudentibus laicis, qui tempore opportuno sociis rationem reddent

---

[1] *Ch. Gide*, La Coopération, Paris, 1900; *id.*, L'Économie Sociale à l'Exposition de 1900, Paris, 1902, p. 273-294; *id.*, Les sociétés coopératives de consommation, Paris, 1904; *Clavel et Soria*, Guide pour l'organisation et l'administration des sociétés coopératives de consommation, 4e éd. Paris, 1901; *Hubert-Valleroux*, La Coopération, Paris, 1904; *Congrès des Associat. ouvrières de production*, Paris, 1900; *Comptes-rendus du Congrès* de l'Alliance coopérative internationale, Paris, 1902; *Bertrand*, Histoire de la Coopération en Belgique, Bruxelles; *Beatrice Potter*, The cooperative Movement in Great Britain, London, 1888.

[2] Melius tamen proficiunt societates *pistoriæ*, seu ad panem conficiendum institutæ, tum quia ars pistoria sat facilis est, tum quia *pistrinis* (*boulangeries*) bene organisatis pretium panis multum minuitur, ut videre est ap. *Gide*, Coop. de consommation, p. 84. — *Socialistæ* non paucas *societates productivas* feliciter gerunt; inter has eminet ea quæ dicitur *Vooruit*, de quâ lege *Le Vooruit*, la coopération et l'organisation socialiste en Belgique, ap. *Musée social*, 20 déc. 1897; — circa societates ejusdem generis in *Galliâ*, cfr. *Une Enquête* sur les boulangeries coopératives rurales, ap. *Musée social*, déc. 1899. — Quam necessarium sit Catholicis societates cooperativas instituere, ex eo patet quod *socialistæ* his utuntur ad suos errores spargendos; ait enim *M. Lauzel*, Manuel du Coopérateur socialiste, Paris, 1900, p. 17 : "Entre les mains des socialistes, *la coopération n'est qu'un moyen d'action socialiste*, un puissant levier, capable de remuer le monde capitaliste sur ses bases de propriété individuelle et d'injustice sociale. Nous ne voulons pas être coopérateurs pour la satisfaction de diminuer un peu l'infinie misère du prolétariat : *Nous voulons être coopérateurs pour coopérer plus efficacement à la révolution sociale.*"

totius rei[1]. Cavendum est pariter ne hujusmodi societates aliquid lucri ipsis sacerdotibus afferre videantur; nam si opifices id suspicarentur, mox ab eis societatibus averterentur.

828. 4° Quibus annumerari possunt illa **æraria** quæ a *Raiffeisen* prius inventa sunt (*caisses Raiffeisen*), et vocantur etiam *societates mutui crediti* (*prêt mutuel*), quia pecuniam *mutuo* tradunt, cum minimo auctario[2]. Constant ex *agricolis* ejusdem parochiæ, qui quædam immobilia possident; hi efformant quamdam civilem societatem, juxta leges cujusque regionis constitutam; directores eliguntur, qui *gratis* munus suum adimplent; solus *argentarius* (*trésorier*) aliquam mercedem, minimam tamen, accipit. Jamvero pauperes agricolæ pecuniam mutuari possunt a *societate*, approbantibus directoribus, si promittant capitale cum modico auctario refundere; quotannis rationes redduntur societatis præsidibus; et si quid lucrum supersit, non distribuitur creditoribus, sed vel custoditur, vel operi utilitatis publicæ impenditur, v. g. comparandis illis recenter inventis *machinis*, quibus opus serendi ac metendi multo promptius ac facilius peragitur. — His societatibus adnecti possant *assecurationes* contra incendium, grandinem, pestem animalium, etc.[3]

829. 5° Sed, ut spiritus vere catholicus has societates pervadat, necesse est ut christiani opifices inter se, ducibus sacerdotibus, *consociationes* efforment ad *religiosa officia* perfectius adimplenda, *vitamque christianam intensiorem* agendam. Parum prodesset opificum sortem *temporalem* meliorem reddere, nisi simul perfectior evadat eorum *moralis* et *religiosa* conditio. Frustra siquidem duplicabitur merces operariis soluta, incassum minuetur pretium eorum

[1] "J'appelle tout particulièrement l'attention du Curé-fondateur sur ce point important. Voulez-vous avoir des hommes dans votre église? Voulez-vous former une réunion nombreuse, durable et honorable? Laissez-les s'administrer eux-mêmes. Donnez-leur un *chez eux :* il ne faut pas qu'ils soient chez vous, mais *chez eux*... Les changements survenus depuis un siècle dans la société française n'ont fait que rendre plus impérieux ce besoin d'autonomie, de *self-government*, comme disent les Anglais." (*L. de la P.*, Les Associations d'hommes, Marseille, 1903, p. 7, 9.)

[2] *A. Kannengieser*, Catholiques allemands, Paris, 1892, p. 138-148; *Max Turmann*, Associations agricoles, p. 322-374; *G. Malherbe*, Le Raiffeisenisme, Bruxelles, 1902; *C. Rad*, Les Caisses de Famille, Paris, 1896.

[3] *Max Turmann*, op. cit., p. 375-498; *de Rocquigny*, Les petites Institutions mutuelles de prévoyance contre la mortalité des animaux, ap. *Musée social*, juin 1898.

quæ ad victum aut vestitum necessaria sunt, vel breviores erunt horæ laborando consumptæ, nisi simul bene morati, sobrii, casti, honesti et religiosi sint proletarii. Si enim salarium et tempus terant in comessationibus, potationibus, aleatoriis ludis aliisque hujusmodi, eorum conditio miserabilior fiet quam antea[1]. Necesse est igitur ut societates ineantur, ad ignaros solide instruendos, ad debiles strenue roborandos, et in fide instabiles confirmandos; ad eos, qui a verâ religione alienati sunt, convertendos, et omnes qui jam credunt, ad perfectiorem virtutum religionisque praxim paulatim alliciendos; necnon ad vitia extirpanda, præsertim ebrietatem et alcoolismum (n. 541-555).

Quâ in re necesse est hodie ut sacerdotes in *cooperatores* assumant quosdam probos et pios *laicos*, qui zelo animarum flagrant. Ubique enim socialistæ, positivistæ et rationalistæ omnibus viribus quotidie conantur errores suos in plebem spargere; et nisi catholici sacerdotes et laici consilia, vires et conatus uniant, fraternâque æmulatione sese provocent ad meliora præstanda, impossibile erit adversariorum consociatis viribus feliciter resistere, et a viâ veritatis errantes ad rectam tramitem reducere.

Quænam sint vero sodalitates instituendæ, quânam methodo, quibusnam regulis regendæ, ex variis pendet circumstantiis : prudens sacerdos, *observationis methodo* utens, sedulo perlustrabit et inspiciet eas quæ jam per aliquod tempus in eâdem regione floruerunt, ut, aliorum experientiâ edoctus, scopulos vitet ac tutius procedat : regulæ enim ad mentem et traditiones locorum et personarum aptari debent.

[1] Quod præclare exponit *Leo XIII*, in Encycl. *Graves de Communi :* " Esto namque ut operam locantibus geminetur merces; etiam annonæ sit vilitas : atqui, si mercenarius eas audiat doctrinas, ut assolet, eisque utatur exemplis, quæ ad exuendam Numinis reverentiam alliciant depravandosque mores, ejus etiam labores ac rem necesse est dilabi. Periclitatione atque usu perspectum est, opifices plerosque anguste misereque vivere, qui, quamvis operam habeant breviorem spatio et uberiorem mercede, corruptis tamen moribus nullâque religionis disciplinâ vivunt. Deme animis sensus, quos inserit et colit christiana sapientia; deme providentiam, modestiam, parcimoniam, patientiam, ceterosque rectos naturæ habitus : prosperitatem, etsi multum contendas, frustra persequare. Id plane est causæ, cur catholicos homines inire cœtus ad meliora plebi paranda, aliaque similiter instituta invehere. Nos nunquam hortati sumus, quin pariter moneremus hæc *religione auspice* ferent, eâque adjutrice et comite. "

III. De consociationibus ditiorum ad opifices juvandos.

830. Cum, in multis casibus, operarii ægre possint propriis viribus se suosque sustentare et educare, præsertim quando numerosa est proles, aut quando paterfamilias, ob morbum, aliamve causam, laborare nequit, æquum est ut herus ex superfluis suos operarios sublevet; nam, ut aiebat *Card. Zigliara*[1], "opus operarii cedit in emolumentum heri; quoties ergo hic ad exercenda caritatis officia in singulis casibus ex præcepto caritaris adigitur, *ordinem* etiam caritatis observare tenetur. Qui quidem ordo *proximiores* facit *hero operarios* diuturnum opus exercentes in ejus utilitatem, quam pauperes alios nihil pro ipso agentes. Quocirca herus potens caritatis officia exercere operarios suos *præferre* debet."

Quia vero satius est *præcavere* egestatem, quam eleemosynam dare, caritas postulat ut inter ditiores instituantur societates ad auxilium proletariis sapientius et efficacius præstandum. Jamvero, inter eas quæ jam in variis regionibus fundatæ sunt, eminent : —

831. 1° **Societates ad salubres domos ædificandas**[2], quæ opificibus minori pretio locari aut vendi possint. Quod quidem maximi est momenti : quando enim operarii decentem domum inhabitant, non solum bene valentes manent, sed etiam de cauponis ingrediendis minus cogitant, vitamque domesticam agunt, quæ bonis moribus ac ordini sociali maxime favet. Hinc apud varias Gentes, leges conditæ sunt quibus haud spernenda emolumenta his societatibus conferuntur, præsertim immunitas a quibusdam taxis[3]. Sed, ut hujusmodi domus salubres maneant, multum expedit ut opificum

---

[1] Epist. ad archiep. Mechlinensem, ad exponendam Encycl. *Rerum Novarum*, 1891.

[2] *Rostand*, L'action sociale par l'initiative privée, t. I, p. 147; II, p. 313; *Siegfried*, Les Habitations à bon marché; *Gans et Weber*, L'Ouvrier stable et l'Habitation ouvrière, Paris, 1897; *H. Barrau*, Le Congrès internat. des Habitations à bon marché; ap. *Musée social*, Juillet 1900; *C. Wright and Gould*, The Housing of the Working people, 1895; J. *Perez Canto*, El Obrero propietario, Santiago de Chile, 1903; *Réforme sociale* 1er mars 1904, p. 382-395.

[3] Pro *Galliâ*, vide *P. Pic*, op. cit., n. 1368, ubi exponuntur leges 30 nov. 1894 et 31 martii 1896; pro aliis regionibus, *Ann. de législation étrangère*, 1898, p. 546; 1900, p. 26, etc.

uxores et filiæ in scholis[1] discant artem practicam *rei domesticæ* munde et ordinate vacandi.

832. 2° Quibus adjungi possunt societates quæ operariis gratis locant aut modico pretio vendunt **hortos**[2]; hos enim propriis manibus excolere valent, fructusque ex eis percipere quibus in re domesticâ non parum juvantur; præterea experientiâ compertum est *hortorum culturâ* meliores effici relationes inter divites, qui gratis vel pro modico pretio eos locant, et operarios qui eisdem fruuntur, — ebrietatem minui, — parcimoniam augeri, — inanitatem socialismi apparere, quatenus hortorum cultores melius utilita tem privati dominii percipiunt.

833. 3° His addi possunt variæ **consociationes assecurationis** contra *fortuitos casus, senectutem* aut *involuntariam cessationem a labore,* cum enim ipsi opifices sæpe non valeant totam pecuniæ summam solvere ad seipsos contra diversa pericula tuendos, expedit sane ut a ditioribus hâc in re juventur : quod ita fieri potest ut quando illi talem pecuniæ summam præbent, aliam æqualem aut etiam duplo majorem benefactores largiantur[3]. — In quibusdam regionibus ut, in *Germaniâ*, lege civili præscribitur assecuratio, et fundus constituitur ex quo solvi possint pensiones omnibus operariis qui morbo aut senectute laborant : huic fundo ipsi *opifices*, *domini* et *Status* determinatam pecuniæ summam conferunt. Quod quidem systema a multis impugnatum est utpote jura privatorum nimis invadens; reipsa tamen sat felices habuit effectus[4]; unde, in aliis regionibus parantur leges plus minusve similes legi quæ in Germaniâ prævaluit. Quibus favere possunt Catholici, invigilando tamen ut nimia potestas Statui non concedatur, sed privatis societatibus et individuis sua jura serventur.

---

[1] Scholæ hujusmodi in quibusdam urbibus institutæ sunt, quæ dicuntur *écoles ménagères;* de quibus vide *Van Gehuchten*, Guide de la jeune ménagère, Lierre (Belgique), 1894; *Ctesse de Diesbach*, L'enseignement ménager, Paris, 1903; *Max Turmann*, Initiatives féminines, Paris, 1905, p. 87-149.

[2] Originem, utilitatem et practicam organisationem harum societatum describit *L. Rivière*, La Terre et l'Atelier, Jardins ouvriers, Paris, 1904. Cfr. *D. Lancry*, Une visite aux Jardins ouvriers de Sedan, ap. *Démocratie chrétienne*, Oct. 1897; *Lemire*, qui varia hâc de re scripsit in periodico *Le Coin de terre et le Foyer.*

[3] *L. Lefébure*, Le Devoir social, Paris, 1890, p. 217-247; 292-297.

[4] *P. Pic*, n. 1388-1391, 1394. — Ibidem, n. 1392-1393, exponitur quid in aliis regionibus statutum fuerit; et n. 1396-1397, quid in *Galliâ* hâc de re propositum fuerit. Cfr. *Salaun*, Les retraites ouvrières en Belgique, ap. *Musée social*, juin 1901, juillet 1902; *Ghio*, Les retraites ouvrières en Italie, *Musée social*, déc. 1902; *Lemire*, Discours sur les Caisses de retraites ouvrières; *Les Questions actuelles*, t. LIX, 1901, pp. 354, 386, 418; t. LX, 1901, p. 2, 72, 107, 112, 130; t. LXVII, 1903, p. 56-63; t. LXXVII, 1905, p. 212, 240.

Involuntariæ cessationi a labore (chômage forcé) non tam facile remedium afferri potest. Quæ tamen multa mala secum trahit; operarium enim validum *otio* tradit, et omnibus *vitiis* quæ ex eo sequuntur, eum privat mediis se suosque honeste sustentandi, et haud raro eumdem mendicum, vagum et ebriosum efficit[1]. Privatâ quidem *caritate* aliquando alleviatur hæc misera conditio, præsertim quando non solum eleemosyna datur, sed etiam *labor* præstandus offertur; aut etiam *collegiis opificum*, quæ membris suis modicam præbent pecuniæ summam usquedum conducantur[2]; vel illis institutis privatis aut publicis, quorum ope facilius conduci valeant operarii (*bureaux de placement*[3]), quin ex hoc capite inutiles expensas subire cogantur; et sane maxime optandum est ut inter Catholicos hujusmodi instituta multiplicentur. Cum vero, non obstantibus his omnibus mediis, non pauci ab opere vacare cogantur, in quibusdam regionibus nova creata est *assecurationis* forma, vi cujus augetur fundus quem *collegia opificum* dividunt inter sodales a nemine conductos. In quibusdam pariter civitatibus, *subventiones* his collegiis concessæ fuerunt; quod quidem expedire potest tempore quo specialis viget *crisis;* sed, extra hunc casum, melius est sane ita productionem rerum ordinare ut minuatur numerus eorum qui involuntarie ab opere cessant.

834. 4° Inter opifices, specialem benevolentiam merentur **feminæ,** sive nuptæ, sive innuptæ. Nam, ex unâ parte, minus salarium lucrantur, ceteris paribus, quam viri, ita ut sæpe aut fame tabescant, aut vitio se tradant, nisi tempore opportuno subleventur[4]; et, ex alterâ, paucis hebdomadibus ante vel post partum, a labore cessare debent, si suæ et prolis saluti providere velint. Et sane optandum est ut

[1] *Varlez*, Les Formes nouvelles de l'assurance contre le chômage, Paris, 1903, hæc mala vivide describit, p. 13-15; necnon remedia, p. 23-265; cfr. *Rostand*, t. II, p. 817-897; t. III, p. 609-629; *Gide*, Écon. sociale, p. 235-244; *Crafts*, Practical Christian Sociology, New-York, 1896, p. 138-146.

[2] Ita in periodico *Bulletin de l'Office du Travail*, juin 1903, p. 485-488, exponitur quid hâc in re præstiterit *Fœderatio typographorum;* cf. *M. Lecoq*, L'Assistance par le Travail en France, Paris, 1900.

[3] *Le Bailly*, Bureaux Municipaux de Placement gratuit, Paris, 1890.

[4] De hâc miserâ feminarum conditione disseruerunt, inter alios : *J. Simon*, L'Ouvrière, Paris, 1861; *Ch. Benoist*, Les ouvrières de l'aiguille à Paris, Paris, 1895; *d'Haussonville*, Misères et salaires de femmes, Paris, 1900; *Bonnevay*, Les ouvrières lyonnaises; *Abbé du Lac*, Le fil et l'aiguille, Paris, Lecoffre, 1903; *M. Turmann*, Initiatives féminines, p. 151-250; *H. Wadlin*, Women in industry, Boston, 1890; *Mary A. O' Reilly*, Women wage earners; *Helen Campbell*, Prisoners of Poverty.

matres domi manere possint, ad prolem lactandam et educandam[1]. — Quædam sunt genera laborum ad quæ, propter sexûs debilitatem, inhabiles sunt : ita per longas horas *stare* non possunt quin periculum subeant quosdam morbos incurrendi[2]. — Aliunde, in officinis, mulieres multis tentationibus obnoxiæ sunt, et, nisi juventur, facile in vitium cadunt. Necesse est igitur ut speciales consociationes foveantur ad remedium istis malis afferendum.

Revera, in variis regionibus, ditiorum feminarum fundatæ sunt societates ad remedium his malis afferendum. Imprimis *syndicatus* instituti sunt, in quibus simul conveniunt divites et pauperes, ut illæ his laborem, decentem habitationem aliave adjumenta præbeant[3]. Alii sunt syndicatus, in quibus *solæ* opifices conveniunt, ad jura sua tuenda; sed his sæpe adnectuntur societates *mutuales* dictæ, ad quas ditiores feminæ pecuniam et tempus conferunt[4]. — Præterea, ad protegendas opifices, honestæ mulieres fœdus inter *ementes* creaverunt (*ligues d'acheteurs*, *consumers' league*), qui promittunt se nihil comparare velle nisi a mercatoribus opifices bene tractantibus; exinde non parum melior effecta est conditio feminarum in multis officinis[5]. — Ad matres sublevandas, ante vel post partum, pariter creatæ sunt societates *maternæ et infantiles*, quibus matris parituræ et infantium saluti prospicitur[6]. Insuper, ad christiane educandos pueros, quos uxores opificum domi relinquere coguntur, ad victum sibi suisque procurandum, piæ mulieres *catechismum* docere non dedignantur[7].

Uno verbo, caritas christiana variis pauperum et opificum necessitatibus sapienter et amanter sese accommodat. Quia vero multæ sunt adhuc mulieres, quæ in nugis aut voluptatibus tempus inutile terunt, sacerdotibus officium incumbit opportune et prudenter hortandi christianas puellas et uxores, ut non solum partem superfluo-

---

[1] *Fauquet*, La protection légale des femmes avant et après l'accouchement, Paris, Alcan, 1903; *M. Turmann*, op. cit., p. 157-165.

[2] *M. Turmann*, op. cit., p. 167-193.

[3] *Abbé du Lac*, Le fil et l'aiguille; *M. Turmann*, op. cit., p. 209-222.

[4] *Mlle Rochebillard*, Synd. d'ouvrières lyonnaises, Paris, Lecoffre; *M. Turmann*, op. cit., p. 194-208.

[5] *M. Turmann*, op. cit., p. 281-324.

[6] *M. Turmann*, p. 339-335.

[7] *M. Turmann*, op. cit., p. 256-258 : " Dans le diocèse de Paris, près de trois mille dames contribuent ainsi à faire connaître les principes de la religion à plus de trente deux mille enfants ". — De alio medio pauperes ad meliorem vitam alliciendi, quod anglice *settlement* dicitur, et gallice *résidence sociale*, *colonie sociale*, vide *M. Turmann*, p. 325-337.

rum bonorum, sed etiam partem superflui temporis in opera caritatis impendant : ita enim, otiositatis et luxûs pericula vitantes, Deo gratas et proximo utiles sese ostendent, et in exercitio caritatis majorem experientur felicitatem quam in terrenis voluptatibus.

835. 5° Etiam quando hæc omnia media, aliaque ejusmodi sapienter adhibita sunt, quidam sunt pauperes qui, viribus fracti, aut senio morbove confecti, sibi sufficere nequeunt. Merito igitur creata sunt varia instituta ad eorum necessitatibus subveniendum. Inter quæ eminent *Conferentiæ S. Vincentii a Paulo* dictæ, quas feliciter instituit ac propagavit *F. Ozanam*[1]; sodales siquidem frequenter invisunt pauperes, ægrotos, senes, eisque præbent non solum cibum temporalem, aliaque ad vitam sustentandam necessaria, sed etiam panem verbi divini et humanæ consolationis. Ita sane ad multorum dolores leniendos maxime profuerunt; valde tamen exoptandum est ut, nostris diebus, *socialibus* operibus magis ac magis se devoveant, et validis operariis subministrent media quibus honeste panem quotidianum lucrari valeant[2].

§ III. De peccatis fraternæ caritati oppositis[3].

Multa recensentur peccata caritati opposita : *odium*, quod directe internæ dilectioni adversatur (supra, n. 782); *invidia*, quæ opponitur complacentiæ in bonis proximi (supra, n. 522); *discordia*, quæ repugnat unioni mentium ac voluntatum ; *scandalum*, quod spirituali beneficentiæ opponitur : de his duobus ultimis dicendum manet[4].

I. De discordiâ et contentione.

836. 1° **Notio.** (a) Discordia est *voluntatum dissensio circa bonum, in quo ex caritate consentire tenemur.* Duo igitur ad discordiam requiruntur : dissensio *voluntatum*, non autem intellectûs solum ; dissensio circa bonum *necessarium*, seu de quo consentire tenemur : si enim fertur circa opinio-

[1] *C. A. Ozanam*, Vie de Fréd. Ozanam, 2e éd., Paris, Poussielgue, 1882, ch. 4-5, ubi initia et evolutio harum Conferentiarum describuntur; *J. Schall*, Adolphe Baudon, Paris, 1897.

[2] In ep. "*Notre charge apostolique*", SS. Pius X episcopos hortatur ut eligant sacerdotes in *re sociali* eruditos qui *operibus actionis catholicæ* præponantur.

[3] *S. Thom.*, 2. 2æ q. 31-43; *Suarez*, disp. VI; *Billuart*, diss. VII; *S. Alphonsus*, n. 43-80; *Bouquillon*, n. 506-576; *Ball., P.*, n. 240-302; *Noldin*, n. 99-129; *M. d'Hulst*, Carême 1896, 2e Conf.

[4] Nonnulli hic etiam recensent *duellum*, *bellum* et *seditionem*, de quibus agimus *De Justitiâ*, n. 334-363; necnon cooperationem ad peccata proximi, de quâ superius actum est, n. 183-188.

nes liberas, nec moderationis limites excedit, non est peccatum [1]. Plerumque ex *superbiâ* oritur, quâ proprium judicium propriamque voluntatem plus æquo diligimus.

(b) Ex discordiâ sæpe nascitur *contentio*, id est *inordinata verborum pugna*, seu altercatio, quâ veritas impugnatur, aut nimiâ acrimoniâ propugnatur. Hæc autem frequenter augetur ex *inani gloriâ*, quâ quisque contendentium victoriam de altero reportare conatur. Aliquando etiam ex *immoderato* oritur *nationalismo*, vi cujus quidam, propriæ gentis amorem plus æquo foventes, despiciunt et odio prosequuntur populos alienæ stirpis, more paganorum; ita enim inter exteros et cives, imo inter ipsos concives, qui stirpe differunt, contentiones seminantur.

Quandoque contentiones habentur in re *religiosâ*, et oritur *schisma*, quo quidam catholici *propriâ sponte ab unitate Ecclesiæ secedunt.* Cum autem Ecclesiæ unitas in duobus consistat, scilicet in connexione membrorum ad invicem, et iterum in ordine omnium membrorum ad unum caput, Christum nempe ejusque vicarium in terris, schismatici dicuntur qui S. Pontifici subesse, aut membris Ecclesiæ eidem subjectis communicare recusant [2].

837. 2° **Malitia.** *Discordia et contentio*, in iis in quibus consentire tenemur, sunt *peccata mortalia ex genere suo; schisma* autem est *peccatum gravissimum* non solum contra *caritatem*, sed etiam contra *obedientiam Ecclesiæ debitam.*

(A) *Scriptura* sæpe reprobat discordiam ut christiano spiritui omnino contrariam, et graviter peccaminosam. *Paulus* siquidem, audiens inter Corinthios esse contentiones, eos obsecrat ut eas deponant, et in concordiâ ac pace vivant: "Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ [3]". Qui discordiis indulgent adhuc *carnales* sunt [4]: "Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?" Deus enim dissensiones odit [5]: "Non enim est dissensionis Deus, sed pacis". Alibi con-

[1] Talis fuit, valde probabiliter, dissensio inter *Paulum* et *Barnabam* (*Act.*, XV, 35-40). — [2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q 39, *a.* 1. — [3] *I Cor.*, I, 10. [4] *I Cor.*, III, 3. — [5] *I Cor.*, XIII, 33.

tentiones et rixas inter peccata lethalia recenset[1]. Quare hortatur *Timotheum* ut contentiones devitet, utpote inutiles et noxias[2] : " Noli contendere verbis : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium ".

838. (B) *Traditio* idem sæpe inculcat. Inter *Patres*, audiatur *Cyprianus*, qui præ ceteris concordiam commendat, atque discordias aut schismata stricte reprobat[3] : " Pacificos enim et concordes atque unanimes esse in domo suâ Deus præcipit, et quales nos fecit secundâ nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, et quibus spiritus unus est, unus sit et animus et sensus. Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, et ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus et Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia, et de unitate Patris et Filii et Spiritûs sancti plebs adunata... Ceterum discordans et dissidens et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus Apostolus et Scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit evadere ".

(C) *Ratio* ipsa dictat nil magis esse christiano spiritui contrarium, nil magis individuis aut ipsi Ecclesiæ noxium, quam discordias, contentiones aut schismata. Nam Christus vult ut ejus discipuli sint unum sicut ipse unum est cum Patre [4] : " Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos "; atqui dissidia hanc unitatem moralem destruunt. Aliunde una e catholicæ Ecclesiæ notis, una e causis quæ ipsi robur et solatium afferunt, est membrorum perfecta unitas; qui igitur discordias et contentiones inter catholicos seminant, eo ipso opus diabolicum peragunt, ipsa Ecclesiæ fundamenta evellendo, ejusque vires minuendo; teste enim Christo [5], " omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit ". Graviter igitur peccant qui scienter discordiarum et schismatum semina spargunt.

839. 3° **Remedium.** Ad vitanda hujusmodi dissidia, quæ tot et tanta mala in Ecclesiam Dei induxerunt, duo sunt præsertim agenda: (a) prætermittere debemus res illas parvi momenti quæ eo tendunt ut dissensiones causent, et ex adverso attente considerare ea omnia

---

[1] *Galat.*, V, 20. — [2] *II Tim.*, II, 14.

[3] *S. Cyprian.*, De orat. Dominicâ, c. 23-24, P. L., IV, 535-536. Id fusius evolvit in libro De Unitate Ecclesiæ, P. L., IV, 493-520.

[4] *Joan.*, XVII, 11. — [5] *Matth.*, XII, 25; Cfr. *Luc.*, XI, 17.

quæ nos multiplici ac suavi vinculo colligant; de his audi Apostolum[1] : "Solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus". Et revera, quando tot sunt motiva proximos tanquam fratres diligendi, nonne insipiens esset caritatis vinculum abrumpere propter levia quædam discrimina quæ inter nos et ipsos existunt? (b) Cum præcipua discordiarum causa sit inordinatus suî amor, humilitatem et mansuetudinem colere debemus, et ita ipsas dissensionum radices extirpare. Ad rem idem Apostolus : "Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni *humilitate* et mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in caritate[2]... Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritûs, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes; nihil per *contentionem*, neque per *inanem gloriam*, sed in *humilitate* superiores sibi invicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum"[3]. Quæ quidem verba tam suaviter et fortiter caritatem simul et humilitatem prædicant, ut nullo indigeant commentario.

II. De Scandalo[4].

840. 1° Notio et species. (A) Scandalum, a voce σκάνδαλον, *litteraliter* designat quodvis *offendiculum in viâ positum*, in quo si quis offendit, titubet vel cadat necesse est; *metaphorice* est *aliquis* vel *aliquid*, quo homo ad errandum aut *peccandum inducitur*[5]. A *S. Thomâ* definitur "dictum vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ (spiritualis)".

Ad scandalum proinde tria requiruntur : (a) actus *externus*, vel ejusdem omissio; actus enim mere internus, utpote aliis ignotus, eos in peccatum inducere nequit. Hic actus consistere potest in verbis, factis, modo se gerendi, etc.; aut in omissione alicujus actûs externi, cum exinde proximus ad omissionem alicujus officii induci valeat. (b) Actus *minus rectus*, sive in se, sive ratione personæ aut circumstantiarum; nam actus, ex omni parte bonus, alios ad malum non allicit; sufficit tamen ut actus *speciem mali* habeat; ita qui coram aliis carnes die prohibito comedit, scandalizare potest eos qui nesciunt id fieri legitimâ ex causâ. (c) Actus alteri præbens *occasionem ruinæ*, seu saltem alicujus damni *spiritualis*. Non requiritur qui-

[1] *Ephes.*, IV, 3-6. — [2] *Ephes.*, IV, 1-2. — [3] *Phil.*, II, 1-4.

[4] Præter auctores supra allegatos, cfr. *Vieux Moraliste*, ap. *Ami du Clergé*, t. XXIII, 1901, p. 1195.

[5] *Grimm*, Lexicon græco-latinum, 4ª ed., 1903, p. 401.

dem ut proximus revera aliquod spirituale damnum patiatur, sed sufficit ut, omnibus attentis, probabiliter ei ansa præbeatur ad peccandum, sive graviter sive leviter. Parum refert utrum peccatum, ad quod proximus inducitur, sit ejusdem an diversæ speciei; scandalum vere datur, quoties probabiliter prævidetur actione minus rectâ, quæ coram eo peragitur, proximum commissurum esse aliquod peccatum quod secus non commisisset. Quare si certo moraliter constat eos, coram quibus actio mala peragitur, ita in virtute esse firmatos, aut jam ad peccandum ita determinatos, ut hæc actio nullum influxum in eos habeat, non habetur vere peccatum scandali. — Attamen a proximo exquirere non licet rem pravam, etsi ad eam faciendam sit *habitualiter* dispositus; gravius est enim peccare *actualiter* quam dispositum esse ad peccatum.

Theologi communiter dicunt scandalum proprie non committi ab eo qui alios retrahit a perfectione, quin eos ad peccatum inducat. Quidquid sit, ita agendo, contra caritatem peccat, quæ postulat ut aliis bonum præbeamus exemplum : "Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est" [1].

841. (B) Scandalum, ex parte intentionis, est *directum*, quando peccatum alterius vere intenditur; *indirectum*, quando solum prævidetur, quin *in se* intendatur (supra, n. 168). (a) Scandalum *directum* dicitur *diabolicum*, quando intenditur peccatum proximi quatenus est offensa Dei, vel ruina alterius, v. g. quando quis sermones contra fidem habet directe ad fidem e cordibus evellendam; vocatur *simpliciter directum*, quando peccatum proximi intenditur ob alium finem, v. g. ob propriam utilitatem aut voluptatem, prout sæpe fit in turpiloquio. — Ad scandalum directum referri potest in praxi peccatum *inductionis*, quo quis jussione, precibus, consilio aliisque modis ejusmodi alium sollicitat seu provocat ad peccatum : tunc non est solum occasio, sed etiam *causa* partialis peccati. (b) Scandalum *indirectum* multipliciter contingit, v. g. quando quis peccat coram aliis, prævidens eos exinde in idem peccatum lapsuros, — quando ea facit quæ, licet in se mala non sint, moraliter periculosa sunt et alios ad peccatum probabiliter alliciunt, — quando aliquid minus rectum perficitur, ex quo prævidetur quosdam fidem relicturos aut religionem despecturos, — cum aliquid *in se* legitimum exigitur, ex quo tamen prævidetur alios in peccata odii, blasphemiæ lapsuros esse.

[1] *Matt.*, V, 16.

842. 2° **Malitia scandali.** (A) *Scandalum directe volitum est peccatum grave ex genere suo* tum contra *caritatem*, tum contra *virtutem ad quam lædendam* proximus inducitur.

(a) *Scriptura* scandalum stricte reprobat[1]: "Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis! Necesse est enim ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit!"

(b) Revera, si Deus ita diligit homines, ut, propter eorum salutem, Filium suum unigenitum tradiderit, si Christus proprium sanguinem dedit in redemptionem animarum, nonne Deum et Christum graviter offendit qui verbo aut opere alios ad peccatum inducit, et eos vult perdere pro quibus Redemptor mortuus est? — Iterum si caritas præcipit ut proximum diligamus ejusque æternam salutem sincere optemus, si labentem proximum corripere teneamur, et a malo avertere, nonne graviter peccamus quando ejus ruinam spiritualem intendimus, eumque verbis aut exemplis ad malum allicimus?

843. *Gravitas* autem scandali a multis circumstantiis pendet. (a) Generatim loquendo, scandalum grave est, quando peccatum ad quod alius movetur est lethale, secus leve est. Hinc peccatum, *in se* veniale, mortale esse potest ratione *scandali*, quando videlicet proximus inducitur ad culpam gravem; ex adverso peccatum *ex se* mortale aliquando *leve* tantum scandalum causat, ratione circumstantiarum. (b) Præterea gravitas scandali multum pendet ex *influxu* actionis scandalosæ in ruinam proximi; hic autem influxus major esse potest, si persona *agens* est in dignitate constituta, aut si persona scandalum *patiens* est infirmior mente; ita gravius est, ceteris paribus, scandalum datum junioribus, qui facilius pravos habitus exinde contrahunt. Hinc parentes, superiores, sacerdotes, religiosi sedulo abstinere debent ab actionibus minus rectis, quæ multo facilius scandalum filiis, subditis aut laicis præbent, quam si a vulgo peragerentur.

[1] *Matt.*, XVIII, 6-7; cfr. Marc., IX, 42; *Luc.*, XVII, 1.

(c) Gravitas etiam augetur ex numero personarum quæ per eamdem actionem scandalizantur, licet disputetur num scandalum *multiplicetur numerice* pro numero harum personarum.

(d) Maxime tandem pendet a *prævisione* et *intentione* agentis : nil enim volitum quin præcognitum ; quo igitur graviora sunt damna ab agente prævisa, eo majus est scandalum.

Ex quo infertur scandalum, etiam directum, leve aliquando esse ex levitate materiæ, aut levitate influxûs, vel ex imperfectâ advertentiâ.

844. **Quæstio disputata.** Hic vero quæritur *num liceat suadere minus malum ad impediendum majus.* (a) Non licet minus malum suadere ad quod proximus *nondum est determinatus;* v. g. si quis paratus est inimicum occidere, non licet ei suadere furtum ad quod determinatus non erat : non enim sunt suadenda mala ut eveniant bona. (b) Si quis vero *jam determinatus* est ad aliquod malum patrandum, nec potest ab eo averti, juxta multos, licet, ad vitandum majus malum, ei suadere minus malum ejusdem speciei ; ita ei qui paratus est Petro furari centum nummos suaderi potest ut furetur tantum quinquaginta. Quod *probabile* esse putamus, dummodo tamen consulens ita loquatur ut actionem malam approbare minime videatur; v. g. in casu allato, si Titius, postquam omnibus viribus conatus est Caium a furto avertere, dicat : saltem centum ne fureris, cum quinquaginta tibi sufficiant. Seu, aliis verbis, *suadere peccatum nefas, avertere a majori peccato licitum*[1].

845. (B) *Scandalum indirectum non licet, nisi quando* actio est *in se bona* aut *indifferens, finis agentis honestus,* et habetur *ratio proportionate gravis* ad permittendum peccatum proximi. Tunc enim applicari potest principium de voluntario indirecto, superius expositum, n. 175.

(a) Id inculcat *Apostolus*, rationem agendi exponens de *idolothytis*, seu cibis quæ idolis offerebantur. Quidam christiani, scientes idola nihil esse nisi vana simulacra, idolothyta edere non dubitabant; alii vero exinde scandalum patiebantur, quia putabant horum comestionem polluere conscientiam. Paulus quidem cum prioribus sentiebat, sed eos admonet ne infirmioribus fratribus scandalum præbeant[2] : "Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus, in tuâ

[1] *S. Alphons.*, n. 57; *Laloux*, De act. humanis, p. 344.
[2] *I Cor.*, VIII, 9-13.

scientiâ, frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem *peccantes in fratres*, et percutientes conscientiam eorum infirmam, *in Christum peccatis*. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem."

(b) Idem *ratio* suadet. Nam, ex unâ parte, generatim tenemur, ex lege caritatis, vitare quidquid proximum inducere potest in peccatum, ideoque abstinere ab actione, cujus occasione prævidemus proximum esse peccaturum. Ex alterâ vero, si gravis est ratio aliquem actum faciendi, bonum privatum et publicum postulat ut hic actus non prohibeatur propter effectum malum, qui ex infirmitate aut malitiâ proximi secuturus prævidetur.

Quandonam vero bonus effectus malum compenset, dijudicari potest ex jam dictis, n. 175-181, et ex sequentibus regulis.

846. Regulæ practicæ. (a) Si agitur de operibus quæ, licet non prohibita, in se tamen *speciem mali habent*, ab eis generatim abstinendum est, nisi adsit *urgens* et *gravis* ratio, aut nisi scandalum aliquâ explicatione removeri possit. Ita sacerdos abstinere debet a frequentandis suspectis personis, etsi nullo pravo motivo moveatur, nisi urgeat ratio eisdem sacramenta ministrandi; pariter clericus a cibo prohibito abstinere debet, nisi astantes moneat se, propter infirmam valetudinem, a lege abstinentiæ fuisse dispensatum.

(b) Quando agitur de operibus *bonis* aut *indifferentibus non præceptis*, generatim ea omittere tenemur ad vitandum scandalum, *si sine gravi incommodo fieri potest; non autem cum gravi incommodo.*

Si mulier sciat se a determinato viro turpiter amari, ita ut ei sit occasio peccandi, ejus conspectum fugere debet, si facile potest, v. g. per aliam viam incedendo, non accedendo ad conventum ubi aderit. Sed ex hoc capite non tenetur ab omni deambulatione aut recreatione se abstinere : id enim nimis onerosum esset.

847. (c) Si agitur de operibus *præceptis* lege positivâ, sive divinâ sive humanâ, *propter scandalum omitti possunt*, — imo quandoque *debent*, *ad tempus*, si id requirat ratio proportionate gravis. Concurrentibus enim duobus præceptis, quæ simul impleri nequeunt, generatim prævalet, utpote majus et strictius, præceptum *naturale* vitandi scandalum.

Hinc puella, quæ scit juvenem occasionem sumere ex ipsius aspectu ad peccandum, potest et quandoque debet ad tempus a sacro audiendo abstinere in ecclesiâ ubi hic adest juvenis. Pariter uxor aliquando omittere potest ac debet missæ auditionem aut

jejunium, si prævideat maritum, in tali aut tali circumstantiâ, exinde occasionem sumpturum blasphemandi et religionem despiciendi. Dixi vero *ad tempus*, quia tenemur quidem opus præceptum *differre* ad vitandum majus malum, non autem diu aut omnino ab eo abstinere, cum magno spirituali detrimento. Quare si maritus omnino prohiberet uxorem ne missam audiret aut confessionem perageret, uxor posset ad tempus ab his abstinere, spe virum ad meliora alliciendi; sed, post aliquod tempus, suaviter et fortiter sua jura vindicare et exercere debet.

848. **Corollaria.** (a) Exinde intelligi datur quid dicendum sit de scandalo *pusillorum* et *pharisaico*. Scandalum hujusmodi non est activum, seu datum, sed *passivum*, seu *acceptum* : si oritur ex *ignorantiâ* aut *infirmitate* peccantis, dicitur scandalum *pusillorum;* si ex ejus *malitiâ*, vocatur *pharisaicum*.

Quibus positis, scandalum *pusillorum* vitandum est, quoties fieri potest *absque gravi incommodo*. Id enim colligitur ex textu *Pauli* superius allato, n. 845. Scandalum vero *pharisaicum* non est necessario vitandum, dummodo adsit ratio agendi etiam levis; tota enim malitia actûs procedit ex eo qui scandalizatur; ita sacerdos, levi de causâ, transire potest per vias ubi inveniet religionis osores qui propterea blasphemabunt

(b) Ex iisdem principiis solvi potest quæstio *num liceat occasionem peccandi non auferre aut etiam apponere*, etsi prævideatur proximum inde peccaturum. Utrumque licet, dummodo habeatur ratio proportionate gravis; *per se* enim talem occasionem apponere non est malum causare, sed solum permittere; quod licet justâ de causâ. Ita parentes et heri possunt pecuniam in aperto loco relinquere, aut arcam in quâ nummi reconduntur ex industriâ aperire, ad experiendam filiorum aut famulorum fidelitatem; magni enim momenti est ut possint eos corrigere aut dimittere, si infideles inveniantur.

849. 3° **Reparatio scandali.** (A) *Existere aliquam obligationem* reparandi scandalum, quantum fieri potest, ex jam dictis inferri potest : si enim correptione fraternâ tenemur emendationem peccantis procurare ejusque relapsum præcavere, a fortiori quando ipsi per scandalum ansam peccandi præbuimus.

Quam obligationem incurrimus ex *solâ caritate*, si tantum suasione aut malo exemplo alios seduximus; ex *justitiâ* autem, si mediis injustis, v. g. dolo, vi, metu, falsâ doctrinâ eos ad peccatum traximus; ex *officio*, si *superiores* ad malum induxerunt subditos quos, vi muneris sui, ædificare debebant.

850. (B) *Modus* reparationis diversus est secundum diversas circumstantias. (a) Si *publicum* fuerit scandalum, *publice* etiam repa-

rari debet, ut omnibus quibus datum est, reparatio innotescat et prosit. (b) Si scandalum datum fuerit *pravo consilio, falsâ doctrinâ*, aut *malis libris*, conandum est primo ut tollatur ulterior scandali influxus, et secundo ut bono exemplo compensetur malum jam causatum. Ita, si iniquum consilium datum fuerit et adhuc efficax maneat, illud revocare necesse est, per se aut per alium, bonum consilium suggerendo. Si falsâ doctrinâ quidam seducti fuerint, errores retractari debent et per expositionem veritatis corrigi. Si pravis libris multi corrupti sint, eorum diffusionem impedire oportet, quantum fieri potest, bonosque libros scribere aut spargere.

(c) *Ordinaria scandala*, quæ solum malo exemplo præbentur, plerumque sufficienter tolluntur cessatione a scandalo, sacramentorum publicâ frequentatione, bono exemplo, oratione pro scandalizato, aliisque similibus mediis.

Quo tutius autem vitentur peccata caritati opposita, nil efficacius est quam benignitatem[1], misericordiam et patientiam assidue colere, juxta Apostoli verba : " Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis" [2].

[1] Cfr. *Faber*, Spiritual Conferences, Kindness; *gallice* redditum Conférences spirituelles, Bonté; *Guibert*, La Bonté, Paris, 1904.

[2] *Coloss.*, III, 12-14.

De Virtute Religionis.[1]

Prænotanda de religione in genere.

851. 1° **Notio.** Virtutes theologicæ, de quibus actum est, intime et directe Deo nos uniunt; quia tamen a Deo distincti atque dependentes manemus, necesse est ut ejus *infinitam excellentiam* speciali *cultu* agnoscamus. Jamvero *virtus supernaturalis, quâ voluntas inclinatur ad reddendum Deo cultum ipsi debitum propter ejus infinitam excellentiam*, vocatur *religio*[2].

852. 2° **Præcipui actus.** *Psychologice* considerata, religio multiplices actus complectitur. (a) Imprimis quando divinam excellentiam consideramus, ejus infinitas perfectiones ac supereminentem bonitatem non *mirari* non possumus. (b) Hæc autem admiratio mox *amorem* gignit : voluntas enim affectuose trahitur ad infinitam bonitatem quam mente percepimus. (c) Amori tamen *timor reverentialis* jungitur : dum enim de divinâ majestate et sanctitate cogitamus, nostram tenuitatem et imperfectionem clare conspicimus, et nonnisi cum timore coram Deo apparemus.

---

[1] In hoc tractatu tria priora Decalogi præcepta exponemus : *primum*, videlicet : "Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper et quæ in terrâ deorsum... Non adorabis ea neque coles"; — *secundum :* "Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum"; — *tertium :* "Memento ut diem sabbati sanctifices". (*Exod.*, XX, 2-8).

[2] *Cultus* in genere est actus quo aliquem veneramur, propter ejus excellentiam; vocatur etiam *veneratio*, et redditur cuilibet personæ vere excellenti. Cultus vero qui Deo redditur, propter infinitam ejus excellentiam, dicitur cultus *latriæ* seu *adoratio*, dum cultus sanctis redditus retinet nomen *duliæ* seu *venerationis*. Olim vero hæc verba promiscue de Deo et creaturis prædicabantur. Cfr. *De Incarnatione*, n. 255-256.

(d) Exinde nascitur *sensus religiosus*, seu *veneratio* et *adoratio*, quâ, cum amore simul ac timore, Deum colimus ut primum principium et supremum dominum, eique totum ens nostrum subjicimus. Habitualis autem voluntas prompte se tradendi et devovendi divino cultui, dicitur *devotio*[1]. (e) Quia vero novimus omnia bona, quæ nobis insunt, cum naturalia tum supernaturalia, gratis a Deo fuisse collata, eum ut insignem *benefactorem* agnoscimus, eique *gratiarum actiones* exhibemus. (f) Sed, cum quotidie novis beneficiis novisque gratiis indigeamus, quæ nonnisi a Deo consequi valemus, ad eum per *orationem* recurrimus, ut ea impetremus. (g) Quandoque etiam contingit ut, propter fragilitatem nostram, peccatum committamus, Deoque irrogemus offensam, quæ reparari debet : inde nascitur *pœnitentiæ* sensus, quo injuriam supremo Numini illatam compensare conamur. (h) Inter varios actus qui præfatas dispositiones exprimere valent, sane eminet *sacrificium*, seu oblatio et immolatio victimæ publice facta, nomine totius communitatis, ad supremum Dei dominium agnoscendum[2].

Hi sunt quidem principales actus virtutis religionis. Alii sunt *minus principales*, ut *juramentum* et *votum;* alii sunt, ex lege positivâ, ad *sanctificationem quorumdam dierum* ordinati, ut *cessatio ab opere servili* et *assistentia sacrificio missæ.*

853. 3° **Locus inter virtutes.** Exinde sequitur virtutem religionis, esse virtutem *specialem*, non proprie theologicam, sed inter virtutes *morales præstantissimam.*

(a) Virtus religionis est virtus *specialis*, seu ab aliis distincta. Bonum enim prosequitur speciale, scilicet *cultum Deo debitum*, et quidem propter motivum speciale, ejus nempe *supremam* et *singularem excellentiam.* Jamvero ubi adest *objectum* et *motivum* particulare, ibi distincta virtus.

---

[1] Devotio, quando exercetur, fit *actus;* sed generatim sumitur tanquam habitualis dispositio.

[2] Paulo aliter actus religionis a *S. Thomâ* (2. 2æ, q. 82-91) recensentur secundum ordinem *ontologicum :* a) actus *interiores*, qui sunt principaliores, *devotio* nempe et *oratio;* b) actus *exteriores*, quibus aliquæ res exteriores Deo *offeruntur*, videlicet *sacrificia*, *oblationes*, *primitiæ* et *decimæ;* aut quibus aliquid Deo *promittitur*, ut *vota;* vel quibus aliquid divinum assumitur, videlicet *juramentum* et *assumptio divini nominis.*

(b) Hanc virtutem *non esse proprie theologicam* theologi unanimiter docent : dum enim virtus theologica immediate respicit *ipsum Deum*, religio *ex se* directe respicit *cultum* Deo debitum. Attamen religio *supernaturalis*, de quâ hic agitur, supponit virtutes theologicas, et *perfecta* esse nequit, nisi in suo ambitu complectatur quosdam actus harum virtutum. Ita nonnisi per *fidem* novimus supernaturalem Dei excellentiam, quam religione colimus; quando *oramus*, actum *spei* eliciamus oportet; vera *devotio*, quâ nos nostraque Deo tradimus, *caritatis* actum involvit.[1]

(c) Quare *religio aliis virtutibus moralibus longe præstat.* Etenim tanto perfectiores sunt virtutes quanto sunt fini ultimo propinquiores; ideoque virtutes *theologicæ* ceteris meliores sunt, quia immediate Deum finem ultimum attingunt. Sed, inter *morales*, eminet religio : propinquius enim Deum accedit, quia directe in honorem et cultum divinum ordinatur, dum ceteræ virtutes morales nonnisi indirecte in honorem Dei tendunt, officia erga proximum et nosmetipsos præscribendo.

854. 4° **Divisio Tractatûs.** De actibus virtutis religionis agentes, vitiisque eidem oppositis agentes, dicemus :

I. De actibus *principalioribus*, *adoratione* et *oratione;*

II. De actibus *secundariis*, *juramento* et *voto;*

III. De actu *sociali*, seu sanctificatione diei dominicæ et festorum.

Et ita tria priora Decalogi præcepta exponemus.

[1] Auctores spirituales nonnulli, præsertim scholæ sæculi XVII[i] in Galliâ, virtutem interioris religionis accipiunt tanquam complexum virtutum theologicarum quo Deum perfecte colimus mediante Christo, perfecto Patris adoratore. Ita *Olier*, Introd. à la vie et aux vertus chrétiennes, ch. I, ubi hæc, inter alia, scribit : "Enfin Notre Seigneur, pour dilater sa sainte religion envers Dieu, et pour la multiplier en nos âmes, vient en nous et se laisse en la terre entre les mains des prêtres, comme hostie de louange, pour nous communier à son esprit d'hostie... Il se répand en nous, il s'insinue en nous, il embaume notre âme et la remplit des dispositions intérieures de son esprit religieux."

Caput j.
DE ACTIBUS RELIGIONIS PRINCIPALIBUS.

Dicemus tum de *ipsis actibus* religionis principalioribus, tum de *peccatis* religioni oppositis.

Art. I. De ipsis actibus religionis principalibus.

Prætermittentes eos actus de quibus jam dictum est, sacrificium, cultum Christo, B. Virgini, Sanctis, reliquiis et imaginibus debitum, breviter agemus de *adoratione* et *oratione*, necnon de *devotione*, quæ ad utrumque actum nos promptiores reddit.

§ I. De adoratione[1].

855. 1° **Notio.** *Lato* sensu, adoratio est actus quo excellentiam alterius nostramque erga eum subjectionem profitemur; quo sensu reges et viri excellentiâ præditi adorari dicuntur[2]. *Stricto* sensu designat actum quo infinitam Dei excellentiam ejusque supremum Dei dominium profitemur, nostramque ab eo dependentiam : de quâ hic agimus. Adoratio duplicem actum complectitur : *internum*, quo intellectus simul et voluntas divinam agnoscunt excellentiam suamque subjectionem[3]; *externum*, seu manifestationem hujus interioris sensûs aliquo sensibili signo, v. g. sacrificio, prostratione in terram, genuflexione, aliisque ejusmodi, quæ varia sunt apud diversas gentes.

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 84; *Suarez*, de Virtute et Statu religionis, Tr. I, l. II, c. 1-2; *Billuart*, diss. III, art. 1; *Bouquillon*, De virtute religionis, Brugis, 1880, n. 46-50; *Müller*, § 40; *M. d'Hulst*, Carême 1893, Conf. I; *Tyrrell*, External Religion, La Religion extérieure, lect. II-IV.

[2] *III Reg.*, I, 16; *Act.*, X, 25.

[3] *S. Thom.*, cum multis aliis theologis, adorationem recenset inter actus religionis externos, quia eam spectat præsertim ut actum corporalem; sed supponit eam nihil aliud esse nisi expressionem *interioris* adorationis (2. 2æ, q. 84, a. 2).

856. 2° *Thesis :* **Deo debetur proprie dicta adoratio interna, externa et publica.** (A) *Script.* Christus, a diabolo tentatus, ei respondit :[1] "Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies". Hanc vero adorationem debere esse *internam* sic aperte declarat mulieri Samaritanæ[2] : "Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare". Eam pariter *publicam*, ideoque *externam* esse debere, constat ex institutione *sacrificii eucharistici*, quo vivide repræsentatur Christi sacrificium in cruce[3] : sacrificium enim est adorationis actus externus ac publicus, nomine totius communitatis, Deo oblatus.

857. (B) *Ratio* idem ostendit. (a) Deus enim est *supremus* hominum *Dominus :* hos siquidem e nihilo creavit, et quidem quoad totum ipsorum esse, tum quoad substantiam, tum quoad facultates; eos præterea in esse conservat : proprio enim pondere ad nihilum tendunt, cum ex nihilo sint, et nisi positive a Deo quolibet instanti sustentarentur, in nihilum redigerentur; imo cum illis in agendo concurrit : licet enim activitate gaudeant, sibi a Deo inditâ, in actum erumpere non possunt nisi supremâ omnium causâ juventur; homines igitur, toti quanti sunt, a Deo pendent, et sub ejus dominio constituuntur. Atqui supremus Dominus, a quo omnia pendent, jus habet et quidem strictum, ut ejus dominium a creaturis omnibus rationalibus agnoscatur : ideo enim rationales sunt ut rationis ordinem sequantur, et suam a supremâ Causâ dependentiam sponte et libere confiteantur; quod quidem fit per *adorationem*, quâ Deum ut primum principium et ultimum finem, seu aliis verbis ut supremum Dominum profitemur; ergo Deus jus strictum habet ut ab hominibus adoretur, et qui eam Ipsi denegat veræ injustitiæ reus est.

858. (b) Hanc vero adorationem non solum internam esse debere, sed etiam *externam*, ex duplici argumento constat :

---

[1] *Matth.*, IV, 10. — [2] *Joan.*, IV, 23-24.
[3] Quod probavimus *De Eucharistiâ*, n. 153-161.

1) Cultus externus necessarius est *ratione sui.* Etenim Deus auctor est non solum animæ, sed etiam corporis, et beneficia non solum spiritualia, sed etiam corporalia nobis largitus est; ergo a Deo pendemus etiam quoad corpus; ergo illam dependentiam exprimere debemus non solum interne, sed etiam modo sensibili, utendo videlicet corpore quod ab Eo accepimus. — Quod quidem magis etiam patebit, si animadvertatur hominem, utpote sensibilium creaturarum ducem, esse veluti pontificem irrationalis naturæ, ideoque teneri Deum laudare et adorare, non solum proprio, sed etiam inferiorum creaturarum nomine. Atqui hoc melius præstare nequit quam cultum externum exhibendo corporis ope, quod est *microcosmos*, seu compendium totius naturæ sensibilis.

2) Cultus externus necessarius est etiam ratione *interni cultûs*, ad eum scilicet exprimendum et fovendum. Nam ita a naturâ comparati sumus, ut animi interiores affectus, præsertim quando vividiores sunt, modo sensibili, oculis, vultu, gestu totiusque corporis habitu exprimantur; si igitur homo vere et sincere Deum revereatur et amet, sponte et veluti necessario reverentiam et amorem externis actibus, verbis, gestu totoque corporis habitu manifestabit; atqui Deum sincere amare atque adorare tenemur; ergo et hunc cultum externis actibus exprimere. — Secus mox periret cultus internus : cum enim, ex dictis, homo naturaliter ad interiores animi sensus exterius manifestandos pronus sit, decrescentibus exterioribus signis et cæremoniis, generatim minuuntur ipsi religionis sensus, sublatisque signis hujusmodi, communiter ipsa religio perit. Nec mirum : nam homo per sensibilia ad spiritualia manuducitur, per exteriora ad interiorum cogitationem et praxim excitatur, et si hujusmodi incitamenta desint, paulatim languescunt et exstinguuntur etiam animæ dispositiones.

Quod jam animadverterat *Augustinus*[1] : "Nam et orantes, ait de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut

[1] De Curâ pro mortuis, c. V, *Migne*, P. L., XL., col. 597.

humanus ei pandatur animus; sed hinc magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius". Nec dici potest exinde fieri ut religio nostra externis solum ritibus constet; nam, ut merito ait Angelicus Doctor[1], "quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem; ut videlicet, per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus, ad subjiciendum se Deo, quia connaturale est nobis ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus".

859. (c) Quæ quidem adoratio non solum externa, sed etiam *publica* seu *socialis* esse debet. Homo enim ad societatem natus est, et de facto in societate vivit. Jamvero non solum quilibet homo, sed etiam ipsa societas, ut persona moralis, a Deo oritur, ab eoque pendet; necesse est igitur ut non solum singuli privati Deum colant, sed etiam ut tota respublica per modum unius corporis adorationem Deo exhibeat. — Hâc sane ratione Deus specialem elegit diem, quæ veluti exclusive divino cultui devoveretur: voluit enim hâc die omnes ab opere servili vacare, ut Deo publicum honorem exhibere valeant, ut infra exponemus.

860. 3° **Notanda pro praxi.** (a) Moneantur ergo fideles externos et publicos religionis actus esse quidem necessarios, sed nonnisi ex interioribus actibus præcipuum suum valorem desumere: "Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare." Quare genuflexiones, capitis inclinationes, aliaque adorationis signa peragantur cum intentione Deum colendi et amandi.

(b) Cum, ex dictis in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 243-246, Christus sit *mediator religionis* supremusque Pontifex, per quem divinam majestatem laudant Angeli, adorant Dominationes, nil magis decet quam Deum laudare, adorare et glorificare per Christum: "Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritûs sancti, omnis honor et gloria"[2].

§ II. De oratione[3].

Post expositas notiones prævias de oratione, exponemus: 1° ejus *necessitatem;* 2° *efficaciam.*

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 84, a. 2. — [2] *Missale Rom.*, Canon Missæ.

[3] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 83; *Suarez*, Tr. IV, lib. I-III; *Billuart*, diss. II, art. 2-6; *S. Alphons.*, opusculum de oratione *italice* scriptum (Del

861. Notio et species. Oratio, *lato* sensu, est *pia mentis elevatio ad Deum;* distinguitur a *studio*, quo de rebus divinis cogitamus absque pio affectu. Sub hoc respectu complectitur præcipuos religionis actus, videlicet *adorationem*, *gratiarum actionem* pro beneficiis acceptis, *pœnitentiam* pro peccatis, rerum divinarum *meditationem*, *petitionem* bonorum spiritualium, etc. — *Stricto* sensu, communiter definitur *petitio decentium a Deo.* Hanc petitionem, quando fit cum debitâ submissione, esse vere actum religionis facile intelligitur : procedit enim ab intimo sensu indigentiæ nostræ, et est simul practica agnitio divinæ excellentiæ et bonitatis : non enim a Deo petimus gratias, nisi quia nobis intime persuasum est eum esse bonorum fontem, simulque misericordiâ plenum, ita ut possit ac velit nos juvare.

Oratio est *mentalis*, quando solâ mente peragitur, scilicet *intellectu* et *voluntate : intellectu* videlicet de Deo cogitamus, de iis quæ petenda sunt, et de motivis propter quæ eadem consequi expedit; *voluntate*, optamus talem vel talem gratiam nobis a Deo concedi. — *Vocalis*, seu *oralis* dicitur, quando non solum mente, sed *ore* peragitur, verbis aliisve signis. — Iterum vocalis oratio est *privata*, si fit ab orante nomine proprio; *publica*, si fit nomine et auctoritate Ecclesiæ, per ministrum ad id deputatum; ita recitatio divini officii est oratio publica : de hâc agimus in *Tr. de Variis Statuum obligationibus*, n. 132-160.

I. De necessitate orationis.

862. 1° Errores. Orationis tum necessitatem, tum utilitatem negant non solum *athei*, *pantheistæ* et *agnostici*, sed etiamque plerique *rationalistæ*[1], quia, inquiunt, insulsum est a Deo petere ut immutabiles naturæ leges, aut decreta ab æterno concepta, immutet. *Quietistæ* vero orationem ut quid imperfectum pro interioribus animis rejiciebant; ita *Molinos* dicebat[2] : "Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est

gran mezzo della preghiera) et variis lingnis translatum; *Bouquillon*, op.cit., n. 129-225; *Lehmk.*, n. 338-347; *Ball. P.*, n. 313-324; *M. d'Hulst*, Carême 1893, Conf. 3e; *O. Lefranc*, La Prière, Paris, Lethielleux, 1904.

[1] *J. Simon*, La Religion naturelle, 4e Part., ch. 2; ad quem confutandum, vide *Bougaud*, Le Christianisme, t. V, ch. 4.; *Gondal*, La Religion, 1894, l. III; *Tanquerey*, De Verâ Religione, n. 16-19.

[2] Proposit. 14, ab Innocent. XI damnata, ap. *Denzing.*, 1101.

imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ; et illud Evangelii : Petite et accipietis, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; imo hujusmodi animæ eo perveniunt ut non possint a Deo rem aliquam petere."

863. 2° *Thesis :* **Oratio est omnibus adultis viatoribus necessaria necessitate præcepti, imo necessitate medii, saltem juxta legem Dei ordinariam.**

Hic agitur de oratione proprie dictâ, seu de petitione bonorum supernaturalium a Deo. Hæc, juxta omnes, necessaria est quoad *adultos*, quamdiu vivunt, ex *divino præcepto;* sed, juxta communem et veram sententiam, necessaria est etiam *necessitate medii*, ex lege ordinariâ, quatenus est medium a Deo institutum ad consequendas, in præsenti rerum ordine, gratias saluti necessarias.

864. (A) *Scriptura* sæpe inculcat orationis necessitatem, asserens petitionem esse *medium efficax* ad gratiam consequendam, aut ad vincendas tentationes, et quidem ita ut exinde colligi possit sine oratione gratiam obtineri aut tentationes superari non posse : "Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur"[1]; quasi diceret : petitio est medium gratiam consequendi; itaque, si non petitis, non dabitur vobis. Iterum Christus ait[2] : "Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem". Apostoli pariter fidelibus præcipiunt ut orationi sint instantes[3], et in orationibus vigilent[4]. Quæ quidem, omnia simul sumpta, non solum præceptum, sed necessitatem medii supponunt; nam exhortatio ad orandum ut gratiam consequamur et tentationes vincamus, supponit nos non posse, saltem ex lege Dei ordinariâ, alterutrum sine oratione assequi.

865. (B) Patres pariter victoriam contra tentationes, et perseverantiam in bono sæpe orationi tribuunt, quasi esset medium ad hoc necessarium. Quorum doctrinam sic contrahit auctor libri de *Ecclesiasticis dogmatibus*, qui valde probabiliter est *Gennadius Massi-*

[1] *Matth.*, VII, 7-8; cfr. *Luc.*, XI, 9-10. — [2] *Matth.*, XXVI, 41.
[3] *Rom.*, XII, 12; *Colos.*, IV, 2. — [4] *I Petr.*, IV, 7.

liensis (florebat an. 495) : "Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire; nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari; *nullum nisi orantem auxilium promereri*"[1]. Id præsertim docuit *Augustinus*, asserens donum perseverantiæ nonnisi orantibus dari[2], et Deum impossibilia non jubere; siquidem admonet "et facere quod possis, et petere quod non possis"[3]. Quæ verba *Tridentinum* sua fecit[4] : "Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et *petere quod non possis;* et adjuvat ut possis". Manifeste igitur Concilium supponit quædam esse impossibilia, si non petitur gratia quâ fieri possunt.

866. (C) Res quidem a voluntate Dei pendet, qui posset, si vellet, gratiam concedere etiam non orantibus. Attamen omnino decebat ut nonnisi petentibus gratia daretur. Rationi enim consentaneum est ut ipse homo, qui gratiâ indiget ad salutem, concurrat, prout potest, saltem *oratione*, ad propriæ necessitati subveniendum. Quod sic declarat *Catechismus C. Tridentini*[5] : "Nam, cum nihil cuique debeat Deus, reliquum profecto est, ut quæ nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id, quod optaremus, consequendum : præsertim cum quædam esse constet, quæ nisi ejus adjumento non liceat impetrare". Postea orationis *utilitatem* exponit : (a) orantes Deo honorem exhibemus; sic enim ei subjectos esse profitemur, quem bonorum omnium auctorem agnoscimus, in quem solum speramus, quem unum incolumitatis salutisque præsidium atque perfugium habemus. (b) Orando etiam animi virtutes exercemus : *fidem*, quia quo studiosius oramus, eo majorem ac certiorem fidem habemus divinæ curæ et providentiæ; *spem*, quia nonnisi cum fiduciâ gratiam petere debemus; *caritatem*, cum divinam bonitatem in oratione necesse sit contemplari, et aliunde frequenti cum Deo colloquio ad ejus amorem incendamur; *humilitatem*, cum, ad orandum, conscii esse debea-

[1] De eccles. Dogmat., c. 56, P. L., LVIII, 995.

[2] "Imo cum constet alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia *nonnisi orantibus præparâsse*, sicut usque in finem perseverantiam, profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat". (De dono perseverantiæ, c. 16, n. 39, P. L., XLV, 1017).

[3] De nat. et gratiâ, c. 43, n. 50, P. L., XLIV, 271.

[4] Sess. VI, cap. 11, *Denzing.*, n. 686.

[5] *Catech.*, P. IV, c. I, n. 3.

mus propriæ indigentiæ. — Maxime igitur decebat ut quædam saltem bona nonnisi petentibus concederentur.

867. (D) Exinde jam solutæ manent difficultates a *Quietistis* propositæ : imperfectus enim esse nequit actus a Deo præceptus, qui aliunde tantam præ se fert utilitatem. — Nec majorem vim habent *Rationalistarum* argumenta.

Objiciunt quidem Deum petitionibus nostris acquiescere non valere nisi sua consilia mutet. Hanc difficultatem *S. Thomas* jam præoccupavit; nam, ut recte animadvertit[1], Deus a totâ æternitate omnia quidem decrevit, sed, præsentem rerum ordinem disponendo, orationes nostras prævidit, potuitque causas secundas ita ordinare ut effectus, petitionibus nostris consentanei, debito tempore producerentur. Unde quando Deum precamur, non propter hoc oramus ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum, ut scilicet in tempore accipiamus quod nobis Deus omnipotens ante sæcula donare disposuit. — Frustra pariter addunt preces nostras exaudiri non posse quin leges naturæ pereant. Hoc enim imprimis falsum est quando spiritualia bona petimus : si Deum precemur ut nos ad bonum faciendum adjuvet, intellectum illuminando vel voluntatem roborando, minime postulamus ut libertas nostra destruatur, sed potius ut firmetur. Idem dici potest de temporalibus bonis : quando sanitatem postulamus, non petimus ut leges physiologicæ cessent, sed solum ut Deus ita causas secundas disponat, ut, eis recte adhibitis, a morbo curari possimus.

Nec dicere juvat orationem necessariam non esse, quia Deus omniscius non indiget ut ei necessitates nostras exponamus, ut dixit *Kantius*, veterem objectionem recoquens; nam, ut recte ait *S. Thomas*[2], "non est necessarium nos Deo preces porrigere ut ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum"; sic enim melius nostram infirmitatem agnoscimus, majorem fiduciam erga Deum concipimus, majorique conatu cum eo ad bene agendum concurrimus.

868. 3° **Corollaria practica.** (A) Lex orandi, sicut præceptum de fide, spe et caritate (supra, nn. 644, 718, 754) obligat sive *per se*, sive *per accidens* : —

(a) **Per se**, frequentius in vitâ, quin tempus *mathematice* determinari valeat. Unde *hortandi* sunt fideles ut quotidie orent, præsertim *mane*, ad petenda auxilia quibus indigent pro illâ die, et *vespere*, ut gratias agant pro beneficiis acceptis, pœnitentiam eliciant pro peccatis, Deoque animam tradant, antequam somnum capiant. Non

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 83, a. 2. — [2] *Ibid.*, a. 2, ad 1.

peccant quidem *directe* qui matutinas et vespertinas preces omittunt; sed experientiâ constat hos qui easdem non recitant, frequentius, ceteris paribus, in peccatum labi quam eos qui quotidie orant.

(b) **Per accidens**, quoties aliquod officium vitæ christianæ impleri, vel tentatio vinci nequit absque oratione. Unde *hortandi* sunt fideles ut ad orationem recurrant, quoties urget aliquod officium magis arduum, aliquod negotium majoris momenti, vel tentatio magis periculosa.

869. (B) Orandum est quidem in spiritu et veritate : Deus enim, cui patent occultæ hominum cogitationes, preces audit, etiamsi ore non proferantur. Habet tamen *vocalis* oratio propriam utilitatem[1] : (a) ad excitandam *interiorem devotionem*, quâ mens facilius elevetur in Deum, quia per exteriora signa suggeritur et intensior redditur interna affectio; (b) ad *perfectius obsequium Deo* reddendum, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ab Eo accepit, non solum mente, sed etiam corpore, et ita cumulatum offerat sacrificium animæ et corporis.

Nec tamen *multiloquio* indulgendum est, per quod mens sæpe distrahitur; melius est enim pauciores ac breviores preces attente ac devote recitare quam fusiores absque fere ullâ attentione aut mediocri devotione : "Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum"[2]. — Vitanda est præsertim vana ostentatio hypocritarum[3] : "Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus... Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi". Cubiculum, de quo hic agitur, "ad cor hominis referri potest, quod non satis est ingredi, sed præterea occludi oportet, ne quid irrumpat, vel influat in animas extrinsecus, quo precationis integritas violari possit"[4].

870. (C) *Attenta* igitur debet esse oratio; insulsum enim esset petere a Deo ut precibus nostris aurem benigne præ-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 83, a. 12; *Catech. C. Trident.*, l. c., n. 28.
[2] *Matth.*, VI, 7-8. — [3] *Matth.*, VI, 5-6. — [4] *Catech. C. Trident.*, n. 28.

beat, si nos ipsi quod dicimus non attendimus. Cum enim oratio sit ascensio mentis in Deum, temere et irreverenter precationis verba funduntur, si voluntarie a Deo mens peregrinatur, et nullum adhibetur studium ad distractiones dispellendas. — Nec ad veram orationem sufficit attentio *externa*, quâ solummodo excluditur omnis actio ex naturâ suâ cum attentione internâ incompossibilis; sed probabilius requiritur *interna*, seu applicatio mentis ad Deum [1].

(a) Attentio, ex parte *objecti*, diversa esse potest : si mens occupatur in verbis rite pronuntiandis, dicitur *superficialis*, seu *verbalis;* si in verbis recte intelligendis, vocatur *litteralis*, seu *intellectualis;* quando attenditur ad Deum ipsum colendum, vel ad mysterium particulare, aut ad bonum quod petitur, habetur attentio *spiritualis*, seu *mystica;* et hæc est ceteris perfectior, dummodo tamen mens vere sit attenta, et in vanis cogitationibus non divagetur.

Ex parte vero *subjecti*, attentio est plus minusve *perfecta* et *intensa* aut *remissa*, in *unum* objectum directa, aut in plura divisa. — Quidam distinguunt inter attentionem *actualem*, quæ actu exercetur et *virtualem*, quæ virtute perseverat, quamdiu retractata non fuit. Sed hæc distinctio *S. Alphonso* minime placet, et merito : difficile enim concipitur quomodo attentio, quæ est actus *mentis*, virtualiter maneat in eo qui distrahitur, licet involuntarie. Res aliter se habet cum *intentione*, quæ, cum pertineat ad voluntatem, in *effectu virtualiter* perseverat. Sed qui *mentem* alibi habet occupatam, etsi involuntarie distractus, dici nequit attentus etiam virtualiter, cum minime attendat ad ea quæ recitat.

871. (b) Ad *validitatem* orationis sufficit quælibet attentio *interna*, etiam superficialis et remissa. Positâ enim *intentione* orandi, quam supponimus ab initio orationis elicitam et non retractatam, statim ac adest attentio, etiam verbalis et remissa, habetur vera locutio cum Deo, et pia ad ipsum petitio, ut constat ex comparatione cum hominibus qui verba recitant quæ non bene intelligunt, sed nihilominus ea omnia exprimere volunt quæ in scripturâ continentur.

872. (c) Distractiones *voluntariæ in se* aut *in causâ*, *sine sufficienti motivo* admissæ, sunt peccatum *veniale* ex naturâ

[1] Attamen, juxta *Lugo* (De Euchar., disp. XXII, n. 25-41), *probabiliter* ad essentiam orationis non requiritur attentio interna, sed *sufficit externa*, modo oratio cum intentione precandi et attentione mentis inchoetur, atque attentio *virtualiter* perseveret. — Difficile autem concipitur quomodo attentio *virtualiter* maneat in eo qui plene est distractus, ut infra dicitur.

suâ, quia quamdam important irreverentiam contra Deum; non sunt vero peccatum mortale, nisi quando aliunde *graviter malæ* aut turpes sunt; *involuntariæ* autem, etiam multiplices et diuturnæ, nullum peccatum constituunt.

Voluntariæ sunt *in se*, quando quis *actu* eisdem consensum præbet; *in causâ*, quando, ante orationem, vanæ cogitationes libere admittuntur quæ prævidentur fore distractionum causa. Involuntariæ sunt, quando ordinariam diligentiam adhibemus ad eas præcavendas aut expellendas. — Voluntariæ distractiones sunt peccata venialia, etiam in precibus quæ non sunt ex præcepto, nisi *sufficienti motivo* excusentur : quia, statim ac volumus cum Deo loqui, id reverenter facere tenemur. Si vero, inter orandum *utilis* occurrat cogitatio, eam per aliquod tempus revolvere non est peccatum etiam veniale, *dummodo adsit ratio* proportionate sufficiens.

Distractiones, etiam voluntariæ, orationis substantiam non destruunt; non obstantibus enim his distractionibus, animus manere potest ad Deum conversus, et gratias consequi sincere exoptare; Deus autem, qui cognovit figmentum nostrum, et ad misericordiam pronus est, preces exaudire dignatur, etiamsi quibusdam levibus vitiis inficiantur. — Neque cum verâ oratione incompossibiles sunt quædam actiones externæ, quales sunt ambulare, manibus laborare, etc., quæ elevationem mentis in Deum minime præpediunt. Quapropter orare inter ambulandum vel laborandum omnino expedit; nec timendum est ne distractiones, quæ tunc naturaliter occurrunt, sint peccata : *utiles* enim distractiones admittere, dum quis inter manuum labores quasdam preces recitat, nullum est peccatum; quis enim tanquam irreverentiæ reum accusabit eum qui, inter communes actiones, mente ad Deum assurgere conatur, quanquam aliquoties alias cogitationes etiam voluntarie admittit? Id sane asserere non dubitavit rigidus *Concina*, sed in hoc a ceteris theologis merito reprobatus est[1].

873. (D) Non solum pro nobismetipsis, sed etiam *pro proximo*, ex caritate orare debemus, et quidem servantes

[1] *Concina*, In Dec., lib., II, diss. 2, c. 9, § 3, n. 8-9; quem confutat *Bouquillon*, n. 219.

ordinem superius descriptum, n. 805 : oratio enim est unum e præcipuis mediis quibus eum spiritualiter juvare possumus. Pro determinatis personis specialiter precari non tenemur, nisi hæ sint in gravi vel gravissimâ necessitate constitutæ, aut nobis speciali sanguinis vel muneris vinculo conjungantur. A communibus orationibus inimicos excludere non licet.

Neque prætermittendæ sunt animæ in Purgatorio detentæ, quæ peculiari nexu nobis conjunctæ sunt, ut exposuimus in *Tr. de Deo Remuneratore*, n. 49.

II. De orationis efficaciâ.

874. Orationis triplex est effectus : *meritorius*, quatenus gratiam sanctificantem ejusque augmentum consequi potest, positis conditionibus ad meritum requisitis, supra, n. 199-200; *satisfactorius*, quia, cum sit opus arduum, pro peccatis satisfacere potest; *impetratorius*, in quantum vim habet obtinendi gratias actuales quæ a Deo petuntur, positis conditionibus infra recensendis. Cum de duobus prioribus effectibus alibi actum fuerit (supra, n. 196, et de *Pœnitentiâ*, p. dogmat., n. 75-79), de ultimo hic dicendum manet : 1° *num* et *quo sensu* oratio sit efficax, et 2° *quibusnam conditionibus?*

1° *Num et quo sensu oratio sit efficax?*

875. **Thesis :** *Oratio, debitis vestita conditionibus, vim habet consequendi, cum morali infallibilitate, quod a Deo postulatur.*

Declaratur. Hæc infallibilitas non est absoluta, sed *conditionata*, nec oritur ex solâ dignitate orationis, sed ex *superadditâ promissione Dei.* Si enim spectetur sola dignitas orationis *in se*, habet quidem aptitudinem quamdam ad obtinenda ea quæ petuntur, videlicet ex Dei bonitate et misericordiâ; sed non habet *infallibilem* efficaciam, quia per se nullam necessitatem inducit, cum Deus liber maneat in tali casu exercere vel non suam misericordiam. Sed, accedente divinâ promissione, Deus sibimetipsi debet ea largiri quæ promisit, non quidem ex strictâ justitiâ, neque ex merâ liberalitate, sed ex *fidelitate.* Quare infallibilitas non est absoluta, sed *conditionata* et *moralis*, posito quod nempe res

petita sit ad salutem necessaria aut valde utilis (infra, n. 879-883). Ratio enim primaria propter quam Deus preces exaudire promisit, est quia vult nos attingere finem nostrum supernaturalem, cum omnia bona temporalia et spiritualia ultimo ad hunc finem referantur. Hinc, si, pro suâ sapientiâ, prævidet aliquam gratiam in particulari, omnibus attentis, magis nocituram quam profuturam esse, eam concedere vi promissionis suæ non tenetur, sed aliam dabit utiliorem aut opportuniorem.

876. *Probatur.* (A) *Scriptura* multoties orationis efficaciam prædicat.

(a) Exemplum habetur in oratione Abrahæ, qui repetitis precibus obtinuit ut iniquæ Sodomæ parceretur, si decem justi in hâc civitate invenirentur[1]; in præservatione urbis Segor, quæ nonnisi precibus Lot salvata fuit[2]; in casu populi Israelitici, qui, cum deleri meruisset, Moysis intercessione ruinam evadere potuit[3]. Præterea orationis mirabilem effectum sic describit *Ecclesiasticus*[4] : "Oratio humiliantis se nubes penetrabit; et donec propinquet, non consolabitur; et non discedet donec Altissimus aspiciat... Fili, in tuâ infirmitate ne despicias te ipsum : sed ora Dominum et curabit te". Quod poetice declarat angelus Tobiæ :[5] "Quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos... ego obtuli orationem tuam Domino". — Ita pariter, apud Evangelium, publicanus, qui humilem effundit orationem, descendit justificatus in domum suam[6].

877. (b) Sed specialem vim habent promissiones Christi sæpius repetitæ[7] : "Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?... Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se!" — Quod verum est præsertim de oratione, in nomine Christi factâ, id est per ipsum, et cum ipso, et in ipso, quatenus non nostris, sed ipsius meritis confidimus : "Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo,

[1] *Gen.*, XVIII, 16-33. — [2] *Gen.*, XIX, 18-22.
[3] *Exod.*, XXXII, 7-14; cfr. Ps. CV, 23.
[4] *Eccli.*, XXXV, 21; XXXVIII, 9.
[5] *Tob.*, XII, 12. — [6] *Luc.*, XVIII, 14. — [7] *Matth.*, VII, 7-11.

hoc faciam [1]... Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum" [2].

(c) Revera hujusmodi promissiones eventu veræ probatæ sunt. Unus e latronibus, qui cum Christo e cruce pendebant, ita orabat : "Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso" [3]. — Apostoli in cænaculo "erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, et Mariâ, matre Jesu" [4]; et in die Pentecostes, repleti sunt omnes Spiritu sancto" [5]. — Protomartyr Stephanus orat pro persecutoribus : "Domine, ne statuas illis hoc peccatum" [6], et mox Saulus convertitur. — Cornelius centurio enixe precatur, et ita donum veræ fidei obtinet : "Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei" [7]. — Petrus, apostolorum princeps, servatur in carcere : "Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesiâ ad Deum pro eo" [8]; mox angelus eum educit e carcere. — Paulus et Silas, qui in Philippis evangelium prædicaverant, in carcerem mittuntur; ibi autem "orantes laudabant Deum" [9], et mox divinitus liberantur. — Multaque alia ejusmodi facta allegari possent, ex historiâ ecclesiasticâ, quibus confirmaretur veritas promissionum Christi.

878. (B) Idem sæpe inculcant *Patres*, quorum non pauci integros tractatus de oratione scripserunt.

(a) Ita, inter alios, *Tertullianus* suum de Oratione librum sic concludit [10] : "Quid enim orationi de spiritu et veritate negavit Deus, qui eam exigit? Legimus, et audimus, et credimus quanta documenta ejus efficaciæ. Vetus quidem oratio et ab ignibus, et a bestiis, et ab inediâ liberabat, et tamen non a Christo acceperat formam. Ceterum quanto amplius oratur oratio Christianorum, non roris Angelum in mediis ignibus sistit, nec ora leonum obstruit... sed patientes, et sentientes, et dolentes sufferentiâ instruit, virtute ampliat gratiam, ut sciat fides quid a Domino consequatur, intelligens quid pro Dei nomine patiatur... Nunc vero oratio justitiæ omnem iram Dei avertit, pro inimicis excubat, pro persequentibus supplicat... Eadem diluit delicta, tentationes repellit, persecutiones extinguit, pusillanimos consolatur, magnanimos oblectat, peregrinantes deducit, fluctus mitigat, latrones obstupefacit, alit pauperes, regit divites, lapsos erigit, cadentes suspendit, stantes continet. Oratio murus est fidei, arma et tela nostra adversus hominem, qui

[1] *Joan.*, XIV, 13-14. — [2] *Joan.*, XVI, 23-24. — [3] *Luc.*, XXIII, 43-43.
[4] *Act.*, I, 14. — [5] Act., II, 4. — [6] *Act.*, VII, 60. — [7] *Act.*, X, 4.
[8] *Act.*, XII, 5. — [9] *Act.*, XVI, 25.
[10] *Tertul.*, Liber de Oratione, cap. 29, P. L., I, 1195-1196.

nos undique observat". Similia habet *S. Cyprianus*, in libro de Oratione Dominicâ [1].

(b) Inter *Græcos*, audiatur *Gregorius Nyssenus* [2] : "Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio, injuriarum tenacis memoriæ expurgatio, invidiæ profligatio, injustitiæ sublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur est, abundantia domûs, recta juris ac legum in civitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio. Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum et causam dicentium patrona, noxiorum ac vinctorum relaxatio atque solutio, fatigatorum requies, mœrentium consolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium solatium, nuptias contrahentium corona, natalitii festi celebratio, morientium funus". Prosequitur noster Gregorius, plurima facta recensens ex quibus constat orationis efficacia.

2° *De conditionibus requisitis ut oratio sit efficax.*

879. Ut oratio sit vere efficax, quædam requiruntur conditiones ex parte *objecti* quod petitur, *subjecti* orantis, et eorum pro quibus oratur.

(A) Ex parte *objecti*, ea quæ petuntur talia esse debent ut ad *salutem æternam* conducant : oratio enim, sicut cetera bona supernaturalia, ultimo tendit ad æternam beatitudinem.

Quare, si agitur de bonis *supernaturalibus*, salute videlicet et mediis ad eam necessariis aut vere utilibus, *absolute* peti possunt, non tamen *contra* vel *ultra* ordinem divinæ Providentiæ; ita postulari non debent gratiæ quibus amoventur omnes difficultates et tentationes, quæ in præsenti vitâ ad nostram probationem necessariæ sunt, — nec, sine conditione, gratiæ gratis datæ, ut donum prophetiæ aut miraculorum, cum ex eis haud raro superbia nutriatur.

Bona *naturalia*, ut scientia, prosperitas, sanitas, divitiæ, honores, nonnisi *conditionate* peti possunt, in quantum scilicet Deus prævidet eadem nobis profutura; haud raro enim hæc noxia nobis sunt. Idem dic de remotione quorumdam malorum, quæ nostræ sanctificationi utilia esse possunt. Hinc res omnino indifferentes ad salutem, v. g. lucrum ex ludo, petere non decet. Res autem moraliter

[1] Ap. *Migne*, P. L., IV, 520-544.
[2] De orat. dominicâ, Orat. I, P. G., XLIV, 1123.

malas postulare, v. g. auxilium ad furandum, aut inimicum occidendendum, est *ex se grave peccatum*, tum quia desiderium rei malæ involvit, tum quia gravis irrogatur Deo injuria, petendo ut actioni malæ cooperetur.

880. (B) Ex parte *subjecti orantis*, desiderantur *status gratiæ, humilitas, fiducia et perseverantia* : —

(a) *Status gratiæ;* etsi enim peccatorum preces sæpe exaudiantur, quando ceteroquin pœnitentiam agere volunt, ut constat exemplis publicani et latronis superius allegatis, specialis tamen infallibilitas *justorum* precibus adnectitur, ut ex multis Scripturæ verbis constat : " Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum " [1]. — " Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis " [2]; — " Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus " [3]. Et merito : qui enim statu gratiæ fruuntur, Dei sunt amici, ejus mandata servant, eique placere student; mirum igitur non est eorum preces facilius a Deo exaudiri.

881. (b) *Humilitas*, quâ nostræ infirmitatis et miseriæ conscii, non nostris meritis aut viribus innitimur, sed divinæ misericordiæ. Ita sane Abraham, qui sic orabat [4] : " Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis " ; ita et Daniel [5] : " Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis " ; ita etiam publicanus, humiliter Deum deprecans, exauditus est, dum superbus pharisæus, qui nimium suæ justitiæ fidebat, minime Deo placuit [6]. Aliunde aperte dicitur [7] : " Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. " Ratio est quia Deus gloriam suam alteri dare non vult, ideoque gratiam renuit iis qui hâc abutuntur ad se contra ipsum extollendos.

(c) *Fiducia*, quæ Christi meritis et promissis omnino confidit. Hæc enim Deum honorat, eumque suaviter disponit ad nos audiendos [8] : " Quoniam in me speravit, liberabo

[1] *Ps.* XXXIII, 16. — [2] *Joann.*, XV, 7. — [3] *I Joann.*, III, 21-22.
[4] *Gen.*, XVIII, 27. — [5] *Dan.*, IX, 18. — [6] *Luc.*, XVIII, 9-14.
[7] *Jacob.*, IV, 6. — [8] *Ps.* XC, 14-15.

eum : clamabit ad me, et ego exaudiam eum." Quare Christus fiduciam exigebat eorum quos curabat : "Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua" [1]. Hinc et Jacobus aiebat [2] : "Postulet autem in fide (fiduciâ) nihil hæsitans; qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino." Revera, si quis caret fiduciâ, eo ipso de Dei bonitate et promissis dubitat, nec proinde misericordiam consequi meretur. "Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ" [3].

882. (d) *Perseverantia*, quia, dum Deus statim quædam bona concedit, ea nempe quæ hic et nunc necessaria sunt, alia quædam dare non solet nisi post assiduas preces, ut interim melius ad gratias accipiendas disponamur. Quod Christus variis parabolis et exemplis docet : ita amicus *importunus* tandem obtinet panes qui primum ei denegati fuerant [4]; ita mulier Chananæa, prius repulsa, et pluries quidem, propter perseverantiam in oratione, filiæ sanationem consequitur [5]. — Et sane haud raro expedit ut nonnisi post longas et ferventes preces id consequamur quod optamus ; ita enim vividius nostram indignitatem et inhabilitatem concipimus, majorisque æstimamus quod difficilius obtinetur.

883. (C) Ex parte *eorum pro quibus oratur.* Inter theologos controvertitur utrum oratio *pro aliis* facta sit infallibiliter efficax necne.

Negative respondent multi cum *S. Thomâ* [6] : "Contingit enim quandoque quod oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat pie et perseveranter, et de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum quod est ex parte ejus pro quo oratur, secundum illud [7] : Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Nihilominus tamen oratio meritoria erit oranti, qui ex caritate orat." Non pauci tamen, post *Suarez* [8], affirmativam tenent sententiam; nam verba Christi "Quodcumque petieritis" sunt omnino universalia; aliunde oratio pro aliis non solum commendatur, sed ut efficax perhibetur : "Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti

[1] *Matth.*, IX, 2. — [2] *Jacob.*, I, 6-7. — [3] *Hebr.*, IV, 16.
[4] *Luc.*, XI, 5-8. — [5] *Matth.*, XV, 21-28.
[6] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 83, a. 7, ad 2. — [7] *Jerem.*, XV, 1.
[8] *Suarez*, De relig., Tr. IV, lib. I, c. 27.

non ad mortem"[1]; — "Orate *pro invicem* ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua"[2].

Judicio nostro, res sic componi potest : oratio, pro aliis facta, est infallibiliter efficax eo sensu quod aliquem gratiæ effectum consequitur; sed hi, pro quibus oratur, quandoque sunt male dispositi et pertinaciter resistunt gratiæ ipsis oblatæ. — Quidquid sit, orare pro aliis est opus caritatis excellentissimum.

884. Corollarium : de oratione dominicâ. Inter preces quas recitare solemus, eminet *oratio dominica*, quam Christus ipse apostolos docuit tanquam *normam* ceterarum precum. In eâ siquidem, ut recte ait *S. Thomas*[3], " non solum petuntur omnia quæ desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt; ut sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectûs."

In procœmio, brevissimo quidem sed mysteriorum pleno, filialis excitatur fiducia his verbis : *Pater noster, qui es in cælis.* Si *pater*, in eo elucent caritas, indulgentia, benignitas, misericordia; si *in cælis*, magna et infinita est ejus potentia; ideoque potest et vult benigne nostras preces exaudire. Voce *noster* edocentur fideles se fratres ad invicem esse, et pro invicem orare debere.

Petitiones vero ordinantur secundum ordinem caritatis, ut primum attendamus *ad Deum*, deinde *ad nosmetipsos.* Relate ad *Deum*, petimus ut augeatur sanctitas et gloria divini nominis : *Sanctificetur nomen tuum;* deinde vero ut extendatur regnum Dei, seu prædicatio et praxis Evangelii : "*Adveniat regnum tuum*"; proindeque ut voluntas Dei adimpleatur in terrâ, ejus leges sedulo serventur et mandata custodiantur, ut regnare possit in mentibus hominum : "*Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terrâ.*" — Relate ad *nos*, postulamus imprimis "*panem nostrum quotidianum*", id est non solum materialis vitæ subsidia, sed etiam et præsertim cibum spiritualem, nempe verbum Dei, panem eucharisticum, ceterasque gratias quibus anima nutritur; postea,

[1] *I Joann.*, V, 16. — [2] *Jacob.*, V, 16.

[3] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 83, a. 9; hanc orationem dominicam exposuere multi Patres, ut *Tertullianus*, *S. Cyprianus*, et, post eos, *Catechismus C. Tridentini*, p. IV. Cfr. *Hurter*, Patrum opuscula selecta, t. II.

ut removeantur impedimenta ad æternam beatitudinem, videlicet peccata : " *Et dimitte nobis debita nostra*, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris "; ex quo ad aliis ignoscendum potenter movemur, cum remissio peccatorum pendeat a condonatione injuriarum; ac consequenter ut tentationes vincamus, quibus ad peccandum allicimur : " *Et ne nos inducas in tentationem* ". Tandem, quasi brevi compendio, petimus ut *liberemur a malo*, non quidem ab omnibus malis, sed ab iis tantum quæ nullam animæ utilitatem afferre possunt; et ut mala, quibus aliquando premimur, patienti, imo et libenti animo feramus.

885. Notandum. Hucusque de oratione quæ ad Deum ipsum dirigitur. Et sane Deus *solus* orandus est tanquam *primus* et *principalis* bonorum auctor et largitor. Cum Christus sit Deus-Homo, ad eum preces nostræ etiam dirigi possunt ac debent; præterea, ut homo, mediator est perfectissimus, " semper vivens ad interpellandum pro nobis "[1]; ideoque preces nostræ, per Christum oblatæ, majorem consequuntur efficaciam.

Præterea, ex dictis in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 300-306, bonum atque utile est sanctos, et præsertim B. Virginem, invocare; declarat enim *Tridentinum*[2] " Sanctos una cum Christo regnantes, *orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile* esse suppliciter eos *invocare :* et ob beneficia impetranda *a Deo per filium ejus Jesum Christum* Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere ". Ex quibus constat : (**a**) invocationem sanctorum esse quidem bonam ac utilem, sed non necessariam ad salutem; (**b**) gratias non a sanctis ipsis sed a Deo exspectandas esse; (**c**) sanctorum intercessionem inniti meritis Christi, qui solus est Salvator noster et Mediator proprie dictus, dum sancti sunt tantum mediatores improprie et secundarii.

[1] *Hebr.*, VII, 25.
[2] *Trident.*, sess. XXV, ap. *Denzing.*, n. 860.

§ III. De devotione[1].

886. 1° Genuinus devotionis conceptus. Quo facilius cetera religionis officia impleantur, cordibus nostris infunditur, et repetitis actibus augetur *devotio*, seu *voluntas prompte se tradendi Deo ejusque cultui.* Devotio enim dicitur a devovendo, et devoti apud Gentiles dicebantur qui seipsos diis devovebant in mortem pro reipublicæ salute. Proprium igitur devotionis est prompte et alacriter Dei servitio se totum tradere. Potest quidem considerari ut actus, sed hic sumitur pro *habituali* dispositione.

(a) Hæc præsupponit quidem amorem Dei et ex eo oritur, sed est veluti *intensior gradus* caritatis. Primus gradus caritatis in eo consistit ut omnia Dei præcepta rite serventur; sed quando ad eum perfectionis gradum pertingimus ut non solum mandata servemus, sed etiam sollicite, diligenter, prompte atque alacriter bona opera faciamus, caritas nomen devotionis accipit. Quapropter, juxta *S. Franciscum Salesium*, si caritas igni comparatur, devotio flammæ æquiparari potest.

887. (b) Devotio igitur secerni debet a diversis *devotionibus*, seu actibus et obsequiis spiritualibus quibus cultus erga tale mysterium aut talem sanctum exercetur : hæc diversa sunt secundum cujusque indolem et inclinationem, et secundum varia tempora, dum illa eadem est substantialiter in omnibus mentibus, et variis sæculis. Ceteroquin devotiones suam vim habent ex interiori devotione, et in tantum prosunt in quantum hanc augent; quare, si ex earum multiplicatione vera devotio minuitur, sedulo resecandæ sunt, ne pereat ipsa devotio.

888. (c) A verâ devotione differt *suavis* ac *sensibilis* illa *affectio*, seu *delectatio*, quam aliquando experimur in Dei servitio. Sunt enim qui his consolationibus fruuntur, et paulo post vitiis se tradunt, dum alii eis privantur, qui ex toto corde et ex totis viribus Deo famulantur. Nec mirum : piæ enim hujusmodi emotiones sæpe ab ipsâ naturali complexione oriuntur, et quandoque etiam incipientibus divinitus conceduntur, ut hi sensibilibus affectibus ad veram pietatem paulatim trahantur. Non sunt igitur contemnen-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 82; *Suarez*, op. cit., Tr. IV, lib. II, c. 6-8; *S. Fr. de Sales*, Introd. à la Vie dévote, (Philothea), ubi egregie de devotione agitur.

dæ[1], cum nos a mundi vanitatibus et voluptatibus deterreant : minimum enim spirituale gaudium omnibus mundi consolationibus longe præstat. Attamen his piis affectibus nimis non est fidendum : sunt enim quid transitorium et accessorium, et in tantum valent in quantum nos ad solidam pietatem trahunt. Si nos arrogantes, præsumptuosos, vanos, curiosos, impatientes, inobedientes reddunt, valde perniciosi sunt; si e contra nos faciunt humiliores, benigniores, ferventiores, magis pronos ad obedientiam, mortificationem et officiorum statûs adimpletionem, vere utiles sunt et a Deo procedunt.

Quando igitur spirituales consolationes occurrunt, iis utendum est ad fovendam humilitatem, suî abnegationem, passionum ac vitiorum mortificationem. Præ mente vero habendum est veram ac solidam devotionem non esse eam quæ piis emotionibus innititur, et in sensibili appetitu sita est, sed eam quæ fide et caritate nutritur, in voluntate manet, et ad *ardua* propter Deum et proximum facienda inducit.

889. 2° **Media in devotione proficiendi.** Valde utilem esse veram devotionem ex eo patet quod nos promptos et alacres reddit ad officia religionis adimplenda, ideoque spiritualem profectum maxime promovet, veramque pacem et gaudium internum affert. Maximi igitur est momenti in devotione assidue proficere.

(**A**) Ad hoc autem primum *removenda* sunt quædam *impedimenta :* (**a**) *proclivitas ad consolationes terrenas* et *voluptates;* nemo enim duobus dominis servire potest, mundo et Christo, voluptati et devotioni, carni et spiritui, sed inter hæc duo necessario est eligendum. Nihil enim nos magis a Dei famulatu avertit quam inordinatus affectus ad terrena et carnalia, cum mens his deliciis irretita, ea quæ sunt Dei sapere non valeat : "Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritûs sentiunt... Quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim

[1] Quare damnata est ab *Innocentio XI*, 20 nov. 1687, hæc propositio 27 Molinos (*Denzing.*, n. 1114) : "Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quærit Deum, sed seipsum; et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus". De utilitate ac periculis sensibilium consolationum, necnon de spiritualibus ariditatibus præclare disserit *S. Franc. Salesius*, Introd. à la Vie dévote, p. IV, ch. 13-15.

potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt"[1].

(b) *Immoderata rerum temporalium sollicitudo, nimiaque occupatio* in rebus externis. Officium quidem christianis incumbit se suosque sustentandi, ideoque strenue laborandi; sed vitium est ita in negotiis, laboribus, terrenisque sollicitudinibus immergi, ut vix de cœlestibus cogitatio habeatur, et officia religionis prætermittantur, aut nonnisi negligenter impleantur.

Quâ de re audiatur Dominus[2]: "Ideo dico vobis: ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis". Igitur, inter varias mundi sollicitudines et occupationes, aliquando mens ad Deum erigatur; et statuta tempora ad orandum et de salute cogitandum præfiniantur, ne mens in profundum terrenæ sollicitudinis mergatur.

890. (c) *Nimia curiositas*, et *affectio immoderata ad studia*, etiam theologica; hæc enim, nisi temperetur purâ intentione et frequenti elevatione mentis in Deum, facile succum devotionis ebibit, et mentem penitus exsiccat. Ex adverso autem, si studio vacamus intentione Deo placendi et proximum instruendi, si acquisitâ scientiâ utimur ad nostram aliorumque fidem et caritatem nutriendam, multum sane in devotione proficimus[3].

Quare *S. Bernardus* discipulum et amicum Eugenium III, ad cathedram Petri evectum, enixe hortatur, ut, inter innumeras quibus premitur occupationes, considerationem non negligat[4]: "Et primum quidem ipsum fontem suum, id est mentem, de quâ oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert... Hæc

[1] *Rom.*, VIII, 5-8.

[2] *Matth.*, VI, 25-33; integer legatur locus cum comparationibus ibi allatis.

[3] Ad rem *S. Thomæ*, 2. 2æ, q. 82, a. 3, ad 3: "Scientia et quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est quod homo confidat de seipso; et ideo non totaliter se Deo tradat... Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur."

[4] *S. Bernard.*, De consideratione, lib. I, c. 7, P. L., CLXXXII, 737.

est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit : quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est".

891. *Media* autem *positiva* quibus fovetur devotio, sunt : (a) *attenta* et *pia consideratio divinorum beneficiorum* et *propriorum defectuum.*

Quod præclare declarat *S. Thomas*[1] : cum enim devotio sit actus voluntatis, necesse est ut ex aliquâ intellectûs consideratione procedat. "Ad quod quidem inducit duplex consideratio : una quidem quæ est ex parte divinæ bonitatis et beneficiorum ipsius, secundum illud[2] : Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam; et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud[3] : Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi : auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram; et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur". Inter beneficia divina, præsertim recogitare juvat dominicam passionem : dum enim Christi angores, cruciatus et ignominiosam mortem recolimus, facile intelligimus totam vitam nostram, omnes labores, omnia obsequia ei deberi qui tanta pro nobis passus est.

892. (b) Nec minus prodest *frequens divinæ præsentiæ cogitatio,* cum brevibus *jaculatoriis orationibus,* et sæpe repetitâ *actionum oblatione.* His enim exercitiis tota vita nostra in Deum ordinatur; et sane quoties oculos mentis ad Deum vertimus, præsertim vero si recogitamus eum in templo cordis nostri assidue inhabitantem, nostrasque actiones tanquam spirituales hostias ei offerimus, toties nos nostraque Deo dicamus ac devovemus, et ita mirifice crescit devotio.

(c) Tandem ipsa *oratio* maxime devotionem juvat, sicut et facilior redditur per devotionem : adest enim mutuus et constans influxus orationis in devotionem, et devotionis in orationem. Cum enim vera devotio sit donum Dei, eam enixe postulare debemus; aliunde, cum devotio nos promptos reddat ad Dei famulatum, ferventiores effundere facit preces.

893. Corollarium. Exinde sequitur genuinam devotionem non solum clericis et religiosis, sed etiam omnigenæ hominum vocationi et statui convenire : omnes siquidem

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 82, a 3. — [2] *Ps.* LXXII, 27. — [3] *Ps.* CXX, 1.

possunt ac debent Deum diligere et suam vitam prompte et alacriter in eum ordinare. Si devotio in jejuniis et lacrymis, in assiduis precibus recitandis, vel contemplatione, in austeritatibus aut vigiliis sita esset, paucis quidem accommodaretur. Sed vera devotio, nedum obstet officiis cujuslibet statûs adimplendis, maxime nos juvat ad ea perfectius exsequenda : ita materfamilias, quæ vere devota est, melius virum et filios diliget, quia non solum ob motiva naturalia, sed etiam propter Deum et Christum eis benefacere studebit. Curent igitur spirituales directores ut, vestigiis *S. Francisci Salesii* inhærentes [1], ita devotionem doceant, ut pœnitentes suaviter inducant ad omnia proprii statûs officia perfectius adimplenda.

Art. II. De vitiis religioni oppositis [2].

Præter peccata omissionis, quæ ex dictis supra sat facile intelligi possunt, duo sunt peccatorum genera quæ religioni opponuntur; *superstitio*, per *excessum;* et *irreligiositas*, per *contemptum.*

§ I. De peccatis superstitionis.

894. Superstitio (a voce *super-sto*) *etymologice* designat id quod *nimium* est (super id quod debetur); et *quoad rem*, vitium quo divinus cultus exhibetur creaturæ cui non debetur, vel Deo, modo tamen indebito.

Dicemus : 1° de *idololatriâ;* 2° de *superstitiosis observantiis;* 3° de *hodiernis factis* magnetismi et spiritismi, in quibus agentia *supernaturalia* intervenire possunt.

I. De idololatriâ.

895. 1° **Notio.** Idololatria in eo sita est quod *divinus cultus alicui creaturæ exhibetur.* Quando quis supremum cultum defert idolo, putans istud esse Deum, idololatria includit errorem intellectûs, infidelitatem aut hæresim :

[1] Cfr. *S. Fr. de Sales*, Introd. à la Vie dévote, p. I, ch. 3; *Hamon*, Vie de S. Fr. de Sales, Paris, 1858, l. V, ch. 1.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 92-100; *Suarez*, op. cit., Tr. III; *Billuart*, diss. VII, VIII; *S. Alphons.*, lib. IV, de Præceptis, n. 1-117; *Lehmk.*, n. 351-404; *Ball. P.*, n. 325-531.

tales fuerunt Gentiles et Manichæi, tales sunt hodierni pagani. Si quis vero, sciens unicum esse Deum, alicui creaturæ divinum exhibet honorem, ex odio Dei aut cupiditate aliquid a dæmone impetrandi, non habetur quidem infidelitas, sed maxima cordis pravitas.

Sub alio respectu, idololatria est *vera* et *interna*, quando quis intentionem habet adorandi falsum numen; *simulata* aut *externa*, si quis, ex metu aut jussu, exterius idolum adorat, quin interne velit hoc obsequium præstare : ita, tempore persecutionum, non pauci, qui *lapsi* dicti sunt, idolis sacrificaverunt.

896. 2° **Malitia.** *Idololatria est per se gravissimum peccatum.* (a) Strictissime prohibita fuit primo Decalogi præcepto, et quidem sub gravissimis pœnis; revera, ex totâ historiâ Judæorum constat, hos fuisse severe reprobatos, et diris calamitatibus castigatos quoties, derelicto Supremo Numine, falsis diis sacrificaverunt. (b) In primis Ecclesiæ sæculis, idololatria habebatur ut unum e gravissimis peccatis, propter quæ publica infligebatur pœnitentia, sæpe usque ad finem vitæ protracta : hinc *lapsis* non concedebatur reconciliatio nisi paulo ante mortem, aut quando nova exsurgebat persecutio.

(c) Revera qui creaturæ divinum honorem impendit, "quantum in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum"[1]; et, sicut in ordine civili, gravissimum est regium honorem impendere alteri quam vero regi, quia sic perturbatur totus ordo reipublicæ, ita qui falso numini divinos honores exhibet, Dei auctoritatem evertit.

897. Idololatria vero *simulata* minus gravis est quam interna, etsi *ex se* peccatum mortale constituat tum propter externam fidei negationem (supra, n. 653), tum propter scandalum aliis datum. Insuper idololatræ qui *ignoranter* falsa numina colunt, minus graviter peccant quam hæretici qui *scienter* adulterant fidem quam acceperunt.

898. *Corollarium.* Idololatriam prope accedunt qui sanctos, reliquias et imagines ita colunt et invocant, ut credant ipsis inesse virtutem *propriis* viribus dona naturalia aut supernaturalia *largien-*

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 94, a. 3.

di; ita enim creaturis tribuitur quod soli Creatori competit. Quare sedulo instruendi sunt fideles, ne forte, dum his devotionibus indulgent, paulatim in superstitionem incidant.

II. De superstitiosis observantiis[1].

899. 1° **Generalis conceptus.** Superstitiosæ observantiæ dicuntur *illæ agendi rationes, quibus adhibetur medium vanum et improportionatum ut aliquis obtineatur effectus.* Duo igitur vanam observantiam patefaciunt : *manifesta insufficientia* mediorum ad effectum consequendum, et *infallibilitas* quæ his mediis tribuitur. Quando enim hæc duo concurrunt, intentus effectus nonnisi ab agente *supernaturali* exspectari potest; et ita habetur superstitio, quia talis effectus exspectatur vel a Deo aut angelis ejus, contra ordinem divinitus institutum, vel a dæmone, per pactum sive explicitum, sive implicitum.

Ita superstitionem redolent hæc aut similia : velle audire missam ante ortum solis, aut cum certo numero et ordine cereorum, celebratam a sacerdote cujus nomen est Joannes, etc., si persuasio habeatur his variis circumstantiis infallibiliter obtineri speciales et extraordinarios gratiæ effectus : nulla enim est proportio sive ex se, sive ex institutione divinâ, inter hæc *ridicula* et effectum intentum. — Generatim hoc genus superstitionis peccatum *veniale* non excedit, ob bonam fidem et simplicitatem; sedulo tamen reprehendi ac corrigi debet, quia secus viri, parum in fide roborati, a verâ religione arcentur.

900. Sæpius autem extraordinarius effectus a diabolo vel spiritu malo exspectatur. Quandoque fit veluti pactum *explicitum* (reale aut imaginarium) cum dæmone, aut saltem hic *expresse* invocatur; aliquando adest solum *tacita* invocatio, quatenus agens *novit* causam adhibitam esse *ineptam* ad effectum consequendum, nisi spiritus malus interveniat.

Ab his autem superstitionibus omnino differunt *experimenta*, quæ a peritis fiunt, ad detegendas novas leges naturæ hucusque ignotas. Multa enim sunt *occulta*, quæ nonnisi patienti et diuturnâ observatione detegi possunt; et non pauca *phænomena*, quæ olim *magiæ* adscribebantur, hodie naturaliter explicantur.

---

[1] Præter auctores jam allegatos, cfr. *Del Rio*, S. J.; *Ami du Clergé*, Le Spiritisme, t. XXII, 1900, pp. 328, 488, 758; Le Démonisme, t. XXIV, 1902, pp. 289, 625, 849, 897, 977, 1057. Nobis tamen videtur ibi plus diabolo tribui quam necesse est, si facta critice inspiciantur.

901. 2° **Speciatim de divinatione.** Inter superstitiones recensetur *divinatio*, quâ *dæmon expresse vel tacite invocatur ad res occultas ejus ope cognoscendas.*

Multiplex esse potest : *evocatio spirituum*, quando hi sensibili specie apparent; *necromantia*, quando quæritur mortuorum apparitio; *oniromantia*, si per somnium fit occultorum manifestatio; *pythonismus*, si, per homines aut mulieres, spiritus occulta docent; *aruspicium*, si ex intestinis animalium diis immolatorum quæruntur secreta; *augurium* vel *auspicium*, si ex animalium clamoribus, avium cantu aut volatu exspectatur occultorum manifestatio; *chiromantia* aut *physiognomia*, quando ex lineamentis manuum aut vultûs quis futura detegere conatur; *sortilegium*, si ex signis arbitrarie electis, v. g. ex jactu taxillorum, quæritur occultorum notitia, etc.

902. 3° **Vana observantia.** Hæc a divinatione differt, quia non tam ad occulta detegenda ordinatur, quam *ad aliquem effectum producendum.*

Triplex distingui solet : (a) ars *notoria*, seu ars scientiam acquirendi sine labore, mediis prorsus ineptis, v. g. proferendo quædam verba; (b) *ars sanitatum*[1], seu ars curandi morbos mediis ineptis, v. g. *amuletis* collo appensis, diversis signis aut verbis quæ existimantur suum effectum producere *ex opere operato;* (c) *maleficium*, quo quis, mediis pariter ineptis, aliquod malum proximo inferre conatur; dicitur *amatorium*, si eo tendit ut amorem vehementissimum aut odium excitet, et *veneficum*, si eo tendit ut damnum inducat in personam, familiam vel bona.

903. 4° **De malitiâ superstitiosarum observantiarum.** (A) Prænotandum est multa ex phænomenis, quæ superstitiosa dicuntur, *fraudi* aut *imaginationi* adscribenda esse. Cum enim apprime notum sit inesse hominibus innatam propensionem ad occulta detegenda, aut mira videnda, in omnibus sæculis et regionibus inventi sunt astuti homines, pecuniæ cupidi, qui, ad curiositati favendum, finxerunt se commercium habere cum agentibus *supranaturalibus*, et solerti industriâ eos deceperunt[2]. Insuper qui vividâ ima-

[1] Quæ quidem superstitio omnino distingui debet a dono, naturali aut supernaturali, quosdam morbos curandi, quod certis hominibus competit. Quando hi nihil *ridiculi* operantur, et aliunde sunt *honesti*, *nec* aliquod *pactum* cum diabolo inierunt, non sunt ab hoc dono exercendo prohibendi, præsertim si protestantur se rejicere velle quidquid diabolicum esset. Cfr. *Noldin*, n. 161.

[2] Ita famosus *Home*, qui in magnis urbibus, et præsertim Parisiis, magicam artem exercuerat, et responsa a tabulis rotantibus obtinue-

ginatione præditi sunt, phantasmata sæpe pro veris phænomenis habent[1], præsertim suggerente tertiâ personâ. — Quædam vero alia facta, quæ olim diabolo tribuebantur, re melius perpensâ, *viribus naturalibus* adscribi possunt : recenter enim inventa ostendunt multas esse vires, olim ignotas, quibus mirifici effectus obtinentur. — Attamen, cum revera sint *spiritus mali*, qui homines ad malum sollicitant, ut dictum est *De Deo Creante*, n. 91-99, mirum non est, eorum ope, quandoque præternaturalia et prodigiosa perfici, quo facilius incauti decipiantur et ad illicita trahantur. In singulis ergo casibus, sedulo omnes circumstantiæ perpendi debent, ut dignosci possint utrum facta allegata sint diabolica necne, et utrum pœnitentes superstitiosam intentionem habuerint an non.

904. (B) Quidquid sit de quæstione speculativâ, malitia moralis superstitionum dijudicari debet præsertim ex ipsâ *intentione* agentium, ex *effectibus* quos præviderunt, et ex *periculis* peccandi quibus se exponunt.

(a) Imprimis, si adfuerit *pactum explicitum* cum dæmone, reale vel imaginarium, vel *expressa* ejusdem *invocatio*, sane *gravissimum* est peccatum; gravem enim injuriam Deo infert qui serio societatem init aut inire vult cum diabolo, Dei inimico infensissimo : " Nec inveniatur in te... qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem; omnia enim hæc abominatur Dominus "[2].

(b) Etiam, quando non est pactum explicitum, si scienter adhibetur, ex superstitione, medium quod *ineptum* est *ad effectum intentum*, committitur peccatum *grave per se*, quia *implicite* optatur interventus diabolicus. Attamen, in hoc

---

rat, prope moriturus declaravit se ipsum hujusmodi responsa dedisse. Cfr. *P. Davis*, La fin du monde des esprits, le spiritisme devant la raison et la science, Paris, 1887, p. 287; *Surbled*, Spirites et Médiums, Paris, 1901, p. 93-105.

[1] *Malefici*, qui ad *sabbatum* celebrandum coadunari censebantur, *narcoticis* medicamentis utebantur, et plerumque *somniabantur* se videre ea quæ postea narrabant. (*Surbled*, La morale, t. IV, ch. 19).

[2] *Deut.*, XVIII, 10-11; cfr. *Levit.*, XIX, 31; XX, 27.

casu, multi a peccato mortali excusantur, propter simplicitatem aut ignorantiam, aut quia ex merâ curiositate agunt, præsertim si non adest certa exspectatio eventûs, sed solum quædam spes. Avertendi sunt tamen pœnitentes ab hujusmodi superstitionibus, quæ paulatim a verâ religione mentem divertunt.

(c) Si quis *maleficium* adhibeat, peccat insuper contra caritatem et justitiam; et si damnum vere proximo infertur, adest obligatio illud reparandi.

(d) *In dubio* utrum phænomena sint *naturalia* an *diabolica*, applicanda sunt principia de cooperatione (supra, n. 185) : licet igitur actionem ponere, quæ ex se non sit evidenter mala, dummodo habeatur ratio agendi proportionate gravis, et intendatur bonus effectus, non autem malus, seu cooperatio diabolica.

905. (C) Quædam sunt phænomena *extraordinaria* quæ hodie satis communiter ut naturalia habentur, aut saltem haberi possunt, ac proinde licita sunt ex jam dictis : — (a) Ita damnari nequit usus *virgæ divinatoriæ* ad detegendas aquas vel quædam metalla : motus enim hujus virgæ sat facile explicatur ex influxu quodam aquæ vel metallorum; revera pii christiani et sacerdotes eâ utuntur, absque ullo timore diabolici interventûs [1].

(b) Aliquando *somniantibus*, et aliquoties *vigilibus*, manifestantur quædam occulta sive a Deo [2], sive modo naturali per quamdam, ut aiunt, *telepathiam* [3]; aliunde dæmonem posse aliquot phantasmata in dormientium mente excitare communiter admittitur [4]. Ex circumstantiis igitur dignos-

[1] *Revue du monde invisible*, 15 oct. 1898; 15 juil. 1899; *Surbled*, Le secret des Sourciers, in Science Catholique, sept. 1902.

[2] *Num.*, XII, 6; *Act.*, II, 17.

[3] Facta *telepathiæ*, quæ non solum per somnum, sed etiam in statu vigiliæ occurrunt, exposita invenies in opere "Phantasms of the living", by *Gurney*, *Myers* and *Podmore*, gallice redditum auctore *L. Marillier*, sub hoc titulo "Hallucinations télépathiques", Paris, Alcan; *Surbled*, Morale, t. IV, ch. 14; *C. Flammarion*, L'Inconnu et les Problèmes psychiques, Paris, 1900; *J. Maxwell*, Les Phénomènes psychiques, 2e éd., 1904, Paris, Alcan, p. 183-191; *Civiltà cattolica*, Serie XVII, vol. VII, p. 144, 411, 673, etc.

[4] Quod etiam infertur ex *Deut.*, XVIII, 10.

cendum est utrum hæc somnia aut præsagia sint divinitus immissa, an diabolica, aut naturalia. Si a Deo procedunt, res manifestata nihil ridiculi præ se fert, ad bonum impellit, animam tranquillam relinquit necnon alacriorem ad opera pietatis peragenda. — Temerarium autem esset, ex iis quæ in somno apparuerunt, suas actiones dirigere, cum hâc in re hallucinatio frequens occurrat. — Interdum vero aliquam actionem indifferentem ponere aut omittere, propter somnium, non prohibetur, cum præmonitiones in somno acceptæ aliquando veræ sint.

III. De hodiernis factis quæ nomine magnetismi aut spiritismi circumferuntur.

906. 1° **Conspectus historicus.** Nostrâ ætate, sub nomine *magnetismi* et *spiritismi*, multa publici juris facta sunt phænomena, de quibus inquiri potest utrum sint diabolica vel non.

(a) *Magnetismi animalis* præcipuus fautor agnoscitur *Antonius Mesmer*, Vindobonensis medicus, qui circa finem sæc. XVIII, novos quærens curandi modos, putavit se mirum invenisse medium in fluido quodam subtilissimo, quod fluido magnetico simile est, et supponitur ex animalium corporibus manare, imo omnia prorsus corpora pervadere. Ejus systema evolverunt ejus discipuli, præsertim *Puységur*, et *J. Braid*[1]. Tria sunt præsertim phænomena magnetismo adscripta, quæ sive manuum gesticulationibus, vel magnetizatis substantiis, aut etiam simplici voluntatis nutu, verbis expresso, producuntur : *convulsiones*, variique physiologi effectus qui pro diversâ infirmorum conditione varii sunt; status quidam *paralysis et catalepsis*, in quo membra rigida fiunt, et sensibilitas evanescit; *somnus magneticus*, in quo magnetizatus, licet sensuum usu destitutus, videt tamen, audit et loquitur, imo mira cognoscit, quæ antea ipsi ignota erant, actionesque perspicit quæ occulte vel

[1] Cfr. *Deleuze*, Histoire critique du magnétisme animal, Paris, 1813; *Puysegur*, Mémoire pour servir à l'histoire... du magnétisme, Paris, 1830; *J. Braid*, Neurypnology, or the Rationale of nervous sleep... London, 1843; *A. Wood*, What is Mesmerism, Edinburgh, 1851; *Heidenhain*, Animal magnetism, London, 1880; *Perrone*, de Virtute religionis, n. 400 seq.; *Encyclopædia Britannica*, verbo *Magnetism animal; Gasc-Desfossés*, Magnétisme vital, Paris, 1897; *Surbled*, Morale, t. IV, ch. 6. — De *obsessione* et *possessione* diabolicâ dictum est *De Deo Creante*, n. 95-99. Aliquando autem quædam facta, obsessioni similia, meræ sunt hallucinationes. Cfr. *Véronnet*, La possession diabolique, in *Revue du Clergé français*, t. XXXVII (1904), p. 570, et t. XXXIX, p. 423.

procul peraguntur. — Magnetismo mox successit *hypnotismus*, cujus phænomena superius descripta sunt, n. 134.

907. (b) *Spiritismus* modernus[1] ortum habuit in Statibus Fœderatis Americæ. Jam anno 1832, tres pueri ludentes, manu superpositâ cuidam mensæ, eam rotare fecerant, praxisque hujusmodi illico longe lateque per Americam diffusa est. Sed, an. 1848, nova ejusdem rei phasis incœpit in oppidulo status Neo-Eboracensis, *Hydesville* nuncupato; videlicet in domo quam incolebat familia *Fox*, e sectâ methodistarum, crepitus et rumores auditi sunt : stupefactæ quidem, sed non perterritæ, duæ adolescentulæ quæ ibi degebant, putantes adesse *spiritum*, ab eo postulârunt ut distinctis ictibus vellet respondere; quod quidem ita successit, ut *mediatrices* inter spiritus et personas, quæ cum eis communicare vellent, paulo post evaserint. Quandoque etiam varia domûs utensilia huc illuc projiciebantur, sive cubiculis clausis, sive præsente familiâ *Fox*. Exinde res non solum in Americâ sed in totâ Europâ crebuit et annis 1852-54 communis facta fuit. Ubique notatum est præcipua phænomena nonnisi præsentibus quibusdam personis fieri; quæ personæ *media* seu *mediatores* appellantur, cum nonnisi his *mediantibus* phænomena producantur. Nec singula *media* æqualem vim seu aptitudinem ad ea patranda habent, sed alia aliis peritiora sunt; insuper eadem media non videntur æque apta ad eosdem effectus in quâlibet sessione producendos, sed plus minusve succedunt secundum varias circumstantias. — Diversæ autem fuerunt spiritismi formæ : aliquando enim spiritus responsa edebant mediantibus mensis rotantibus, sive varios ictus percutiendo, sive scribendo pennæ vel styli ope, aut per manum *medii;* nonnunquam autem directa fiebat spirituum evocatio et apparitio. Quæ quidem omnia variis phænomenis comitabantur *mechanicis*, v. g., *levitationis*, quibus leges naturæ de gravitate corporum suspensæ videbantur; *luminosis*, coruscationibus fulgoribusque subito apparentibus; vel etiam *strepitibus* ventorum sibilum, vel aquarum mugitum imitantibus; aut sonis harmonicis humanas voces imitantibus; *physiolo-*

[1] *E. W. Capron*, Modern Spiritualism, Boston, 1855; *Edmonds and Dexter*, Spiritualism, N. York, 1854-57; *Allan Kardec*, Le livre des esprits, Le livre des médiums, Paris, 1864-1865; *O. Brownson*, The Spirit Rapper; *Crookes*, Researches on the Phenomena of Spiritualism; *Encycl. Britannica*, verbo *Spiritualism;* *E. Méric*, Le Merveilleux et la Science, Paris, 1887; *id.*, L'imagination et les prodiges, Paris, 1905; *E. Dupouy*, Sciences occultes et physiologie psychique, Paris, 1898; *Surbled*, Spiritualisme et spiritisme, Paris, 1898; *Gibier*, Le Spiritisme, Paris, Doin, 1904; *Grasset*, Le Spiritisme devant la Science, Paris, Masson, 1904; *Maxwell*, Les Phénomènes psychiques, ubi methodice et accurate describuntur phænomena ab ipso observata. — Modernas spiritismi theorias exponit *L. Denis*, Christianisme et spiritisme, Paris, Leymarie, 1903; *id.*, Après la mort.

gicis, functionibus scilicet vitalibus plus minusve perturbatis, præsertim vero nervoso systemate plus minusve excusso et quasi exhausto. Attamen minime dubitandum est plurimas fraudes in his omnibus intervenisse, et difficile est sæpe verum a falso secernere[1].

908. 2° Præcipua phænomena. Inter phænomena quæ *scientifice* perpensa fuerunt, et a fraudibus immunia esse existimantur, hæc præsertim recenseri possunt :

(A) Phænomena physica : (a) *strepitus* tabulæ, cujus pes se erigens et postea declinans, terram percutit et ita responsa profert; qui motus et strepitus aliquoties occurrunt non solum quando astantes suas palmas super tabulam extendunt, sed etiam quando jam ab eâ recesserunt[2]. Aliquando etiam tabula rotans percutit unum aut alterum ex astantibus. (b) Objecta parietibus affixa, aut ea quæ sunt in cubiculo, decidunt aut confuse moventur, non sine magno strepitu; post aliquod temporis, omnia ad pristinum statum redeunt[3]. (c) Aliquoties scamnum vel tabula, ubi *medium* sedet, in aera levatur (quod *levitatio* dicitur), quin ulla appareat causa motus[4]. (d) Haud raro apparent in cubiculo obscuro flammæ vel lumina diversi coloris[5]. (e) Quandoque apparent manus humanæ, pedes, caput; imo, licet raro, integrum corpus humanum, ordinarie longis et latis vestibus indutum, ambulans, cum adstantibus loquens, quod *photographicam* suî impressionem relinquit, sive in papyro, sive in cerâ, aut gypso, et ceteroquin tangi potest[6] : quæ phænomena vo-

[1] Non paucæ enim ex personis quæ *media* se esse jactitant, non solum simplices, sed etiam doctos decipere conantur; aliæ, quæ vere *media* sunt, fraudibus utuntur ad amplificanda phænomena quæ producunt. Cfr. *Proceedings Soc. f. psych. researches*, VI, p. 253; XIII, p. 45; *Maxwell*, op. cit., p. 116 et 256-312. Ita, quoad sorores *Fox*, quidam americani medici dixerunt : "Les raps doubles étaient produits par un mouvement rapide de déboitement et de remboitement du genou". (*Maxwell*, op. cit., p. 258). — [2] *Maxwell*, op. cit., p. 67-85.

[3] Facta hujusmodi a testibus fide dignis observata refert *Maxwell*, op. cit., p. 232-255. Huc spectant phænomena quæ dicuntur *hantise*, *maison hantée*, *haunted house*, de quibus vide *E. Dupouy*, op. cit., p. 273-309; *Surbled*, Hantise, in *Science Catholique*, 1899; *Civiltà cattolica*, Serie XVIII, vol. III et IV.

[4] *Maxwell*, p. 87-92. — [5] *Maxwell*, p. 118-146.

[6] *Maxwell*, p. 135-162 et 209-112. — Celebris est præsertim apparitio, per tres annos, spiritûs qui se dicebat *Katie King;* ejus varias manifestationes descripsit notissimus *W. Crookes*, qui affirmat se non pauca discrimina animadvertisse inter corporalem formam hujus spiritûs et *medium*, videlicet *Miss Cook*. (Apud *Dupouy*, op. cit., p. 216-231). Quidam tamen putant doctissimum *Crookes* deceptum fuisse : ita *Davis*, op. cit., p. 39-90; idem auctor exponit, p. 224, quomodo Neo-Eboraci edoceantur qui spirituum apparitionibus vulgus decipere volunt.

cantur *spirituum materializationes*, quia censentur esse corporea apparitio alicujus spiritûs aut animæ defunctæ. Multis vero persuasum est hos spiritus nihil aliud esse nisi personas humanas (quæ *media* dicuntur, vestimentis specialibus et larvis indutas; rem ita se habere in nonnullis casibus compertum est [1].

909. (B) **Phænomena intellectualia.** Percussionibus tabulæ rotantis, aut scripturâ medii, vel etiam conversatione cum eodem, quædam occulta aut secreta cognosci possunt. (a) Aliquando manifestantur *facta* quæ in loco *distanti* occurrunt, v. g. morbus aut mors alicujus personæ [2]; alias deteguntur *objecta* quæ *amissa* aut in *occulto* loco posita fuerant. (b) Sæpe res indifferentes et parum inter se connexæ proferuntur; haud raro falsa cum veris miscentur [3]. (c) Generatim responsa data accommodantur menti, ingenio et dispositionibus adstantium; si sunt christiani et devoti, nil dicitur contra religionem, sed potius commendatur Christi doctrina et cultus erga Deum. Si vero adsunt impii aut increduli, negantur quædam dogmata Catholica, præsertim pœnarum æternitas, indissolubilitas matrimonialis vinculi; Dei nomen retinetur, sed paulo post pantheismus proponitur [4]. Tandem, præsentibus viris parum honestis, turpia quandoque proferuntur et commendantur. — Utrum vero secreta cordium et futuri eventus cum certitudine revelentur, non tam certo constat; facta siquidem allegata quibusdam videntur nihil aliud esse nisi ea quæ probabiliter ex jam notis detegi aut prævideri possunt.

910. 3° **Variæ opiniones de causâ horum phænomenorum.** Etsi quidam adhuc negent pleraque facta hucusque descripta, hodie satis communiter ut vera agnoscuntur a multis etiam incredulis, exceptis tamen spirituum apparitionibus ut constat ex auctoribus allegatis, quorum non pauci nullam revelationem admittunt. Diversis tamen modis explicantur :

(a) Alii dicunt ea omnia esse *mere naturalia*, etsi eadem scientifice explicari non valeant, propter limites hodiernæ scientiæ; progrediente vero scientiâ, naturalis horum ratio tandem aliquando manifestabitur [5]. (b) Alii ex adverso tenent præcipua saltem ac fere

[1] Cfr. *Davis*, op. cit., p. 163 sq.

[2] *Dupouy*, op. cit., p. 115-126 et 140-143, 151-173; *Gurney*, *Myers*, *Podmore*, op. cit.

[3] *Maxwell*, op. cit., p. 202-212; 242-255.

[4] Quod constat v. g. ex operibus ab *Allan Kardec* editis, Le livre des esprits, Le livre des mediums.

[5] Ita, inter alios : *A. Maury*, La magie et l'astrologie dans l'antiquité et le moyen-âge, Paris, 1864; *C. Richet*, Préface de l'ouvrage déjà cité de *Maxwell; Gibier*, op. cit.; *M. de Rochas*, Les états profonds de l'hypnose.

omnia hujusmodi facta *diabolo* tribuenda esse[1]; nam, ex unâ parte, leges naturæ non solum prætergrediuntur, sed etiam eis sæpe contradicunt; ex alterâ, neque Deo neque bonis angelis adscribi possunt, cum sæpe ridicula, falsa, fidei et moribus contraria, eisdem mixta inveniantur; ergo soli diabolo tribui debent.

(c) Inter hæc duo extrema, non pauci inveniuntur catholici qui *multa* ex his phænomenis *legibus naturæ* adscribunt, et *quædam* tantum agenti *supernaturali*, cujus natura, in quolibet casu, ex circumstantiis, dijudicari debet, juxta leges discretionis spirituum[2]. Et his assentimur. Cum enim novæ leges naturæ, aut saltem novæ applicationes earumdem quotidie detegantur, et aliunde agentia supernaturalia raro intervenire soleant, tanquam naturale, probabiliter saltem, haberi potest factum sæpe occurrens, quamdiu contrarium certo moraliter non constat. Quod jam sapienter animadverterat *Ferraris* 3.

911. 4° **Probabilior proponitur opinio.** (A) Aliunde sententia, quam propugnamus, clare inferri videtur ex variis *S. Officii* responsis de magnetismo.

Siquidem, die 23 jun. 1840, *S. C. Officii* ad quæstionem utrum magnetismus, *generatim* acceptus et *in se* censeri debeat licitus, aut illicitus, respondit : " Remoto omni errore, sortilegio, explicitâ aut implicitâ dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res et *effectus vere supernaturales*, ut physice explicentur non est nisi deceptio omnino illicita, et hæreticalis "[4]. Ex quo patet non omnem magnetismi (idem dic de hypnotismo) speciem condemnari, sed solum eam quâ effectus *vere supernaturales*, ex

[1] *Franco*, L'hypnotisme remis à la mode, Paris, 1891; *id.*, La nouvelle théorie de la suggestion, Paris, 1892; *Ch. Hélot*, Névroses et possession diaboliques, Paris; Bloud, 1897.

[2] Ita *Méric*, Le merveilleux et la Science, et in periodico *La Revue du monde invisible; Coconnier*, L'hypnotisme franc; *P. G. Moreau*, L'hypnotisme, étude scientifique et religieuse, Paris, 1891; *Guibert*, Etude sur l'hypnotisme; *Surbled*, Spirites et Médiums; *id.*, Les Frontières du surnaturel; *Lescœur*, La Science et les faits surnaturels contemporains, Paris, Roger, 1900; *P. de la Barre*, L'ordre de la nature et le miracle; *P. Grasset*, L'hypnotisme et la suggestion, Paris, 1903; *id.*, Le spiritisme devant la Science, 1904.

[3] *Ferraris*, Prompta Bibliotheca, verbo *superstitio.*

[4] *Collectanea S. C. de Prop. F.*, n. 1743.

mediis *mere physicis*, exspectantur. Quinam vero sint illi effectus supernaturales declaratur in Encyclicâ *S. Officii*, feriâ 4ª, die 30 jul. 1856 editâ et ad omnes Episcopos missâ : " Quanquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi; tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magnâ cum animarum jacturâ, ipsiusque civilis societatis detrimento ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *claræ visionis*, uti vocant, *præstigiis* mulierculæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se *invisibilia quæque conspicere* effutiunt, ac de ipsâ religione sermones instituere, *animas mortuorum evocare*, responsa accipere, *ignota*, ac *longinqua detegere*, aliaque id genus *superstitiosa* exercere ausu *temerario* præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis *divinando* certo consecuturæ. In hisce omnibus, quâcunque demum utantur arte, vel illusione, *cum ordinentur media physica* ad effectus *non naturales*, reperitur *deceptio* omnino *illicita*, et *hæreticalis*, et scandalum contra honestatem morum "[1].

912. (B) Si vero ad particularia descendamus, hæc statui possunt :

(a) Quando agitur de phænomenis *mere physicis*, qualia sunt tabularum rotationes, percussiones, motus varii etiam *levitationis*, agenti præternaturali tribuenda non sunt, nisi certo moraliter constet eadem, ex variis circumstantiis, legibus naturæ evidenter contradicere. Multi siquidem hodie probabiliter putant esse in corpore humano, quarumdam præsertim personarum in quibus præeminet nervosum systema, quoddam fluidum, magnetico aut electrico fluido analogum, quod exterius projici potest, et in objecta circumstantia influere, sive contactu immediato, sive contactu mediato per *etherem* transmisso[2]; et ita *hypothetice* saltem explicari valent percussiones et motus tabularum rotantium.

913. (b) Idem dici potest de phænomenis *intellectualibus*, quæ *vires intellectuales* astantium et *medii non transcendunt;*

[1] *Acta S. Sedis*, t. I, p. 177; *Collectanea*, n. 1754.

[2] Ad rem *S. Cox*, ap. *Davis*, op. cit., p. 293 : " La théorie de la force psychique est simplement de reconnaître un fait presque indiscutable sous quelques rapports, mais encore imparfaitement connu sous d'autres. Ce fait établit qu'à une distance indéfinie du corps de certaines personnes, ayant une organisation nerveuse spéciale, il existe une force produisant, sans le secours des muscles, une action particulière, capable de donner un mouvement ou de faire mouvoir des substances solides, et de produire des sons dans ces mêmes corps. "

si enim, sub influxu *medii*, responsa eduntur, non sane procedunt ex ipsâ tabulâ, neque necessario ex agente supernaturali, sed solum ex ipsâ mente personæ quæ, vi fluidi a se emissi, motum tabulæ dirigit. — Ex adverso autem, si phænomena denotant cognitionem rerum quæ captum superant sive *medii* sive *adstantium*, agenti *supernaturali* tribui debent; talia sunt, juxta *Rituale Romanum*, "*ignotâ linguâ* loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; *distantia* et *occulta* patefacere; *vires supra ætatis, seu conditionis naturam* ostendere; et id genus alia, quæ *cum plurima concurrunt*, majora sunt indicia". Ex quo sequitur generatim non unum ex his indiciis sufficere ad moralem pariendam certitudinem, sed *plurima* desiderari. Quoad locutionem *linguæ ignotæ*, non satis est, in statu febrilis excitationis, quædam verba recitare quæ olim audita sunt, sed necesse est ut quis indubitanter ostendat se subito didicisse aut vere intelligere linguam quam minime noverat. Quoad *distantia* et *occulta*, non sufficit ea conjecturare, aut etiam de eis aliquid videre in statu quodam *hyperestesiæ*[1]; sed, si distincte manifestantur res quæ nonnisi revelatione aut inspiratione cognosci valent, prout sunt secreta cordium, eventus futuri, et quidem non conjecturaliter, sed cum certitudine, id agenti supernaturali adscribendum est. Quisnam autem sit hujusmodi agens, definiri nequit nisi ex omnibus adjunctis, ex objecto, fine, circumstantiis, investigando utrum hæc omnia ad *bonum* an ad *malum* tendant.

914. 5° **Practicæ conclusiones.** Quidquid est de naturâ et causâ horum phænomenorum, hæc in praxi statuenda videntur :

(**A**) Sedulo *fideles* avertendi sunt ab usu *magnetismi*, *hypnotismi* et *spiritismi*, meræ *curiositatis* causâ; nam plerumque nervosum systema perturbat, atque viam parat *neurastheniæ* et *hysteriæ*, de quibus supra, n. 130-131; præterea *superstitioni* favet, mentemque avertit a veræ religionis praxi, quatenus videlicet ii, qui his rebus extraordinariis sunt addicti, ordinaria vitæ christianæ officia negligunt

[1] Quædam enim facta *telepathiæ* aut *claræ visionis*, quæ transitorie occurrunt, in statu *hyperestesiæ* (id est abnormalis sensibilitatis), non sunt indicia omnino certa supernaturalis interventûs.

utpote nimis communia; haud raro *dissidia* inter personas et familias excitat, suspiciones vel diffamationes spargendo; quandoque etiam *bonis moribus* nocet, in quantum juniores diversi sexûs his conventibus adsunt, et a *medio* quærunt responsa minus honesta.

915. (a) Hinc, die I[a] Julii 1841, illicitus declaratus est magnetismi usus, prout exponebatur ab Episcopo *Lausanensi;* hæc autem inter alia exponebatur [1] : persona magnetizata, quæ plerumque est sexus feminei, de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, licet evidenter indocta res anatomicas accuratissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat, eorumque progressus, variationes, et complicationes evolvit, idque propriis terminis; sæpe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte pronuntiat, remediaque simplicissima et efficacissima præcipit. Absentis personæ, dummodo cincinnus ex ejus cesarie ad palmam magnetizatæ admoveatur, confestim declarat cujusnam sint capilli, ubinam versetur nunc persona ad quam pertinent, quid agat, et circa ejus morbum disserit haud aliter ac si, medicorum more, corpus ipsa instrospiceret. Oculis velatis librum, vel manuscriptum apertum vel clausum, capiti vel ventri impositum legere potest. — Merito quidem talis magnetismi usus prohibitus est, cum, ex expositis, sit valde periculosus, et vel fraudi, vel diabolo tribui possit; in utroque casu, decipiuntur simplices, ad vanas superstitiones proni efficiuntur, et, dum curari intendunt, graviores morbos contrahere possunt.

916. (b) Usus *hypnotismi* indiscriminatus pariter illicitus est, quia, fatentibus medicis, nisi caute adhibeatur a viris honestis peritisque, eadem fere pericula inducit ac magnetismus in ordine tum physico [2] tum morali, quatenus videlicet hypnotizatus, usum rationis per aliquod tempus amittens, totus pendet, quoad propriæ activitatis exercitium, ab hypnotizantis nutu ejusque dominio subjacet. Si vero intra proprios limites, absque ullâ intentione occulta futuraque temere cognoscendi, a medicis aut physiologistis, peritis simul ac honestis, cum debitâ cautione adhibeatur, et gravi de causâ, non est per se illicitus [3]. Nam, secundum catholicos qui ea investigarunt, phænomena hypnotica, quæ certo constant, vires ordinis naturalis prætergredi non videntur; aliunde tempo-

[1] Integrum postulatum habes apud *Gury-Ballerini*, n. 280.

[2] *Grasset*, L'hypnotisme, p. 352-369; *Coconnier*, op. cit., p. 155-158.

[3] *Lehmk.*, n. 994, not. 1; *Ball. P.*, n. 365; *Coconnier*, p. 260 sq.

ranea privatio usûs rationis gravi de causâ permitti potest, prout revera permittitur sopor per ætherem inductus; abusus autem, qui exinde oriri valent, debitâ cautione præcaveri possunt; imo quædam utilitas e prudenti hypnotismi usu oriri potest, non solum quoad morborum curationem, sed etiam quoad pravorum habituum correctionem : experientiâ enim constat quosdam juvenes, ebrietati ac luxuriæ deditos, mentali suggestione prudenter adhibitâ, fuisse aliquatenus correctos [1]. Hypnotismus igitur non est *per se* illicitus, sed, utpote periculosus, nonnisi caute adhibendus. — Ceteroquin boni effectus superius descripti prudentius, absque nervorum perturbatione, per *suggestionem* in statu vigiliæ producuntur [2].

917. (c) *Spiritismus* autem, seu spirituum evocatio, quando revera contingit, est superstitio sub gravi illicita; spiritus enim boni hominibus apparere non solent, nisi a Deo mittantur ad ejus gloriam promovendam; si igitur quandoque spiritus humanæ curiositati favere videantur, certe non sunt boni, sed mali; hinc fideles hortari oportet ut nullâ ratione, ne quidem ex curiositate, conventibus assistant ubi spiritismi phænomena exhibentur. Itaque *S. Officium*, 24 apr. 1917, declaravit non licere per *Medium* vel sine *Medio*, adhibito vel non hypnotismo, manifestationibus spiritisticis adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis præ se ferentibus, etiam cum protestatione tacitâ vel expressâ nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle.

918. (B) Si vero agitur de *peritis* viris, qui *psychica* et *biologica* phænomena *scientifice* expendere volunt, ut, in quantum fieri potest, leges naturæ melius cognoscantur, ea sane *experimenta* perficere possunt quæ necessaria sunt ad scientificam rei investigationem, dummodo non quæratur supernaturalis interventus, et modestiæ atque sanitati *mediorum* provideatur.

---

[1] *Coconnier*, op. cit., p. 215 sq. — Revera *S. Officium*, 26 jul. 1899 (*Collect.*, t. II, n. 2061) respondit nova experimenta *tolerari* posse, præmissâ protestatione nullam partem haberi velle in factis præternaturalibus, modo absit periculum scandali, et non agatur de factis quæ certo naturæ vires prætergrediuntur.

[2] Cfr. *Grasset*, La Psychothérapie, in *Revue des Deux Mondes*, 15 sept. 1905, p. 350.

§ II. De peccatis irreligiositatis[1].

Peccata irreligiositatis committuntur contra Deum ipsum, aut contra res sacras. Ad *prius* genus referuntur *blasphemia* et *tentatio Dei;* ad *posterius*, *sacrilegium* et *simonia :* de quibus seorsim dicendum.

I. De blasphemiâ.

919. 1° **Notio.** Blasphemia *in genere* est *contumelia Deo illata.* Aliquando *interne* tantum concipitur, et, si consensus accedit, jam vere incurritur blasphemiæ malitia[2]. Sæpe autem aliquo *sensibili* signo exprimitur, *locutione* aut *facto*, v. g. contra cœlum sagittam jaciendo, vel sclopetum explodendo, aut crucifixum conculcando. Magis tamen *proprie* blasphemia dicitur *locutio contumeliosa in Deum;* hinc si pœnæ ecclesiasticæ contra blasphemiam feruntur, hanc solum attingunt, nisi contrarium explicite dicatur.

Itaque vere blasphemat quicumque vel *negat* aliquid de Deo quod ei *convenit*, vel *asserit* de eo quod ei *non convenit;* in utroque enim casu contumelia ei infertur, v. g. si dicitur Deum esse crudelem, vel negatur eum esse omniscium, omnipotentem. Consequenter blasphemiæ reus est qui *creaturæ* tribuit quod soli Deo convenit, quia indirecte negatur *infinita* Dei perfectio, quæ creaturis incommunicabilis est; v. g. si quis diceret : id facere possum æque ac Deus; — aut qui nonnisi *ironice*, seu cum *contemptu* de Deo ejusque attributis loquitur, aut de Verbo incarnato, v. g. : vicisti, Galilæe; — qui aliquid contumeliosum profert contra res divinas aut sacras, aut contra B. Virginem vel sanctos, in quantum hi sunt amici Dei : tunc enim injuria ultimo refertur in Deum.

920. Blasphemia proinde distinguitur ab *imprecationibus* vel *maledictionibus*, quæ contra creaturas rationales aut irrationales proferuntur, *sine relatione ad Deum*, v. g. quando Job maledixit diei nativitatis suæ, David maledixit montibus Gelboe, aut quando nobis aut proximo maledicimus. Hæc possunt esse quidem peccata iræ, aut fraternæ caritati opposita, sed contumeliam Deo non inferunt.

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 13 et q. 97-100; *Suarez*, op. cit., Tr. III, l. I, III-IV; *Billuart*, diss. VIII, X-XI; *S. Alphons.*, lib. IV, n. 29-132; *Ball. P.*, n. 369-531; *Lehmk.*, n. 364-404; *Noldin*, n. 171-208.

[2] "Si consistat tantum in corde, est *cordis* blasphemia; si autem exterius prodeat per locutionem, est *oris* blasphemia". (*S. Thom.*, 2. 2æ, q. 13, a. 1.)

Ita multo probabilius imprecatoriæ, sed *non blasphematoriæ* sunt hæ aut similes locutiones : *Deus damnet me, Deus damnet te, diabolus rapiat te, in infernum vade*, etc.; secus autem, si quis diceret aut significare vellet : *Deus sit damnatus;* quod tamen raro admodum contingit[1].

Pariter a blasphemiâ distinguuntur locutiones, quibus in vanum sumitur Dei nomen, etiamsi præcedantur voce *sacrum* (v. g. *sacrum Dei nomen!*); aut verba, quæ ex se blasphema sunt, sed, ex communi æstimatione, ut talia non habentur, sed solum ut iræ manifestatio contra personas aut irrationales creaturas (v. g. *mille deos!*). Plerumque enim qui talia asserunt, minime intendunt aliquid contra Deum proferre, sed solum suam indignationem exprimere[2].

921. Unde, in his omnibus, maxime attendi debet *intentio* et *affectus* loquentis : si vere intenditur injuria et inhonoratio Dei, habetur blasphemia; secus, erit quædam imprecatio, quæ sæpe a mortali excusatur, quia ex motu indignationis oritur imperfecte deliberato. In dubio utrum aliqua locutio sit blasphema necne, ait *S. Alphonsus* (n. 130), minime ut blasphemia sumenda est.

Attamen sedulo vitandæ sunt hujusmodi locutiones, utpote indecoræ, viro honesto indignæ, inordinati iræ motus, haud raro caritati oppositæ.

922. 2° **Blasphemiæ malitia.** (A) *Omnis blasphemia proprie dicta est peccatum ex toto genere suo mortale.* (a) In *antiquâ* lege, blasphemia morte plectebatur[3] : "Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregri-

[1] Quod fuse exponit *E. Brahm*, Dissertatio de formulâ "G. V. D., Deus damnet me", Bruxelles, 1904.

[2] Ad rem *Gousset*, Théol. Morale, t. I, n. 459-460 : "Ce n'est point un blasphème, ni un péché mortel, de prononcer, soit de sang-froid, soit dans un mouvement de colère ou d'impatience, le mot de sacré, qu'on emploie le plus souvent avec certaines expressions grossières, plus ou moins injurieuses au prochain... Ce n'est point non plus un blasphème proprement dit de prononcer en vain le saint nom de Dieu, en disant par exemple : Nom de Dieu! sacré nom de Dieu! Ces mots qu'on profère le plus souvent dans un mouvement d'impatience, ne sont point contre Dieu dans l'intention de celui qui se les permet, mais contre les hommes, les animaux ou les êtres inanimés à l'égard desquels on se livre à la colère".

[3] *Levit.*, XXIV, 15-16.

nus fuerit". Sub *novâ* lege, blasphemia recensetur inter gravia peccata quæ fugienda sunt[1] : "Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, *blasphemiam*, turpem sermonem de ore vestro". — Quare Patres tanquam gravissimum illud reprobant; ita *S. Hieronymus* scribit[2] : "Nihil enim horribilius blasphemiâ, quæ ponit in excelsum os meum... omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ, levius est".

(b) Revera blasphemia *directe* opponitur *religioni*, quâ reverentiam et honorem Deo reddere tenemur; ideoque, quando est plene deliberata et libera, parvitatem materiæ non admittit.

923. (B) *Blasphemia hæreticalis* et *imprecatoria specialem malitiam* addunt blasphemiæ *simplici*. (a) Hæreticalis siquidem dicitur ea quæ *hæresim* complectitur, ideoque non solum religioni, sed etiam *fidei* adversatur; v. g. si quis dicat : *Deus est crudelis tyrannus*. (b) Imprecativa ea est quâ Deo exoptatur malum, ac consequenter tum religioni tum *caritati* opponitur; v. g. si quis dixerit : *Pereat Deus, maledictus Deus!* (c) Attamen blasphemia, quamvis *in se* gravissima, haud raro veniale est peccatum ex *defectu advertentiæ* aut *pleni consensûs*, v. g. quando in æstu passionis blasphema verba proferuntur absque sufficienti mentis attentione.

924. 3° **Remedia contra blasphemiam.** (a) Si agitur de verâ blasphemiâ, quæ tum ex irreverentiâ erga Deum, tum ex irâ procedit, ambo hi radices evelli debent : serio videlicet cogitandum est quam insulsum sit injuriam et contumeliam ei inferre, qui, propter suam infinitam bonitatem, supremum honorem meretur[3], et, præ suâ omnipotentiâ, blasphemantes diris potest affligere suppliciis. Ad iram autem vincendam, adhibeantur remedia superius exposita, n. 534-537.

(b) Si agitur de blasphemiis *improprie dictis*, seu de imprecationibus, plerumque ex irâ aut longâ consuetudine oriuntur. Quapropter iracundia pariter frenetur, — et consuetudo consuetudine vincatur, utendo videlicet aliis verbis prorsus innocuis, usquedum ira tandem deponatur. Ceteroquin consuetudo serio ac sincere retractetur : tunc enim verba, quæ subito ex vehementi affectu procedunt, non imputantur ad peccatum, saltem grave.

---

[1] *Coloss.*, III, 8.

[2] *S. Hieron.*, in Isaiam, l. VII, c. 19, P. L., XXIV, 247.

[3] Cur nomen Dei sit reverendum et quam sedulo vitanda sit blasphemia, lucide exponit *M. d'Hulst*, Carême 1903, p. 111-122.

II. De tentatione Dei.

925. 1° **Notio.** Tentatio Dei est *dictum vel factum*, quo *sine justâ causâ, a Deo temere exspectamus aliquem effectum insolitum.*

Tentare siquidem est de aliquo experimentum sumere; quod fit verbis, factis, aut alicujus facti omissione. *Verbis* tentamus Deum, quando ab eo aliquid temere petimus, intentione ejus scientiam, potestatem vel bonitatem explorandi; *factis*, aliquid agendo cum intentione divina attributa explorandi, v. g. si quis ex altâ turri se projicit, experiri volens utrum Deus ipsum salvare velit necne; *omissione* alicujus facti, ea scilicet prætermittendo quæ prudentia exigit ad intentum effectum consequendum, v. g. omnes medicinas respuendo in gravi morbo, aut concionem habendo, absque ullâ præparatione, temere exspectans sibi conceptus et verba divinitus esse suggerenda.

926. Tentatio Dei ex triplici præsertim causâ oritur : (a) ex *incredulitate*, quando quis de aliquâ perfectione Dei vere dubitat; v. g. quando Judæi crucifixo dicebant[1] : "Si filius Dei es, descende de cruce"; aut quando impii dicunt : si Deus existit, nunc tempus est ut suam potentiam ostendat me occidendo; (b) ex *temeritate* vel *curiositate*, si quis, de potestate Dei non dubitans, explorare vult num id facere velit, v. g. si quis, realem Christi præsentiam sub speciebus eucharisticis firmiter tenens, nihilominus postulat ut in hostiâ consecratâ divinus infans appareat; (c) ex *præsumptione*, si quis, etsi nolens Dei potentiam aut bonitatem explorare, ab eo indubitanter exspectat, sine sufficienti ratione, aliquod miraculum, v. g. graviter ægrotans medicum rejicit, sanationem exspectans a Deo, aut si sacerdos, ad convertendos peccatores et incredulos, aliquod miraculum patrare promittit (excluso casu specialis inspirationis).

Non datur autem tentatio Dei in his aut similibus casibus : si in re gravi, post adhibita ordinaria media ad Dei voluntatem cognoscendam, et, manente dubio, aliquod signum humiliter quæritur quo Dei voluntas innotescat; vel si, ex juxtâ gravique causâ, *conditionaliter* petitur miraculum; si quis, intuitu magni boni, se exponit gravi periculo, sperans Deum sibi propitium fore : tunc enim, propter gravem rationem, merito speratur divinum auxilium.

927. 2° **Malitia.** (A) Tentatio Dei, quæ *incredulitatem* involvit, est *peccatum, mortale ex toto genere suo*, cum aliquam

[1] *Matt.*, XXVII, 40.

veritatem fidei in dubium revocet, et aliunde contemptum Dei importet, ejus potentiam aut bonitatem, absque ratione, explorando.

(B) Tentatio Dei, ex *temeritate, curiositate* aut *præsumptione* orta, est peccatum *ex genere suo grave*, quia aliquem Dei contemptum supponit; sed sæpe parvitatem materiæ admittit, ob parvitatem periculi cui agens se exponit, v. g. si in levi morbo quis medicinam respuit; sæpe etiam excusatur a mortali, ob ignorantiam, inconsiderationem, bonam fidem, etc.

In praxi, ad vitandum hujusmodi peccatum, fidelibus inculcandum est Deum juvare eos qui proprias vires strenue et indesinenter exercent, simulque humiliter ac fiducialiter divinum implorant auxilium. Totis igitur viribus agamus, mediis utentes cum naturalibus tum supernaturalibus, totamque spem in Deo reponamus : ipse providebit.

928. 3° **Corollarium.** Exinde sequitur minime probanda esse, excluso casu divinæ inspirationis, illa tentamina quæ olim *judicia Dei* vocabantur, ut transitus per ignem ad innocentiam alicujus probandam : tunc enim petitur miraculum sine necessitate. Olim quidem cum bonâ fide usurpata fuerant; sed postea jure canonico prohibita sunt, et merito quidem, cum alia sint media veritatem detegendi[1].

III. De sacrilegio.

929. 1° **Notio.** Sacrilegium *proprie* dicitur *violatio*, seu *indigna tractatio, rei aut personæ sacræ, quatenus sacra est.*

(a) *Sacra* autem dicitur res aut persona, quæ *Dei* vel *Ecclesiæ auctoritate* ad cultum divinum deputata est : ad hoc igitur non sufficit propositum aut votum *privatim* factum.

(b) Ad sacrilegium requiritur ut res aut persona violetur *quatenus sacra*, id est præcise sub eo respectu quo Deo consecrata fuit. Ita sacerdos fornicando sacrilegium committit, quia consecratus est ut continenter viveret; non committit vero sacrilegium blasphemando, superbiendo, irascendo, quia ad hæc peccata vitanda non est specialiter deputatus.

930. 2° **Species.** Triplex distinguitur sacrilegium : *personale, reale* et *locale*, prout violatur persona, res aut locus.

(A) *Personale* sacrilegium est violatio personæ sacræ. Persona autem fit sacra ratione *statûs clericalis*, aut ratione

[1] *Vacandard*, Etudes de critique, Paris, 1905, ch. 4.

voti castitatis in solemni religione emissi[1]. Qui votum *privatim* aut in *simplici congregatione* emisit, posteaque castitatem violat, peccat quidem contra religionem, violando fidem Deo datam, ideoque circumstantiam voti accusare debet, sed *probabilius* non committit sacrilegium *proprie dictum*, cum non sit persona sacra ex Dei aut Ecclesiæ auctoritate.

Tribus modis sacrilegium personale committi potest : (a) *violentas manus injiciendo* in *clericum* aut *religiosum*, contra privilegium *canonis;* (b) *usurpando jurisdictionem* in personas ecclesiasticas, ubi immunitas ecclesiastica adhuc viget, v. g. clericos trahendo ad tribunal sæculare, contra privilegium *fori*, aut eosdem militiæ adscribendo, contra privilegium *immunitatis;* (c) *peccato luxuriæ* commisso sive *a* personâ per castitatem Deo consecratâ, sive *cum* eâ; unde, si *utraque* sacra est, duplex sacrilegium utrimque committitur. Juxta communem et veram sententiam, persona sacra committit sacrilegium non solum per peccata externa, sed etiam per peccata *mere interna* contra castitatem, dummodo verus consensus eisdem præbeatur.

931. (B) Sacrilegium *reale* est illud quod versatur circa res sacras. Jamvero res possunt esse sacræ quadruplici modo : —

(a) Ex ipsâ *institutione divinâ*, qualia sunt *sacramenta*, quæ indigne ministrari aut recipi nequeunt sine sacrilegio, ut fusius declaratur in *Tr. de Sacramentis*. Ex hoc capite sacrilegium etiam incurritur, si scienter et volenter sacræ species tempore opportuno non renovantur, cum corruptionis periculo; si irreverenter tangitur aut tractatur sacra eucharistia, etc. Item si *sacræ Scripturæ* verba deridentur aut ad inhonestos usus adhibentur.

(b) Ex *consecratione* vel *benedictione*, sacra sunt quæ Ecclesiæ precibus sanctificantur, prout sunt ædes sacræ, altaria, vasa sacra, aqua baptismatis, chrisma et olea sancta, vestes liturgicæ in sacris functionibus adhibitæ, aqua et res benedictæ. Sacrilegium proinde committunt qui his ad usus profanos et indecentes utuntur, vel cum contemptu et irrisione[2].

(c) Ex *repræsentatione*, sacræ dicuntur imagines Christi, B. Mariæ

---

[1] Quidam addunt votum etiam *privatum*, et a fortiori votum *simplex*, in Congregatione emissum, efficere personam voventem *sacram*, ideoque ejus violationem esse sacrilegam. Quod quidem *probabile* est, sed contrarium tenet *probabilior* opinio, quam propugnat *Ballerini-Palmieri*, n. 386-390, cum auctoribus ibi allegatis.

[2] Sacrilegium etiam committunt qui ecclesiam polluunt; de quo vide *Canonistas*, præsertim *S. Many*, Prælect. de Locis sacris, Parisiis, 1904, n. 30-40.

et Sanctorum, cruces, etiam non benedictæ. Huc etiam pertinent sacræ reliquiæ, quæ non solum in memoriam revocant sanctos, sed etiam olim animâ sanctâ informatæ sunt. Sacrilegi sunt ergo qui his irreverenter utuntur.

(d) Ex *destinatione*, sacra appellantur bona ecclesiastica, cum mobilia tum immobilia, quæ ad sacros aut pios usus deputantur, quando jam ab Ecclesiâ in hunc finem acceptata sunt, proindeque non solum ea quæ ad divinum cultum inserviunt, sed etiam ad sustentationem ministrorum, fabricam ecclesiæ, ecclesiastica hospitalia et xenodochia, etc.; imo quæ in ecclesiâ *deposita* vel *in pignus* tradita sunt. Sacrilegi igitur sunt qui injuste hæc bona invadunt aut usurpant. Si quis autem furatur *in* ecclesiâ rem quæ ad *privatum* pertinet, minime vero ad ecclesiam, *probabilius* sacrilegium non committit[1].

932. (C) Sacrilegium *locale* est violatio *loci sacri;* æquiparatur proinde sacrilegio *reali*, cum locus sacer sit res; de eo tamen speciatim agitur, ob speciales difficultates quæ in hâc materiâ occurrunt.

Locus sacer proprie dicitur qui *auctoritate episcopali ad divinum cultum* deputatus est, v. g. ecclesiæ, cœmeteria, oratoria *publica*, non autem privata. *Latiore* sensu sacer etiam vocatur locus ad usum *pium*, auctoritate Ecclesiæ deputatus, ut palatium episcopi, domus parochialis, seminarium, monasterium; non autem locus *privatâ* auctoritate ad opera pia destinatus. Contra locum *lato* sensu sacrum olim committebatur sacrilegium violando *jus asyli.* Hodie vero, ex can. 1179, jus asyli solis ecclesiis competit, eo sensu quod qui ad illas confugerint, inde non sunt extrahendi nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii vel saltem rectoris ecclesiæ.

933. Locus sacer *proprie dictus* quatuor modis violari potest :

(a) *Peccatis* quibus ecclesia aut cæmeterium *polluitur*, etsi maneant occulta, ideoque ecclesia exinde non polluatur, videlicet homicidio voluntario et injurioso, effusione sanguinis humani graviter culpabili, impiis vel sordidis usibus, sepulturâ excommunicati vitandi aut infidelis[3].

(b) *Actionibus profanis*, quæ ex naturâ suâ, lege ecclesiasticâ, aut communi æstimatione, dedecent loci sanctitatem, ut sunt mercatus,

[1] *Many*, op. cit., n. 45. — [2] De quo vide *Many*, op. cit., n. 47-61.
[3] *Many*, op. cit., n. 30-40 et n. 147.

ludi, convivia, vanæ confabulationes, sæculares conventus, judiciorum strepitus, etc., nisi urgens necessitas excuset. — Aliquando tamen permittuntur litteraria aut musica exercitia, præsertim quando ad fovendam religionem tendunt; toleratur pariter venditio cereorum aliorumque ad devotionem excitandam spectantium, sed, in his omnibus, cavendum est ne domus Dei fiat domus negotiationis.

(c) *Furto rei sacræ*, sensu superius exposito; pariter incendio aut effractione loci sacri.

(d) Actionibus, quibus *jus asyli* violatur, ubi adhuc viget.

Cetera peccata, in loco sacro commissa, non contrahunt malitiam sacrilegii *gravem*, in confessione necessario explicandam; sed aliquam specialem indecentiam præ se ferunt, ob circumstantiam loci sacri, et ita *venialem* sacrilegii malitiam induunt.

934. 3° **Malitia sacrilegii.** (A) Sacrilegium est *peccatum mortale ex genere suo contra religionem.* Qui enim indigne tractat rem sacram, quatenus sacra est, eo ipso Deum ipsum offendit, cui res dedicatur. — Peccatum est grave *ex genere suo*, quia præceptum religionis sub gravi obligat. Attamen dari potest *parvitas* materiæ, ex eo quod res sacra magis *remote* divino cultui inservit, aut irreverentia commissa, omnibus attentis, levis censetur.

Unde, ad judicandum de gravitate peccati, tria præsertim attendi debent : (a) *sanctitas* personæ, rei, vel loci : eo gravior est culpa quo persona aut res magis proxime Deo dicata fuit; (b) *actio sacrilega*, quæ gravior est, si major committitur irreverentia, ex communi piorum æstimatione; (c) *intentio agentis*, qui irreverentiam plus minusve directe, plus minusve distincte, intendere potest.

IV. De simoniâ.

935. 1° **Notio.** Simonia (sic dicta a *Simone* mago, qui gratias spirituales pecuniâ comparare volebat) est species quædam sacrilegii realis, cum irreventiam importet erga rem sacram. Communiter definitur, post *S. Thomam*[1], *studiosa* (seu *deliberata*) *voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum.*

Tria igitur ad simoniam requiruntur : (a) *res spiritualis*, de quâ fit vel fieri intenditur conventio, aut saltem res temporalis *spirituali adnexa.* Jamvero nomine rei spiritualis hic intelligitur res *supernaturalis* ad salutem ordinata : talia sunt *gratia* et *dona* Spiritûs

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 100, a. 1.

sancti, — aut *causa* rei supernaturalis, ut *sacramenta*, sacramentalia, preces, conciones, — aut *effectus ususve* potestatis supernaturalis, v. g. dispensatio votorum, consecratio, benedictio, sanitas restituta miraculi ope. — Res autem temporalis spirituali annexa ea est quæ ad aliquid spirituale ordinatur, vel ab eo pendet, aut ei intime connectitur, sive ex naturâ suâ sive ex institutione Ecclesiæ. Ita calices, altaria quæ ad sacrificium missæ *antecedenter* consecrantur; labor et tempus, quæ *concomitanter* sacris functionibus adnectuntur; proventus beneficii, qui *consequenter* percipiuntur ob aliquod officium spirituale.

(b) *Pretium* solutum pro re spirituali; quod triplex esse potest : *munus a manu*, id est non solum pecunia, sed res mobilis aut immobilis pretio æstimabilis, v. g. remissio debiti, concessio juris, mutuum, etc.; — *munus a linguâ*, id est quodlibet patrocinium, quilibet favor concessus aut promissus, ut est v. g. promissio suffragii in electione; — *munus ab obsequio*, seu quodvis servitium temporale, famulatus, administratio rerum, etc., cum intentione aliquid spirituale consequendi.

(c) *Voluntas deliberata* paciscendi de re spirituali pro re temporali. Unde non requiritur ut pactum *mutuo* consensu perficiatur, nec a fortiori ut executioni mandetur, sed sufficit ut unus vere intendat cum alio pacisci.

Simoniam non committit qui dat spirituale pro spirituali, v. g. dices missam pro me et ego recitabo rosarium pro te; nec qui commutat spirituale annexum pro spirituali annexo, v. g. calicem pro ciborio.

Sed simoniacum est tradere spirituale pro spirituali adnexo, v. g. tradere reliquias pro calice aut certo numero missarum, quia calix et missarum stipendia quemdam valorem temporalem habent.

936. 2° Simoniæ species. (A) Ratione *juris* quo prohibetur, simonia est juris *divini* aut *ecclesiastici* : —

(a) *Juris divini*, quando pro re temporali datur res spiritualis vel spirituali annexa, ita ut *vere* et *intrinsece* habeatur malitia simoniæ. Ita v. g. dare vel accipere aliquid temporale *tanquam pretium* seu *justa compensatio* pro sacramentis, reliquiis, concionibus, indulgentiis, etc. Si vero offertur aut accipitur, *occasione* sacrarum functionum, aliquod *stipendium* seu *honorarium*, non tanquam pretium rei sacræ, sed ut *medium sustentationis*, non incurritur simonia : " Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere " [1]. Potest pariter aliquod

[1] *I Cor.*, IX, 13.

speciale stipendium exigi pro labore extrinseco et indebito, v. g. ad celebrandum in capellâ tribus milliariis distante [1].

(b) *Juris ecclesiastici tantum*, quando pactio, licet ex se non simoniaca, simoniæ speciem habet aut periculum inducit, ideoque ab Ecclesiâ prohibetur ex motivo religionis; v. g. venditio oleorum sacrorum, rosarii indulgentiis ditati, resignatio beneficii in favorem alterius, etc.; quanquam enim olea sancta et rosaria benedicta vendere tanti quanti valent, attentâ solâ materiâ, non sit ex se simoniacum, adest tamen periculum ne *carius* vendantur propter consecrationem aut indulgentias [2].

937. (B) Ratione *pacti*, simonia est *mentalis*, *conventionalis*, *realis* et *confidentialis* : —

(a) *Mentalis*, quando fit interne, absque ullo pacto exterius manifestato. Duplex est : *pure mentalis*, ad forum *internum* restricta et solâ intentione contenta : quæ est simonia *improprie dicta* ideoque pœnis ecclesiasticis non subjacet; *non pure mentalis*, quæ excludit quidem omne *pactum*, sed manifestatur aliquo actu externo : ita v. g. si clericus episcopo serviat eâ intentione ut, pro mercede, aliquod captet beneficium, — aut si episcopus gratis conferat beneficium eâ intentione ut sic beneficiatum inducat ad gerenda episcopi negotia.

(b) *Conventionalis*, quæ fit pacto dandi vel accipiendi spirituale pro temporali, quin tamen conventio ex utrâque parte expleatur; dicitur *pure conventionalis*, si ex neutrâ parte fuit executioni mandata, *semi-realis*, seu *mixta*, si ex alterutrâ parte executioni fuit mandata, saltem partialiter.

(c) *Realis*, quando conventio ex utrâque parte saltem inchoate impleta est, v. g. si, tradito beneficio, pars pecuniæ soluta est, aut saltem chirographum datum quo quis se obligat ad solvendam pecuniam.

(d) *Confidentialis*, quæ in solis beneficiis ecclesiasticis obtinet, in eo consistit quod quis alteri procurat beneficium sub certâ *confidentiâ*, id est cum obligatione ut illud sibi vel tertio resignet, aut ex eo pensionem vel fructuum partem solvat. De quo fuse disserunt *Canonistæ*.

938. 3° **Simoniæ malitia.** (A) *Simonia juris divini est peccatum mortale ex toto genere suo.* (a) Strictissime a *Scripturâ* reprobatur; cum enim Simon magus vellet ab apostolis pecuniâ comparare potestatem dandi Spiritum sanctum, Petrus dixit ei [3] : " Pecunia tua tecum sit in per-

[1] Cfr. *Tr. de Eucharistiâ*, n. 185.

[2] Hinc si venduntur rosaria aut numismata indulgentiis ditata, eo ipso amittuntur indulgentiæ, ut exponitur in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 582.

[3] *Act.*, VIII, 20.

ditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri!" Christus enim vult ut *gratis* conferantur gratiæ donaque spiritualia : "Gratis accepistis, gratis date"[1]. (b) Et sane graviter religio violatur, quando res spiritualis et sacra non pluris æstimatur quam temporalis et profana.

Emere aut vendere res temporales spirituali rei intrinsecus annexas, sive *concomitanter*, ut labor in celebratione Missæ, sive *consequenter*, ut proventus beneficii, est simonia juris divini, juxta communem sententiam; non autem si *antecedenter* ei connectetur, ut calix.

939. (B) *Simonia juris ecclesiastici est peccatum ex genere suo grave*, quia ex motivo religionis ab Ecclesiâ prohibetur, ad removendum grave simoniæ periculum; *admittit autem parvitatem materiæ*, quia Ecclesia suas prohibitiones accommodat materiæ vetitæ, et non prohibet sub gravi quod, sive in se, sive ratione periculi quod inducit, leve est tantum. Quænam vero materia sit gravis, et quænam levis, ex communi prudentûm æstimatione dijudicari debet.

Ecclesia variis *pœnis* reos simoniæ plectit, quas *Canonistæ* describunt. Speciatim excommunicationem latæ sententiæ, R. Pontifici reservatam, tulit contra : "Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices : Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscumque sint dignitatis[2] : Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem"[3]. Ita in Bullâ *Apostolicæ Sedis*, II, n. 8-10.

940. 4° **De obligatione restituendi simoniace acceptum.** Ante completam simoniam, quidquid acceptum fuit restitui debet, cum contractus, de re illicitâ initus, sit nullus, ut probatur in *Tr. de Justitiâ*, n. 644. Post com-

[1] *Matt.*, X, 8.

[2] Quando simonia est *confidentialis*, illi soli excommunicantur qui ex illo pacto beneficium ecclesiasticum recipiunt et retinent, non autem complices, neque ipse conferens aut resignans beneficium in confidentiam, quia res ita se habebat in antiquis Bullis. Cfr. *Thesaurus*, De pœnis ecclesiasticis, Romæ, 1770, voce *Simonia*, c. 3, p. 396.

[3] Quæ pœna incurritur quando aliquid temporale datur eo fine ut quis recipiatur in religionem, et quidem a paciscentibus, et ab eo qui sic admittit aut recipitur. Non autem committitur simonia quando aliquid accipitur titulo meræ eleemosynæ, aut titulo sustentationis pro tempore novitiatûs in monasteriis virorum, aut quando moniales paciscuntur de *dote* quæ a regulâ quandoque exigitur.

pletum contractum, quæstio expendi potest quoad *rem spiritualem* aut *pretium*.

(A) Quoad *rem spiritualem* : (a) si res accepta sit *beneficium ecclesiasticum*, dimittendum est cum fructibus injuste perceptis, iis solum exceptis quæ proprio labori respondent; restitutio beneficii facienda est legitimo collatori, restitutio fructuum successori in beneficium, aut pauperibus, nisi *compositio* a S. Pontifice obtineatur, justâ accedente causâ.

(b) Si vero agatur de re spirituali a beneficio distinctâ, non est restituenda, nisi restitutio, quando possibilis est, in pœnam criminis injungatur; ita sacramenta restitui nequeunt, reliquiæ autem restitui non debent nisi intercedat sententia judicis.

941. (B) Quoad *pretium* acceptum, si justitia *commutativa* læsa non fuerit, non est restituendum nisi post sententiam judicis : quia id nullo jure præscribitur. Imponitur autem restitutio, quando simonia commissa fuit in re beneficiariâ, collatione ordinum et ingressu in religionem.

Si vero justitia commutativa læsa fuerit, quia v. g. pretium metu aut dolo fuit extortum, vel quia excedit commodum rei spirituali annexum, ex communi piorum æstimatione restitutio fieri debet ei qui læsus est, ante sententiam judicis, quia jure naturæ exigitur.

942. **Notandum pro praxi.** Haud raro casus occurrunt in quibus dubitatur utrum aliqua actio *simoniaca* dicenda sit vel non. Tunc attendendum est ad generalem praxim Ecclesiæ, consuetudines locorum non reprobatas, et prudentûm æstimationem.

Ita si quis injuste vexatur in possessione beneficii, potest solutâ pecuniâ se liberare; pariter fidelis, cui injuste denegantur sacramenta, nisi pecunia præbeatur, eam solvere potest. Item, si jus habeas ad aliquod munus consequendum, et injuste ab aliquo vexaris, potes ei pecuniam dare ut tibi nocere abstineat; sed electori aliquid solvere non debes, ne forte contra te suffragium ferat. Simoniace non agit qui pecuniâ impedit electionem indigni; non potes autem suffragia emere, nec impedire quin alius concurrat, qui jus habet concurrendi.

Ad periculum simoniæ vitandum, clerici et sacerdotes hæc verba Apostoli sæpe meditentur : " Habentes alimenta

et quibus tegamur, his contenti simus"[1]. Secus enim mercenarii sunt, semetipsos et non oves pascunt : "Quorum turpitudo et improbitas non solum sacerdotali ordini magnas tenebras offundit, ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius et abjectius; verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio consequantur, quam Judas ex apostolatûs munere, quod illi sempiternum exitium attulit"[2].



[1] *I. Tim.*, VI, 8. — [2] *Catech. Conc. Trid.*, De Ordinis sacram., n. 5.

Caput tj.

DE ACTIBUS RELIGIONIS SECUNDARIIS.

Actus religionis *secundarii* duo recensentur : *juramentum*, quo Deus vocatur ut *testis* veritatis, et *votum*, seu promissio Deo facta. Secundarii dicuntur, non quia sunt minus perfecti quam actus supra descripti, sed quia non sunt tam necessarii ad religionis exercitium.

Art. I. De juramento [1].

Dicemus : 1° de ejus *naturâ;* 2° de ejus *honestate;* 3° de *obligatione* quam inducit; 4° de *adjuratione*, quæ juramento affinis est.

I. De juramenti naturâ.

943. 1° **Notio.** Juramentum, quod etiam *sacramentum* appellatur, est *invocatio divini nominis in testimonium eorum quæ dicuntur vel promittuntur.* Quando homines veritatem eorum quæ dicunt confirmare volunt, testes inducere solent ad rem confirmandam. Aliquoties autem res, de quâ agitur, non potest plene probari per testimonium humanum, quia est occulta vel futura : tunc haud raro, si præsertim agitur de re momentosâ, Deus ipse invocatur in *testem* ut, quando ei placuerit, sive in hâc sive in alterâ vitâ, latentem veritatem confirmet.

Duo igitur ad juramentum requiruntur : (a) *invocatio divini nominis*, sive expressa, sive tacita, nempe per signa externa hanc invocationem sufficienter exprimentia, qualia sunt tactus crucis vel evangelii, aut manûs extensio versus crucifixum. Vox *juro* per se non sufficit ad juramentum, nisi ex contextu aliisve adjunctis constet vere Deum invocari. Jurare per creaturas vel sanctos non sufficit

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 89-90; *Suarez*, op. cit., Tr. V; *Sayrus*, Clavis regia sacerdotum, lib. V; *S. Alphonsus*, n. 133-193; *Bouquillon*, n. 503-725; *Ball. P.*, n. 532-601; *Müller*, § 58-62; *Lehmk.*, n. 405-427; *Noldin*, n. 243-260; *M. d'Hulst*, Carême 1893, 4e Conf., p. 123; *Codex*, c. 1316 sq.

pariter, nisi, ex adjunctis, creaturæ specialem habeant relationem ad Deum, ita ut earum invocatio merito habeatur tanquam divini nominis advocatio.

(b) Requiritur insuper advocatio Dei *tamquam testis veritatis enuntiatæ*, ideoque intentio sese obligandi ad verum dicendum; finis enim hujus invocationis est confirmatio veritatis quæ asseritur. *Psychologice* res ita declaratur : quando jurans, qui supponitur Deum timere, juramento firmat ea quæ dicit, censetur veritatem sincere declarare : testem enim invocat Deum, qui nec falli nec fallere potest, et perjuros stricte castigare solet, si non in præsenti, saltem in alterâ vitâ. Sed, ut patet, vis hujus confirmationis oritur ex fide in Deum remuneratorem, ideoque eâ carent atheorum juramenta.

944. **Applicationes.** (a) Inter juramenta recenseri nequeunt hæ aut similes locutiones : *per fidem meam*, *per fidem hominis*, *per fidem sacerdotis*, *per honorem meum*, quia tunc advocatur tantum conscientia, honor, veracitas hominis; secus si diceretur : *per fidem christianam*. (b) Dicere : *tam verum est quam verum est Deum esse*, aut *tam verum quam Evangelium*, non est *ex se* juramentum, cum Deus tanquam testis non invocetur; nec generatim est blasphemia hæreticalis, cum loquens nolit certitudinem suæ assertionis æquiparare veritati Evangelii; sed, si mendacii confirmandi causâ profertur, non excusatur a simplici blasphemiâ, cum injuria Deo inferatur. (c) Formulæ istæ : *moriar*, *diabolus me rapiat*, *si hoc verum non est*, non sunt proprie juramenta, nisi, ex adjunctis, habeatur intentio Deum advocandi, sed imprecationes; secus, si diceretur : *Deus me perdat*, *si mentiar* : tunc enim adest juramentum exsecratorium, quo Deus invocatur ut vindex perjurii. (d) Voces inurbanæ, quas vulgus improprie juramenta appellat (*pardi*, *parbleu*, *sacristi*, *sacredié*, etc.), etsi etymologice quædam blasphemiam importent, neque blasphemiæ neque juramenta plerumque sunt, attentâ loquentium intentione; sed, ex communi æstimatione, nihil aliud sunt nisi voces sine significatione ab irato prolatæ; quas tamen vir christianus sedulo vitare conabitur.

945. 2° **Divisiones.** (a) Ratione *objecti* circa quod versatur, juramentum est *assertorium*, si Deus invocatur ut testis rei *præteritæ* vel *præsentis*, v. g. juro me vidisse Paulum ibi stantem, juro me esse clericum; aut *promissorium*, si invocatur ut testis rei *futuræ*, v. g. testis est mihi Deus quod tibi dabo centum nummos : dicitur *promissorium*, quia plerumque ad confirmandam promissionem adhibetur.

(b) Ratione *formæ*, dicitur *invocatorium*, seu *contestatorium*, quando Deus simpliciter ut testis invocatur; *imprecatorium*, seu *execratorium*, quando non solum ut testis, sed ut *vindex* perjurii invocatur, quando jurans videlicet sibi vel

suis mala imprecatur, si falsum asserit aut non servat quod promittit, v. g. perdat me Deus, si verum non dico. — Formula : *sic me Deus adjuvet et hæc sancta evangelia*, ad juramentum imprecatorium accedit, et sensus est : si verum dico, Deus me adjuvet; si falsum, Deus suo auxilio me destituat.

(c) Ratione *modi* quo profertur, est *simplex*, si fit sine ullo apparatu; *solemne*, si cum specialibus cæremoniis, v. g. tactu evangelii, manûs elevatione, coram crucifixo, candelis accensis, etc.

Hæc autem diversa juramenta *ejusdem sunt speciei moralis*, cum omnia conveniant in invocatione divini nominis, et nonnisi accidentaliter differant.

II. De juramenti honestate.

946. Juramentum prohiberi sub novâ lege quidam hæretici contenderunt, inter quos *Waldenses* et quidam *Protestantes*, ut *Quakeri*, his Domini verbis innixi : " Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis... Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juvaveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester : est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est " [1]. Nihilominus non solum Catholici, sed plerique Protestantes tenent *licere juramentum*, quibusdam positis *conditionibus*.

947. 1° **Thesis** : *Juramentum, debitis vestitum conditionibus, est honestum et laudabile.*

(A) Juramentum in usu fuisse sub *antiquâ* Lege et a Deo ipso approbatum patet ex multis textibus [2] : " Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. " In *novâ* lege pariter sæpe exhibetur juramentum ut quid honestum, ab apostolis adhibitum; ita Paulus scribit [3] : " Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio... Ego autem testem Deum invoco... Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceri-

[1] *Matth.*, V, 33-37.

[2] *Deut.*, VI, 13; cfr. *Jos.*, IX, 15; *Judic.*, XXI, 5; *Ps.* XIV, 4 et LXII, 18, etc.

[3] *Rom.*, I, 9; *II Cor.*, I, 23; *Philip.*, I, 8.

bus Jesu Christi". Quare, nisi admittatur contradictio inter verba Christi et verba Pauli, dicendum est locum superius allatum intelligendum esse de prohibitione jurandi *sine causâ, sine necessitate;* in communibus enim circumstantiis necesse non est juramento firmare veritatem eorum quæ dicuntur; christiani siquidem ita sinceri esse debent ut, etiam absque ullo juramento, verba eorum fiducialiter credantur.

(B) Quam interpretationem probavit Ecclesiæ praxis; in judiciis enim, sive ecclesiasticis sive sæcularibus, juramentum frequenter usurpatur, sive ut testes religione inducantur ad veritatem penitus manifestandam, sive ad firmandum argumentum ceteroquin incompletum. Et merito; nam, dummodo non frequenter, sed solum in re magni momenti, Deus ut testis invocetur veritatis prolatæ, irreverentia minime contra ipsum committitur, sed e contra ejus suprema veracitas agnoscitur, ejusque justitia quæ perjurium stricte prosequitur et castigat. Quare in *ep. ad Hebræos* legitur[1]: "Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum"

948. 2° **Conditiones** autem requiruntur ad liceitatem juramenti. Tres deducuntur ex hoc *Jeremiæ* textu[2], videlicet *veritas, judicium*, et *justitia*: "Jurabis: *Vivit Dominus*, in *veritate*, et in *judicio*, et in *justitiâ*".

(A) **Veritas,** id est conformitas verborum cum cognitione et intentione jurantis. Excludit proinde *mendacium* in asserendo aut promittendo, et *fictionem*, seu juramentum prolatum sine animo jurandi aut se obligandi.

(a) *Qui juramento firmat id quod falsum esse novit*, committit peccatum *mortale perjurii*, quia gravem in Deum irreverentiam committit, eum adducendo in testem falsitatis. Nec hic excusat levitas materiæ; nam, etiam in materiâ levi aut jocosâ, graviter repugnat Deum ut falsitatis testem invocare. Merito igitur reprobata est ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679, hæc propositio 24: "Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem"[3].

(b) Non licet jurare cum *probabili tantum* cognitione rei, sed requiritur *moralis certitudo*, contra quam videlicet non militat pru-

[1] *Hebr.*, VI, 16. — [2] *Jerem.*, IV, 2.
[3] *Ap. Denzing.*, n. 1041; *Viva*, in hanc propos.

dens dubium; jurans cum prudenti dubio de veritate, mortaliter peccat, quia gravem irreverentiam Deo irrogat, eum invocando in testem alicujus de quâ dubitat.

949. (c) Nec licet jurare cum *restrictione mentali*, cujus sensus detegi nequit; imo nec cum restrictione mentali, cujus sensus detegi potest, nisi ex gravissimâ causâ: prior enim restrictio est mendacium; posterior est modus loquendi distortus, qui, quando juramentum ei accedit, nonnisi in casu veræ necessitatis adhiberi potest, quando videlicet nullum aliud est medium seipsum aut alios tuendi contra injustam aggressionem aut malum gravissimum.[1] — Merito igitur damnatæ sunt ab *Innocentio XI* hæ propositiones:

26. "Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine, *juret* se non fecisse aliquid, quod revera fecit, *intelligendo intra se aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab eâ in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum*, revera non mentitur, nec est perjurus"[2].

27. "Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa".

28. "Qui, mediante consuetudine vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum[3]".

950. (d) Qui juramento aliquid *promittit, sine intentione jurandi* aut *sese obligandi*, ideoque juramentum simulat, committit peccatum *grave ex genere suo;* etsi enim juramentum non emittat, *in vanum* nomen Dei usurpat, aliosque decipit. Quare si ita agitur *coram judice*, aut in *contractibus*, peccatum est *grave*. In aliis autem rebus parvi momenti, peccatum est probabiliter *leve*, juxta multos theologos, quia nihil aliud est nisi vana usurpatio nominis Dei. Sed

[1] Ad cujus intelligentiam, vide quæ de mendacio scripsimus, *De Justitiâ*, n. 408-417. — Si æquivocationum et restrictionum theoria rejicitur, et cum modernis admittitur *falsiloquium* licere in casu *necessitatis*, dici debet falsiloquium juramento firmari non posse, nisi quando nullum aliud est medium gravissimum damnum avertendi, v. g. mortem innocentis.

[2] Hic agitur, ex contextu, de restrictione *pure mentali*, cujus sensus detegi nequit a prudenti viro.

[3] Teste *Viva* (in hanc propos.), ita condemnatur praxis eorum qui æquivocatione utuntur quoties, de mandato legitimæ auctoritatis, jurant se non fuisse promotos ob commendationes aut munera.

omnes hujusmodi fictiones, utpote viro honesto indignæ, et ad perjurium facile trahentes, omnino vitandæ sunt. — Qui vero cum animo *jurandi* aliquid promittit, sed *sine intentione implendi*, mortaliter peccat, cum Deum inducat ut fidejussorem falsæ promissionis.

951. (B) **Justitia,** in juramento *assertorio*, exigit ut jurans habeat *jus* asserendi quod dicit, et in juramento *promissorio*, ut res promissa sit *honesta*.

(a) Ita, in juramento *assertorio*, peccat qui alterius occultum crimen manifestat sine causâ, aut se jactat de peccato commisso : non enim jus habet hæc dicendi, nec *a fortiori* ea juramento firmandi. Gravitas autem peccati pendet tum ab *intentione* agentis, tum a gravitate eorum quæ dicuntur.

(b) In juramento *promissorio*, certo mortaliter peccat qui jurat se aliquid grave commissurum : gravem enim injuriam Deo infert, eum testem et quasi fidejussorem faciendo hujus iniquitatis. Si vero actus qui, sub fide juramenti promittitur, est solum venialiter malus, malitia contra religionem *probabiliter* venialis est tantum, etsi, juxta *S. Alphonsum* (n. 146) aliosque, *probabilius* sit mortalis, propter injuriam Deo illatam. Quidquid est, sedulo vitanda sunt juramenta hujusmodi non solum ob reverentiam Deo debitam, sed quia stultitiam redolent : quis enim sanæ mentis Deum testem invocare potest promissionis rei minus honestæ?

952. (C) **Judicium,** seu *discretio* duo exigit, videlicet ut adsit *justa causa* jurandi, et aliunde juramentum præstetur cum illâ *reverentiâ*, internâ et externâ, quam divina majestas requirit.

(a) Peccant igitur qui frequenter jurant, absque sufficienti ratione, id est sine necessitate aut magnâ utilitate : "Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illâ... Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit; et si dissimulaverit, delinquit dupliciter; et si in vacuum juraverit, non justificabitur"[1]. Gravitas autem peccati pendet tum a frequentiâ actuum, tum ab intentione agentis; semel aut iterum sine sufficienti causâ jurare, non excedit veniale, nisi adsit divinæ majestatis contemptus.

(b) Peccant etiam qui jocose, aut modo parum decenti, juramenta emittunt. Quod haud raro evenit, quando nimis frequenter præs

[1] *Eccli.*, XXIII, 9-14.

tantur[1]. — Auctoritas civilis potest quidem, justâ de causâ, juramentum exigere in libro Scripturæ præstandum; sed permittere debet catholicis ut in catholicis Bibliis jurent[2].

III. De obligatione a juramento inductâ.

953. Hic agitur tantum de juramento *promissorio;* juramentum enim assertorium nullam in posterum obligationem parit, cum consistat in merâ affirmatione alicujus rei. — Omnis promissio inducit obligationem *justitiæ* aut *fidelitatis*, secundum principia exposita in *Tr. de Justitiâ*, n. 677; quando huic accedit juramentum, novam obligationem *religionis* parit : de quâ nunc dicendum.

954 1° **Existentia et gravitas hujus obligationis :** *Juramentum promissorium, de re honestâ, inducit obligationem religionis ex genere suo gravem pro jurante.* Jurans enim Deum invocat non solum ut testem promissionis, sed etiam ut *fidejussorem* hujus executionis; ideoque, ex reverentiâ erga Deum, promissum exsequi tenetur. — Attamen, qui formulam juramenti emittit *sine intentione jurandi*, sive ex inadvertentiâ, sive ex deliberatione, non contrahit obligationem : idem dic de eo qui non habet intentionem *se obligandi;* in utroque enim casu deficit unum ex elementis necessariis sive ad juramentum, sive ad obligationem contrahendam[3].

(a) Gravitas autem obligationis a gravitate rei promissæ pendet; cum enim jurans sinceram habuisse censeatur vo-

[1] In *Statibus Americæ Fœderatis* sæpius forsan juramenta exiguntur in materiâ tributorum et taxarum; unde fit ut perjuria hâc in re facile committantur. Optimo sane consilio omnes christiani jungere vires deberent, ut legum civilium mutationem in hâc materiâ obtinerent.

[2] Ad rem *S. Cong. de Prop. Fide*, 8 sept. 1869 (*Collectanea*, n. 1664) : "Relatum est, in pluribus Indiarum regionibus, catholicos super Biblia a protestantibus corrupta, et a gubernio exhibita, si juramentum occurrit, jurare consuevisse... Itaque omnes Vicarii apostolici, in quorum missionibus usus hujusmodi adhiberi consuevit, diligenter curent ut anglo-indicum gubernium libertatem fidelibus relinquat jurandi super S. Scripturam ab Ecclesiâ catholicâ receptam. Quoadusque autem id a civili auctoritate non obtinuerint, prudenter taceant, si viderint fideles super Biblia hæreticorum juramentum præstare, dummodo de licito jurejurando agatur".

[3] Ad quid vero teneatur qui *ficte* juramentum promissorium emisit, in gratiam tertii, inferri potest ex dictis in *Tr. de Justitiâ*, n. 621.

luntatem promissum implendi, peccat solummodo in quantum idem executioni non mandat; jamvero si res promissa parvi est momenti, hujus non-executio gravis esse nequit; juramentum enim non mutat naturam actûs, sed solum religionis obligationem ei superaddit.

(b) Obligatio juramenti *personalis* est juranti, ideoque non transit ad hæredes, dum obligatio *justitiæ* aut *fidelitatis* ex ipsâ promissione orta, *realis* esse potest et ad hæredes transire (*De Justitiâ*, n. 679).

955. (c) Juramentum de re *impossibili*, *illicitâ* aut *plane inutili*, nullam obligationem inducit. Etenim ad impossibile nemo tenetur, aliunde juramentum esse nequit vinculum iniquitatis vel etiam rei vanæ, quæ nullo modo in honorem Dei cedit. Si res *postea* licita aut *utilis* evadit, juramentum, ab initio nullum, non reviviscit : *non* enim *firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit* [1] .

(d) Ex *Codice*, can. 1317, "jusjurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest." Attamen, ex can. 1318, "jusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur. Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in præjudicium boni publici vel salutis æternæ jusjurandum adjiciatur, nullam exinde actûs consequitur firmitatem."

956. **2° De extensione et interpretatione hujus obligationis.** (A) *Principium generale est obligationem juramenti non latius patere quam ipsam promissionem cui accedit;* nam juramentum est quid *accessorium* ipsi promissioni, quam confirmat; jamvero *accessorium naturam sequi congruit principalis* [3]. — *Excipe*, si jurans rem aliter intenderit; extensio enim obligationis, sicut ejus existentia, a jurantis intentione præcipue pendet.

(B) Duæ vero *particulares regulæ* attendantur : (a) Non extendi debet obligatio ultra sensum verborum *stricte acceptum*. Odiosa enim sunt restringenda; obligatio autem, quæ ex juramento oritur, censetur *odiosa*, utpote libertatem restringens. Aliunde juramentum ab intentione jurantis pendet; hic autem non censetur velle se obligare ultra expressum et strictum verborum sensum.

---

[1] Regula juris 18ª in *Sexto*.

[2] In Tractatu de *Justitiâ*, n. 662-664, expenditur qualem obligationem juramentum contractui superaddat.

[3] Reg. juris 42ª in *Sexto*.

(b) Juramentum promissorium interpretandum est secundum conditiones et restrictiones, quæ subintelliguntur ex *naturâ rei*, vel ex *principiis juris*, aut ex *communi prudentûm sensu*. Hujusmodi autem restrictiones præcipuæ sunt sequentes : — *Si potero*, physice et moraliter; — *salvo jure superiorum*, qui ex justâ causâ obligationem irritare, aut in eâ dispensare valent; — *si res non fuerit notabiliter mutata :* si enim notabiliter mutatur, ad eam non extendebatur intentio jurantis; — *si alter fidem servaverit :* nam frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat[1]; — *nisi alter suo jure cedat :* cum enim juramentum promissorium in gratiam alterius fiat, et hic possit juri suo renuntiare, ejus voluntati aliquo modo subjicitur; — *nisi gravis sit ratio propositum mutandi :* si enim executio fieri nequit sine gravi periculo mortis, infamiæ, etc., non antea præviso, jurans se obligare voluisse non censetur.

957. **Corollaria.** (a) Juramentum *servandi statuta alicujus collegii, congregationis, officii*, etc., intelligi debet de statutis jam *editis*, non de edendis, — de iis quæ tunc vigent, non de iis quæ in desuetudinem abierunt, aut a majori parte communitatis non servantur, — et quidem eo modo quo statuta obligant, id est sub *gravi*, sub *levi*, aut solum *ad pœnam*, secundum ipsa statuta : juramentum enim non mutat obligationis naturam, sed solum ei vinculum religionis superaddit.

(b) Juramentum *servandi secretum* non obligat quando cessat ipsa secreti obligatio (*De Justitiâ*, n. 421-425).

(c) Juramentum *fidelitatis* et *obedientiæ* alicui Principi aut Gubernio, aut *servandæ Constitutionis*, non obligat nisi secundum sensum communem honestorum; proinde non obligat ad omnia animo amplectenda quæ in Constitutione continentur, sed solum ad nihil illegitime moliendum contra eamdem[2].

(d) Obligatio, juramento inducta, cessat : *cessatione finis*, — *condonatione* factâ ab eo in cujus gratiam juramentum emissum est, — *irritatione* vel *dispensatione* aut *commutatione*, secundum principia exposita infra, n. 990 sq.

IV. De adjuratione.

958. 1° **Notio et species.** (A) Adjuratio, quæ juramento affinis est, dicitur *interpositio divini nominis aut rei sacræ, quâ quis inducitur ad aliquid faciendum aut omittendum.* Differt proinde a juramento, quia Deus non invocatur ut testis aut fidejussor, ad confirmandam veritatem, sed tanquam *motivum* ad efficacius aliquid consequendum.

[1] Reg. juris 75ª in *Sexto*. — [2] De variis juramentis *politicis* erudite disserit *Bouquillon*, op. cit., n. 660-714.

(3) *Deprecativa* est, quando fit per *preces*, v. g. : "Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei..."[1]; ita etiam Deus ipse per modum adjurationis aliquando rogatur, v. g. *per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, per Passionem tuam*, etc. — *Præceptiva* est, seu *imperativa*, quando fit imperio seu mandato; v. g. quando princeps sacerdotum Christo dixit[2] : "Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus". — Deus solum *deprecative* adjurari potest, quia nemo ei imperare potest; dæmon solum *imperative*, quia deprecationis non est capax; homo tum *imperative* tum *deprecative*, quia cum imperii tum deprecationis capax est.

Solemnis dicitur adjuratio, quando fit nomine Ecclesiæ, a ministris specialiter deputatis, ut in exorcismis; *privata* vero, si privato nomine adhibetur.

959. 2° **Principia.** (A) Adjuratio *non inducit obligationem religionis in personam adjuratam :* non enim ad hoc adhibetur, sed ad excitandum in eâ timorem vel amorem divini nominis, quo facilius et efficacius moveatur ad præstandum quod petitur. Si subditus jam tenetur superiori obedire, debet quidem eidem obtemperare, non vi adjurationis, sed vi præcepti cum adjuratione conjuncti.

960. (B) Ex parte vero *adjurantis*, quædam conditiones requiruntur ut licite agat; ex hujus enim parte, adjuratio est actus religionis, qui iisdem dotibus ornari debet ac juramentum : (a) *veritate*, quatenus adjurans nonnisi *veram causam* exponere debet : ex hoc capite peccat fictus pauper qui, per Deum aut Virginem, eleemosynam sine causâ petit; (b) *justitiâ*, in quantum nonnisi res *licita* postulari potest; (c) *judicio*, id est propter rationabile motivum, non autem ex solâ vanitate, aut curiositate. Harum conditionum defectus est peccatum *grave* aut *leve*, prout materia gravis aut levis est. Ita fictus pauper qui magnam pecuniæ summam emungit, aut qui petit rem graviter illicitam, mortaliter peccat; venialiter autem, si modicam sollicitat eleemosynam, aut ad peccatum leve inducit.

Scholion : de vanâ assumptione nominis Dei.

961. 1° Secundum præceptum prohibet ne in vanum assumatur Dei nomen[3] : "Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum". Et merito; nomen enim Dei sanctum est, et nonnisi cum debitâ reverentiâ pronuntiari debet.

[1] *Rom.*, XII, 1. — [2] *Matt.*, XXVI, 63. — [3] *Exod.*, XX, 7.

Idem dicendum, servatâ proportione, de vanâ assumptione nominum sanctorum, cum irreverentia in sanctos aut res sacras in Deum ultimo redundet.

Hæc vana divini nominis appellatio oritur præsertim ex duplici causâ : ex *irâ*, et ex *levitate* vel *consuetudine*.

(A) *Ex irâ*, quando ex animi commotione dicitur v. g. : *nomen Dei, mille nomina Dei!* Plerumque ista usurpatio peccatum veniale non excedit, quia ex subitâ et parum deliberatâ commotione procedit; mortale tamen esse posset, propter deliberatum Dei contemptum, aut scandalum.

962. (B) Ex *levitate*, aut *consuetudine*, quando sine causâ nomen Dei frequenter in conversatione adhibetur, v. g. : *Mi Deus! Magne Deus! Bone Jesu! Dulcis mater Dei* (*sweet mother of God*)! Quæ quidem frequens appellatio a Scripturâ reprobatur[1] : "Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo"; et revera aliquam irreverentiam erga Deum et sanctos præ se fert. Sed culpam venialem non excedit, cum in eâ non appareat nisi levis inordinatio; sæpe etiam omni culpâ vacat, propter inadvertentiam.

963. 2° Minime vero prohibetur, sed potius commendatur frequens invocatio divini nominis *ex interno reverentiæ sensu et ex cordis devotione*. Ita in Scripturis prophetæ sæpius dicunt : *Vivit Dominus;* ita et hodie pii christiani sese invicem his verbis salutant : *Laudetur Jesus Christus!*

Quapropter cum *Catechismo C. Tridentini*[2] concludere licet : "Deinde divinum nomen veneramur et colimus, cum officii et religionis causâ divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis, tum adversis illi singulares gratias agimus... Nos itaque, cum animi corporisque doloribus cruciamur, cum miseriis et ærumnis torquemur, statim ad Deum laudandum omne studium, et animi nostri vires convertamus, illud Job dicentes[3] : Sit nomen Domini benedictum!"

Art. II. De voto[4].

964. Per juramentum Deus in testem assumitur eorum quæ asseruntur vel promittuntur; per *votum* ipsi Deo fit

[1] *Eccli.*, XXIII, 10; cfr. supra, n. 952.

[2] Catech., 2um Decal. præceptum, n. 4. — [3] *Job*, I, 21.

[4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 88; *Suarez*, op. cit., tr. VI, l. 1-6; *Billuart*, diss. IV; *S. Alphons.*, n. 194-262; *Bouquillon*, op. cit., n. 302-502; *Ball. P.*, n. 602-710; *Noldin*, n. 209-242; *Berardi*, Praxis, t. I, n. 489-562; *M. d'Hulst*, Carême, 1893, 4e Conf., p. 131-145; *Codex*, c. 1307-15.

promissio; sicut enim hominibus aliquid promittimus, ita pariter et Deo. Promissio autem Domino facta inter actus *religionis* recensetur, quia eo tendit ut eidem obsequium præstet. Dicemus : 1° de *naturâ* voti; 2° de ejus *honestate* et *obligatione;* 3° de *cessatione* hujus obligationis.

§ I. De natura voti.

Quo melius natura voti intelligatur, ejus *notionem* ac *species* declarare oportet.

1. Genuina notio voti.

Votum communiter definitur *deliberata promissio Deo facta de bono possibili ac meliori.* Unde ad votum duo præsertim desiderantur : vera *promissio Deo* facta, et *materia apta :* quibus rite expositis, facile intelligetur quænam *conditiones* ad ejus valorem requirantur.

965. 1° **Vera promissio Deo facta.** (A) Promissio, de quâ hic agitur, est sincera voluntas *se obligandi* ad aliquid faciendum vel omittendum; differt proinde a *mero proposito*, seu intentione aliquid agendi quæ elicitur absque voluntate veram obligationem assumendi. Fideles aliquando dubitant *utrum propositum, an votum* emiserint; ad quod dubium solvendum, attendi debent non solum verba quibus usi sunt, sed etiam et præcipue eorum *intentio;* haud raro enim vox "*promitto* coram Deo" nihil aliud significat nisi propositum; imo *voveo* non necessario votum importat; sed, si habetur intentio *se obligandi sub pœnâ peccati*, habetur votum quæcumque verba adhibita fuerunt [1]. Si, omnibus attentis, res vere dubia manet, in praxi non adest stricta obligatio votum implendi, quia de ejus existentiâ non constat.

966. (B) Hujusmodi promissio debet esse *vera*, seu *deliberata :* nemo enim aliquam obligationem *moralem*

[1] Voluntas *adimplendi rem promissam* non essentialiter requiritur ad voti existentiam et obligationem, sed requiritur ut votum sit honestum et religionis actus; qui enim obligationem contrahere intendit, non autem implere, Deum minime honorat, sed eum offendit, ideoque peccatum committit plus minusve grave, secundum ipsius materiæ gravitatem.

sibi imponit, nisi id sincere velit; ad hoc autem requiritur deliberata volitio, ea scilicet quæ ad actum vere humanum necessaria est (supra, n. 78-84). Imo, cum votum sit actus *ex se gravis*, major ad ejus valorem requiritur deliberatio quam ad alios actus communes; et quo graviores imponit obligationes, eo majorem requirit deliberationem. Attamen, ut votum valeat, non necessaria est *diuturna* et *matura* deliberatio, sed solum ea quæ, ex communi prudentum æstimatione, gravitati suscipiendæ obligationis proportionatur. Deficiente autem maturâ deliberatione, obligatio contracta minus stricta est, et facilius dispensatur aut commutatur.

Invalida igitur sunt vota emissa a pueris nondum perfecte suî compotibus, — a semi-ebriis aut semi-dormientibus, — ab iis qui omnino ignorant obligationes quas vota inducunt, aut eas nonnisi *imperfecte* et *confuse* concipiunt : in his enim et similibus adjunctis, non invenitur deliberatio gravitati obligationis proportionata.

967. (a) Non autem requiritur *attenta consideratio omnium circumstantiarum* rei promissæ, sed solum earum quæ moraliter ad ejus substantiam spectant. Ita qui religiosa vota emittit, satis clare intelligens quid substantialiter importent, valide vovet, etiamsi non mature consideraverit omnia onera quæ ex eis naturaliter sequuntur.

(b) Neque ad votum requiritur voluntas *actualis* atque *explicita* suscipiendæ obligationis, sed sufficit *virtualis* et *implicita*, dummodo *vera*. Sufficit *virtualis*, ea scilicet quæ vere habita fuit, et adhuc perseverat, quanquam non actu elicita; ita adolescens, qui libere resolvit subdiaconatum suscipere, et, vi hujus propositi, ordinationem accipit, vere votum castitatis emittit, quod scit huic ordini esse adnexum, etiamsi tempore ordinationis de eo actu non cogitet; idem dicendum de eo qui religiosam professionem emittit. — Sufficit pariter *implicita* voluntas, ea scilicet quæ includitur in generali volitione suscipiendi omnes obligationes tali promissioni adnexas; ita qui statum religiosum vult profiteri, eo ipso implicite vovet paupertatem, castitatem et obedientiam huic professioni adnexas, quando sufficienter intellexit hæc omnia in statu religioso includi.

968. (c) Ex quo etiam sequitur voti validitati obesse ea omnia impedimenta quæ actûs humani libertati nocent : si

penitus destruitur libertas, votum eo ipso invalidum est; si minuitur, ita tamen ut vovens libertate gaudeat proportionatâ gravitati obligationis, valet quidem votum, sed facilius in eo dispensatur.

1) Ita qui ex *errore* votum emisit, illud implere non tenetur, si error vere est causa voti, ita ut, veritate cognitâ, rem non vovisset; v. g. qui castitatem promittit, nullo modo sciens de quâ re agatur, — qui peregrinationem vovet ad sanctuarium quod putat *centum* milliariis distare, dum revera *mille* distat, — qui missam vovet pro sanitate patris quem falso audivit ægrotare. — Ex adverso autem error minoris momenti de rei circumstantiis, quarum cognitio votum non impedivisset, hoc non reddit invalidum.

Quando agitur de *votis religiosis*, communiter tenetur ea non invalidari nisi errore circa eorum *substantiam* versante : cum enim agatur de *complexu* obligationum, sufficit ut earum substantia sufficienter intelligatur.

Si votum invalidum renovatur, *quia* validum credebatur, per hoc firmius non evadit, quia nonnisi ex errore renovatum est.

2) Votum emissum ex *metu gravi, injuste* incusso *ad votum extorquendum*, non valet[1], quia debitâ libertate caret, et aliunde Deus acceptare nequit promissionem hujusmodi, ne ipsam injuriam voventi allatam approbare videatur. Secus autem, si ex metu levi[2], aut juste incusso, vel non ad extorquendum consensum. Ita validum est votum ex timore naufragii aliusve periculi emissum : tunc enim non ægre, sed ex animo fit, ad obtinendam incolumitatis gratiam.

969. (C) Promissio *Deo facta :* votum enim *proprie dictum* est actus religionis quo præstamus obsequium Deo, ejusque supremum dominium agnoscimus, et ita ad cultum latriæ pertinet. Aliquando tamen vota dicuntur nuncupari *sanctis*, id est, Deo in honorem sanctorum, sicut altaria sanctis dicantur, hoc est, Deo in eorum honorem : honor enim eis redditus in Deum ipsum redundat. — Si quis autem directe intenderet aliquid promittere ipsis sanctis, non esset proprie votum, sed *religiosa promissio*, ad cultum duliæ spectans.

970. 2° **Materia apta,** id est *honesta*, de *meliori bono* et *possibilis.*

---

[1] Quod inferri potest ex cap. 1 *Perlatum*, lib. I, tit. 40, necnon ex *Trident.*, sess. XXV, c. 19.

[2] Ita semper in votis *publicis;* in votis autem *privatis*, si de facto constaret metum, etsi levem, fuisse veram et solam vovendi causam, *probabilius* votum non valeret in foro conscientiæ.

(A) **Honesta,** seu moraliter bona; cum enim votum emittatur ad obsequium Deo præstandum, promitti nequit nisi res ipsi grata et accepta. Irritum est igitur votum de re *omnino indifferente*, nisi ex fine aut circumstantiis bona evadat : sic vovens *venialiter* peccat, utpote nomen Dei in vanum sumens; et a fortiori votum de re *moraliter malâ* : sic vovens *per se graviter* peccat, nisi ignorantiâ aut inconsideratione excusetur (ut sæpe fit), quia supponit rem malam Deo placere posse : quod *in se* gravem injuriam ei irrogat.

Hic quæritur *num valeat votum rei bonæ, sed ex fine voventis aliquo modo malæ.* (a) Non valet quidem, si intentio prava est causa *motiva* et *totalis* voti, quia tunc actus totaliter malus evadit (supra, n. 150); v. g. si quis eleemosynam vovet ut injustitiam feliciter committat : talis enim finis votum malum et impium reddit. (b) Valet autem, si prava intentio est solum causa *impulsiva* et *partialis* voti, quia tunc non totus vitiatur actus; v. g. si quis eleemosynam vovet tum ut Deo placeat, tum ut ab hominibus laudetur : non obstante enim vanâ ejusmodi intentione, actio bona partim manet, atque Deo offerri potest. — Idem dicendum de *conditione malâ* voto appositâ, v. g. si quis pinguem eleemosynam promittit, posito quod ex duello incolumis evaserit; etsi enim duellum sit malum, vitam incolumem servare bonum est, et votum non versatur circa rem malam, scilicet duellum, sed circa incolumitatem, quæ certe bona est.

971. (B) **De bono meliori,** id est de opere quod sit *perfectius quam ejus oppositum*, omnibus attentis circumstantiis; cum enim votum fiat ad Deo placendum, ei promitti nequit bonum quod majus bonum impedit : si enim promittitur minus bonum, eo ipso vovens se obligat ad omittendum majus : quod sane Deo placere nequit. Bonum autem melius non solum *in se* et *absolute* æstimandum est, sed etiam *relate* ad voventem et omnia adjuncta.

Ita *votum nubendi ex se* non valet, quia opponitur meliori bono, videlicet virginitati. Sed in *specialibus adjunctis* matrimonium potest esse materia voti, v. g. si quis, sub spe matrimonii, aliquam virginem corrupit, aut si tale matrimonium est reipublicæ valde utile. Pariter votum *non vovendi* in se non valet, quia est de minori bono; sed votum non vovendi *nisi cum licentiâ confessarii* est validum, cum sit actus prudentiæ.

Actio jam præcepta potest esse materia voti, quia res præcepta bona est; aliunde, ex dicendis, aliquid facere *ex voto* melius est quam idem *sine voto* præstare. Attamen non sine ratione vovendum est quod jam sub præcepto cadit, ne ita temere multiplicentur vincula.

972. (C) **De bono possibili,** non solum physice, sed *moraliter :* quia ad impossibile nemo se obligare valet.

Quare non valet votum vitandi *omnia venialia, etiam semideliberata,* cum id sine *speciali* Dei privilegio sit impossibile, ex dictis in *Tr. de Gratiâ,* n. 63; valet autem votum vitandi *omnia venialia plene deliberata,* quia id implere valent, juvante gratiâ, personæ firmiter in virtute radicatæ; ceteris vero permitti nequit tale votum, cum sit supra earum vires; valet etiam votum *omnia mortalia* vitandi, sed fragilibus minime consulendum, ne forte illud violando duplex peccatum committant.

Cum materia voti debeat esse in potestate voventis, factum *alienum,* seu ab alio præstandum, proprie vovere nequimus; ita mater vovere non potest suum filium religionem ingressurum. Si revera tale votum emissum fuerit, ita explicari debet quod animus voventis fuit se obligare ad curandum, in quantum potest, ut alter id præstet; sed hujus libertas integra manet. Vota a civitatibus, monasteriis aut collegiis facta, non ligant *posteros,* nisi obligatio aliunde oriatur, puta ex statuto, lege, aut consuetudine vim legis habente.

973. Si materia voti est *partim possibilis,* et *partim impossibilis,* ante omnia *intentio voventis exploranda est :* si utrumque promisit *indivisim,* seu per modum unius, ad nihil tenetur, quando alterutrum impossibile est; secus, si duas res *divisim,* seu independenter a se invicem, promisit, quia *utile per inutile non vitiatur.* Si de intentione voventis non constat, præsumi debet ex ipsâ materiâ voti : quando hæc est *divisibilis,* impleri debet pars possibilis; ita qui decem jejunia vovit, et nonnisi duo implere valet, ad hæc duo tenetur. Si materia est *indivisibilis,* aut si pars impossibilis est omnino principalis relate ad alteram, nulla subsistit obligatio; ita qui romanam vovit peregrinationem, et nonnisi dimidiam viam peragere valet, ad nihil tenetur; si vero promisit iter pedibus facere (quod non potest), facile vero viâ ferreâ Romam adire valet, id sane præstet, cum *principalis* sit ipsa romana peregrinatio, et modus eundi sit accessorius.

II. De variis speciebus votorum.

974. 1° Ratione *objecti* circa quod versatur, votum est : (a) *personale,* si res promissa est *actio* quædam ponenda aut omittenda, qualis est recitatio alicujus orationis, peregrinatio, etc.; (b) *reale,* quando res promissa est directe aliqua res, voventi externa et pretio æstimabilis, qualis est eleemosyna, donatio calicis, etc.; (c) *mixtum,* si voti objectum est simul actio et res, v. g. votum adeundi Lauretum, ibique calicem offerendi.

2° Ratione *durationis*, dicitur *temporale* aut *perpetuum* prout ad certum tempus aut per totam vitam servandum promittitur.

975. 3° Ratione *modi* quo fit, vocatur *absolutum* aut *conditionatum*, prout fit simpliciter, sine ullâ restrictione, aut aliquâ conditione adjectâ : hujus exemplum habetur, si quis pinguem vovet eleemosynam posito quod talem hæreditatem acceperit. — Si apposita conditio per modum *pœnæ* infligendæ additur, votum est *pœnale*, ut si quis eleemosynam promittit, posito quod in tale peccatum relapsus fuerit.

976. 4° Ratione *formæ* et *effectuum*, votum est *publicum* quando nomine Ecclesiæ a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatur; secus est *privatum;* — *solemne*, si ab Ecclesiâ uti tale agnitum fuerit; secus *simplex* (*Codex*, c. 1308). — Ad factum quod spectat, Ecclesia tanquam solemnia habet duo votorum genera : votum castitatis in *sacris ordinibus* emissum, et vota *religiosa* in iis ordinibus emissa qui ut solemnes ab Ecclesiâ approbati sunt.

977. Inde oritur quæstio, inter canonistas et theologos diu agitata, *undenam veniat votorum solemnitas*, seu in quo votum solemne a simplici differat. Omnes quidem hodie fatentur hoc discrimen oriri solum ex *auctoritate Ecclesiæ*, cum neque Christus neque Apostoli aliquid hâc de re statuerint. Quod ceteroquin declaravit *Bonifacius VIII, c. unico de Voto, in Sexto :* "Nos attendentes quod voti solemnitas ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa"... Ulterius tamen inquiritur utrum hæc solemnitas in *solâ voluntate Ecclesiæ* sita sit, an in aliquo *effectu speciali* qui, ita statuente Ecclesiâ, solemni voto adnexus fuerit.

(a) Juxta *S. Thomam*[1] multosque alios voti solemnitas consistit in quâdam *spirituali consecratione*, vi cujus persona aut res, voto designata, ab humanis usibus penitus subtrahitur, et ex se *irrevocabiliter* Deo dicatur, ita ut sine sacrilegio in profanos usus converti nequeat. (b) Juxta alios[2] vero, discrimen inter votum solemne et simplex est *mere externum*, et in eo consistit quod Ecclesia longe difficilius solvit vota solemnia quam simplicia. — Priorem tamen

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 88, a. 7 et 9; *Lehmk.*, n. 500.
[2] *Baller. P.*, n. 603; *Noldin*, n. 210.

sententiam recte intellectam ut probabiliorem habemus; nam, etsi solemnitas votorum ab Ecclesiâ pendeat, aliquos effectus ex se permanentes producit qui ex voto simplici non prodeunt : ita actus votis *solemnibus* contrarii non solum illiciti, sed etiam *invalidi* efficiuntur; v. g. invalidum est matrimonium ab eo contractum qui solemne castitatis votum emisit. Quod sic declarari potest : sicut, in re civili, solemnes dicuntur contractus in quibus conficiendis intervenit *auctoritas publica*, quæ specialem firmitatem eis confert, ob bonum publicum; ita pariter, in re nostrâ, *publica Ecclesiæ auctoritas* intercedit, ut votis solemnibus, quæ ut talia publice agnoscit, specialem indissolubilitatem concedat; hæc autem indissolubilitas ex eo procedit quod *publice*, et ex ipsâ auctoritate Ecclesiæ, vota emissa acceptantis et confirmantis, personæ voventes Deo consecrantur modo speciali et indissolubili, quoad illos actus quos facere aut omittere promiserunt.

Ceteroquin, cum hæc indissolubilitas ex Ecclesiæ auctoritate oriatur, non est ita firma ut non possit in eâ dispensari gravissimâ ex causâ.

§ II. De honestate et obligatione voti.

I. De honestate voti [1].

978. 1° **Errores.** *Protestantes* multi, ex eo quod discrimen inter præcepta et consilia rejiciunt, contendunt vota de rebus *non præceptis*, *ex motivo Deum colendi*, esse non solum illicita, sed impia, cum supponant esse opera quædam supererogatoria, quæ minime Deo debentur. Concedunt tamen eadem vota licere, si ex alio motivo fiant, v. g. causâ vitandi peccati, vel a sæculi vinculis se liberandi. — Hodie vero non pauci *rationalistæ* et *politici* omnia vota, præsertim religiosa et perpetua, ut libertati ac societati nociva reprobant : cum enim homo sit essentialiter *mutabilis* et *progressivus*, nemo suam libertatem abdicare valet, præsertim in perpetuum; aliunde religiosi, paupertatem, obedientiam et castitatem vovendo, societati non solum inutiles, sed etiam nocivi fiunt : nihil siquidem producunt, aliosque suo exemplo ad otiositatem, sub prætextu contemplationis, trahunt. — Unde pauca præmittemus de honestate et præstantiâ votorum.

[1] Præstantiam votorum religiosorum *S. Thomas* vindicavit in duplici opusculo : Opusc. I, Contra impugnantes Dei cultum et religionem; Opusc. III, Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu (Opera, ed. *Vivès*, t. XXIX).

979. 2° Thesis : *Vota prudenter emissa, ex motivo Deum colendi, honesta et laudabilia sunt.*

(A) Vota, in honorem Dei facta, ipsi accepta esse et ab eo commendari, ex multis *Scripturæ* textibus constat : *Patriarchæ* vota emittunt, proptereaque ab eo benedicuntur [1]; in lege *mosaicâ*, præscripta statuuntur de votorum adimpletione : "Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris " [2]. Etsi vota non cadant sub præcepto, ut ex præfatis verbis constat, alibi tamen commendantur [3] : " *Vovete* et reddite Domino Deo vestro". — Sub *novâ lege*, Apostoli exhibentur ut vota persolventes [4]; et Patres multi de voto castitatis intellexerunt verba Pauli de junioribus viduis, quæ primam fidem irritam fecerunt [5].

980. (B) Quare, jam primis Ecclesiæ sæculis, vota in usu fuerunt, præsertim votum *castitatis*, posteaque tria vota religiosorum. Ita *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Hieronymus* integros scripserunt tractatus de virginitate, quatenus *voto* firmatur. Audiatur *Augustinus* alloquens conjuges Armentarium et Paulinam, qui mutuo consensu votum castitatis emiserant : " Nunc vero, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito (si exhortor ne recedas a voto), sed a magnâ iniquitate deterreo. Non enim talis eris, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. *Minor enim tunc esses, non pejor;* modo autem tanto, quod absit, miserior, si idem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat, imo gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset... Felix est necessitas quæ in meliora compellit" [6].— Quapropter Ecclesia religiosorum vota approbavit, eorum impugnatores damnavit [7], et, contra Protestantes, modo generali votorum honestatem ita definivit [8] : " Si quis dixerit ita revocandos

[1] *Gen.*, XXVIII, 20. — [2] *Deut.*, XXIII, 21-22. — [3] *Ps.* LXXV, 12.
[4] *Act.*, XVIII, 18; XXI, 23. — [5] *I Tim.*, V, 12.
[6] *S. August.* Epist. 127, *Migne*, P. L., XXXIII, 487. — Cfr. *S. Hieronymus* ad Eustochium de custodiâ virginitatis, P. L., t. XXII, 394-425.
[7] Apud *Denzing.*, n. 497-499.
[8] *Trident.*, sess. VII, De Baptismo, can. 9; *Denzing.*, n. 746.

esse homines ad suscepti baptismi memoriam, ut vota omnia, quæ post baptismum fiant, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi baptismo, anathema sit".

981. (C) *Ratio* ipsa ostendit vota, prudenter emissa, in *gloriam Dei* cedere atque *voventium utilitatem.* (a) *In gloriam Dei;* nam homo, Deo offerens ac promittens rem ipsi gratam ac meliorem, studet ei placere, ejusque supremum agnoscit dominium; quia vero votum implere nequit nisi propriæ voluntati ac voluptati renuntiando, simul offert sacrificium internum et spirituales hostias quibus Deus maxime colitur. — Etiam vota *conditionata*, quibus aliquid promittitur, si Deus talem gratiam concedat, eum glorificant, licet minus perfecte quam vota absoluta; ita enim agnoscitur Deum humanis rebus providere, et ad eum esse confugiendum ut obtineri valeant auxilia opportuna, in rebus temporalibus aut spiritualibus. — Minime tamen commendari debet illa *mercenaria* animi dispositio, quâ *nunquam* aliquid Deo aut sanctis vovetur nisi ad aliquod *temporale* commodum consequendum; multo sane perfectius agunt qui Deo aliquid *absolute* vovent, fiducialiter ab eo exspectantes quidquid ipsi placuerit tempore opportuno retribuere.

(b) *In utilitatem voventium;* cum enim humana natura debilis sit et inconstans, multum prodest, in quibusdam adjunctis, ei robur et firmitatem præstare, se ad perfectiora obstringendo per votum : ita enim voluntas roboratur et firmatur in bono; homo siquidem *honorabilis* promissa serio facta exsequi, honoris sensu, veluti compellitur; et, si agitur de promissis *Deo* factis, ad ea implenda virtute religionis suaviter et fortiter inducitur; quare omnem fortitudinem adhibebit ad superandas difficultates ac rem exsequendam, et ita vires ejus ad bonum faciendum duplicabuntur. Aliunde Deus ipse, in cujus honorem votum emissum est, voventem potenti suâ virtute adjuvare non dedignabitur, et ex hoc capite vires non parum augebuntur.

982. *Objiciunt* quidem adversarii per vota *perimi libertatem*, cum ita tollatur moralis potestas inter contraria eligendi. — Retorquetur argumentum; nam idem dici potest de omnibus promissis et contractibus humanis; his enim

restringitur potestas eligendi, cum contrahentes veras obligationes sibi imponant, sive in tempus, sive in perpetuum. — Falso itaque supponunt adversarii libertatem morali obligatione minui aut perimi; ex adverso, eo liberiores sumus quo fidelius ac perfectius nostra officia implemus. Etsi enim potestatem habeamus inter bonum et malum eligendi, hanc non amittimus bonum eligendo, quod naturam nostram perficit, sed eâ bene utimur. Nonne e contra libertas minuitur quando, passionibus et voluptatibus servientes, contra rectæ rationis dictamen, malum appetimus? Liberiores igitur sunt qui, passionibus edomitis, frequentius ac perfectius sua officia adimplent. Jamvero, qui non temere, sed prudenter, nec cito, sed post maturam deliberationem, sponte se obligant ad aliquid melius faciendum, nedum novis vinculis suam libertatem obstringant, liberiores evadunt : nam voluptatibus valedicunt, quo fidelius rectæ rationi ipsique Deo serviant. — Ita certe sentiunt qui, post longam vitam in praxi virtutis impensam, non amplius vehementi passionum impetu ad malum trahuntur[1].

[1] Quod eloquenter sic declarat *M. d'Hulst*, Carême 1893, p. 134-136 : "Le vœu ennemi de la liberté? Mais n'apercevez-vous pas l'équivoque? La liberté, c'est-à-dire le droit de faire, oui, cette liberté-là, qui n'est qu'un bénéfice, après tout, elle est restreinte par le vœu. Ce qui était permis ne l'est plus. Mais depuis quand est-ce un amoindrissement moral que de renoncer à un bénéfice? Est-ce que tout ce qui est grand dans le monde des âmes n'est pas fait de cette étoffe? Voulez-vous voir à qui le vœu profite? Regardez qui il contriste. Il contriste l'égoïsme, le besoin de jouir, d'accaparer les biens. Ah! si l'égoïsme n'est pas satisfait, tant mieux; c'est que la vertu triomphe... Le pouvoir de choisir ses actes, voilà le libre arbitre; et telle est la signification morale du mot liberté. Eh bien, ce pouvoir-là, où s'exerce-t-il, où s'affirme-t-il davantage? Parlez; j'en appelle à vos consciences. Est-ce dans la jouissance permise, ou dans la jouissance sacrifiée? Ah! dans la jouissance permise, je ne suis pas bien sûr d'être libre. Peut-être que je me l'accorde parce qu'elle est permise; alors c'est un acte bon; mais peut-être que je cède à ses attraits parce qu'elle est jouissance, et alors je ne suis plus libre, je suis traîné. Si je réagis au contraire; si, en remontant le courant de mes convoitises, je dépasse même la ligne du devoir; si je m'aventure, audacieux et fier, dans les parages de la perfection; si je fais plus; si, modeste autant que fort, je me défie, dans ma ferveur d'aujourd'hui, de ma faiblesse de demain, et si, pour y couper court, comme ce conquérant espagnol, je brûle derrière moi les vaisseaux du retour et je m'engage par un lien

983. 3° **Corollarium.** *Opus bonum ex voto factum, ceteris paribus, magis meritorium est quam idem opus sine voto.* Quod *S. Thomas* triplici argumento demonstrat : (**a**) vovere est actus latriæ, seu religionis, quæ est præcipua inter virtutes morales; cum autem actus inferioris virtutis sit melior et magis meritorius ex eo quod imperatur a superiori virtute, opera inferiorum virtutum, prout jejunium, abstinentia, continentia, meliora efficiuntur et magis meritoria quando fiunt *ex voto*, quia sic imperantur a virtute religionis, quæ ceteris virtutibus moralibus præstat. (**b**) Qui vovet aliquid et facit, Deo se subjicit non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, ideoque perfectius se subjicit; sicut plus dat qui proximo tradit arborem cum fructibus quam qui ei tradit fructus tantum. (**c**) Per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum, ex superius dictis, n. 982; facere autem aliquid ex voluntate firmatâ in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis, quæ ex naturâ suâ stabilis est, sicut peccare mente obstinatâ aggravat peccatum.

Dixi tamen *ceteris paribus;* nam, cum caritas sit omnium virtutum perfectissima, qui *ex caritate* agit, perfectiora perficit opera quam qui ex voto, seu ex virtute religionis. Insuper qui non ex voto, sed ex repetitis actibus eadem efficit ac vovens, aliquando majus meritum acquirit ex *majori conatu* quem frequentius renovare debet.

II. De obligatione ex voto ortâ.

984. 1° **Principium :** *Voto inducitur in conscientiâ obligatio præstandi id quod promissum est; gravitas autem hujus obligationis pendet tum ab intentione voventis, tum a gravitate materiæ.*

(**A**) Ex *Scripturâ* constat vota sedulo implenda esse sub pœnâ peccati : " Cum votum voveris Domino Deo tuo, non

volontaire aux actions héroïques qu'il m'était permis d'omettre; oh! alors, dites si cela vous plaît, que je ne suis plus libre. Je vous répondrai, moi, qu'on est libre dans la mesure où l'on fait œuvre de volonté et que j'ai voulu plus fortement que vous, puisque j'ai voulu des choses plus difficiles. Et, si revenant à la charge, vous me parlez de mes chaînes, je vous dirai que je les porte parce que je les ai choisies, et que j'en suis fier, tandis que vous en portez peut-être que vous n'avez pas choisies et dont vous rougissez".

tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum[1]... Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio... multoque melius est non vovere quam post votum promissa non reddere[2]. Revera, si promissa hominibus facta servari debent ex virtute *fidelitatis*, *a fortiori* impleri debent ea quæ Deo fiunt, et quidem ex virtute *religionis;* fidelitas enim erga Deum, utpote ad divinum cultum spectans, nomine religionis merito decoratur. Verum est quidem promissionem non stricte obligare nisi quando acceptata fuit; sed, ex textibus superius allatis, clare constat vota, debitis conditionibus vestita, a Deo acceptari, eorumque impletionem urgeri; quare de obligatione quam inducunt dubitari nequit.

985. (B) Gravitas hujus obligationis pendet imprimis ab ipsâ *intentione* voventis : cum enim votum sit veluti *lex privata* quam hic sibi imponit, sub gravi aut sub levi, prout vult, sese obligare valet. Pendet etiam a gravitate ipsius materiæ. Attamen, etiam quando agitur de materiâ in se gravi, sub levi tantum potest votum emitti. Excipiuntur tamen illa vota, quorum gravitatem Ecclesia ipsa definivit, videlicet votum castitatis a ministris sacris emissum, et vota religiosorum : tunc enim legitima auctoritas, ob bonum publicum, manifeste declarat hujusmodi vota non posse fieri nisi sub pœnâ gravis peccati. — Præterea materia *in se levis* non potest voveri *sub gravi*, quia intentio *gravem* obligationem incurrendi, in materiâ *levi*, non est rationabilis, nec proinde Deo probatur (*De Legibus*, n. 274).

Unde, ut votum sub gravi obliget, duo requiruntur : ut *materia* sit gravis, et ut vovens *intentionem* habeat sub mortali se obligandi. — Materia autem gravis censetur ea quæ, si ab Ecclesiâ præciperetur, sub gravi obligaret, ut assistentia missæ, jejunium, communio, etc.; quod quidem ex prudentûm æstimatione determinari debet. — Quando plures materiæ leves *eodem voto* promissæ sunt, *coalescunt* vel non in *gravem materiam*, prout, ex *intentione* voventis ut *aliquid unum* vel ut *res singulares* promissæ fuerunt; deficiente hâc intentione, res ex prudentûm æstimatione dijudicari debet.

986. 2° Corollaria. (A) *Votum directe obligat solum voventem;* cum enim obligatio voti oriatur ex promissione

[1] *Deut.*, XXIII, 21. — [2] *Eccles.*, V, 3-4.

libere factâ, ille solus hâc obligatione ligatur qui eam libere suscepit. Hinc : —

(a) Filii non tenentur vota personalia parentum implere, nisi postea hæc vota sua fecerint. Subditi non tenentur exsequi vota a superiore communitatis facta, *vi ipsius voti*, nisi eidem consenserint, sed, vi *obedientiæ religiosæ*, si superior legitime id præcipit. Pariter posteri vota majorum *vi voti* servare non coguntur; sed, si communitas ipsa, per suos legitimos præsides, votum aliquod emiserit, subditi actus promissos exsequi debent ratione *præcepti*, aut *consuetudinis* vim legem habentis : præsides enim possunt, ob bonum commune, aliquod opus præcipere, quod etiam posteri implere debent; quia vero opus ex motivo religionis injunctum est, *indirecte* ex eodem motivo a subditis præstandum est.

(b) Quando agitur de voto *reali*, hæredes non ex religione, sed ex *justitiâ*, exsequi tenentur, quæ ab antecessoribus defunctis promissa fuerant, non tamen ultra vires hæreditatis. Nam votum *reale*, v. g. promissio alicujus eleemosynæ, est veluti onus ipsi hæreditati annexum; porro hæreditas ad hæredes transit cum suis oneribus. Hi igitur tenentur onera solvere, primum quidem debita justitiæ, postea vero debita religionis, ex voto orta, quæ pia legata præcedunt.

(c) Ceteroquin votum *personale* ab ipso vovente impleri debet, cum *actio propria* promissa fuerit; si vovens illud implere nequit, non tenetur id præstare per alium. — Secus dicendum est de voto *reali :* cum enim *res* promissa fuerit, vovens potest eam dare sive per se, sive per alium.

987. (B) *Votum impleri debet eo modo quo factum est.* Proinde : —

(a) Si *conditionatum*, non obligat nisi *impletâ conditione.* Non licet tamen conditionis executionem fraudulenter impedire; ideoque contra votum peccat qui dolo, vi, minis aliisve injustis mediis hanc executionem impedit; qui vero nonnisi precibus, suasione aut licitis viis prohibet ne conditio apposita verificetur, stricte non peccat, et a voto suo liberatur, cum reipsa conditio impleta non fuerit. Pariter si conditio non proprie, sed solum *æquivalenter* impletur, *probabiliter* votum non obligat; v. g. qui ingressum in religionem vovit, si mater vidua secundas nuptias inierit, stricte non tenetur ingredi, si mortua fuerit, etsi ratio appositæ conditionis fuerit matris sustentatio.

(b) Si sit *disjunctivum*, v. g. si convaluero, jejunabo tribus diebus aut viginti nummos pauperibus dabo, *optio spectat ad voventem;* sed alterutrum exsequi debet. Si, ante electionem factam, una pars impossibilis evadit, absque voventis culpâ, *probabiliter* ad nihil tenetur, quia non remanet facultas eligendi; sed vir pius et honestus alteram partem nihilominus exsequetur. Electione autem

factâ, pars electa præstanda est, etiamsi altera pars impossibilis evadat; si vero pars electa impossibilis evadit, sine voventis culpâ, hic ad nihil tenetur.

988. (C) Ad *tempus* quod spectat, votum impleri debet *tempore præfixo*, quin necesse sit id prævenire, etiamsi prævideatur futurum impedimentum; et dilatio notabilis, sine justâ causâ, in re gravi, est *per se* grave peccatum.

Quænam vero sit *notabilis* dilatio, a multis circumstantiis pendet, a naturâ voti, voventis ætate, periculo oblivionis aut impotentiæ votum in futurum exsequendi : quæ quidem omnia nonnisi ex prudentûm æstimatione dijudicari possunt. Ita qui vovit religionem statim ingredi, et, sine causâ, tribus vel quatuor annis differt, *ex se* graviter peccat, quia subtrahit notabilem partem obsequii promissi; si vero agitur de piâ peregrinatione, diuturna dilatio non videtur gravis, nisi ex hâc probabile adsit periculum futuræ impotentiæ peregrinationem exsequendi. — Si votum tempore præfixo non est impletum, ejus obligatio cessat, si tempus ad *finiendam obligationem* appositum est, minime vero si ad eamdem *urgendam :* de quo prudentes judicabunt, secundum intentionem veram aut præsumptam voventis, aliasque circumstantias. — Si nullum tempus præfixum fuit, quamprimum moraliter votum impleri debet : est enim velut *debitum*, quod quamprimum solvendum est.

989. (D) Quando agitur de *interpretatione* voti, hæc præsertim attendenda sunt : (a) Imprimis votum interpretandum est secundum *intentionem* expressam aut præsumptam voventis, ut ex jam dictis constat.

Ita qui vovit se quotannis daturum, per decem annos, centum nummos Titio, ut in alendâ familiâ hunc adjuvet, tenetur id præstare, etiam mortuo Titio, si ejus primaria intentio fuit familiæ sustentatio, non autem, si primaria intentio fuit patris levamen ab anxietate in alendâ familiâ.

(b) Quando de voventis intentione non constat, votum interpretandum est secundum *voti naturam*, *loci communem usum*, aut generalem *Ecclesiæ consuetudinem.*

Ita qui vovit rosarium recitare, potest id alternatim cum socio recitare; qui vovit jejunium, lacticiniis uti potest ubi hæc viget consuetudo; si vovisti jejunium per mensem, non teneris die dominicâ, cum, ex praxi Ecclesiæ, jejunium hâc die non fiat.

(c) Si, omnibus perpensis, de sensu voti remanet dubium, *benigniorem partem sequi licet ;* nam in rebus *odiosis*, ad quas refertur voti vinculum, benignior pars sequenda est.

Qui igitur promisit eleemosynam, quin quantitatem determinaret, voto satisfacit, dummodo summa erogata non sit ridicula omnibus

attentis; qui vovit calicem, sine determinatâ qualitate materiæ, non tenetur aureum, sed argenteum offerre potest.

Ceteroquin quoad omnia *dubia* quæ de existentiâ aut extensione voti oriuntur, præ mente haberi debent principia tradita in *Tr. de Conscientiâ*, ubi de variis systematibus probabilismi; nec urgenda est impletio voti vere dubii.

§ I. De cessatione voti ejusve obligationis.

Voti obligatio quadruplici modo cessare potest : 1° *suâ naturâ*, ex mutatione materiæ aut cessatione finis; 2° *irritatione*, seu annullatione vel suspensione ab eo qui potestatem habet; 3° *dispensatione;* 4° *commutatione* a legitimo superiore.

I. De cessatione voti ex ipsa rei natura.

990. Votum, sicut lex, cessare potest ex ipsâ rei naturâ, videlicet ex notabili mutatione materiæ vel circumstantiarum, aut ex cessatione finis principalis.

1° *Ex notabili mutatione materiæ vel circumstantiarum*, nempe si res promissa evadit *illicita, inutilis* aut *majoris boni impeditiva :* res enim cessat esse apta materia voti.

Ita parochus qui vovit peregrinationem tali die, si tunc debet graviter ægrotantibus assistere; aut qui promisit subvenire alicui necessitati, quæ jam finem accepit, vel tali die vovit jejunium, quod valde utile opus caritatis impediret. Idem dicendum, quando circumstantiæ ita notabiliter mutantur ut, si vovens mutationem prævidisset, votum non emisisset : tunc enim se obligare non intendebat pro talibus circumstantiis. Sic qui vovit pinguem dare eleemosynam, posteaque pauper factus est, non tenetur eam largiri; qui promiserat sublevare pauperem, non tenetur ei pecuniam dare, quando animadvertit hunc eâdem uti ad sese inebriandum. Ex adverso autem valet castitatis votum, etiamsi postea vehementes insurgant tentationes : hæ siquidem prævideri potuissent, ex communiter contingentibus.

991. 2° *Ex cessatione finis principalis;* cum enim votum ordinetur ad finem aliquem consequendum, cessante fine principali propter quem intenditur, eo ipso cessat ratio obligationis. Qui igitur vovit peregrinationem ad impetrandam amici sanitatem, non tenetur votum exsequi, amico mortuo. Cessante vero fine *secundario*, seu impulsivo, non eo ipso cessat votum, si finis principalis perdurat; qui vovit pium

juvenem educare in clericum, et Titium selegit, ob suavem vocem, non liberatur a voto, si vox minus suavis fiat, quia hic finis est omnino secundarius.

II. De irritatione voti.

992. 1° **Notio.** Irritatio voti est ejus *annullatio* aut *suspensio* ab eo facta qui *potestatem habet dominativam*[1] *in voluntatem voventis, aut materiam voti.* Duplex igitur distingui solet irritatio : (a) *directa*, seu proprie dicta, quæ est annullatio voti ab eo facta qui potestatem habet in voluntatem voventis : hæc obligationem in perpetuum solvit, ita ut nunquam reviviscat. Quod sic declarari potest : qui alterius potestati subjacet, non potest absolutum votum emittere, sed solum *conditionatum*, additâ videlicet tacitâ conditione : *nisi superior contradicat;* quare, si revera superior contradixerit, eo ipso votum non obligat, quia adnexa conditio impleta non fuit. (b) *Indirecta*, seu minus proprie dicta, est suspensio voti ab eo facta qui potestatem habet non directe in ipsam voluntatem voventis, sed in rem promissam : hæc obligationem voti non penitus tollit, sed solum suspendit, quamdiu scilicet materia manet subjecta voluntati superioris; reviviscit proinde obligatio simul ac hæc materia ejus potestati subtrahitur.

993. 2° **Quinam vota irritare valeant?** (A) *Directe* id possunt qui potestatem habent *dominativam* in voluntatem aliorum : —

(a) *Pater* directe potest irritare omnia vota filiorum ante pubertatem emissa, et probabiliter minorum non emancipatorum (*Codex*, 88, 89). Quæ potestas innititur quidem in jure naturali, vi cujus filii a patre dependent quamdiu judicio immaturi sunt, sed nonnisi ex jure *ecclesiastico* his præcisis limitibus determinata fuit. Hæc facultas extenditur ad *omnia* vota ante pubertatem emissa, etiam reservata et in gratiam tertii facta; imo ad vota post pubertatem *confir-*

[1] Potestas *dominativa*, quæ dominis privatis competit quoad subditos, a potestate *jurisdictionis* differt : hæc enim e publico munere oritur, dum illa ex munere privato. Potestas dominativa quandoque a jure naturæ dimanat, ut paterna auctoritas; aliquando etiam a jure ecclesiastico, ut superiorum religiosorum auctoritas in subditos.

mata, nisi hæc firmentur *novo* voto a priore omnino independente. Idem privilegium competit iis omnibus, quibus de jure inest paterna potestas, nempe *tutori*, et, hoc deficiente, avo paterno; imo probabiliter, juxta quosdam, *matri*, si, præsente patre aut tutore nec contradicente, hanc auctoritatem exercet.

(b) *Controvertitur* num *maritus* directe irritare valeat omnia uxoris vota post matrimonium emissa. Qui cum *S. Thoma* [1] affirmant, arguunt ex eo quod vir est caput mulieris, ideoque potestatem habet in ejus voluntatem. Multi tamen negant, quia subjectio uxoris, ex matrimonio orta, non extenditur ultra officia matrimonialia; maritus igitur nonnisi indirecte irritare potest ea vota quæ suis juribus adversantur; quam opinionem ut probabiliorem amplectimur.

(c) *Superior regularis* directe irritare valet omnia vota privata subditorum post professionem emissa: hi enim per votum obedientiæ suam voluntatem superiori subjecerunt in omnibus licitis. Excipitur tamen votum *transeundi ad strictiorem religionem*, quod, ex jure ecclesiastico [2], nemo irritare potest, cum cuique semper liberum sit ad meliora tendere. — Vota *novitiorum* nonnisi indirecte irritari possunt, cum hi nondum obedientiam voverint.

Hæc eadem potestas competit *superiorissis monialium* quoad suarum subditarum vota. — *S. Pontifex*, quatenus est supremus omnium religiosorum prælatus, potest eorum vota irritare; Episcopi eâdem auctoritate gaudent solum quoad religiosos qui ab Ordinario pendent.

994. (B) Ex *Codice* omnes superiores, qui potestatem habent in *materiam* voti, possunt suspendere subditorum *vota, quæ ipsorum jura lædunt.* Ratio est quia, etiam jure naturæ, fieri nequeunt promissiones quæ jura alterius lædunt. Quare:—

(a) *Maritus* irritare potest omnia uxoris vota, etiam ante nuptias emissa, quæ ipsius juribus matrimonialibus adversantur, v. g. votum continentiæ, diuturnæ peregrinationis, etc.; *uxor* eodem jure potitur, ideoque irritare potest votum habitandi, per longum tempus, longe a conjugali domicilio.

(b) *Pater* irritare potest vota filiorum, etiam puberum, quæ ipsius aut familiæ juribus obstant, v. g. votum longinquæ peregrinationis.

(c) *Heri*, seu domini, irritare valent vota famulorum, quæ eos ineptos reddunt ad debita servitia præstanda, qualia sunt vota quotidie jejunandi aut longum tempus in ecclesiis terendi.

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 88, a. 8, ad 3. — Allegatur etiam, ad hanc opinionem confirmandam, *Numer.*, XXX, 7-9; sed hic textus ad legem ceremonialem mosaicam pertinet, quæ abrogata fuit.

[2] *Decretal.* l. III, tit. 21, c. 18.

(d) *Prælati regulares* irritare possunt vota novitiorum quæ cum regulæ observantiâ sunt incompossibilia; idem dicendum de omnibus superioribus collegiorum quoad vota alumnorum quæ debitæ obedientiæ impedimentum afferunt.

(e) *S. Pontifex* et *Episcopi* possunt *a fortiori* irritare subditorum vota cum justis eorum præscriptis incompossibilia.

995. Notandum. Ad validitatem irritationis, in his aut ejusmodi casibus, nulla ratio requiritur, quia superior qui votum irritat sibi submissum, utitur jure suo. Ad licitum vero hujus juris exercitium, justa requiritur causa; nam qui sine ratione vota subditorum irritaret, irrationabiliter eorum spirituale bonum impediret. Ita ex *Codice*, can. 1312 : "... potest ejus vota valide et, ex justâ causâ, etiam licite irrita reddere."

Ex *Codice*, c. 1315, vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit.

III. De dispensatione voti.

996. 1° Notio et conditiones requisitæ. Vota, etiam ex se firma, aliquando tollere expedit per *dispensationem*, quæ definitur *relaxatio obligationis per votum inductæ, nomine Dei facta ab eo qui jurisdictionis potestatem habet.*

(A) Exinde patet *discrimen* inter irritationem et dispensationem : (a) hæc enim fit *nomine Dei*, dum irritatio nomine *proprio irritantis;* (b) hæc requirit potestatem *jurisdictionis*, dum illa supponit tantum potestatem *dominativam :* cum enim, vi voti, homo contraxerit obligationem coram Deo, hæc solvi nequit nisi ab eo qui potestatem jurisdictionis divinitus acceperit, vi cujus solvere possit vincula spiritualia, nomine ipsius Dei; (c) hinc ad validam dispensationem justa requiritur causa, quæ ad irritationem necessaria non est; (d) irritatio fieri potest etiam *invito vovente*, dum dispensatio supponit consensum voventis, qui sibi obligationem imposuit.

997. (B) Potestatem in votis dispensandi Ecclesiæ competere constat : (a) ex generali concessione solvendi omnia vincula spiritualia quæ animarum saluti obstare possunt : "Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis[1]"; quandoque enim contingit, ob humanam fragilitatem, vota etiam mature emissa, nonnisi ægre servari posse, cum maximo animarum periculo; maximi igitur interest ea relaxari posse, quo facilius voventes suæ saluti providere

[1] *Matth.*, XVI, 19.

valeant; quare Christus contulit Ecclesiæ potestatem in votis dispensandi, nomine ipsius Dei qui solus condonare potest obligationem erga se contractam. (b) Ex diuturnâ et universali praxi Ecclesiæ, quæ sæpe sæpius, justas ob causas, in votis dispensare solet.

998. (C) Quia vero dispensans non proprio nomine agit, sed nomine Dei, ad valide dispensandum justa requiritur causa, et quidem eo gravior quo excellentius est votum. Hujus causæ sufficientia *prudenti superiorum arbitrio* relinquenda est; et fideles, qui *bonâ fide* totam rem exposuerunt, de hoc inquieti esse non debent. — Causæ *generales*, quæ superiores movere possunt ad dispensationem legitime concedendam, sunt *honor Dei*, *utilitas Ecclesiæ* et *necessitas voventis*.

Inter causas *particulares*, quædam ex parte *voti* se tenent, et aliæ ex parte ejus *exsecutionis*. (a) Ex parte *voti*, videlicet si quis vovit *indiscrete*, ex irâ, tristitiâ, ante pubertatem, absque deliberatione; aut *coacte*, ex metu etiam levi, dolo, etc. (b) Ex parte *exsecutionis*, si hæc nimis ardua evadit, aut majus bonum impedit privatum vel publicum, aut fit occasio mali spiritualis vel temporalis; v. g., si, spectatâ voventis fragilitate, frequentis violationis est occasio.

Si votum *in utilitatem tertii* factum est, dispensari potest quamdiu promissio acceptata non fuit, quia hæc obligationem erga proximum non parit; sed, si jam acceptata fuit, generatim dispensari nequit sine consensu tertii, quia secus ejus jura violarentur. Attamen, si promissio *principaliter* facta est in honorem Dei, et nonnisi secundario in gratiam tertii, a S. Pontifice dispensari potest, quia accessorium sequitur principale.

999. 2° **De iis qui dispensare valent.** Ii omnes et soli dispensare valent in votis qui jurisdictionem habent in foro externo : talis enim dispensatio pertinet ad regimen Ecclesiæ.

(a) *S. Pontifex* in omnibus votis dispensare potest pro universali Ecclesiâ : ipsi enim competit suprema et universalis jurisdictio. Hanc potestatem concedit *Majori Pœnitentiario* pro toto orbe christiano, et *Legatis apostolicis* in provinciis ad quas mittuntur : quæ, licet ex commissione Pontificis, censetur esse *ordinaria*, et non mere delegata, utpote eis tradita ratione muneris et ordinario jure.

(b) *Ordinarii* et omnes jurisdictionem *quasi-episcopalem* habentes, in omnibus votis suorum subditorum dispensare

valent, iis exceptis quæ S. Pontifici reservata sunt; ideoque *vicarii capitulares*, sede vacante. — *Vicarii generales* hâc potestate ex *Codice* (c. 1313) gaudent vi officii sui; non autem *parochi*, quia jurisdictione non fruuntur in foro externo, nisi ex delegatione.

(c) *Superiores ordinum exemptorum* dispensare valent in votis non reservatis suorum subditorum. (*Codex*, c. 514).

(d) Ex speciali privilegio, *confessarii regulares* possunt fidelium vota non reservata dispensando commutare; imo, juxta multos, possunt etiam *simpliciter dispensare*, ex privilegio a *Julio II* canonicis regularibus S. Salvatoris concesso, et a *Leone X* eremitis camaldulensibus, quod, vi communicationis privilegiorum, in alios regulares transiit. — Confessarii sæculares idem privilegium aliquando, ex delegatione, consequuntur. — In utroque casu, hoc privilegium etiam *extra confessionem* exerceri potest, nisi contrarium in concessione declaretur.

1000. 3° **De votis S. Pontifici reservatis.** S. Pontifex sibi quædam vota reservavit, in quibus solus dispensare valet; hæc sunt :

(a) Vota *solemnia* religionis; imo, ex jure recenti[1], vota *religiosa simplicia* quæ professionem solemnem præcedunt, et ea quæ in *congregationibus a S. Sede approbatis* emittuntur, sive perpetua sive temporanea.

(b) Votum *ingrediendi religionem votorum solemnium.*

(c) Votum *castitatis perpetuæ* et *perfectæ* etiam a laicis emissum.

Vota *peregrinationis romanæ*, ad limina apostolorum; *peregrinationis hierosolymitanæ*, ad sepulchrum Domini; *peregrinationis compostellanæ* ad reliquias S. Jacobi non amplius reservantur.

1001. Quæ tamen vota non sunt reservata nisi sensu *stricto* supra exposito; — et quidem quando sunt *perfecta*, id est sub gravi obligantia; — *plene libera* et completo 18° ætatis anno emissa; — *absoluta*, non autem conditionata aut disjunctiva; — et *certa*, non autem dubie emissa, aut dubie reservata. Ratio est quia, cum reservatio sit *odiosa*, stricte est interpretanda.

Quapropter minime reservata haberi debent vota non nubendi, non peccandi contra castitatem, castitatis conjugalis, castitatis temporaneæ, virginitatis (prout distinguitur a voto castitatis perfectæ), suscipiendi sacros ordines, ingrediendi congregationem in quâ solum vota simplicia emittuntur. — Pariter etiam vota reservata non reservantur nisi quoad *substantiam*, non autem quoad circumstantias;

[1] *S. Cong. Ep. et Reg.*, 12 jun. 1858.

ita qui vovit ingredi religionem *strictiorem*, ab Episcopo dispensari potest ut *mitiorem* ingrediatur.

Præterea, *urgente necessitate*, quando videlicet instat grave damnum spirituale vel temporale, et aliunde S. Pontifex statim adiri nequit, Episcopi dispensare possunt in votis reservatis. — Quando, vi concessionis apostolicæ, votum reservatum in alia opera commutatum est, hæc opera habent quidem rationem et obligationem voti, sed non reservati.

IV. De voti commutatione.

1002. 1° **Notio.** Voti commutatio est *substitutio alterius operis loco illius quod promissum fuerat, cum eâdem obligatione.* In commutatione igitur non relaxatur voti obligatio, sicut in *irritatione* aut *dispensatione*, sed, manente voti vinculo, obligatio contracta in aliam materiam transfertur.

Quæ commutatio triplici modo fieri potest : in opus *melius*, in *æquale*, in *minus bonum.*

1003. 2° **Conditiones.** Ad commutationem duo requiruntur : *legitima potestas* et *justa causa.*

(A) Jamvero (a) commutatio *in melius* fieri potest etiam *propriâ voventis auctoritate*, nisi obstet Ecclesiæ præscriptio aut bonum tertii; quod enim melius est, id est magis confert, omnibus sedulo attentis, in Dei gloriam aut voventis utilitatem, in se includit minus perfectum, et sine dubio a Deo acceptatur[1]. Ecclesiæ autem statuto, excipienda sunt vota *reservata*, quæ commutari nequeunt nisi in vota religiosa, et votum transeundi ad arctiorem religionem. Pariter votum in gratiam tertii, ab eo acceptatum, sine ejus consensu commutari nequit.

(b) Commutatio in *opus æquale*, juxta *Codicem* (can. 1314), non requirit superioris interventum, sed fieri potest *propriâ auctoritate.*

Ita finis imponitur controversiæ antea inter theologos agitatæ; ideoque omittimus quæ de hâc controversiâ scripseramus.

---

[1] Ita *vota religiosa* in se includunt cetera, ideoque vota in sæculo emissa extinguuntur per professionem religiosam, aut potius in eam commutantur.

Ita, v. g., recitatio quotidiana Rosarii commutari potest in missam ter quaterve in hebdomade audiendam; jejunium unius diei in unam confessionem; votum peregrinationis unius diei in unum jejunium, expensas peregrinationis pio operi applicando.

(c) Commutatio in opus *minus*, quippe quæ veram dispensationem involvit, sine superioris interventu fieri nequit. Ii omnes hâc facultate gaudent qui potestatem habent dispensandi, sive ordinariam sive delegatam. — Qui solam obtinuerunt potestatem commutandi, eâ uti possunt ad commutanda vota in opus moraliter æquivalens, aut etiam paulo minus bonum, non autem in opus notabiliter minus.

1004. (B) Ad *causam* quod spectat, votum *in melius* mutari potest sine causâ : *in æquale*, cum *levi* causâ, qualis est major devotio aut utilitas voventis; in *minus*, ex *gravi* causâ, quæ requiritur non solum ad liceitatem, sed etiam ad validitatem : hæc tamen minor esse potest quam ad dispensationem.

Ceterum, factâ commutatione, ad primum opus redire licet, — etiam quando hæc in opus *melius* facta fuerat, saltem *probabilius* : commutatio enim est favor quo nemo uti tenetur. — Sedulo tamen in praxi vitetur *inconstantia*, quæ haud raro in piis feminis invenitur, et earum profectui non parum nocet.

Si opus, in quod votum immutatum est, *impossibile* evadit : (a) ad primum redire necesse est, si commutatio *auctoritate propriâ* facta est, quia obligatio non exstincta censetur nisi per opus æquale aut melius; (b) si commutatio facta est *superioris auctoritate*, ad primum opus redire non necesse est, quia prior obligatio per superiorem dissoluta est.

Corollarium practicum.

1005. Confessarii procliviores esse non debent in votis suadendis aut permittendis, præsertim ubi agitur de voto perpetuæ castitatis. Experientiâ enim constat quasdam puellas, tempore quo sensibilis fervet devotio, facile castitatem vovere, posteaque, exsurgentibus tentationibus nubendique opportunitate oblatâ, nuptias ambire et votis valedicere, non sine magno animæ discrimine. Non sunt igitur audiendæ quæ statim perpetuam castitatem vovere volunt; sed, post maturam investigationem, permittatur primâ vice votum castitatis pro tribus aut sex mensibus, postea pro integro anno, pro duobus annis. Raro admodum suadeatur

votum perpetuæ castitatis in sæculo manentibus, nisi jam sint protractæ ætatis, et firmitatis exempla præbuerint.

Pariter non facile commutent vota sine causâ, sed pænitentes hortentur ut vota impleant, Deoque cum animi fortitudine et invictâ constantiâ serviant : ita enim magis proficient quam facile sua proposita mutando.

Caput iij.

DE ACTU RELIGIONIS SOCIALI[1].

Cum homo ad societatem natus sit, et reipsa in societate vivat, omnino decet ut Deo reddatur cultus non solum privatus, sed etiam *socialis*. Cultûs hujusmodi determinatio, sub lege naturæ, ad præsides societatis spectaret. Supposità vero institutione religionis *supernaturalis*, hæc determinatio ad ipsum Deum spectat, vel ad eos quibus commissa est cura rerum spiritualium, videlicet ad ecclesiasticam auctoritatem.

Prænotanda de sanctificatione sabbati et dominicæ.

1006. Historica expositio.[2] Revera Deus ipse, sub *veteri lege*, diem septimam cujuslibet hebdomadis selegit tanquam cultui divino dedicandam : " Memento ut diem *sabbati* sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas "[3]. Ratio assignata duplex est præsertim : una, ex parte Dei : hic enim die septimo requievit, et benedixit ei, atque sanctificavit eum, seu ab usibus profanis separavit; quapropter et nos eodem die requiescere debemus, ad testificandam nostram a Deo dependentiam : "Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 122, a. 4; *Suarez*, de Virt. relig., Tr. II, l. II; *Billuart*, de Relig., diss. VI; *S. Alphons.*, n. 263-332; *Sporer-Bierb.*, t. I, tr. 3, n. 482-541; *Ball. P.*, n. 711-814; *Berardi*, t. I, n. 563-620; *Noldin*, n. 261-277.

[2] *J. Gilfillan*, The Sabbath viewed in the ligth of reason, revelation and history, Edinburg, 1867; *A. Villien*, Hist. des Commandements de l'Eglise, 1er Command., ap. *Rev. du clergé français*, t. XLI, 1905, p. 563-584; et t. XLIII, p. 339-366.

[3] *Exod.*, XX, 8-10. — Diem sabbati a Patriarchis, ante Moysen, servatam fuisse, valde probabile est. Apud Assyrios, fuisse quosdam dies sabbati, seu quietis ab opere, tradit *Sayce*, Hibbert's Lectures, p. 76-77. Cfr. *M. d'Hulst*, Carême 1893, p. 281-283.

in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum[1]... Videte ut sabbatum meum custodiatis : quia *signum est inter me et vos* in generationibus vestris : ut *sciatis quia ego Dominus*, qui sanctifico vos"[2]. — Altera vero ratio se tenet ex parte hominis, ut Judæi videlicet, eorumque servi necessariâ requie gaudeant : "Non facies in eo quidquam operis, tu et filius tuus... ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut tu. Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati"[3]. — Hujus præcepti violatio pœnâ mortis puniebatur[4].

Die sabbati non solum quies servabatur, sed Deo sacrificia offerebantur : "Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino : in die sabbati sex agnos immaculatos et arietem immaculatum"[5]. Eodem die renovabantur panes propositionis; præterea Judæi in synagogis convenire solebant, ad orandum, et verbum Dei audiendum[6] : "Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur."

1007. 2° Per *novam legem* pars cæremonialis sabbati observantiarum abrogata est. *Christus* siquidem declaravit Patrem in *spiritu* et *veritate* colendum esse[7], et, ad Pharisaicas interpretationes evellendas, docuit sabbatum propter hominem esse, non vero hominem propter sabbatum[8]. Quare *Paulus* redarguit Galatas, qui, post conversionem ad fidem christianam, observabant dies et menses, et tempora et annos[9], secundum mosaicam legem; et Colossenses admonet non amplius vigere obligationem servandi neomenias et sabbata[10]. Sæpe tamen Christus inculcavit necessitatem Deum non solum interius, sed etiam exterius glorificandi; et ad hunc cultum promovendum, sacrificium instituit eucharisticum, quod, cum sit sacrificii crucis renovatio, omnibus antiquis oblationibus multo excellentius est[11]. Ipse quidem non determinavit specialem diem et modum quo Deus colendus esset, sed Ecclesiæ potestatem reliquit hæc omnia statuendi.

1008. Apostoli et primi christiani per aliquod tempus, simul cum

[1] *Exod.*, XX, 11. — [2] *Exod.*, XXXI, 13. — [3] *Deut.*, V, 14-15.
[4] *Num.*, XV, 32 36. — [5] *Ezech.*, XLVI, 4.
[6] *Act.* XV, 21; cfr. XIII, 27. — [7] *Joan.*, IV, 23. — [8] *Marc*, II, 27.
[9] *Galat.*, IV, 10. — [10] *Coloss.*, II, 16.
[11] Cfr. *Tr. De Eucharistiâ*, n. 157 sq.

Judæis, die sabbati conveniebant ad laudandum Dominum[1]. Mox autem speciales conventus habuerunt, ibique orabant et cœnam eucharisticam celebrabant[2]; et consuetudo invaluit ut hoc modo convenirent die sabbatum subsequente, seu primâ die hebdomadis, quæ postea dies *dominica* appellata fuit[3]. Revera, jam sæculo II, ex variis documentis constat hanc praxim fuisse universalem[4]. Et ita auctoritate apostolicâ et consuetudine universali Ecclesiæ factum est ut sabbato substitueretur dies dominica. Hinc *Constitutiones Apostolicæ* (IV sæc.) Apostolis Petro et Paulo tribuunt institutionem diei dominicæ : "Ego Petrus et ego Paulus constituimus ut servi quinque diebus opus faciant, sabbato autem et dominico die vacent in ecclesiâ propter doctrinam religionis[5]." Ibidem asseritur diem dominicum fuisse selectum in commemorationem diei resurrectionis Christi. "*Die resurrectionis Domini*, quem *dominicum* dicimus, convenite sine ullâ intermissione ad agendum gratias Deo, et profitendum beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit... ut sic sacrificium vestrum reprehensione careat"[6].

1009. Ex testimoniis allatis, multisque aliis constat diem dominicum Deo consecratum fuisse non solum *cessatione ab opere*, sed etiam *orationibus*, *prædicatione* verbi, et præsertim *sacrificii missæ* oblatione. Jam ineunte sæculo IV, Conc. *Eliberitanum* pœnas canonicas imponebat iis qui missæ assistere negligebant *per tres dominicas :* "Si quis in civitate positus tres dominicas ad ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat (a communione), ut correptus esse videatur"[7]. — Sexto sæculo, *Cæsarius Arelatensis* hortatur fideles ad totum diem sanctificandum, et *præcipit* ut sacro assistant : "Veniat ergo cuicumque possibile sit, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, et oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo suâ oret, et non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis : *in die vero nullus se a sacrâ missarum celebratione separet*, neque otiosus quis domi remaneat"[8]. Et alibi addit omissionem cujuslibet precis et lectionis die dominico esse peccatum grave : "Si toto die dominico lectioni insistere et Deo supplicare negligimus, *non leviter* in Deum peccamus"[9]. Eodem tempore Conc.

---

[1] *Act.*, II, 46; III, 1; V, 12; XXI, 26. — [2] *Act.*, II, 42.

[3] *Act.*, XX, 7; *I Cor.*, XVI, 2; *Apoc.*, I., 10. — Juxta *Nicephorum Callixtum*, H. E., l. VII, c. 46, imperator *Constantinus* voluit ut hæc dies vocaretur *dies dominica.*

[4] Testimonia invenies ap. *A. Villien*, l. c., p. 565-566.

[5] *Constit. Apost.*, l. VIII, c. 33, *Mansi*, t. I, 579.

[6] Ibid., l. VII, c. 31, *Mansi*, 506.

[7] *Eliberit.*, c. 21, ap. *Mansi*, t. II, 9.

[8] Serm. 280, inter opera *Augustini*, P. L., XXXIX, 2275.

[9] Serm. 281, ibid, 2278.

Agathense (an. 506) præcipiebat "missas die dominico a sæcularibus *totas* teneri... ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat"[1].

1010. Præter diem dominicum, *festa* quædam sæculorum decursu, ab Ecclesiâ instituta sunt, eodemque modo celebrata. Cum episcopi dies festivos de præcepto instituere valerent, diversa fuit hâc in re variarum ecclesiarum disciplina.

Jure *communi*, ex Constitutione *Urbani VIII*, *Universa*, 13 sept. 1642, *triginta sex* dies præter dominicos ex præcepto colendi erant[2]. *Pius X* vero *octo* tantum dies retinuit[3], festa scilicet : Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Almæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omniumque Sanctorum [4].

Ex *Codice*, c. 1247, his addi debent duo festa, nempe sanctissimi Corporis Christi et Sancti Joseph (19 martii).

Jure *particulari*, in *Galliâ* aliisque regionibus, ex concessione *Card. Caprara* 9 apr. 1802, festa, extra dominicos dies celebranda, ad *quatuor* reducta sunt : *Nativitas* et *Ascensio* Domini, *Assumptio* B. Mariæ Virg., festum *omnium Sanctorum*. Quorundam festorum principalium solemnitas transfertur in dominicam sequentem.

In *Majori Britanniâ*, festa ex præcepto servanda, remanent *septem : Nativitas D. N. J. C.*, *Circumcisio*, *Epiphania*, *Ascensio*, *SS. Petrus et Paulus*, *Assumptio*, festum *omnium Sanctorum*.

Pro *Stat. Americæ fœderatis*, sex sunt pariter festa de præcepto : *Immac. Conceptio B. M. V.; Nativitas Domini; Circumcisio; Ascensio; Assumptio;* festum *omnium Sanctorum*. Festum *SS. Petri et Pauli* transfertur, quoad solemnitatem, ad sequentem dominicam.

1011. Conclusio. Lex, quæ præcipit *missæ auditionem* et *cessationem ab opere servili* diebus dominicis et festivis,

[1] *C. Agath.*, c. 47, *Mansi*, t. VIII, 322.

[2] Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Feria II et III post Pascha, Ascensio, Feria II et III post Pentecosten, Festum Corporis Christi, Inventio S. Crucis; Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas B. M. Virginis, (Immaculata Conceptio, a *Clem. XI* catalogo addita), SS. Petrus et Paulus, S. Andreas, S. Jacobus, S. Bartholomæus, S. Matthæus, SS. Simon et Juda, S. Mathias, S. Stephanus protom., SS. Innocentes, S. Laurentius Mart., S. Sylvester Papa, S. Joseph, S. Anna, Festum omnium Sanctorum; unus e principaliorибus patronis in quocumque regno seu provinciâ; alter principalior patronus in quâcumque civitate, oppido vel pago.

[3] Motu proprio *Supremi disciplinæ*, 2 jul. 1911, *A. A.S.*, III, p. 305.

[4] Dies festi patronorum ecclesiastico præcepto non subjacent. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

innititur quidem juri divino, sed *suam determinationem accepit a jure ecclesiastico*[1].

(A) Quidam theologi putârunt non solum institutionem sabbati, sed etiam substitutionem diei dominicæ in sabbati locum, esse *juris divini*[2]. Sed communiter tenetur hanc substitutionem esse juris *ecclesiastici*, ut ex superius dictis constat, n. 1008. (B) Alii dixerunt sanctificationem diei dominicæ esse tantum ex jure *ecclesiastico*[3], cum per novam legem abrogatum fuerit præceptum sanctificandi sabbatum, et nonnisi ex auctoritâte Ecclesiæ dies dominica sabbato substituta fuerit.

(C) Putamus tamen, cum aliis quibusdam[4], rem ita distinguendam esse : (a) sanctificatio *unius diei* per hebdomadem *ex jure divino esse videtur;* nam Deus ipse divisionem temporis in hebdomades instituit, et præcepit septimum diem cultui divino esse devovendum; pars cæremonialis hujus præcepti, videlicet *electio sabbati*, abrogata fuit; sed nil probat præceptum omnino deletum esse quoad obligationem specialiter sanctificandi unam diem per hebdomadem. (b) *Selectio* autem *diei dominicæ* loco sabbati, necnon *modus* hanc sanctificandi per auditionem missæ et cessationem ab opere servili, ab *auctoritate Ecclesiæ* procedit. Valde quidem *decebat* ut, positâ institutione sacrificii eucharistici, fideles tenerentur aliquoties audire missam, præsertim diebus dominicis; sed id *certo* inferre ex textu[5] "*Hoc facite in meam commemorationem*", sana exegesis non permittit. Pariter, quo melius Deus hâc die colatur, omnino

[1] Quæ conclusio parum differt ab eâ quam tradit *S. Thomas*, 2. 2æ, q. 122, a. 4, ad 1 : "Præceptum de sanctificatione sabbati, litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem cæremoniale. Morale quidem est quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis... Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sïc est præceptum ceremoniale. Similiter ceremoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in sepulcro, quæ fuit septimâ die." Et addit ibidem, ad 4 : "Observantia diei dominicæ in novâ lege succedit observantiæ sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ et consuetudine populi christiani." Cfr. *S. Alphons.*, n. 263.

[2] *Sporer-Bierbaum*, tract. III, n. 485.

[3] *Suarez*, de relig., tr. II, l. II, c. 1-4.

[4] *Fr. Schmid*, Worin gründet die Pflicht der Sonntagsruhe, *Quartalschrift Lienz.*, 1900, S. 12, ff.; *Noldin*, n. 261.

[5] *Luc.*, XXII, 19.

expedit ut homines abstineant ab operibus quæ mentem a rebus divinis avertunt; sed quænam sint hæc opera, quot horis ab eis cessandum sit, nonnisi jure ecclesiastico definitum fuit.

1012. Exinde sequitur universalem hujus legis abrogationem exspectandam non esse. Quod admittunt etiam secundæ opinionis defensores, inter quos *Lehmkuhl*, n. 546 : " Universalis abrogatio hujus legis propterea fieri non potest, quia ratio sufficiens vix concipi potest; atque eo magis lex ista sancte conservanda est, quod usque ad apostolicam institutionem, imo aliquo modo ad ipsam rerum originem reducatur omnemque legis veteris institutionem prævertat." — Dispensationes autem particulares tum ab auditione missæ, tum a cessatione ab opere, possunt concedi, et de facto conceduntur non solum singulis civibus, sed etiam communitatibus.

Quibus expositis, dicemus : 1° de *sociali utilitate* sanctificationis diei dominicæ; 2° de præcepto *audiendi missam;* 3° de præcepto *abstinendi ab operibus servilibus.*

§ I. De sociali utilitate diei dominicæ.

1013. *Thesis :* **Sanctificatio diei dominicæ, etsi non præcipiatur jure naturali, sed positivo, maxime tamen convenit tum ex parte Dei tum ex parte hominis.**

Declaratur. Lex naturalis præcipit quidem Deum esse ab homine *colendum*, ex superius dictis, n. 856, sed neque modum neque tempus quo cultus reddendus sit determinat. Pariter experientiâ constat hominem *requie* indigere, quo melius laborare valeat, suasque facultates perficere et evolvere : nil tamen jure naturæ definitur quoad durationem hujus quietis. Attamen, ex consensu fere unanimi populorum christianorum, necnon diuturnâ experientiâ, constat requiem sabbaticam vel dominicam, cum piis exercitiis quæ hâc die celebrantur, utilitatem socialem maximam præ se ferre.

1014. Probatur : 1° *Ex parte Dei.* (A) Etsi enim Deus quotidie possit ac debeat adorari, omnino expedit, imo moraliter necesse est ut certa tempora determinentur, quibus specialis cultus ipsi reddatur. Homo enim, assiduis laboribus oppressus ad se suosque sustentandos, variis curis ac sollicitudinibus sæpe distractus, multisque voluptatibus allectus, haud raro Creatoris ac Domini obliviscitur; si quandoque occurrit cogitatio Deum honorandi, multi ad

crastinum diem hoc officium remittunt, quia alia, ut putant, urgent officia statim adimplenda; ita primum differtur, mox omnino negligitur religionis exercitium; sic homo, Dei ultimique finis immemor, nonnisi de temporalibus cogitat, de opibus augendis, de voluptatibus; vix de lege morali atque virtutum praxi curat, et paulatim ad vitam animalem declinat.— Ex adverso autem, si quâlibet hebdomade certa dies præfinitur, quâ ab opere cessare Deoque laudes persolvere tenemur, jam facilior evadit divinus cultus. Cessante enim servili opere, mens ad Dominum mox ascendit, de ultimo fine ac mediis eumdem attingendi fit sollicita, et supremo omnium Conditori ac Gubernatori debitas laudes persolvit. Ad hoc sane multum conferunt sacræ *conciones*, quas devoti audiunt christiani, piæ *lectiones* scripturarum, *preces* in ecclesiâ recitatæ, præsertim vero celebratio *missæ*, quæ passionem Christi atque Redemptionis beneficia vivide commemorat; necnon *caritatis* aut *beneficentiæ* opera, quæ his diebus magis sollicite peragimus.

1015. (B) Præterea Deo debetur non solum cultus internus et privatus, sed etiam *socialis*, n. 859. Jamvero, nisi certi dies assignentur quibus christiani simul orent, impossibilis evadit cultus socialis : quisque enim sive solus, sive cum parentibus, cognatis, paucisque amicis, privatim laudes Deo persolvet. Si vero quâlibet hebdomade, die præfixâ, omnes christiani in ecclesias congregantur, ibique per Christum, et cum ipso, et in ipso, preces unanimiter fundunt, Deumque glorificant; si eidem sacrificio devote assistunt, in quo SS. Trinitas, nomine totius Ecclesiæ adoratur, laudatur, gratiarumque actiones accipit, omnes facile intelligunt se esse membra ejusdem corporis, filios ejusdem cœlestis Patris; et non solum tanquam privati homines, sed tanquam humanæ familiæ membra, socialem cultum Deo persolvunt.

1016. 2° *Ex parte hominis.* Celebratio diei dominicæ multa homini confert commoda, *corporalia*, *moralia* et *religiosa*.

(A) *Corporalia :* vires hominis physicæ, utpote limitatæ, assiduo labore facile minuuntur, et nisi hebdomadariâ quiete reparentur, mox penitus exhauriuntur[1]. Quod quidem

[1] Ad rem *Heyl de Herrnsheim*, in conventu internationali *Berolini* de requie dominicâ habito, an. 1890, (p. 48, éd. offic. de Paris) : " Depuis

magis verum est, quoties labor fit intensior, majoremque postulat mentis applicationem atque nervorum tensionem, prout res hodie se habet in plerisque industrialibus officinis. Atqui nisi certa dies quietis assignetur, vix opificibus possibile erit ab opere cessare. Vi enim ineluctabilis *concurrentiæ*, quæ ubique prævalet, domini machinas, magnis expensis comparatas, nolunt ullâ die improductivas manere, ideoque sæpe ab operariis exigunt ut quotidie laborent; non pauci, sive majoris lucri spe sive timore re ab officinâ ejiciantur, revera id præstant, et mox, viribus fracti, diuturnos contrahunt morbos, aut per longum tempus ab opere abstinere debent, non sine magno familiæ detrimento. Necesse est igitur ut certis diebus opera servilia prohibeantur, iis exceptis quæ ad bonum publicum necessaria sunt. Experientiâ pariter constat quâlibet hebdomade unam diem quietis moraliter necessariam esse [1]; hanc autem diem dominicam esse omnino convenit, cum hæc jam per multa sæcula apud christianas nationes servata fuerit.

1017. (B) *Moralia.* Homo siquidem non solo pane vivit, sed falcultates suas intellectuales et morales excolere debet : secus, in ratione agendi, vix a brutis differt. Positâ vero necessitate quotidie laborandi pro corpore sustentando, plerique homines ægre ullum tempus opportunum invenirent

---

des milliers d'années, le septième jour est un jour de repos. De tout temps, il a été reconnu nécessaire que l'homme interrompît périodiquement son travail pour réparer ses forces. S'il ne le fait pas, son corps s'use rapidement, ses forces et sa puissance de travail diminuent graduellement et finissent par être prématurément anéanties. Il est donc dans l'intérêt de l'humanité de prescrire un jour de repos par semaine. Quant au choix de ce jour, l'Allemagne est d'avis qu'il doit tomber pour chacun sur le dimanche qui, d'ailleurs, par tradition est déjà consacré au repos, et, suivant l'exemple donné par l'Angleterre, l'Autriche et la Suisse, l'autorité allemande se propose d'étendre aux adultes, par voie législative, l'obligation qui existe déjà pour les mineurs d'interrompre tout travail industriel le dimanche, sauf en cas de nécessité absolue." — Revera, in plerisque excultis nationibus, leges latæ sunt de requie dominicâ, quarum compendium exhibet *A. Morel*, Le repos dominical, Paris, p. 15-32; et in *Galliâ* mox promulgabitur hâc de re lex quam ipsi socialistæ enixe flagitant.

[1] Tempore gallicæ Revolutionis, lege statutum est ut decimo quolibet die plebs a labore cessaret; sed experimentum infaustum habuit exitum, et mox ad observationem diei dominicæ redire necesse fuit.

ad veritatem legemque moralem investigandam, nisi certis diebus ab opere servili abstinere tenerentur : totum enim tempus in temporalibus negotiis consumerent, et studium veritatis indefinite postponerent. — Datâ autem opportunitate a labore manuum cessandi, homo ad superiora oculos et mentem erigere valet, de ultimo fine cogitare, de rebus moralibus, de officiis adimplendis. Conciones audire potest, optimos libros legere, superiores facultates excolere, et ita *humanior* fieri [1]. Revera, ubicumque honeste et christiane sanctificatur dies dominica, major floret mentium cultura, expolitiores formantur mores, perfectiusque servatur lex moralis.

Ita etiam *vita domestica* familiarum integra servari potest. Varia familiæ membra sæpe diversis vacant operibus per hebdomadem; præsertim in officinis industrialibus, conjuges ab invicem separantur, filii a parentibus, et, quando vespertinis horis coadunantur, plerumque viribus fracti, domesticæ vitæ solatiis vix frui possunt. Si vero omnes die dominicâ cessant a labore manuum, in domo paternâ convenire possunt, simul conversari, parentum, cognatorum et amicorum societate frui, omnibusque solatiis quæ in familiâ reperiuntur [2].

---

[1] Quod egregie exponit *M. d'Hulst*, Carême 1893, p. 189-190 : " Le jour de Dieu affranchit le travailleur. Ce n'est pas pour lui le jour de l'inaction, c'est le jour glorieux où le repos de ses membres met en liberté l'activité de son âme. Pour secouer le joug qui pesait sur elle, pour prendre son essor vers les sommets, sa pensée n'a pas besoin des initiations de la science : la religion lui a préparé une initiation meilleure, plus haute et plus élémentaire tout ensemble. Ce n'est pas à travers les longues déductions du raisonnement qui tâtonne et qui cherche, c'est par les droites avenues de l'adoration qu'elle s'achemine vers le sublime Idéal. Et quand elle l'a trouvé, elle communique en Lui avec la pensée du savant, du philosophe et de l'artiste; elle atteint la Vérité dans sa source, le Bien dans sa substance, le Beau dans le foyer d'où il rayonne; elle se baigne dans une atmosphère divine, elle y renouvelle les forces du courage et de l'espérance, de la résignation et de l'amour. " — Cfr. *Gilfillan*, op. cit., p. 192-202; 225-236.

[2] Id præclare exponebat *Cheysson*, in oratione Parisiis habitâ, 9 mart. 1898 (ap. *Morel*, op. cit., p. 51-52) : " Sans dimanche il n'y a pas de famille possible. C'est ce jour-là seulement et dans ce centre béni du foyer domestique, du *home*, que se détendent, en même temps

1018. (C) *Religiosa.* Experientiâ enim constat religionem eo magis florere quo perfectius dies dominica servatur. Quod facile intelligitur, si cujusque inspiciuntur psychologicæ dispositiones. Qui enim toto tempore circa materialia versantur, eisque indesinenter adhærent, cetera omnia facile prætermittunt : de rebus temporalibus, de opibus comparandis, de negotiis, de voluptatibus, de honoribus cogitant, et ita terreni fiunt, et de cœlestibus minime curant. Preces, quas ab infantiâ recitare solebant, officia religionis quæ antea Deo persolvebant, primum quidem breviantur, et mox omittuntur. Cum autem virtus religionis, sicut ceteræ virtutes, paulatim minuatur ac tandem penitus exstinguatur, nisi frequenter exerceatur, necesse est ut certa dies statuatur ad religionem speciatim colendam. Inter christianos, hæc dies est dominica : quâ die studio religionis vacare possunt, de Deo et rebus æternis cogitare, preces fusius fundere, religiosa officia implere; quod si præstiterint, ceteris etiam diebus, Dei immemores non omnino erunt, neque christianarum virtutum; sed, antequam opus diurnum incipiant, oculos sat facile ad Deum erigent, et præ mente habebunt divitiarum comparationem et temporalium adeptionem parum prodesse, nisi his utantur tanquam mediis ad finem ultimum assequendum.

1019. **Corollarium practicum.** Omnibus igitur viribus conandum est ut dies dominica magis ac magis sanctificetur. Ad quod multum juvant duo præcipua media : (a) *privatæ consociationes*, in quibus amico fœdere junguntur qui sincere promittunt se dominicam requiem promoturos sive domi, et inter proximos, sive etiam inter mercatores, v. g. iis favendo qui nihil vendunt die dominicâ. Quasdam societates hujusmodi in variis regionibus jam institutas fuisse satis notum

---

que les muscles fatigués du père de famille, son cerveau, son cœur et son âme. C'est ce jour-là seulement que sa femme et ses enfants le possèdent, que la famille s'affirme et s'étale dans sa beauté morale et sa salubrité bienfaisante, que le travailleur, six jours courbé sur son métier et asservi à l'œuvre haletante de la production, se redresse; qu'il dépose les soucis avec les vêtements de travail, qu'au lieu d'appartenir à l'atelier, au patron, il s'appartient, et il appartient à son cher entourage, qu'il redevient père, époux, homme enfin, dans la magnifique acception de ce mot." Cfr. *Gilfillan*, op. cit., p. 236-249.

est[1]. Aliquando conventus habentur sive nationales, sive internationales, et sæpe quidem cum felici exitu : in his enim practica excogitantur ac commendantur media ad promovendam universalem diei dominicæ observationem. (b) *Statûs interventus :* cum enim, præsertim in magnis industrialibus ac commercialibus cœptis, moraliter sit impossibile a labore cessare, propter *concurrentiam* ubique vigentem, nisi omnibus eadem lex imponatur, necesse est ut opportunâ lege dies quietis determinetur. Quod jam in multis regionibus præstitum est, et mox, omnibus christianis ac honestis viris faventibus, in quâlibet regione præstabitur.

§ II. De præcepto audiendi missam.

1020. Hoc præceptum omnes attingit fideles rationis usu gaudentes, necnon sacerdotes non celebrantes, nisi sint legitime excusati. Sub *gravi* obligat, ut constat ex proposit. 52 ab *Innocentio XI* damnatâ[2] : "Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus." — Unde dicemus : 1° de *requisitis* ad missæ auditionem; 2° de *causis* ab eâ audiendâ *excusantibus*.

I. De requisitis ad missæ auditionem.

Præceptum audiendi missam diebus dominicis et festivis tria complectitur : *præsentiam corporalem*, — assistentiam *religiosam*, — et quidem in *loco debito*.

1° *De præsentiâ corporali.*

1021. Cum ii, qui sacro assistunt, simul cum celebrante sacrificium aliquo modo offerant, ea præsentia requiritur et sufficit quæ necessaria est ut dici possint sacerdoti celebranti *moraliter uniri*, ejusque *actiones sequi*, per *totum tempus quo missa celebratur*.

---

[1] Ita, in *Galliâ*, societates quæ dicuntur : *L'œuvre dominicale de France*, — *L'association pour l'observation du repos du dimanche*, — *La ligue populaire pour le repos du dimanche en France*, etc. — De mediis practicis hucusque adhibitis ad promovendam dominicam requiem, cfr. *A. Morel*, op. cit., p. 94-116; *F. Gibon*, La croisade du Dimanche.

[2] Ap. *Denzing.*, n. 1069; cfr. *Viva* in h. proposit.

(A) Præsentia hujusmodi est *moralis*, ea videlicet quæ, ex prudentium æstimatione, sufficit ut assistentes censeantur præsentes esse sacro quod offertur.

Satisfaciunt igitur præcepto : (a) qui sunt *intra ecclesiam*, etiamsi stent post altare, parietem aut columnam, — vel in capellâ ubi sacerdotem nec videre nec audire valent, modo ex motibus assistentium, campanulæ sonitu, aliisve externis signis, advertere possint quid a sacerdote agatur; quod valet etiamsi, in magnâ ecclesiâ, longissime ab altari distent. (b) Pariter qui in *sacristiâ* versantur, aut in alio loco, ex quo sacerdotem videre aut audire valeant; necnon ii qui ad breve tempus ab ecclesiâ recedunt ad pulsandas campanas aliudve præstandum cum sacro connexum. (c) Imo qui, extra ecclesiam, stant *prope januam*, ita ut aliis assistentibus juncti censeantur; imo, qui versantur in *domo proximâ*, ex quâ per fenestram aut januam videre valeant missæ cæremonias, dummodo tamen domus non longe distet ab ecclesiâ[1].

1022. (B) Præsentia debet esse *continua* toto tempore missæ, id est, a psalmo *Judica* usque ad *benedictionem sacerdotalem* inclusive. Peccant igitur qui partem missæ, sine causâ, omittunt, et quidem *graviter* aut *leviter*, prout pars omissa est notabilis aut exigua. Gravitas autem partis omissæ non solum ex *diuturnitate*, sed præsertim ex ejus *dignitate* dijudicari debet. Generatim *tertia* pars missæ censetur notabilis, sed, si agitur de actione essentiali, minor pars ut gravis habetur.

1023. *Leve* peccatum censetur omissio eorum quæ *præcedunt offertorium*, — omissio solius *offertorii*, aut *præfationis*, vel eorum quæ *communionem sequuntur*.

Grave est autem omittere omnia usque ad offertorium inclusive, — totum canonem, vel a consecratione usque ad *Pater noster*, quia est pars essentialis, — imo et *solam consecrationem*, quæ ad essentiam sacrificii spectat, — solam communionem, juxta eos qui putant eam ad essentiam sacrificii pertinere, — omittere simul ea omnia quæ præcedunt Evangelium et quæ communionem sequuntur.

Non satisfacit præcepto qui duas vel plures missæ partes a diversis sacerdotibus *simul* celebrantibus audit, v. g. initium missæ usque ad Canonem ab uno sacerdote, et eodem tempore reliqua ab alio sacerdote in vicino altari celebrante. Constat ex damnatione hujus propositionis 53 ab *Innocentio XI:* "Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul

[1] Non ultra triginta passus, ait *Lugo*, de Eucharistiâ, disp. XXII, n. 21. Sed reipsa id *mathematice* determinari nequit; ceteroquin hic assistendi modus sine rationabili causâ permitti nequit.

LIBRARY

a diversis celebrantibus audit"[1]. — Si quis vero eas *successive* audit, ita tamen ut consecrationi et communioni ejusdem missæ adsit, stricte præcepto satisfacit, quia unam integram missam audit quoad *essentialia*, et reliqua supplet; *secus*, autem, si consecrationi unius missæ adsit, et communioni alterius, quia non præsens est uni et eidem integro sacrificio.

Ex his colligitur eum qui integræ missæ assistere nequit, teneri assistere saltem parti essentiali et integrali, id est consecrationi et communioni, si potest. Si vero non potest assistere nisi partibus accessoriis, v. g. precibus quæ Evangelium præcedunt aut communionem sequuntur, ad id stricte non tenetur. — Qui parti essentiali et integrali missæ interfuit, et cetera omisit, hæc tenetur *supplere*, si potest, assistendi alteri sacro.

1024. Notanda pro praxi. Ad dijudicandum de peccato eorum qui, incœptâ jam missâ, ad ecclesiam accedunt, non solum ad præfatas regulas attendendum est, sed etiam ad eorum *mentem*, videlicet ad majorem vel minorem negligentiam cujus conscii sunt, ad prævisionem plus minusve claram periculi non audiendi integram missam.

Ubi plurimæ celebrantur missæ, omnino *hortandi* sunt qui sero venerunt ut integram sequentem missam audiant, si facile possunt : id sane suadet christiana pietas et abundantia fructuum qui exinde derivantur.

2° *De assistentiâ religiosâ.*

1025. Non sufficit corporaliter præsentem esse sacro; sed assistentia debet esse *religiosa*, cum sacrificium sit actus religionis. Hæc autem duo involvit : *intentionem* et *attentionem*.

(A) Ex parte *intentionis*, requiritur et sufficit *implicita* saltem intentio Deum *colendi*. Non satisfacit igitur præcepto qui ad ecclesiam se confert eo solo fine ut ibi amicum exspectet, vel ad musicam audiendam, sine ullo respectu ad divinum cultum; — qui vero ex metu parentum aut alio humano motivo ibi adest, sed simul vult Deum colere, præcepto satisfacit.

1026. (B) Quædam pariter requiritur *attentio* mentis, cujus notionem supra declaravimus, n. 870. (a) Ad satisfaciendum præcepto, *certo* requiritur saltem attentio *externa*,

[1] *Denzinger*, n. 1070; *Viva*, in h. propos.

quâ excluditur omnis actio ex naturâ suâ cum attentione internâ incompossibilis; quare non satisfacit præcepto qui tempore missæ, attente legit libros profanos, vel scribit aut pingit, ludit, confabulatur, imagines picturasve attente considerat, absque religioso affectu.

(b) Quoad *internam* attentionem, controvertitur : juxta *Lugo* [1], aliosque, non stricte requiritur, quia actus divini cultûs etiam a mente distractis perfici potest : ad hoc enim sufficit ut initio actionis habeatur intentio colendi Deum, simulque attentio ad actionem quæ ponitur, et utrumque virtualiter perseverent : quod fieri potest dummodo habeatur externa attentio. Juxta *S. Alphonsum* (n. 313), aliosque *probabilius*, requiritur attentio *interna*, saltem remissa, ad præcipuas partes missæ se extendens : Ecclesia enim præcipit actum quo Deus colatur; Deus autem non colitur attentione mere externâ, voluntarie omissâ internâ attentione. Sufficit autem, juxta *S. Alphonsum*, attentio virtualis, id est intentio attendendi sub initio habita et non retractata; quare si quis etiam voluntarie distrahitur, quin tamen advertat se distrahi a missâ, Ecclesiæ præcepto satisfacit, etsi veniale peccatum committat. — In praxi, serio conandum est ut piis cogitationibus et orationibus mens occupetur; sed qui generalem habet intentionem colendi Deum, et communi diligentiâ nititur mentem ad preces, aut mysteria, aut ipsum Deum vertere, anxius esse non debet.

1027. Sufficienter præcepto satisfaciunt recitantes, intra missam, breviarium aut rosarium; pium librum legentes; conscientiæ examen peragentes; aliquantulum dormitantes, dummodo ad præcipuas missæ partes advertant; imo *probabiliter*, juxta quosdam, sua peccata confitentes : quod admitti potest, si confessio est brevis, aut ad aliud tempus sine gravi incommodo differri nequit.

Quo uberiores fructus ex sacro colligantur, hortandi sunt fideles ut sacerdoti, et præsertim ipsi Christo summo sacerdoti, sese uniant, atque preces cum eo fundant, eas præsertim quæ in *missali* inveniuntur; aut de mysteriis Passionis pie cogitent; vel actus peragant quatuor finibus sacrificii respondentes, juxta methodum *S. Leonardi a Portu Mauritio.*

3° *De loco debito.*

1028. Etsi olim, per plura sæcula, in multis diœcesibus præscriptum fuerit missam audire in *parochiali* ecclesiâ [2],

[1] *Lugo*, De Eucharistiâ, disp. XXII, n. 27-41.

[2] *A. Villien*, l. c., pp. 575, 578. — Huic legi primum derogatum est per privilegia, *mendicantibus* concessa (*Pius V*, Constit. *Etsi mendicantium*, 16 maii 1567, § 2; n. 8); postea per consuetudinem contrariam hodie in toto orbe vigentem.

hodie fideles præcepto satisfacere possunt in *quâlibet ecclesiâ*, et in quolibet *oratorio publico*, aut *semi-publico*, et in privatis *cæmeteriorum ædiculis* a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectis; necnon in oratoriis Cardinalium et Episcoporum residentialium vel titularium erectis [1]. — Attamen omnino suadenda est assistentia missæ parochiali, ut oves suum pastorem agnoscant et verbum Dei audiant.

1029. Secluso autem speciali privilegio, præcepto non plene satisfaciunt qui missam audiunt in *oratoriis mere privatis*, iis exceptis qui in ipsâ indulti concessione exprimuntur; quare sedulo inspici debet indulti tenor.

Generatim, ut liceat celebrare in oratorio privato, requiritur ut missæ præsens sit una ex personis quibus *principaliter* indultum concessum est, seu ad quas *breve* dirigitur. Insuper una tantum missa eodem die celebrari potest; imo, nisi *infirmitatis* causâ indultum concessum fuerit, prohibetur missæ celebratio in solemnioribus festis Natalis Domini, Epiphaniæ, Dominicæ Paschatis, Pentecostes, feriæ quintæ in Cœna Domini, Ascensionis, Immac. Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis, S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, festi patroni loci [2]. — In his oratoriis, præcepto satisfaciunt : illi quibus indultum principaliter fuit concessum; — eorum consanguinei et affines usque ad quartum gradum, quando cum domino privilegiato in eâdem domo habitant; — hospites, qui apud dominum divertunt; — *famuli* et *familiares* qui tempore missæ necessarii sunt ad inserviendum dominis.

---

[1] Secundum *Codicem*, can. 1188, § 2, oratorium est : "1° *Publicum*, si præcipue erectum sit in commodum alicujus collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, jus sit, legitime comprobatum, illud adeundi;

2° *Semi-publicum*, si in commodum alicujus communitatis vel cœtus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire;

3° *Privatum* seu *domesticum*, si in privatis ædibus in commodum alicujus tantum familiæ vel personæ privatæ erectum sit."

Insuper, ex can. 1189-1190, "Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus juribus et privilegiis quibus oratoria semi-publica gaudent. — Ædiculæ in cœmeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectæ, sunt oratoria privata."

[2] *S. C. Rit.*, 10 apr. 1896, n. 3896 ed. novæ.

1030. **Quæstio disputata.** Quando ii qui gaudent *privilegio oratorii privati* ecclesiam adire non valent, quæritur num teneantur uti privilegio, si commode sacerdotem habere possunt. (a) Alii *negant*, quia nemo tenetur uti privilegio, et aliunde præceptum non obligat ad medium *extraordinarium* adhibendum. (b) Alii, cum *S. Alphonso* (n. 319), *affirmant* et quidem magis rationabiliter, ut putamus : tenentur siquidem privilegiati non vi privilegii, sed *vi præcepti*, quod obligat ad missam audiendam omnes qui sine gravi incommodo illud implere valent.

II. De causis a missâ audiendâ excusantibus.

1031. A præcepto audiendæ missæ excusat quælibet gravis causa, seu quodlibet notabile damnum sive proprium, sive proximi : cum enim agatur de lege positivâ, quæ in suâ determinatione est mere ecclesiastica, ab ejus observatione excusat causa proportionate gravis. Quadruplex generatim assignatur : 1° *impotentia moralis;* 2° *caritas;* 3° *officium* implendum; 4° *consuetudo.*

1032. 1° **Impotentia,** non solum *absoluta* et *physica*, sed etiam *moralis.* Ex hoc capite excusantur : —

(a) *Infirmi* et convalescentes, qui, ob corporis debilitatem, viæ asperitatem, aeris inclementiam, aliquod sanitatis detrimentum prudenter timent : de quo ipsi judicare possunt, nec stricte tenentur ad medici judicium recurrere.

(b) Qui ab ecclesiâ *longe distant,* ita ut sine notabili defatigatione aut expensâ ecclesiam adire nequeant, omnibus attentis circumstantiis personarum, viarum, inclementiæ aeris, etc.; quâ in re, standum est judicio prudentum, quod pro variis regionibus diversum est. Qui equo, vel curru facile vehi possunt, non tam facile excusantur quam qui iter pedestre instituere debent.

(c) Qui sacro adesse nequeunt quin *notabilem pecuniæ jacturam subeant;* ita viatores qui iter necessarium interrumpere vel differre nequeunt; qui damnum grave secus incurrunt, aut notabilis lucri faciendi opportunitate privantur; laborantes in officinis, in quibus opus incœptum deserere nequeunt : quo tamen casu, dominus officinæ ita res ordinare debet, ut operarii successive tempus habeant audiendi missam, quoties fieri potest.

(d) Qui *jacturam honoris* merito timent, v. g. mulieres quæ carent vestibus suæ conditioni congruis (quod hodie raro contingit, quia decentes vestes pro parvo pretio comparantur), aut ex delicto prægnantes, quamdiu earum turpitudo latet, nisi summo mane aut in ecclesiâ ubi ignotæ sunt, sacro adesse valeant.

(e) Qui *non sunt sui juris*, et missam audire nequeunt quin indignationem aut vexationes subeant : ita uxores, filii, famuli, milites,

quando serio timent ne mariti, parentum, herorum, ducum ludibriis valde molestis obnoxii sint.

Sed, in his omnibus adjunctis, qui ita prohibentur, serio conari debent ut quamprimum moraliter impedimenta removeant.

1033. 2° **Caritas** eos excusat qui ad subveniendum proximo tenentur in necessitate corporali aut spirituali, nec possunt id præstare quin missam omittant; v. g. qui infirmis assistunt, — proximis opem ferunt grave damnum secus passuris ex incendio, tempestate aliâve calamitate, — jurgia et lites componunt aut gravia peccata impediunt.

1034. 3° **Officium** implendum excusat eos omnes qui statûs muneribus impediuntur ne sacro adsint : *matres* et *nutrices*, *famulos*, *custodes*, *milites* excubias agentes, qui ob necessarium ministerium abesse non possunt. Attamen famuli, qui ex domini malâ voluntate frequenter impediuntur, aliud munus, datâ opportunitate, quærere debent.

1035. 4° **Consuetudo,** ubi viget, excusat *viduas* infra primum viduitatis mensem; *puerperas*, per mensem aut sex hebdomadas; *sponsas*, iis diebus quibus earum nuptiæ proclamantur, si alteri missæ adesse nequeunt.

1036. Monitum practicum. (a) Quando pœnitentes confitentur se omisisse sacrum, confessor interroget de *causâ*, ut de gravitate peccati judicare valeat, necnon opportuna consilia tradere quoad futurum.

(b) Si qui legitime impediuntur quominus diebus dominicis et festivis sacro assistant, iis *suadendum* est domi per orationes et bona opera id supplere. Si qui vero per *totum annum* prohibentur, *hortandi sunt* ut aliquoties diebus ferialibus missam audiant, ne uberrimis sacrificii fructibus omnino priventur; imo ad id *obligantur* juxta eos qui putant jure divino aliquoties fideles teneri sacro interesse (*Lehmkuhl*, n. 567) : quæ quidem opinio probabilitate non caret : datâ enim institutione sacrificii eucharistici, valde probabile est Christum voluisse christianos eidem aliquoties interesse.

(c) Etsi nulla adsit specialis obligatio *vesperis* assistendi, ceteraque pia exercitia peragendi, diebus dominicis et festivis, id tamen enixe est commendandum.

§ III. De prohibitione operum servilium.

1037. Quo facilius christiani diem dominicam sanctificarent, Ecclesia variis temporibus prohibuit ne illa opera peragerentur quæ cum missæ auditione aut religionis exercitio moraliter incompossibilia sunt. Labente secundo sæ-

culo, *Tertullianus* testatur fideles quieti vacare die dominica[1]. *Constantinus* imperator, an. 321, opera forensia et mechanicas artes exercere prohibuit eâdem die, permittens tamen agricolis culturæ operam dare, propter sæpe vigentem intemperiem[2]. Circa finem sæc. IV, conc. *Laodicense* statuit (can. 29) : "Ne christiani judaizent, neve die sabbati otiosi sint, sed laborent; dominicam vero diem specialiter colant, et, *si fieri potest, in eâ non laborent*" [3]. Inter opera vero, præcipue prohibita sunt *servilia*, quæ præsertim corpore exercentur, et olim a *servis* fieri solebant; et *forensia*, quæ ad mercatum, nundinas, et actus judiciales spectant : his enim mens a divinis rebus maxime avertitur. Quid vero per *opera servilia* intelligendum sit, nunquam generali definitione determinatum est, sed ex particularibus decretis, locorum consuetudine et theologorum communi sententiâ definiri debet[4]. Quâ in re, ad varias temporum et locorum consuetudines, et prudentûm æstimationem maxime attendendum est : disciplina enim eadem non fuit in omnibus temporibus et locis. Insuper, ad dijudicandum utrum aliquod opus sit prohibitum necne, inspici debet num ita mentem occupet, ut eam a rebus divinis avertat.

I. Quænam opera prohibeantur?

1038. Diebus dominicis et festivis, *prohibentur opera servilia* et *forensia*, per *integrum diem* a mediâ nocte usque ad mediam noctem, et quidem *per se sub gravi*. Materia gravis censetur labor qui ultra duas horas protrahitur.

---

[1] *Apologet.*, n. 16, et *Ad nationes*, I, n. 13, PL., I, 371 et 579.

[2] *Cod. Justin.*, l. II, t. XII, De feriis, lex 3ª.

[3] *Mansi*, t. II, p. 569. — Ex quo sequitur obligationem ab opere servili abstinendi tunc temporis non fuisse omnino strictam. Sed, sæc. VI, *Cæsarius Arelatensis* docuit *gloriam* judaici sabbatismi translatam fuisse in diem dominicam, ideoque a vesperâ diei sabbati ad vesperam diei dominici ab omni negotio et rurali opere abstinendum esse (P. L., t. XXXIX, 2238 et 2274-2275). Quæ tamen excessiva severitas sapienter mitigata fuit a Conc. *Aurelianensi III* (538), cujus statuta legas ap. *Mansi*, t IX, p. 19; cfr. *Villien*, *Rev. du clergé fr.*, t. XLIII, p. 342-344.

[4] Quam difficile sit opus servile definire, lucide constat ex controversiâ quæ inter varios auctores agitata fuit in periodico *Revue du Cl. français*, t. XXXVII (1903), p. 83; t. XXXIX (1904), p. 194 et 436; t. XL, p. 103.

1° Quo melius intelligatur quid sint *opera servilia*, theologi triplex genus operum distinguere solent : (a) *servilia*, sic dicta quia a *servis* olim exercebantur, ea sunt quæ præsertim corporali labore peraguntur et ad corporis utilitatem immediate ordinantur, qualia sunt arare, fodere, suere; (b) *liberalia*, sic dicta quia a *liberis* exerceri solebant, ea dicuntur quæ a mente præcipue procedunt et ad animi culturam spectant, qualia sunt legere, docere, canere, organa pulsare; (c) *communia*, seu media, quæ promiscue a servis et liberis fiebant, et sive corpori sive animæ inserviunt, v. g. iter agere, venari, ludere.

1039. (A) Quænam vero opera *in specie servilia* sint, definiri debet non ex intentione operantis, temporis diuturnitate, aut ex corporis defatigatione, sed ex ipsâ *naturâ* operis, *consuetudine* et *æstimatione prudentûm*.

Ita *certo servilia* sunt : opera *ruralia*, qualia sunt arare, seminare, fodere, messem colligere; — opera *mechanica*, v. g. exercitium artis sartoriæ, sutoriæ, ferrariæ; — opera *industrialia* in fabricis, fodinis; — opera quædam *manualia*, etsi modicum laborem postulent, v. g. rosaria, scapularia aut flores artificiales conficere, rosas decerpere, poma decorticare. — Ex adverso autem non interdicuntur opera quæ quotidie fiunt, ob aliquam necessitatem, ut coquere cibos, lectos sternere, domum everrere, etc.

Plura vero sunt opera, quorum indoles *ex se dubia* manet, et nonnisi ex circumstantiis et consuetudine determinari valet; — *sculpere* opus liberale et licitum est, si agitur de ultimâ operis perfectione, sed opus mechanicum habetur, si primum cæditur lignum aut marmor. — *Pingere penicillo* est opus liberale, quando agitur de picturâ vere *artisticâ*, sed opus servile, si pinguntur muri, prout fit ab ordinariis artificibus. *Pingere acu* (*broder*) haberi potest ut opus liberale, si fit recreationis causâ, aut ad vitandum otium, sed ut servile, si directe lucri gratiâ. — *Piscari* non prohibetur, sit fit recreationis causâ, secus quando ad lucrum exercetur. — *Typos collocare*, si fit privatim, quibusdam videtur opus liberale, quia non multum differt a scribendo, sed est servile, quando in officinâ, lucri gratiâ. — *Molere* est *ex se* opus servile, sed si mola vento, aqua aut vapore agitatur, cum exiguo hominis labore, ut licitum a quibusdam habetur.

In his aliisque ejusmodi operibus, tanquam prohibita haberi debent, judicio nostro, ea omnia quæ, ex communi æstimatione, censentur *exercitium artis lucrativæ*, quod *ex se* a sanctificatione diei dominicæ mentem avertit.

Certo liberalia sunt opera quæ ad litterarum, scientiarum aut liberalium artium culturam spectant, etiamsi pro mercede exerceantur, qualia sunt docere, scribere, transcribere, delineare, canere, organa aliave musica instrumenta pulsare, etc. — *Certo communia* sunt,

ideoque *per se* non prohibentur hæc et similia : iter facere pedibus equo, curru, navi, viâ ferreâ, venari, aucupari, piscari hamo ve parvis retibus recreationis causâ, etc. — Hæc opera *per se* licent, nisi ex *communi persuasione* tanquam prohibita habeantur; sed iisdem *totâ die* vacare, ita ut nullomodo sanctificetur dies dominica, est peccatum grave.

1040. (B) Prohibentur etiam opera *forensia* : (a) actus *judiciales* fori sive civilis sive ecclesiastici, qui cum *strepitu* fiunt, v. g. partes citare, testes examinare, juramentum judiciale exigere, sententiam ferre, etc.; licent vero actus qui *sine strepitu* fiunt, v. g. advocatum consulere, judicem informare, dispensare, absolvere, etc.; — (b) *mercatus*, seu actus commerciales, solemnes contractus; ita nundinæ publicæ, nisi consuetudine excusentur; publicæ venditiones sub hastâ, nisi pariter consuetudine tolerentur, peractis divinis officiis; contractus solemnes, qui a notariis perficiuntur; non autem privati contractus qui privatim ineuntur.

II. De causis ab opere servili excusantibus.

Quinque præcipue recensentur : *necessitas* aut maxima *utilitas*, *pietas* erga Deum, *caritas* erga proximum, *consuetudo*, *dispensatio*. Sed, in his omnibus casibus, aliquod saltem tempus divino cultui, si fieri potest, devoveri debet.

1041. 1° *Necessitas* aut *maxima utilitas* excusat a labore, quoties hic sine gravi incommodo aut damno omitti nequit, Quâ ratione excusantur : —

(a) *Agricolæ*, qui, ob præteritam vel imminentem pluviam aut grandinem, segetes aut fructus colligere debent; (b) *artifices* qui opera incepta sine valde notabili damno interrumpere nequeunt; quales sunt : conflantes vitrum vel ferrum, coquentes calcem aut lateres; qui, in casu necessitatis, instaurant pontes, vias publicas, machinas in officinis; fabri ferrarii, si calceant equos itinerantium vel eorum qui sequenti die summo mane iter sunt acturi; reficientes machinas eorum qui secus die sequenti laborare non valerent; (c) *sutores* et *sartores* qui calceamenta aut vestimenta conficiunt necessaria pro funeribus, nuptiis aliisve solemnitatibus quæ differri nequeunt; aut perficiunt vestes quas tradere statuto die promiserunt, dummodo propriâ culpâ tempus inutiliter non terant, nec plura opera assumere soleant quam quæ explere valeant[1]; (d) *pistores* et

[1] Curent etiam ditiores ne citius exigant vestimenta quæ conficienda sartoribus aut sartricibus tradunt; secus enim causa sunt cur operarii nocte et diebus dominicis etiam inviti laborare moraliter cogantur

laniones publici, qui, in magnis oppidis, quotidie moraliter coguntur panem coquere aut animalia occidere; non autem qui in oppidulis possunt pro duobus diebus id præstare, nisi occurrant plures continui dies festivi; (e) *famuli, uxores, filii*, qui ab hero, viro aut parente laborare coguntur, quando absque fundato timore gravis incommodi resistere nequeunt; (f) *pauperes*, qui alias se suosque sustentare non valent, aut extraordinario lucro privarentur[1].

1042. 2° *Pietas erga Deum* eos excusat qui opera servilia peragunt *proxime* ad cultum divinum spectantia, qualia sunt ornare altaria, templum verrere, parietes tapetis vestire; sed consulendum est ut hæc pridie fiant, si possibile est. Prohibentur autem quæ *remote* tantum ad cultum inserviunt, ut templum ædificare, parietes dealbare, ornamenta conficere, nisi alia causa, v. g. urgens cultûs necessitas, accedat.

1043. 3° *Caritas erga proximum* licita reddit opera, ceteroquin servilia, quibus proximi necessitati gravi subvenimus, v. g. infirmis inservire; causas pauperum agere; laborare pro pauperibus quibus, ratione necessitatis, laborare licet, v. g. vestes conficere, sæviente hieme, pro iis qui secus frigore perirent.

1044. 4° Ex *consuetudine*, ubi viget, permittuntur quædam opera, ceteroquin prohibita; ita tonsoribus licet die festivo barbam radere; hortulanis olera rigare; agricolis segetes vertere aut separare in areâ; mercatoribus poculenta et esculenta, etiam in officinis publicis vendere, etc. Quid vero ex hoc capite in quâque regione liceat, pendet ex usu particulari locorum.

1045. 5° Quibus causis accedit *dispensatio* a proprio supe-

[1] Hâc ratione ductus, *Alexander III* (Decretal., lib. II, tit. IX, De feriis, c. 3), piscatoribus permisit captionem piscium qui *turmatim* certis temporibus terræ accedunt : " Indulgemus ut liceat parœcianis vestris diebus dominicis, et aliis festis (præterquam in majoribus anni solemnitatibus) si alecia terræ se inclinaverint, eorum captioni ingruente necessitate intendere : ita quod post factam capturam ecclesiis circumpositis et Christi pauperibus congruam faciant portionem. " Pariter *S. Cong. Prop. Fid.*, 30 sept. 1848, auctoritate S. Pontificis, quibusdam vicariis apostolicis facultatem concessit dispensandi christianos pauperes, qui operâ suâ valde indigent, ut serviliter laborare valeant diebus dominicis et festivis, post tamen missæ auditionem. (*Collectanea*, ed. Parisiensis, n. 1232; cf. n. 1226-1227; *Ami du Clergé*, t. XII (1899), p. 286.

riore concessa, videlicet a S. Pontifice pro totâ Ecclesiâ, ab Episcopo aut Vicario capitulari pro diœcesi, et Prælatis jurisdictionem quasi-episcopalem habentibus. Hi dispensare nequeunt sine justâ causâ, quæ tamen minus gravis esse potest quam quæ *per se* excusat a lege. — Ex *Codice*, c. 1245, parochi possunt, justâ de causâ, in singularibus casibus, dispensare singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, a lege communi de observantiâ festorum.

1046. Corollaria practica. (a) Quæritur num ab opere servili excuset *ratio vitandi otii.* — Hæc quidem *ex se* sola non excusat, cum otium occupationibus licitis abigi possit. Possunt autem dari circumstantiæ in quibus otium est periculum peccandi proximum, simulque vix aliter abigi potest quam vacando operi servili per aliquod tempus : tunc laborare licet quamdiu necessarium est ad fugandas tentationes. Quo casu consuli potest puellis et mulieribus ut pro pauperibus vestes, aut pro ecclesiis ornamenta conficiant.

1047. (b) Quæritur pariter num *opificibus, in civitate degentibus*, liceat die dominicâ aliquod tempus consumere in *excolendis hortis* qui ipsis locantur aut dantur. — Semoto scandalo, id permitti potest, salvo meliori judicio, quoties secus operarii gravi periculo exponuntur cauponas adeundi et se inebriandi, aliisve tentationibus consentiendi, — aut quando ita pauperes sunt ut hoc indigeant opere ad se suosve sustentandos, — aut cum labor ita modicus est ut tanquam recreatio et solatium haberi valeat, — præsertim vero quando hæc tria motiva simul concurrunt [1]. Sed totis viribus conandum est ut prius missam audiant, et per aliquod tempus studio christianæ doctrinæ vacent; nec diutius laborent.

Numquam vero a mente recedat virtutem religionis esse inter morales præstantissimam, et Deum Optimum maximum centuplum retribuere iis qui, vanis curis ac sollicitudinibus prætermissis, divinum cultum sincere et devote promovent.

[1] *Ami du Clergé*, t. XXV (1993), p. 968; *Rev. du Clergé français* t. XXVII (1903), p. 83.

De Virtutibus Moralibus.[1]

1048. Per virtutes *theologicas* et *virtutem religionis*, directe tendimus in *Deum*, finem nostrum ultimum; per virtutes *morales*, actiones nostræ recte disponuntur circa ea quæ sunt ad finem, videlicet officia erga *nosmetipsos* et *proximum*. Jam supra diximus, n. 585, virtutes morales, quatenus *naturales* sunt, definiri posse *habitus acquisitos quibus ad agendum disponimur;* et quatenus *supernaturales*, divinitus infundi, sub influxu gratiæ supernaturalis exerceri, et ultimo ad finem supernaturalem ordinari. Dictum est pariter, n. 587, has omnes virtutes ad quatuor referri posse, quæ *cardinales* dicuntur, nempe *prudentiam*, *justitiam*, *fortitudinem* et *temperantiam*.

Prudentia omnes actus nostros ad bonum honestum dirigit sive erga nosmetipsos, sive erga alios; *justitia* nos inclinat ad reddendum *alteri* quod ipsi debetur; *fortitudo* et *temperantia* directe nos juvant ad implenda officia erga nosmetipsos (supra n. 589). — Cum *justitia*, propter multiplicia jura et officia quæ complectitur, fusiorem postulet expositionem, de eâ in speciali Tractatu disserimus; de tribus ergo virtutibus dicendum manet, de *prudentiâ*, *fortitudine* et *temperantiâ*, breviter tamen, cum fusior harum virtutum expositio apud theologos *asceticos* inveniatur.

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 47-170, qui præ ceteris de his virtutibus præclare disserit; ejusque *Commentatores*, inter quos *Joannes a S. Thomâ; Billuart*, Tract. de Prudentiâ, Fortitudine, etc.; *Wirceburgenses*, Appendix de Virt. cardinalibus (t. IV, ed. 1883, Lutetiæ); *Lequeux*, De Virtutibus, diss. II; *Pesch*, Prælectiones, t. IX, n. 1-292; *Lehmk.*, t. I, n. 682-735. — Cfr. auctores *ascetici*, quales sunt *Schram; Alvarez; de Paz; Rodriguez; Olier*, Introduction à la vie et aux vertus chrétiennes; *Scaramelli; Philippus a S.S. Trinitate; Gaudier*, de Perfect. vitæ spiritualis; *Gay*, De la vie et des vertus chrétiennes; *Ribet*, Les Vertus et les Dons, Paris, Lecoffre, 1901; præsertim vero *S. François de Sales*, Introduction, Amour de Dieu, Sermons et Lettres.

Art. I. De Prudentiâ.

I. Genuina prudentiæ notio.

1049. 1° **Definitio.** Prudentia (græce φρόνησις), quæ *sapientia* sæpe dicitur, est *virtus intellectum dirigens ut, in singulis operationibus, dignoscamus quid honestum sit et ad finem conducens.* Proinde hic non agitur de prudentiâ mere humanâ, seu solertiâ, quæ *utile* solum prosequitur, sed de eâ quæ actus nostros ordinat ad *finem ultimum*, et præsertim de prudentiâ *supernaturali.*

(a) Prudentia primario *intellectum* perficit, videlicet *rationem practicam;* et est veluti *morum directrix*, quatenus mentem disponit ad recte judicandum de iis quæ ad finem conducunt, pronuntiando quid sit *honestum* vel turpe : prudentia enim quæ considerat solum quid sit *utile*, est valde imperfecta, ex dictis supra, n. 44-47. Ex quo patet ejus *objectum* esse amplissimum, cum complectatur *omnes actiones humanas*, moralitatis capaces.

(b) Differt tamen a *scientiâ* morum; hæc enim versatur circa bonum universale et generales ethicæ regulas, dum illa *applicat* principia universalia morum *singulis actionibus*, pronuntians quid in tali vel tali circumstantiâ sit honestum. — Nec tamen idem est ac *conscientia* (supra, n. 350-351) : hæc enim consideratur ut *facultas*, aut ut *actus* quo de liceitate actuum judicamus; dum prudentia est *virtus* ipsam conscientiam perficiens et inclinans ad recte judicandum de honestate actionum.

1050. 2° **Elementa quibus constituitur.** Prudentia primario supponit *naturalem* recte judicandi facultatem (*bon sens*, *common sense*), et, quoad *supernaturalia*, lumen fidei quo perficitur et illuminatur recta ratio. Tribus præsertim constat elementis, quæ necessaria sunt ad recte eligenda media in finem : *consultatione*, quâ sedulo inquirimus de omnibus mediis eorumque utilitate et honestate; *judicio* mentis, quo ratio practica, omnibus perpensis, recte pronuntiat de honestate et opportunitate talis vel talis medii; *præcepto*, quo ratio *imperat* illos actus quos necessarios aut utiles ad finem jam declaravit.

1051. (A) *Primus* prudentiæ actus est sollicita *consultatio*, seu *investigatio*, quâ serio et attente cogitamus de variis mediis quæ ad finem intentum conducere valent, de eorum honestate et opportunitate, non solum in genere, sed attentis omnibus adjunctis [1]. Ad quod efficacius consequendum quinque præsertim inserviunt : —

(a) *Præteritorum memoria*, in quantum hæc juvare possunt ad recte judicandum de præsentibus. Cum enim plerumque saltem eadem media, in iisdem circumstantiis adhibita, eosdem effectus producant, ex præteritis sæpe dijudicare possumus quomodo in præsentibus adjunctis agendum sit. Quare historia merito *hominum magistra* appellata est, et methodus quam dicunt *observationis*, seu experientia, ab hodiernis habetur ut optima vitæ directrix. Prudens igitur ea considerat quæ sunt procul, ut ex eis discat quæ sint hic et nunc agenda.

(b) *Præsentium intellectio;* consideratis enim præteritis, necesse est etiam ut attente instrospiciatur præsens operatio, tum in suâ naturâ, tum in suis circumstantiis; nec tantum in superficie, sed intime; nec sub uno tantum respectu, sed sub diversis respectibus. Cum enim agatur de honestate actionis alicujus non in genere, sed *in concreto*, positis omnibus adjunctis, hæc omnia attendi debent, ut actio hic et nunc ponenda sit sub omni respectu bona. Prudentiæ enim est generalia morum principia, quæ in se immutabilia sunt, omnibus locorum, temporum ac personarum circumstantiis sapienter accommodare.

(c) *Futurorum providentia :* actûs siquidem honestas non pendet solum ex ejus naturâ, sed etiam ex ejus effectibus, sive quoad agentem, sive quoad alios; hi igitur, in quantum sinit humana infirmitas, prævideri debent, ut ex eis dijudicari valeat honestas vel opportunitas actionis hic et nunc ponendæ.

1052. (d) *Docilitas in aliorum consilio capessendo :* cum enim pluris valeat plurimorum quam unius judicium, nostræ sapientiæ exclusive inniti stultitiâ non caret; prudens igitur homo frequenter, sollicite ac reverenter aliorum, præsertim seniorum et prudentium consilia capesset, cum eis de re agendâ inquiret, eorum rationibus attentam aurem præbebit, nec eorum judicium contemnet : "Prudentia, ait *S. Thomas* [2], consistit circa particularia operabilia, in quibus cum sint infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab aliis erudiri, et præcipue ex senibus,

[1] Quod quidem fit, juxta *S. Thomam* (2. 2æ, q. 51, a. 2) sub influxu *eubuliæ*, quæ est virtus adjuncta prudentiæ.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 49, a. 3.

qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium." Caute tamen seligi debet consiliarius, vir prudens et rectus, qui de bono aliorum curat, et non unice de proprio commodo[1].

(e) *Oratio ad Deum*, juxta illud :[2] "Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam." Nam, etiam in rebus naturalibus, expedit ut a Patre luminum, qui optimus est consiliarius, quid agere debeamus humiliter exquiramus; sed, in rebus ad finem supernaturalem spectantibus, id necessarium est, cum nonnisi supernaturali lumine viam salutis invenire valeamus.

1053. (B) *Secundus* prudentiæ actus est *judicium :* omnibus enim diligenter inquisitis, remanet ut ratio practica de eis *judicium* ferat, pronuntiando quid, omnibus perpensis, honestum sit et opportunum. Ad hoc requiritur imprimis recte judicandi facultas; sed insuper *immunitas a præjudiciis* et *passionibus*, quæ facile mentem a recto veritatis tramite avertunt; *deliberata consideratio* omnium motivorum et circumstantiarum, ut dignoscatur quodnam ex variis mediis excogitatis ad finem efficacius conducat; tandem *judicii firma prolatio*, ut mens incerta non maneat[3].

1054. (C) *Tertius* prudentiæ actus est *præceptum*, quo ratio practica non solum pronuntiat quid agendum sit, sed illud *imperat :* non enim satis est consiliari et judicare, sed necesse est *operari;* operatio autem procedit ex imperio rationis, quæ, postquam judicavit quid sit bonum et quid malum, in talibus adjunctis, voluntati dicit : hoc est tibi faciendum.

Hujusmodi actus est *principalis*, juxta *S. Thomam :*[4] "Et quia iste actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est quod iste est principalis actus rationis practicæ, et per consequens prudentiæ..."

Ad recte præcipiendum, requiritur præcipue *sollicitudo*, quæ strenue urget exsecutionem eorum quæ facienda sunt : si enim tarde oportuit consiliari, necesse est cito operari, nec ad *crastinam diem* remittendum est quod *hodie* fieri potest ac debet.

---

[1] De quo optima scripsit *Ecclesiasticus*, XXXVII, 7-29.

[2] *Eccli.*, XXXVII, 19.

[3] Ad quod præstandum, *S. Thomas* asserit duas esse virtutes quæ prudentiæ adjunguntur : *synesim*, seu rectum sensum (*bon sens*), quâ recte de agendis judicamus *secundum* communes regulas; et *gnomen*, seu *perspicaciam*, quâ recte de eisdem judicamus *præter* communes regulas.

[4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 47, a. 8.

1055. 3° **De variis speciebus prudentiæ.** Prudentia varia nomina assumit, et in varias species distribuitur, secundum varia *objecta* circa quæ fertur. Dici solet prudentia *personalis*, seu *monastica*, ea quâ homo seipsum regit; *domestica*, seu *œconomica*, quâ quis rectè ordinat quidquid ad bonum familiæ spectat; *socialis*, seu politica, quando respicit bonum commune civitatis; *militaris*, quando versatur circa res bellicas, etc. Sed, in his omnibus, eadem invenire est elementa essentialia quæ descripsimus; quæ sunt vero cuique speciei particularia, in variis tractatibus exponuntur.

1056. 4° **De vitiis prudentiæ oppositis.** Exinde intelligi datur quænam sint vitia prudentiæ opposita. Quædam *directe* huic virtuti opponuntur nempe per *defectum;* alia *indirecte*, quatenus *falsam* habent *similitudinem* cum eâ.

(A) Vitia quæ directe huic virtuti opponuntur, nomine communi *imprudentiæ* vocantur; sed quia prudentia tribus præcipuis actibus constat, supra, n. 1050, tria pariter vitia distingui solent : *præcipitatio*, quæ consultationem omittit; *inconsideratio*, quæ judicio nocet; *negligentia* et *inconstantia*, quæ præcepto adversantur.

(a) *Præcipitatio* in eo consistit quod homo, negligens varia media *inquisitionis* quæ præsto sunt, *prius agit quam considerat;* quare fertur ad agendum, non ex dictamine rationis, sed ex impetu præjudicii aut passionis. Quando præcipitatio ex contemptu regulæ dirigentis oritur, proprie dicitur *temeritas*, et gravius est peccatum.

(b) *Inconsideratio* consistit in eo quod quis *contemnit* vel *negligit* sedulo *perpendere* ea omnia quæ requiruntur ut *æquum ferat judicium;* ita enim se exponit periculo male judicandi de iis quæ hic et nunc agenda sunt, ideoque male agendi.

(c) *Negligentia* est defectus promptæ voluntatis in exsequendo judicio rationis, seu in *imperando* ea quæ necessaria vel utilia judicata sunt. Huic vitio affinis est *inconstantia*, quæ, sine sufficienti ratione, a bono proposito jam elicito recedit : oritur plerumque ex impulsu passionum quæ bono proposito resistunt, et paulatim inducunt hominem ut consilium mutet, ideoque relinquat ea quæ jam sapienter incœpta fuerant.

In his omnibus, peccatum grave committitur, si quis ita agit ut *contemnat* divinas regulas; si vero agit sine contemptu, et absque detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale[1].

1057. (B) Virtuti prudentiæ opponuntur, per *falsam similitudinem, prudentia carnis, astutia, nimia futurorum sollicitudo.*

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 53, a. 1.

(a) *Prudentia carnis*, quæ vias quærit ad vivendum secundum desideria naturæ corruptæ, ideoque tendit ad finem, qui non est vere bonus, sed apparens. De quâ ait Apostolus :[1] "Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritûs, vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt."

(b) *Astutia*, quæ non necessario versatur circa finem malum, sed utitur mediis simulatis et fallacibus ad finem intentum consequendum, sive bonum, sive malum. Est veluti mendacium practicum, et opponitur christianæ simplicitati. Exterius manifestatur dolo et fraude, de quibus agitur, ubi de *Contractibus*, n. 630.

(c) *Nimia sollicitudo futurorum*, quæ tunc vitiosa est quando hominem præoccupat extra tempus opportunum, vel modo immoderato. Quam Christus reprobat tanquam defectum fiduciæ in Deum :[2] "Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini... Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis?" Quod fusius exponit *S. Thomas*,[3] exponendo hanc nimiam sollicitudinem tripliciter esse illicitam : si temporalia tanquam finem quæramus, — aut cor nostrum ad temporalia ita apponamus ut a spiritualibus, quibus principalius inservire debemus, retrahamur, — vel timeamus ne, faciendo quod debemus, necessaria nobis deficiant, quod divinæ providentiæ adversatur : "Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis"[4].

Quæ quidem peccata sunt *gravia*, quando finis ultimus constituitur in creaturis, aut quando assumuntur media de se graviter culpabilia.

II. De præstantiâ prudentiæ et mediis eam acquirendi.

1058. 1° **Prudentiæ præstantia.** (A) *Scriptura* multoties prudentiam laudat, quam sæpe sapientiam appellat, præsertim in libris *Proverbiorum*, *Sapientiæ* et *Ecclesiastici*.

Ita, in *Proverbiis* :[5] "Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiâ. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus... Posside sapientiam, posside prudentiam... Arripe illam et exaltabit te; glorificaberis ab eâ cum eam fueris amplexatus : dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et coronâ inclytâ proteget te." — Pariter apud *Sapientiam*[6], descri-

[1] *Rom.*, VIII, 6-8. — [2] *Matt.*, VI, 25-26.
[3] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 55, a. 6. — [4] *Matt.*, VI, 33.
[5] *Prov.* III, 13-14; IV, 5-9. — [6] *Sap.*, VI-IX.

bitur prudentia ut rectrix vitæ nostræ, atque fons omnium bonorum, omnibus divitiis anteponenda. — Quare *Ecclesiasticus* hortatur juvenes ut a juventute prudentiam excipiant, et usque ad senectutem eamdem excolant[1].

Patres non minus diserte docent prudentiam esse ceterarum virtutum aurigam et fontem, ita ut sine illâ impossibile sit alias virtutes colere : hæc enim seligit media quibus aliæ virtutes crescere valent[2].

1059. (B) *Ratione* idem ostenditur. Prudentia enim omnes virtutes adjuvat et perficit, ita ut sine eâ ceteræ subsistere non valeant. (a) Omnis enim virtus moralis inter duo extrema mediam viam tenere debet; ita liberalitas inter prodigalitatem et avaritiam media subsistit. Atqui prudentiæ est virtutibus præscribere quale sit medium inter extrema tenendum, cum, ex dictis, de omnibus inquirat et judicet in ordine ad finem, et quid sit honestum sollicite determinet. (b) Præterea, ut homo bene operetur, scire debet non solum *quid* faciat, sed etiam *quomodo* id faciat; jamvero ad prudentiam spectat definire, post attentam omnium circumstantiarum considerationem, quænam sint meliora media ad finem attingendum, et quomodo hæc opportune adhiberi possint.

Quapropter homo prudentiâ destitutus merito comparatur navigio rectore carenti, quod ventorum et fluctuum impetu huc illucque impellitur, et tandem naufragio perire cogitur. Ex adverso prudentia dicitur moderatrix et auriga virtutum, affectuum ordinatrix et morum doctrix, quippe quæ omnes actus nostros ad portum salutis tuto dirigit.

1060. 2° **Media in prudentiâ proficiendi.** Hæc colligi possunt ex dictis circa elementa quibus prudentia constat, n. 1050.

(a) Præprimis, cum Deus sit totius sapientiæ auctor, enixe ab eo postulanda est prudentia : ipse enim nobis finem assignavit necnon media ad eum assequendum opportuna; quando igitur quid agendum sit ignoramus, divinum lumen implorare necesse est : "Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos

[1] *Eccli.*, VI, 18-37.

[2] *S. Ambros.*, De officiis, l. I, c. 27, P. L., XVI, 60; *S. Augustinus*, De moribus eccl., l. I, c. 15; P. L., XXXII, 1322; *S. Gregorius M.*, Moral., l. II, c. 49, P. L., LXXV, 592.

nostros dirigamus ad te"[1]. In libro *Sapientiæ* (IX), perpulchra invenitur oratio ad impetrandam sapientiam, seu prudentiam.

(b) Cum *præjudicia* et *passiones*, præsertim voluptas, mentem obnubilent, eamque præpediant ab attentâ et sincerâ consideratione motivorum rationi consentaneorum, necesse est omnino ut præjudicia abdicemus, et passiones vincamus; secus ratio, perturbata et excæcata, non secundum æquitatem et honestatem judicium feret, sed secundum corruptæ naturæ vitiosas propensiones.

(c) Antequam judicium feras, attente considera et perpende omnia motiva, omnes circumstantias, effectus ex tuâ actione probabiliter secuturos, tum quoad teipsum tum quoad alios; et de his omnibus judica in ordine ad æternitatem, quasi esses mox moriturus, et de tuâ actione supremo judici rationem redditurus. — Nec tuæ prudentiæ innitaris, sed "sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis[2]... Consilium semper a sapiente perquire"[3]. His aliisque ejusmodi mediis in prudentiâ proficies.

Art. II. De Fortitudine.

I. Genuinus fortitudinis conceptus.

1061. 1° **Definitio.** Fortitudo (ἀνδρεία), de quâ hic agitur, est fortitudo mentis, ac definiri potest : *virtus, quâ voluntas ita roboratur ut a bono arduo prosequendo non desistat, neque propter difficultates, neque etiam propter periculum mortis*[4].

Fortitudo, sicut ceteræ virtutes morales, est tum naturalis, tum supernaturalis, prout prosequitur bonum arduum naturale aut supernaturale, et quidem mediis naturalibus aut supernaturalibus.

(a) *Objectum* hujus virtutis est bonum morale *arduum*, seu illud quod præ se fert *specialem* difficultatem. Omne quidem bonum est aliquo modo arduum; sed, quando speciales occurrunt difficul-

[1] *II Parap.*, XX, 12. — [2] *Eccli.*, XXXII, 24. — [3] *Tob.*, IV, 19.

[4] Hæc est definitio fortitudinis, quatenus est virtus *cardinalis*. Aliquando autem hoc nomine designatur constantia illa, quâ difficultates ordinarias, in omnium virtutum exercitio occurrere solitas, superare satagimus : hæc non est specialis virtus.

tates, magnaque pericula, præsertim periculum mortis[1], specialis virtus fortitudinis requiritur ad hæc omnia superanda. Hinc præcipuus hujus virtutis actus est *martyrium* pro Deo susceptum, de quo in *Tr. de Baptismo*, n. 42-44.

1062. (b) *Subjectum* hujus virtutis communiter dicitur esse *appetitus irascibilis* : hic enim versatur circa bonum arduum, et irâ debite moderatâ utitur ad superandas difficultates : ad iram enim pertinet insilire in obstacula eaque vincere. Attamen nobis videtur fortitudinem *primario* existere in *voluntate*, et *secundario* in *appetitu irascibili;* nam hic agitur de prosequendo bono *honesto*, quod est proprie voluntatis objectum, non autem de bono utili aut sensibili, quod est objectum appetitûs inferioris. Virtus igitur fortitudinis primario residet in *voluntate*, quæ deliberate et firmiter adhæret bono honesto. Quia vero sæpe obstant difficultates et pericula, quæ non solum voluntatem, sed etiam appetitum inferiorem terrent, necesse est ut fortitudo in appetitum irascibilem secundario influat, ad illum roborandum contra vanos timores, eumque excitandum ad ardua strenue aggredienda.

1063. (c) Duplex est præsertim fortitudinis *actus : sustinere* et *aggredi : sustinere*, id est, immobiliter sistere in periculis et invicto animo gravissima tolerare tormenta[2]; *aggredi*, id est, ardua et periculosa strenue agere. — Generatim sustinere, ceteris paribus, difficilius est et magis meritorium quam aggredi : nam qui sustinet, jam sentit pericula imminentia, dum qui aggreditur habet ea ut futura; insuper sustinere importat diuturnitatem temporis, dum aggredi potest esse ex subito motu; difficilius est autem diu manere immobilem quam subito motu ferri ad aliquod arduum[3].

---

[1] Scholastici, post *Aristotelem*, tenebant fortitudinem specialiter elucere in eo genere mortis quod in bello imminet, quia tunc bonum commune patriæ bono privato præfertur; sed *S. Thomas* (2. 2æ, q. 122, a. 1) animadvertit nomine *belli* venire omnes impugnationes quas propter veritatem et justitiam quis sustinet. *Cicero* autem (De offic., lib. I, 22) merito ait : "Cum plerique arbitrentur res bellicas majores esse quam urbanas, minuenda est hæc opinio... Vere autem si volumus judicare, multæ res exstiterunt urbanæ majores clarioresque quam bellicæ."

[2] Quod eleganter expressit *Horatius* (Od., III, 3, 8) : —

"Justum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida...
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ".

[3] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 123, a. 6.

1064. 2° **Varii fortitudinis gradus.** (a) Primus consistit in *coercitione* et *mortificatione passionum.* Hæc est vera fortitudo; nam si fortes dicuntur qui belluas edomant, patriæque hostes devincunt, fortiores sane judicandi sunt qui iracundiam, libidinem, cupiditatem ita cohibent et gubernant ut his non ad malum, sed ad bonum strenue operandum utantur : "Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo expugnatore urbium"[1]. — Ii præsertim laudandi sunt qui, vana hominum judicia contemnentes, nunquam ab officio deterrentur aliorum irrisionibus.

(b) *Secundus* gradus, qui primum antecellit, in eo est ut, pro spirituali vel corporali proximi bono, libertatem, famam, propriam vitam probabili periculo exponant. Hâc fortitudine præcellebat *Apostolus*, qui, pro animarum salute, sæpe diversis periculis se exponebat, "periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus"[2]. Eamdem hodie exercent non solum missionarii qui apud remotas gentes Evangelium prædicant, sed etiam laici et sacerdotes qui, apud christianas gentes, orthodoxam fidem contra insurgentes incredulos et politicos invicte propugnant, cum discrimine famæ, opum, atque etiam libertatis.

1065. (c) *Tertium* gradum attingunt qui, in casibus *repentinis*, horribilia mala forti et invicto animo tolerant. Qui enim contra irruentia mala prævia meditatione sese præparare non potuit, et impavidus omnia sustinet, ostendit se fortitudinis habitum diuturno exercitio acquisivisse.

(d) *Quartum* vero gradum ascendunt qui libenter et amanter martyrium pro Christo subeunt, prout subiit *S. Ignatius* martyr, qui ad Romanos scribens, aiebat : "Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ, quas et oro mihi veloces esse ad interitum et supplicia!" — Pauci quidem hodie martyrium proprie dictum patiuntur; sed pax Ecclesiæ suos habet martyres : qui enim, pro Christo et animarum salute, omnia et seipsos impendunt, omnia sustinent, omnia aggrediuntur, quotidie parati vitam suam dare pro ovibus suis, — vere, licet non stricto sensu, martyres dici possunt.

1066. 3° **De vitiis fortitudini oppositis.** Duo sunt præcipua : (a) *Timiditas,* seu *ignavia*, quæ non satis fortiter

[1] *Prov.*, XVI, 32. — [2] *II Cor.*, XI, 26.

sustinet, timendo ubi timendum non est, aut plus quam oportet. Timere ea quæ merito timenda sunt, et eo modo quo timenda, v. g. peccatum aut gehennam, non est timiditas neque illicitum est fugere mala, ex quorum tolerantiâ nihil boni provenit, omnibus sedulo perpensis; sed vanis timoribus consentire, et exinde officia negligere, est peccatum timiditatis, cujus gravitas ex variis circumstantiis, præsertim ex gravitate officii omissi, pendet. — Nostris diebus sedulo vitandus est ille timor qui dicitur *respectus humanus*, vi cujus tot christiani sua religiosa officia prætermittunt, ne forte aliis displiceant.

(b) *Nimia audacia*, seu *temeritas*, quæ est excessus in aggrediendo bono arduo, *quod* non convenit, aut *quando* non convenit, aut *modo* quo non convenit. Oritur ex *contemptu vitæ* aliorumve bonorum, — ex *superbiâ*, quæ propriis viribus nimis confidit, — ex *jactantiâ*, quæ proprias vires ostendere cupit, — aut ex quâdam animi *stoliditate*. Peccatum ex hoc capite commissum dijudicari debet tum ex *causâ* ex quâ oritur, tum ex *effectibus* quos inducit; v. g. graviter peccat qui, absque causâ, gravi periculo se exponit[1].

II. De virtutibus fortitudini adnexis.

1067. *Aggredi* et *sustinere* duo sunt officia fortitudinis ex superius dictis, n. 1063 : ad quæ facilius implenda virtutes quædam fortitudini adjunguntur : videlicet *magnanimitas* et *magnificentia*, quæ ad *aggrediendum* magna ordinantur; *patientia* et *constantia*, quæ ad aspera *sustinendum* spectant; de quibus seorsim dicendum.

1° *Magnanimitas* est *animi promptitudo ad magnos virtutum actus peragendos*, eos scilicet qui sunt magnis honoribus digni.

(A) Differt ab *ambitione*, quæ propter humanos honores magna aggreditur; vult enim magnificus operari quæ magna sunt coram Deo, quia rationali creaturæ convenit non solum quæ sunt communia, sed etiam quæ eximia sunt intendere. Despicit divitias, voluptates, honores hujus mundi, et ad cœlestia anhelat. Intendit

[1] His vitiis plerumque additur *intimiditas*, quæ non timet quando timendum est (*S. Thom.*, 2. 2æ, q. 126, a. 1-2); sed de eâ idem fere dici potest ac de temeritate.

quidem magnos honores, sed quales a Deo conferuntur : "Et ideo non extollitur ex magnis honoribus, quia non reputat eos supra se, sed magis eos contemnit... et similiter etiam dehonorationibus non frangitur, sed eas contemnit, utpote quas reputat sibi indigne afferri"[1].

Quare vera magnanimitas non opponitur humilitati, ut optime *Angelicus* declarat[2] : "In homine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei possidet; et aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit quod homo se magnis dignificet secundum considerationem donorum quæ possidet ex Deo; sicut si habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit quod ad perfecta opera virtutis tendat... Humilitas autem facit quod homo seipsum parvipendat, secundum considerationem proprii defectus". — Itaque magnanimus non tam propriis viribus innititur, quam divino auxilio, et suam *fiduciam* præsertim in Deo reponit.

1068. (B) Huic virtuti opponitur, *per excessum*, *præsumptio*, et per *defectum*, *pusillanimitas*[3].

(a) *Præsumptio* est peccatum quo quis aggreditur id quod est longe ultra ipsius vires; v. g., qui suscipit munera judicis, confessarii, parochi, etc., quibus adimplendis omnino impar est, defectu scientiæ, prudentiæ, aliarumque virtutum; aut qui, in statu imperfectæ virtutis existens, statim maxima opera facere conatur. Exemplum sit Petrus, qui, sibi nimis fidens, paratus erat pro Christo mori, et mox ad vocem ancillæ magistrum negavit. (b) *Pusillanimitas* est animi dispositio, quâ quis refugit ea quæ, omnibus attentis circumstantiis, posset et deberet agere; ita qui, difficultatibus territus, et divino auxilio non satis fidens, munera fugit sibi a superioribus proposita[4], aut proprii statûs officia, ex inani timore, non adimplet.

Ad dijudicandum de malitiâ peccatorum ex hoc duplici vitio ortorum, attendendum est præsertim ad gravitatem *effectuum* qui exinde sequuntur.

1069. 2° *Magnificentia* videtur esse quædam pars magnanimitatis, et inclinat ad res magnas faciendas per *magnos sumptus*, v. g., in splendidis templis exstruendis, aut colle-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 129, a. 2, ad 3.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 129, a. 3, ad 4.

[3] Duo alia communiter recensentur, *ambitio* et *inanis gloria;* sed de his supra actum est, ubi de vitiis capitalibus, n. 515-516.

[4] Proinde non agitur hic de eo qui, *humilitatis* causâ, munera et honores declinat, sed de eo qui difficultatibus terretur et fiduciâ in Deum caret.

giis, universitatibus, monasteriis erigendis, quando id postulat bonum Ecclesiæ aut patriæ.

Huic virtuti duo vitia opponuntur : (a) *Nimia sumptuositas*, quando quis magnos sumptus facit in rebus parvi momenti; quod quidem irrationabile est, præsertim quando negliguntur opera pro honore Dei et bono fidelium valde necessaria; (b) *parvificentia*, quæ in rebus magnis nonnisi parvos sumptus vult facere, ita ut opera quæ suscipiuntur valde indecora maneant.

1070. 3° *Patientia* est virtus quæ ita *tristitiam moderatur, ex malis præsentibus ortam*, ut propter eam voluntas a bono non dimoveatur, sed potius in eo firmetur. Hæc proinde non est *insensibilitas*, seu *apathia*, de quâ stoici gloriabantur, et quæ revera vitium est. Vir patiens sentit dolorem in corpore et tristitiam in animo, sed utrumque moderatur, nec sinit ultra limites rationis progredi; recordatur enim Pauli verborum[1] : "Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit."

Varii *gradus* in patientiâ distinguuntur : (a) æquo ferre animo amissionem divitiarum, famæ, sanitatis, parentum et amicorum, etiam quando hæc *sine culpâ* nostrâ nobis accidunt; (b) ferre quæ ab *ingratis* pro beneficiis acceptis retribuuntur; (c) ea omnia non solum patienter, sed *cum gaudio*, sustinere, sicut apostoli, qui "ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati"[2].

Cui virtuti opponitur *impatientia*, quâ quis nimium dolet, et ex dolore a recto recedit, v. g., de Deo et hominibus amare conquerens, proptereaque solatium in voluptatibus aut in otiositate quærens. — Impatientia est *ex se* peccatum veniale, sed *gravis* fieri potest, si quis deliberate contra Deum et divinas ordinationes graviter murmurat, aut exinde lethalia peccata committit.

1071. 4° *Constantia*, seu *perseverantia*, est virtus firmans mentem adversus *timorem malorum imminentium*, et ad superandas *difficultates quæ ex diuturno virtutis exercitio* proveniunt. — Respicit igitur difficultates *futuras*, dum patientia præsentia mala spectat; insuper ad illam specialem difficultatem superandam ordinatur, quæ plerumque procedit ex diuturnâ virtutum praxi : multi enim quamdam

[1] *Rom.*, X, 3-5. Cfr. *S. Fr. de Sales*, Introd., p. III, ch. 3; *Olier*, Introd., ch. 9.

[2] *Act.*, V, 41.

defatigationem et tædium experiuntur ex eo quod iidem conatus sæpe repetendi sunt; ad quod vincendum specialis constantiæ virtus desideratur. — Quanti momenti sit hanc virtutem colere, ex eo constat quod nonnisi sæpe repetitis conatibus, usque ad finem vitæ perductis, solida acquiritur virtus atque corona justitiæ obtinetur : "Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit"[1].

Huic virtuti opponitur : (a) per *defectum*, *inconstantia*, seu animi *mollities*, quæ a bono proposito facile recedit, propter occurrentes difficultates, vel ex tædio diuturnitatis; quæ quidem dispositio oritur partim ex naturali indole, partim vero ex consuetudine voluptatibus indulgendi et ex horrore difficultatum; (b) per *excessum*, seu abusum, *pertinacia*, seu inclinatio ad persistendum in proposito, ubi recta ratio dictat esse desistendum; nam, si in proposito perseverare debemus quamdiu bonum rectæ rationi apparet, ab eo recedendum est quando certo deprehenditur ex erroneo judicio susceptum, aut cum circumstantiæ ita mutantur, ut quod antea bonum et opportunum erat, jam fiat malum aut saltem minus bonum.

III. De mediis in fortitudine proficiendi.

1072. Præter orationem, ad quam pro omnibus virtutibus recurrere necesse est, præcipua media quibus fortitudo acquiri vel augeri potest, hæc sunt : —

1° *Frequens meditatio* fragilitatis bonorum temporalium, quando cum bonis æternis conferuntur. Fortitudo enim christiana nascitur imprimis ex intimâ persuasione quod temporanea mala nihil sunt in comparatione æternorum, imo et desiderabilia fiunt quando considerantur ut media adipiscendi vel augendi æternam felicitatem. Tunc enim christianus mala hujus mundi non timet, neque ardua refugit, sed ea potius amplectitur, ut exinde immarcessibilem percipiat coronam. Pariter voluptatibus et honoribus hujus mundi non facile allicitur, sed ea potius contemnit tanquam impedimenta, quibus a consecutione æternæ beatitudinis arcetur. Quapropter neque minis neque blandimentis ab officio implendo deterretur, sed impavidus mala sustinet et ardua aggreditur, ut suum finem securus consequatur.

2° *Prævisio malorum*, quæ accidere possunt, ut contra eadem voluntatem firmare valeamus. Ex diuturnâ enim præmeditatione animum nostrum contra pericula præparamus : sicut in bello improvisus hostis imparatos facile opprimit, ita in spirituali pugnâ facile superamur ab inimicis, si imparati sumus. Ex adverso autem pericula diu prævisa minus terribilia evadunt. Cujus ratio est quia

[1] *Matt.*, X, 22.

timor, contra quem ordinatur fortitudo, vires nostras debilitat, nisi ei strenue resistamus; jamvero, si mala quæ accidere possunt prævideamus, eaque non ut noxia, sed tanquam utilia ad virtutem et salutem apprehendamus, mox recedit timor, et voluntas totas vires ad bonum prosequendum vertit, non obstantibus periculis quibuslibet.

1073. 3° *Consuetudo strenue agendi* in *minoribus* periculis quotidie occurrentibus : hujus enim ope, animus firmitatem acquirit ad graviora mala fortiter sustinenda et magis ardua viriliter aggredienda necessariam : sicut miles quotidianâ exercitatione ad magis ardua et periculosa sese præparat, ita chriatianus fortiter in minoribus agendo ad majora aptus evadit. Præsumptione igitur laborant qui grandia pati aut agere concupiscunt, simulque minora negligunt : si in minimis debiles, in majoribus strenui esse non valent : "Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est : et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est"[1].

4° *Fervens in Deum amor* maximas vires voluntati addit. Nam "fortis est ut mors dilectio"[2] ideoque amantem reddit intrepidum, ad omnia adversa fortiter toleranda idoneum, ad maxime ardua viriliter peragenda. Si creaturarum amor tantam mortalium cordibus fortitudinem inspirat, ut quotidianâ constat experientiâ, quanto majorem inspirabit amor Dei purus, amor infiniti boni! Id sane illustrari potest exemplo *Pauli*, qui ex eo quod amore Christi flagrabat, omnia pati, omnia agere propter Christum vehementer optabat : "Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos"[3]. — Quare multum juvabit frequenter considerare fortitudinem quam Salvator exhibuit per totam vitam, et præcipue in passione, a tempore quo agonizare cœpit in horto Gethsemani usque ad horam quâ moriens exclamavit[4] : "Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?" Quo exemplo Apostoli fideles hortabantur ad omnia fortiter toleranda : "Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus... Christo igitur passo in carne, et vos eâdem cogitatione armamini"[5]. Et revera multi christiani, dilecti Magistri vestigiis inhærentes, ibant gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine ejus contumeliam pati. Quia vero hodie multi desiderantur christiani, invictâ fortitudine prædíti, ad fidem contra innumeros hostes tuendam ac propugnandam, necesse est ut juniorum animis ardens inspiretur amor Christi, quo inflammati strenue et alacriter pro fide christianâ pugnare valeant.

---

[1] *Luc.*, XVI, 10. — [2] *Cantic.*, VIII, 6.
[3] *Rom.*, VIII, 35-37; integer legatur locus.
[4] *Matt.*, XXVII, 46. — [5] *I Petr.*, II, 21; IV, 1.

Art. III. De temperantiâ.

1074. Sicut *fortitudo* moderatur appetitum *irascibilem*, eum firmando contra ardua, ita *temperantia* moderatur appetitum *concupiscibilem*, refrænando inordinatum amorem delectabilium. Hic proinde agitur de temperantiâ, non prout est virtus *generalis* moderans omnes humanas operationes et passiones, sed quatenus est virtus *specialis* delectationes sensibiles refrænans.

I. Genuinus temperantiæ conceptus.

1075. 1° **Definitio.** Temperantia est *virtus ita refrænans appetitum delectationum sensibilium, præsertim gustûs et tactûs, ut propter eas voluntas non recedat a bono, sed potius in eo firmetur.*

(a) Ad cujus intelligentiam, sciendum est *delectationem* ab auctore naturæ operationibus nostris adnexam fuisse, eo fine ut facilius operemur, et ita ad finem nostrum tendamus. Nulla delectatio *in se* mala est, sed spectari debet ut *medium* a Deo institutum ad aliquem finem attingendum. Velle igitur delectationem *propter* finem a Deo præfinitum, non est malum, sed honestum (supra, n. 157), sed malum est agere *propter solam delectationem*, absque ullâ relatione ad finem. Ad temperantiam vero spectat ita moderari delectationem, ut hæc non propter se, sed propter finem honestum appetatur, proinde sine ullo excessu.

(b) Inter delectationes sensuum, duæ sunt quæ plerosque homines magis vehementer alliciunt, videlicet delectationes in cibo et potu quæ ad conservationem individui ordinantur, et delectationes venereæ quæ ad conservationem humanæ speciei ordinantur. Temperantia igitur ad eas moderandas præcipue tendit. Quod sic declarat *S. Thomas*:[1] "Et quia delectatio consequitur operationem naturalem, tanto aliquæ delectationes sunt vehementiores quanto consequuntur operationes magis naturales. Maxime autem naturales animalibus sunt operationes quibus conservatur natura individui per cibum et potum, et natura speciei per conjunctionem maris et feminæ; et ideo circa delectationes ciborum et potuum, et circa delectationes venereorum est proprie temperantia".

1076. 2° **Temperantiæ regula generalis.** Ad recte ordinandas hujusmodi delectationes, recta ratio, fide illustrata, duplicem proponit regulam: unam *proximam*, quæ desu-

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 141, a. 4.

mitur ex necessitatibus hujus vitæ, alteram *remotam*, quæ est assecutio beatitudinis supernaturalis.

(a) Secundum primam regulam, omnia delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, *ad aliquam vitæ necessitatem*, sicut ad finem, referri debent. Quapropter imprimis resecare debemus omnes delectationes quæ *bono honesto obstant*, aut impediunt ne aliquod officium præsens aut futurum impleatur. Insuper non propter ipsam delectationem, sed propter finem honestum, necessarium aut vere utilem, agendum est. Ita, relate ad cibum potumque, id omne licet sumere quod necessarium aut vere utile est ad vitam et valetudinem servandam, necnon ad operationes mentis recte perficiendas. Et ita de aliis delectationibus dicendum est.

(b) Secunda autem regula, quæ perfectior est, postulat ut illæ delectationes resecentur quæ ad bonum animæ non inserviunt; v. g., ut tantum cibi et potûs sumatur quantum virtutibus exercendis convenit; ideoque ut a cibo et potu abstineatur in quantum necesse est ad domandum corpus ejusque vitiosas propensiones : " Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis " [1].

Utramque regulam sic tradit *Augustinus :* " Habet igitur vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus vitæ regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, *sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem*, quantum sat est, usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu " [2]. — Et alibi : " Nam fames et sitis quidam dolores sunt, urunt et sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra et aqua et cœlum serviunt, calamitas deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, ut, *quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus* accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestiâ transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ... His tentationibus quotidie conor resistere et invoco dexteram tuam ad salutem meam " [3].

1077. 3° **Temperantiæ species.** Temperantia, quatenus moderationem servat in cibo, dicitur *abstinentia;* quatenus idem servat in potu, vocatur *sobrietas;* in quantum vero id præstat in rebus venereis, *castitas* nuncupatur : ad

[1] *Galat.*, V, 24.
[2] *S. August.*, De mor. eccles., l. I, c. 21, n. 39, P. L., XXXII, 1328.
[3] *S. August.*, Conf., l. X, c. 31, P. L., XXXII, 797.

quam refertur *pudicitia*, castitatis custos, quæ delectationes moderatur in osculis, tactibus et amplexibus [1]. — Abstinentiæ opponitur *gula*, sobrietati *ebrietas*, castitati *luxuria*. De duobus prioribus vitiis jam dictum est supra, n. 538-555; de luxuriâ, in *Tr. de Castitate* agetur.

II. De virtutibus temperantiæ annexis.

1078. Temperantia *proprie dicta* versatur circa delectationes sensibiles; sed huic adnectuntur virtutes quæ delectationes etiam spirituales refrænant. Inter quas recensetur : *humilitas*, quæ interiores motus spei et audaciæ moderatur; *mansuetudo*, quæ motus iræ in vindictam tendentes refrenat; *modestia*, quæ motus corporales moderatur [2].

1° *De humilitate.* [3]

1079. (A) **Genuinus conceptus.** Humilitas est virtus *quæ cohibet inordinatum propriæ excellentiæ appetitum, et hominem inclinat ad propriam vilitatem secundum veritatem agnoscendam.*

(a) Dico *secundum veritatem;* sunt enim qui putant humilitatem consistere in ficte amplificando nostros defectus, aut minuendo nostras dotes, et in fugiendo omnem honorem et gloriam. Quod quidem falsum est; nam virtus vera non potest esse inimica veritatis. Reprimit quidem *inordinatum* propriæ excellentiæ appetitum, juxta superius dicta, n. 514; sed minime prohibet quin libenter agnoscamus bona naturalia et supernaturalia quæ Deus nobis largitus est : nolle ea agnoscere non est humilitas, sed ingratitudo. — Neque pariter prohibitum est aliquem honorem aut gloriam quærere, dummodo quæratur apud Deum, secundum ejus beneplacitum et juxta merita nostra. Ita enim *Christus* de se ipso aiebat : [4] " Ego te clarificavi super terram... Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 143, a. unic.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 143, a. unic. — Ibi etiam S. Doctor recenset *continentiam*, quæ interiores motus carnalis concupiscentiæ refrenat; sed hæc ad *castitatem* spectat, de quâ alibi.

[3] *S. Fr. de Sales*, Introduct., p. III, ch. 4-7; *Olier*, Introduction, ch. 5; pius auctor operis *Formation à l'humilité*, Paris, 1902.

[4] *Joan.*, XVII, 4-5.

habui, priusquam mundus esset, apud te". Nec aliter *B. Virgo* :[1] "Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est". Ait quidem *Paulus* : "Nemo itaque glorietur in hominibus"[2]; sed antea dixerat : "Qui gloriatur, in Domino glorietur"[3]; et ipse exspectabat coronam justitiæ "quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex"[4].

1080. (b) Ut vero *secundum veritatem* nos nostrasque dotes æstimemus, Deo imprimis tribuendum est quidquid ab ipso procedit. Jamvero omnes naturales et supernaturales dotes, quæ nobis insunt, a Deo esse testatur Apostolus[5] : "Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?" — Habemus quidem bona opera et merita : sed hæc *primario* Deo tribui debent, etsi vere nostra sint, cum esse, facultates, merendi potentiam, et divinum auxilium ad meritum necessarium nonnisi a Domino habeamus; de his igitur nonnisi in Domino gloriari possumus; et pars præcipua gloriæ Deo retribui debet. — Insuper *peccavimus*, et ex hoc capite ignominiam et confusionem apud Deum et homines meremur.

1081. (c) Si nos cum *proximo* comparamus, debemus imprimis mirari et æstimare dona tum naturalia tum supernaturalia ipsi divinitus concessa : si in eo cernuntur majora quam in nobis dona, ejus superioritatem libenter agnoscere debemus. Præterea si minora peccata quam nos commisit, minori ignominiâ dignus est, et ex hoc capite nos ipsi inferiores esse fateri necesse est. Quia vero proni sumus ad nostras dotes amplificandas, aliorum vero qualitates minuendas, æquitas postulat ub ab hâc injustâ propensione in judiciis nostris præcaveamus. Neque prætermitti debet sæpe in nobis esse occultos defectus, et in aliis occultas qualitates, ita ut non liceat propter sola manifesta seipsum aliis præferre; sapienter ergo proximus præsumitur melior esse quam apparet : "Humilitate superiores sibi invicem arbitrantes"[6].

---

[1] *Luc.*, I, 48-49. — [2] *I Cor.*, III, 22. — [3] *I Cor.*, I, 31.
[4] *II Tim.*, IV, 8. — [5] *I Cor.*, IV, 7. — [6] *Philip.*, II, 3.

Ad rem *Augustinus* :[1] "Etiam illud cogitandum, nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet, ne arbitreris, quoniam tua quædam bona eminent et apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, et fortassis majoris ponderis bona quibus te superat nescientem".

1082. (B) **De præcipuis humilitatis actibus.** (a) Humilis agnoscit *se nihil esse coram Deo* : sicut enim parva aquæ guttula nihil esse dicitur cum oceano comparata, ita esse nostrum divino comparatum tanquam nihilum haberi potest: "Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei"[2]. Præterea confitetur quidquid boni ipsi inest, ultimo a Deo procedere, sensu supra exposito, n. 1080.

(b) Fatetur insuper se esse *peccatorem*, et ex hoc capite *contemnendum*, præsertim si lethaliter peccaverit (supra, n. 463).

(c) *Indignum* reputat se omnibus Dei donis, et *ex se* ad omne opus bonum, præsertim supernaturale, *ineptum*. Cum enim peccato Deum offenderit, ejus iram et indignationem incurrit, ideoque indignus est ejus beneficiis. Aliunde, per proprias vires, absque divino concursu, nil boni facere valet, præsertim in ordine supernaturali, juxta illud[3] : "Non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est".

1083. (d) *Non inflatur in prosperis, neque in adversis deprimitur ;* scit enim prosperos eventus, necnon et adversos, a Deo sapienter ordinari secundum ipsius beneplacitum, non autem ultimo a nobis pendere. Quare omnibus viribus conatur quidem bene agere, ad Deo placendum : si res prospere succedunt, laudes Deo rependit; si infauste, humiliationem exinde susceptam patienter tolerat : "Scio et humiliari, scio et abundare...[4] In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus"[5]. Imo lætanter humiliationes accipit, tanquam media gratiam et gloriam a Deo consequendi : "Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem

[1] *S. August.*, Quæst. 83, q. 71, n. 5. P. L., XL., 82.
[2] *Isa.*, XL, 17.
[3] *II Cor.*, III, 5; cfr. *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 161, a. 6, ad 1.
[4] *Philip.*, IV, 12. — [5] *II Cor.*, IV, 8-9.

dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis; omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis"[1].

1084. (e) Quare, veritatis amore impulsus, *non cupit ab aliis magni fieri vel laudari*, ratus id non sibi, sed Deo competere, a quo omnia bona procedunt : non enim pictura vel statua laudem meretur, sed artifex. Si igitur videt se ab aliis honorari, non sibi honorem servat, sed in Deum refert, cui soli honor et gloria : "Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam"[2]. — Ubi voluntas Dei et officium susceptum contrarium non postulat, fugit honores et infimum seligit locum. Id enim Christus verbo et exemplo docuit :[3] "Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat". Quando, vi muneris et officii, honores accipere debet, his non inflatur, sed eos excipit tanquam vicem Dei gerens.

(f) Imo, cum conscius sit propriæ vilitatis et peccatorum quæ commisit, *sincere cupit, quantum in ipso est, se ab aliis contemni :* talem enim exoptat se ab aliis æstimari qualem secundum veritatem novit se esse. Attamen prudentia sæpe postulat ut defectus nostros aliis non pandamus, ne forte bonam existimationem amittamus, quâ ad recte implenda officia nostra indigemus.

1085. (g) Sancti, se cum aliis conferendo, plerumque existimant se omnibus viliores ac deteriores; hoc est enim humilitatis ingenium, in nobis intueri defectus qui a nobis procedunt, et in aliis dotes quæ ex Deo sunt. Quare aliis relinquunt potiora, sibi autem viliora quærunt. — Attamen vere humilis generatim verbis seipsum non vilificat, nec de industriâ quærit ut ab aliis vilificetur; sed de se ipso tacet, amans nesciri et pro nihilo computari. Ceteroquin, ut ait *S. Thomas*[4], "in exterioribus humilitatis actibus, sicut et in actibus ceterarum virtutum, est debita moderatio adhibenda, ne possint vergere in detrimentum alterius".

1086. (C) **De humilitatis præstantiâ.** (a) Quidam ita extollunt humilitatem ut eam ceteris virtutibus anteponere videantur. Quod tamen veritati non est consentaneum. Nam sane præstantiores sunt *virtutes theologicæ*, quibus directe in Deum tendimus; præstantior est *virtus religionis*, quâ Dei excellentiam profitemur, eique debitum reddimus cultum. Communiter etiam docetur *prudentiam* esse humi-

[1] *Petr.*, V, 5-7. — [2] *Ps.* CXIII, 1.
[3] *Luc.*, XXII, 25-27; cfr. *Joan.* XIII, 15-16; *Matt.*, XXIII, 12.
[4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 161, a. 3, ad 3.

litate præstantiorem, quia magis universalis ac necessaria est. Sed ceteris virtutibus moralibus videtur excellentior. Humilitas enim subjicit hominem ordini rationis et legi divinæ quantum ad omnia, dum aliæ virtutes solum quantum ad aliquam materiam specialem [1]; qui enim humilis est, eo ipso supremum Dei dominium libenter agnoscit, eique in omnibus obedire paratus est. Præterea ad praxim virtutum theologicarum non parum prodest, quia removet superbiam quæ his virtutibus maxime nocet.

(b) Revera humilitas merito habetur ut *fundamentum* multarum virtutum, earum *mater* et *nutrix*, quatenus necessaria est ad eas adipiscendas et retinendas.

Ad rem *Augustinus* : [2] "Magnus esse vis? A minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum... Sed quia magnum fastigium est, de fundamento cogita. Quo, inquis, fundamento? Disce ab illo, quoniam mitis est et humilis corde. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium caritatis". — Qui enim humilitatem colit, inordinatum sui amorem abdicat, qui est maximum christianæ perfectionis impedimentum; facile mentem suam Deo subdit per fidem, caritatem et obedientiam; et, cum aliis inferiorem se arbitretur, dilectionem erga proximum absque difficultate colit; idem de multis aliis virtutibus dici potest.

Maxime igitur interest, assidue humilitatem colere, sive superbiam domando mediis supra expositis, n. 519, sive actus eliciendo superius descriptos, n. 1082.

2° *De mansuetudine* [3].

1087. Mansuetudo est *virtus quæ iram secundum rectam rationem moderatur.* Ex humilitate et fortitudine nascitur : cum enim præcipua iræ causa sit inordinatus amor suiipsius, ægre ferens injurias ab aliis acceptas, facile mansuetus est qui humiliter agnoscit se multis injuriis dignum propter peccata quæ commisit. Aliunde, ad compescendam iram, maxima requiritur fortitudo.

(A) Mansuetudo iram temperat duobus præsertim modis : (a) prohibet ne sine sufficiente causâ irascamur; ira siquidem ad repulsio-

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 161, a. 5. — [2] *S. August.*, Sermo 69, n. 2, P. L., XXXVIII, 441 sq. — [3] *S. François de Sales*, Introd., p. III, ch. 8-9; *Olier*, op. cit., ch. 10.

nem mali ordinatur, ideoque in tantum licita est in quantum necessaria ad aliquod malum repellendum; (b) impedit quominus ira, quando legitima est, justos limites prætergrediatur, ne, v. g., nimis cito oriatur aut longius perduret, aut excedat quoad modum.

Perfecte autem mansueti non solum iram temperant, sed ab eâ plerumque abstinent, etiam quando ceteroquin legitima est. Id sane Christus suadet, dum dicit[1]: "Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium".

De mediis iram compescendi, ideoque mansuetudinem acquirendi, jam dictum est, n. 534-537.

1088. (B) Huic virtuti affinis est *clementia*, quæ *superiores inclinat ad mitigandam pœnam noxiis debitam*, in quantum justitia patitur, ideoque ad parcendum quando oportet. Oritur ex mansuetudine et quâdam dulcedine affectûs, quâ quis abhorret omne illud quod potest alium contristare[2]; differunt tamen ab invicem, in quantum clementia est moderativa exterioris punitionis, mansuetudo autem proprie diminuit passionem iræ[3]. Clementiæ opponitur *crudelitas* et, per abusum, *nimia lenitas*.

3° *De modestiâ.*

1089. (A) **Definitio.** Modestia est *virtus inclinans hominem ad servandum decorum in exterioribus.* — Siquidem exteriores motus hominis sunt secundum rationem componendi, in quantum imperio voluntatis subduntur; pariter vestitus et ornatus corporis secundum leges honestatis ordinari debent; utrumque præstat virtus modestiæ, quam Græci εὐταξίαν et εὐσχημοσύνην vocant.

1090. (B) **Varii actus.** (a) Modestia igitur primum quidem temperat *exteriores motus corporis*, ita ut nihil *indecorum* fiat.

Pagani hâc de re multa scripserunt; inter quos *Cicero*[4]: "Status, incessus, sessio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda; ne quid effeminatum aut molle, et ne quid durum aut rusticum sit... Adhibenda est præterea *munditia* non odiosa, neque exquisita nimis,

---

[1] *Matt.*, V, 39.
[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 157, a. 2. — [3] *S. Thom.*, ibid., a. 1.
[4] *Cicero*, De officiis, I, 35-37.

tantum quæ fugiat agrestem et inhumanam negligentiam... Eadem ratio habenda est *vestitûs* in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. Cavendum est autem ne aut tarditatibus utamur in *gressu* mollioribus... aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus moventur,vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna significatio sit non adesse constantiam... In *voce* autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis ".

Sacri scriptores pariter animadvertunt ex exteriori habitu hominis ejus indolem manifestari [1] : " Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo ".

Patres vero minutim modestiæ regulas tradunt; inter quos *S. Ambrosius* [2] : " Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut levior aut jactantior aut turbidior, aut contra gravior et constantior et purior et maturior æstimatur... Est etiam *gressus* probabilis, in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen, si studium desit et affectatio, sed motus sit purus ac simplex; nihil enim fucatum placet... *Vox* ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consuerunt, sed formam quamdam et regulam ac succum virilem reservans. Hoc est enim pulchritudinem vivendi tenere : convenientia cuique sexui et personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed ut molliculum et infractum aut vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem ac rusticum. Naturam imitemur : ejus effigies formula disciplinæ, forma honestatis est ".

Unc verbo, in omnibus corporis motibus, vitandum est quidquid *affectationem* aut *rusticitatem* sapit.

1091. (b) Modestia etiam *ludos* moderatur, qui fiunt ad relaxandum animum [3]. Cum enim homo, qui diu operibus intendit, præsertim intellectualibus, defatigationem experiri soleat, quâ ineptus fit ad laborem, necesse est ut vires reparet per quietem et ludum. In hoc tamen quædam moderatio requiritur, ut omnis vitetur excessus : imprimis vitari debet quidquid turpe vel nocivum est, — postea quod est indecorum in modo; — nec in protractis ludis terendum est tempus quod in rebus necessariis impendi debet; pariter sunt ludi qui laicos, non autem sacerdotes decent. Jam-

[1] *Eccli*, XIX, 26-27.

[2] *S. Ambros.*, De officiis, l. I, c. 18-19, P. L., XVI, 44-49.

[3] *S. Fr. de Sales*, Introd., p. III, ch. 31-32.

vero virtus quæ hos excessus temperat est modestia, seu *eutrapeleia*. Contra quam peccant non solum qui excedunt, sed etiam illi qui nunquam ludere volentes, morosos ac difficiles se præbent.

1092. (c) Modestia tandem respicit *vestimenta* et *corporis ornatum*, eoque tendit ut externus apparatus congruat personæ secundum sexum, statum, locum, tempus aliasque circumstantias hujusmodi. Ita qui in dignitatibus constituuntur, aut ditiores sunt, pretiosioribus vestibus quam ceteri induuntur.

Quâ in re peccatur per *excessum*, quando ornatus est ultra cujusque conditionem, vel receptam consuetudinem; — quando nimium studium et tempus consumitur in se ornando, prout accidit non paucis mulieribus et quibusdam effeminatis juvenibus; — cum pretiosæ vestes studiose induuntur ostentationis causâ, ob inanem gloriam, ad captandos oculos et admirationem excitandam.

Vestes tamen sint mundæ, nitidæ atque, pro cujusque conditione, decenter et eleganter compositæ[1].

Quâ occasione, quæritur num mulieribus liceat se ornare ad placendum viris. — Illicitum est sane lascivo ornatu uti, qui alios ad libidinem provocet : "Et si quidem hâc intentione se ornent ut alios provocent ad concupiscentiam, moraliter peccant; si autem ex quâdam levitate, vel etiam ex quâdam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale"[2]. — Exclusâ hujusmodi intentione, uxoribus licet se ornare ut viris suis placeant, et ita conjugalem foveant amorem; idem puellis nubilibus licet, quo facilius sponsum inveniant. Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, non possunt absque peccato appetere viris placere, eorumque concupiscentiam excitare, cum hoc nihil aliud sit nisi eis præbere incentivum peccandi.

Quidam autem peccant per *defectum*, cultum corporis negligentes, ita ut aliis tædium aut scandalum præbeant; quod magis indecorum est apud eos qui, vi muneris aut officii, aliorum bonâ existimatione frui debent.

Simplicitatem igitur simul et *decorum* christiani viri et mulieres, secundum suum statum, colant, haud immemores horum Apostoli verborum[3] : "Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel veste pretiosâ; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona".

1093. Hæc pauca de virtutibus cardinalibus pro scopo nostro sufficiant. Si de relativâ earum perfectione inqui-

[1] *S. Franc. de Sales*, Introd., p. III, ch. 25.
[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 169, a. 2. — [3] *I Tim.*, II, 9.

ritur, cum *S. Thomâ*[1] respondemus : " Inter alias (i. e. morales) virtutes, *prudentia* est maxima, quia est moderatrix aliarum, et post hanc *justitia*, per quam homo bene se habet non solum in seipso, sed ad alium, et post hanc *fortitudo*, per quam homo propter bonum contemnit pericula mortis, et post hanc *temperantia*, per quam homo propter bonum contemnit maximas delectationes corporalium ". — Ceteroquin, cum hujusmodi virtutes sint inter se connexæ (n. 591) qui in unâ perfectus evadit, eo ipso in aliis proficit; et ita de virtute in virtutem facilior fit ascensio.

[1] *S. Thom.*, Quæst. disp., de Virt., q. 5, a. 3.

Appendix

DE PRÆCEPTIS DEI ET ECCLESIÆ.

1094. Doctrinam moralem de virtutibus theologicis et moralibus exponendo, eo ipso *Decalogi præcepta* cum eisdem connexa, necnon præcipuas *leges ecclesiasticas* declaravimus : hæc enim non possunt ab invicem sejungi. Cùm vero, teste *S. Augustino*, Decalogus summa sit et epitome omnium legum [1], homini imprimis christiano servandarum ut ad finem ultimum congruenter tendat ac feliciter accedat, non parvi refert Decalogi præcepta meditari ac distincte intelligere, ut luculenter frequenti prædicatione fidelibus proponantur, et juxta ea conscientiæ componantur, judicentur et reformentur. Cui muneri ut sint quam maxime pares parochi et ceteri sacerdotes, etsi de virtutibus fuse tractamus in toto decursu Synopsis moralis, juvat exhibere compendiosam expositionem singulorum præceptorum.

Art. I. Decalogi brevis expositio.

Præceptum primum.

"*Non habebis Deos alienos coràm me*" [2].

1095. Hoc præceptum, omnium primum et maximum non ordine tantùm, sed ratione, dignitate et præstantiâ, duplici constat parte, ut cetera præcepta, *affirmativâ* scilicet et *negativâ :* quas successive tangemus.

---

[1] *Quæst. in Heptateuchum*, q. 140, *P. L.*, XXXIV, 644. — Hìc agitur de Decalogo, qualis a Christo completus et perfectus est. Per quatuor priora sæcula, Patres vix de Decalogo sermonem habent. Sed S. Augustinus, christianum spiritum in interpretationem Decalogi infundens, eum exhibet ut summam legis christianæ; nam "decem præcepta (pendent) ex duobus illis, dilectione scilicet Dei et proximi, in quibus tota Lex pendet et prophetæ". Interpretatio autem quam breviter contrahimus, cooperante E. M. QUÉVASTRE, ea est quam *Catechismus C. Tridentini* fusius e Traditione christianâ digessit. — Originem et indolem Decalogi in *Tr. de Legibus*, n. 235-245, jam descripsimus. Cfr. MANGENOT, *Dict. de Théol.*, t. IV, 171-176. — [2] *Exod.*, XX, 3.

1° Ut *affirmativum*, **jubet** actus fidei, spei et caritatis elicere quibus Deum colimus ut fidelem cujus oraculis jure ac merito assentiamur, ut omnipotentem et clementem in quo spes omnes nostras collocemus, ut bonitate et perfectione plenum et diffluentem quem toto corde amplectamur. Contra quod præceptum peccant qui in hæresim labuntur, qui somniis, auguriis ceterisque vanissimis rebus fidem habent qui de suâ salute spem abjiciunt, divitiis ac corporis valetudine et viribus nituntur, qui de Deo odium ac tædium concipiunt, etc.

1096. 2° Alterâ autem præcepti parte, quæ est *negativa*, **prohibetur** idololatria seu falsorum numinum cultus.

(**a**) *Non prohibetur* vero sanctorum angelorum ac beatarum animarum veneratio et invocatio, nec etiam sacrarum reliquiarum cultus. Sanctos enim honoramus ut domesticos, amicos et ministros Dei : quam agendi rationem commendant multiplex ratio theologica, apostolica et ecclesiastica consuetudo, ipsorum sanctorum beneficia et patrocinium, multa et magna miracula [1].

(b) Nec etiam prohibetur ars fingendi aut sculpendi, nisi lædatur Dei majestas. Quod duplici ratione accidere posset : alterâ, si idola et imagines tanquàm Deus colerentur, aut crederetur inesse aliquam in his divinitatem vel virtutem, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; alterâ, si quis conaretur divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit.

(c) Unde licitum est imaginibus repræsentare SS. Trinitatis personas, imprimis ad modum apparitionum quæ in Sacris Litteris referuntur; licitum est effingere vel pingere imagines Angelorum, Sanctorum, B. V. Mariæ, et ipsius Christi. Hujusmodi enim repræsentationes nos docent Dei attributa et beneficia, Sanctorum virtutes et intercessionem, et consequenter nos excitant ad cultum, invocationem et imitationem. Ceterum parochi curent abusus et superstitiones quæ in imaginum usu irrepere possint, juxta Tridentinum decretum compescere.

Quæ quidem omnia supra exposuimus, nempe : (**A**) quoad virtutes : (**a**) *Necessitatem* fidei ad salutem, n. 628-630; veritates necessitate medii explicite credendas, n. 631-637; veritates de necessitate

[1] De quibus cfr. S. Ambrosius, *Epist. XXII*, *P. L.*, XVI, 1019 sq.; S. Augustinus, *De Civ. Dei*, XXII, 8, *P. L.*, XLI, 760; *Conf.* IX 7, *P. L.*, XXXII, 770.

præcepti, n. 639-647; necnon obligationem externe fidem profitendi, n. 648-654; — *peccata contra fidem*, nempe *hæresim* et *dubium* in fide, 656-662; *apostasiam* et sectis massonicis adhæsionem, 663-666; *infidelitatem*, 667-668; et præcipuas *causas* quæ fidei amissionem inducunt, 669-688; nec prætermisimus *media* quibus in fide proficere valemus, 689-694.

(b) *Naturam et dotes* **spei**, 696-713; ejus *necessitatem*, 714-718; *peccata* contra spem, nempe *desperationem* et *præsumptionem*, 720-725; pauca addentes de *mediis* in spe proficiendi, 726-729.

(c) *Naturam* **caritatis erga Deum**, 745-748; *necessitatem* diligendi Deum super omnia, 749-754; *peccata* contra hanc virtutem, præsertim *odium Dei*, 755-757; *media* in amore Dei proficiendi, 758-763.

(d) *Præceptum* **caritatis erga proximum**, 769-779; quatenus importat *dilectionem inimicorum*, 780-789; *eleemosynam* pauperibus erogandam, 790-795; *correptionem fraternam*, 796-804, necnon *ordinem* in caritate servandum, 805-816; opera caritatis *socialia* hodie tam necessaria, 817-835; *peccata* fraternæ caritati opposita, videlicet *discordiam* et *contentionem*, 836-839; *scandalum*, 840-850.

(e) *Necessitatem* **virtutis religionis**, præsertim vero *adorationis* et *orationis*, 855-873, necnon *devotionis*, 886-893. — De *cultu B. Mariæ* et *sanctorum*, de sacris imaginibus et reliquiis alibi scripsimus, *De Verbo Incarnato*, circa finem.

(B) Quoad **vitia** : (a) *idololatriam*, 895-896; (b) *vanas observantias*, variasque superstitiones, in quibus diabolus intercedit, 899-905; (c) *tentationem Dei*, quâ insolitus effectus a Deo sine causâ exspectatur, 925-928; (d) *sacrilegium* et *simoniam*, seu indignam tractationem rei aut personæ Deo sacræ, 929-942.

Secundum præceptum.

" *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* " [1].

1097. Quanquam primo divinæ legis præcepto, hoc quod secundo loco sequitur, necessario continetur, Deus tamen pro rei magnitudine, hanc de suo ipsius divino et sanctitatis plenissimo nomine honorando, legem separatim ferre voluit.

1° Ut *affirmativum*, **jubet** secundum præceptum nomen Dei honorare, ac per illud sancte jurare.

Honorare vero jubemur non ipsum nomen litteraliter sumptum, juxta inanem nonnullorum Judæorum superstitionem, sed omnipotentem ac sempiternam majestatem unius et trini numinis quam Dei nomen significat.

Dei nomen, sic intellectum, honoratur : (a) *confessione* quâ Deum et ejus Christum Dominum nostrum esse et

[1] *Exod.*, XX, 7.

salutis nostræ auctorem agnoscimus; (b) *meditatione* verbi Dei quo voluntas ejus enuntiatur; (c) *laude* quâ, David et Job exemplum secuti, magnifica Dei attributa et opera celebramus, ac de omnibus rebus tùm prosperis, tùm adversis Ei singulares gratias agimus; (d) *oratione* quâ ejus opem fidenter imploramus; (e) *voto* quo irrevocabiliter quædam opera ad Dei cultum referimus; (f) Dei nomen honore prosequimur, cùm *fidei faciendæ causâ testamur Deum*, quâcumque id verborum formâ et conceptione fiat; nàm et, *Testis est mihi Deus*, et, *Per Deum*, idem sunt. Jurare etiam possumus *per res creatas*, ut, per sacra Dei Evangelia, per Crucem, per Sanctorum reliquias, et cetera id genus, quatenus divinæ majestatis splendor illis in rebus elucescit.

Duo autem sunt jurandi genera : unum assertorium cùm aliquid de re præsenti aut præteritâ religiose affirmamus, ut Apostolus in epistolâ ad Galatas [1]; alterum promissorium, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus spectans, cùm aliquid ita fore pro certo pollicemur et confirmamus, cujusmodi est illud Davidis ad Bersabeam directum [2].

Ad legitimum autem juramentum tria requiruntur : (a) *veritas*, quatenus quod asseritur et ipsum verum sit, et, qui jurat, id ita esse arbitretur, aut quatenus qui aliquid pollicetur, ita animatus sit ut, cùm tempus advenerit, id re ipsâ præstet; (b) *judicium*, quo jusjurandum non temere et inconsiderate, sed consulto et cogitato adhibeatur : unde constitutum est ne a pueris ante XIV annum jusjurandum exigatur [3]; (c) *justitia*, quæ maxime in promissis requiritur; quare si quis injustum aliquid et inhonestum promittit, et jurando peccat, et promissis faciendis scelus scelere cumulat, ut fecerunt Herodes [4] et Judæi qui sceleste spoponderunt nihil gustare, donec Paulum occidissent [5].

Sub his conditionibus jurare plane licet, ut constat auctoritate Scripturæ [6] et ratione multiplici [7].

---

[1] *Gal.*, I, 20. — [2] *III Reg.*, I, 29. — [3] *Grat. decr.*, p. II, C. 22, q. 5, c. 16.
[4] *Marc.*, VI, 23. — [5] *Act.*, XXIII, 12.
[6] *Psalm.*, XVIII, 8 ; *Deuter.*, VI, 10, 13 ; *Psalm.*, LXII, 12 ; *Apoc.*, X, 3.
[7] Cf. *Catech. rom.*, hìc, 7.

2° Ut *negativum*, secundum præceptum **vetat** : (a) jurare sine consilio, sine veritate, sine justitiâ, vel cum aliquo contemptu, ut si quis juret se non obtemperaturum evangelicis consiliis, aut per falsos deos juret; (b) verbum Dei injuriâ afficere, vel Sacram Scripturam a rectâ et germanâ ejus sententiâ ad impiorum dogmata et hæreses flectendo, vel ad scurrilia et fabulosa torquendo; (c) blasphemare quod est longe magis detestabile scelus.

Da quo egimus in **Tr. de Virtute Religionis**, exponendo videlicet : (a) quomodo *prohibeantur : blasphemia*, n. 919-924; *vana assumptio* nominis Dei, 961-963; *juramentum temerarium* et legitimi *juramenti violatio*, 947-957; necnon *voti violatio*, 984-989; — (b) quomodo *præcipiatur reverentia nominis Dei*, quæ exhibetur frequenti invocatione et laude, n. 963, — juramenti religiosâ observatione, 947-952, — et voti fideli impletione, 979-989.

Tertium præceptum.

" *Memento ut diem sabbati sanctifices* " [1]

1098. Hoc legis præcepto *externus cultus* et *socialis* præscribitur, qui est veluti quidam prioris præcepti fructus. Quod officium religionis olim sabbato adscribebatur positivâ tamen ordinatione; unde sabbati cultus, in signum creationis et liberationis a servitude Ægyptiacâ institutus, in Dominicum diem potuit transferri ob resurrectionis Christi memoriam et effusionis Spiritûs Sancti.

Etsi autem hoc præceptum differat a reliquis in eo quod ratione temporis, ritûs et cæremoniarum sit positivum, cum illis tamen convenit quia aliquid habet quod jure naturali præscribitur. Deo enim cultum ac religionem reddere naturæ inclinatio est et lex : unde apud omnes nationes statas quasdam ferias easque publicas fuisse cernimus, quæ sacris rebus ac divinis obeundis erant consecratæ.

1° Præcepto autem tertio **jubemur** sacrosanctæ Missæ sacrificio interesse; sed insuper commendantur sacramentorum frequentia, imprimis confessio peccatorum et communio, verbi Dei auditio, oratio et laudes divinæ, opera misericordiæ.

2° **Prohibentur** opera quæ a cultu divino impediunt, omne scilicet servilis operis genus, ac præterea et præcipue

[1] *Exod.*, XX, 8.

peccatum; minime verò ea quæ ad ipsum cultum spectant, ut altare instruere, templa ornare, vel alias necessaria sunt.

De quibus actum est n. 1006-1047.

Quartum præceptum.

" *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram...* " [1].

1099. 1° Hoc præceptum cum tribus primis congruit : si enim parentes, quos secundum Deum diligere debemus, non veneramur et colimus, cùm nobis in conspectu fere semper sint : Deo, summo parenti et optimo, qui nullum sub aspectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuemus [2]?

(A) Præter eos autem qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis nomine, vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris et officii. Ita honorandi sunt : (a) *Ecclesiæ prælati* et *sacerdotes* qui nos in Christo Jesu per Evangelium genuerunt[3], et quasi filiolos iterum parturiunt donec formetur Christus in nobis[4]; (b) *magistratus* qui rem publicam gubernant; (c) *tutores* et *magistri*, quorum procurationi, fidei, probitati sapientiæque commendamur; (d) *senes* etiam et ætate confecti.

(B) Sed præsertim a nobis colendi sunt *pater* et *mater*, qui sunt immortalis Dei quasi quædam simulacra, a quibus vita nobis data est, quibus Deus usus est uti nobis animum immortalem impertiret, a quibus ad sacramenta deducti, ad religionem, ad humanum cultum civilemque instituti, ad morum integritatem et sanctitatem eruditi sumus.

2° *Genitorum honor* importat : (a) *amorem*, cùm erga nos sint ita affecti, nullum ut laborem, nullam contentionem, nulla pericula nostrâ causâ refugiant; (b) *orationem*, ut ipsi Deo ac sanctis commendatissimi sint; (c) *obedientiam*, quâ nostram agendi rationem ad eorum arbitrium voluntatemque conformemus; (d) *imitationem*, cùm iis plurimum tribuere videmur, quorum esse volumus quàm simillimi; (e) *auxilium* quoad corporis et animæ necessaria, præsertim

[1] *Exod.*, XX, 12. — [2] *I Joan.*, IV, 20.
[3] *I Cor.*, IV, 14. — [4] *Galat.*, IV, 19.

in ægritudine, dando operam ne quid prætermittant quod vel ad peccatorum confessionem attinet vel ad reliqua sacramenta; (f) *funeris et exsequiarum curam*, et etiam *suffragia* ad requiem animæ maturandam.

Ad quem modum Episcopi et Pastores honorandi sunt, succurrendi et audiendi; Principes observandi et orationibus juvandi. Item de aliis, qui jure ac merito appellantur patres, ut magistratus et senes : digni enim sunt qui ex charitate, ex obedientiâ, ex ope nostra cultum et emolumentum percipiant.

3° *Parentum etiam propria officia* sunt atque munera : (a) ut sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant; (b) ut æquitatem, continentiam, modestiam, religionem exemplis suis inculcent. (c) Tria insuper præsertim declinent : 1) ne quid acerbius in liberos aut loquantur aut statuant ut non pusillo animo fiant [1]; 2) ne per indulgentiam dissolutam filios depravent; 3) ne in filiorum educatione ac doctrinâ præpostera consilia ineant, in hac unâ cogitatione curâque versantes, ut lautum et amplum patrimonium relinquant, nihil de æternâ salute solliciti.

De quibus dictum est in *Tr. de Variis Statuum Obligationibus*, n. 969-1002 (30-63).

Quintum præceptum.

" Non occides " [2].

1100. 1° **Non prohibetur :** (a) occidere animalia, " quia nullâ nobis ratione sociantur " [3], et illis vesci a Deo hominibus est concessum; (b) pœnam capitalem facinorosis scelestisque infligere, quâ tuta sit hominum vita; (c) vitam hostibus adimere, solo publicæ utilitatis studio; (d) salutis suæ defendendæ causâ alterum interimere; (e) neque hujus præcepti reus est qui fortuito hominem occidit, in quo tamen duabus de causis peccari potest : 1) si quis in re injustâ occupatus, hominem occiderit; 2) si non omnibus circumspectis, negligenter et incaute aliquem occiderit.

2° **Quod vetitum est.** (a) Reliquæ autem cædes prohibentur, quæcumque sit differentia sive occidentis, sive occisi, sive occisionis. Omnes scilicet, etiam divites, etiam poten-

[1] *Coloss.*, III, 21. — [2] *Exod.*, XX, 13.
[3] S. Augustinus, *De civit. Dei*, I, 20, *P. L.*, XLI, 35.

tes, etiam parentes, a nece abstinere debent; omnes, humilis etiam et abjectæ conditionis, legis hujus vi defenduntur, neque seipsum interficere cuipiam fas est; omnis etiam modus cædis faciendæ interdicitur, physica scilicet perpetratio et moralis cooperatio. (b) Prohibetur etiam iræ sine justâ causâ indulgere, quâ cædi potest parari via.

3° **Jubemur** autem pacem et caritatem cum omnibus, etiam inimicis et molestias ingerentibus, habere[1]; et consequenter colere patientiam[2], beneficentiam, mansuetudinem, injuriarum condonationem.

4° Immò, ad perfectam præcepti observationem a Domino consilium accipimus non resistendi malo, dexteram maxillam percutienti præbendi et alteram, ambienti tunicam et pallium dimittendi [3].

De quibus disserimus in **Tr. de Justitiâ,** nempe : de *suicidio* et sui *mutilatione*, n. 289-308; de occisione innocentis, malefactorum et injusti aggressoris, 311-333; de duello, 334-344; de bello, 345-363.

Sextum præceptum.

"*Non mœchaberis*" [4].

1101. 1° Quad partem *negativam*, hoc præcepto **prohibentur** : (a) *adulterium* quod, præter turpitudinem quæ ei cum aliis intemperantiæ generibus communis est, injustitiæ quoque peccatum non solùm in proximum, sed etiam in civilem societatem adjunctum habet; (b) *omne impuritatis et impudicitiæ genus*, immo omnis intima animi libido quatenus ad adulterium disponunt et ordinem generationis divinitùs institutum perturbant.

2° Quoad partem *affirmativam*, **præcipitur** unicuique castitas pro suo statu servanda : ad quod procurandum maximo adjutorio erunt : (a) *consideratio* turpitudinis peccatis carnalibus inhærentis, et injustitiæ quâ cumulatur adulterium, infamiæ simul et multiplicis perniciei quæ hujusmodi peccata sequuntur; (b) *vitatio* otii, crapulæ, oculorum immodesti adspectûs, elegantioris ornatûs, sermonis lascivi et librorum obscænorum. (c) Adhibeantur autem, ad libi-

[1] *Matt.*, V, 23. — [2] *I. Cor.*, XIII, 4.
[3] *Matth.*, V, 39. — [4] *Exod.*, XX, 14.

dinis vim opprimendam, confessio, et communio, assiduæ preces cum eleemosynis atque jejunio conjunctæ, vigiliæ, piæ peregrinationes aliæque id genus afflictationes.

De quibus egimus in *Tr. de Castitate* et in *Supplem. ad Tr. de Matrimonio.*

Septimum præceptum.

"*Non furtum facies*" [1].

1102. 1° Hoc præcepto **prohibetur** quævis ablatio seu possessio rei alienæ, quæ in sensu lato dicitur *furtum.* Distinguitur autem, si pressiùs loquimur, *furtum* quo privatum quid privato adimitur; *peculatus* quo quid publico surripitur; *plagiatum*, quo homo liber in servitutem abducitur; *sacrilegium*, quo sacra res eripitur.

(**A**) Quam gravia sint hæc peccata, apparet : (**a**) ex eorum naturâ, quâ justitiæ et interdum religioni contrariantur et eorum sequelis quæ sunt odia, inimicitiæ, innocentium hominum damnationes.

(**B**) *Furti* rei sunt : (**a**) qui res alienas occupant; (**b**) qui fraudes adhibent in mercis qualitate, in pondere et mensurâ; (**c**) qui debitam operam non præstant aut dominorum opes diripiunt; (**d**) qui fallaci mendicitate pecuniam extorquent; (**e**) qui susceptum munus non adimplent; (**f**) nec vero ab eâdem culpâ sunt alieni filiifamilias et uxores, qui pecunias a patribus et viris surripiunt. Quæ omnes injustitiæ occulte et *furtim* committuntur : unde vocantur in strictiore sensu furta.

(**C**) *Rapinæ* autem, quæ est rei alienæ ablatio aperte et aliquando vi et violentiâ commissa, rei sunt : (**a**) qui mercedem operariis non solvunt; (**b**) qui usuram exercent; (**c**) qui venalia habent judicia; (**d**) qui, sumpto temporis spatio ad solvendum, suâ vel alienâ fide merces emunt neque fidem liberant; (**e**) qui sibi debita acerbius exigunt; (**f**) qui frumenta necessitatis tempore comprimunt.

(**D**) Ad restitutionem obligantur non solum qui furtum fecerunt, sed et omnes furto cooperantes, ut mandantes, suasores, consentientes, participantes rei ablatæ, non prohi-

[1] *Exod.*, XX, 15.

bentes, non detegentes, receptores. Neque excusant statûs conservandi et vitæ commoditatem habendi cura, abundantia eorum a quibus res aufertur, consuetudo furandi vel occasio, vindictam sumendi libido, debita solvendi necessitas.

2° *Abundantius* septimum præceptum servant qui varia opera misericordiæ exercent, labori indulgent, frugalitatem et parcimoniam colunt, ut aliis benefaciant.

De quo agimus in *Tr. de Justitiâ*, 431-610, 613-938.

Octavum præceptum.

"*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*" [1].

1103. 1° **Prohibentur** : (a) *falsum testimonium* erga quemcumque hominem, etiam ad favendum, non solùm in judicio, sed etiam extra judicium; (b) *detractio* per calumniam et obtrectationem; (c) *discordiarum excitatio;* (d) *adulatio;* (e) *mendacium;* (f) *simulatio;* (g) *contumelia;* (h) *judicium temerarium.*

2° **Jubetur** autem : (a) *judicibus* juste et ex legibus forensia judicia exercere; (b) *reis et sontibus* verum confiteri cùm legitime interrogantur; (c) *testibus* verum et certum testimonium afferre quando ad normam juris interrogantur a judice; (d) *advocatis* justas causas juste defendere ac mercedem suam operæ suæ jure et æquo metiri; (e) *accusatoribus et petitoribus* veritatem ac justitiam erga omnes, etiam adversarios, exacte servare.

De quibus actum est in Tr. de Justitiâ : (a) de *judicio temerario*, n. 365-373; (b) de *detractione*, seu diffamatione, per maledicentiam et calumniam, 374-395; (c) de *contumeliâ*, seu honoris læsione, 397-400; (d) de *falso testimonio* et *mendacio*, 401-417; et in Tr. de Variis Statuum obligationibus, ubi de officiis judicum, reorum, testium, advocatorum, etc., n. 992-1020.

Nonum et decimum præceptum.

"*Non concupisces domum proximi tui : nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt*" [2].

1104. His præceptis monemur legem Dei ejusmodi esse, quæ non externis solum actibus, sed etiam intimo animi sensu servanda sit.

[1] *Exod.*, XX, 16. — [2] *Exod.*, XX, 17.

1° Hìc **prohibetur** : non ipsa concupiscendi vis, quâ tùm ad bonum, tùm ad malum uti licet, sed ea tantum concupiscendi libido, quam carnis concupiscentiam vocat Apostolus [1]. Hæc autem cupiditas damnata est, vel quia malum appetit, veluti adulteria, vel quia quæ appetuntur, aliena sunt, ut domus, ager, uxor, bos, asinus, et alia multa, quæ eo ipso quòd aliena sint, ea concupiscere vetat divina lex.

Præ ceteris autem hoc cupiditatis vitio laborant : (a) qui lusionibus non honestis delectantur, aut qui ludis immoderate abutuntur; (b) mercatores qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt, atque id ægre ferunt, ut alii præter ipsos vendant aut emant, quo carius vendere aut vilius emere ipsi possint; (c) qui alios egere cupiunt ut aut vendendo aut emendo ipsi lucrentur; (d) medici qui morbos desiderant; (e) jure consulti, qui causarum litiumque vim copiamque concupiscunt, etc.

2° **Pars affirmativa** præcepti, imprimis decimi, in eo consistit ut si divitiæ affluant, cor non apponamus, easque pietatis et divinarum rerum studio abjicere parati simus, et in sublevandas pauperum miserias libenter pecuniam erogemus; si desint facultates, egestatem æquo et hilari animo feramus. Hâc item lege præcipitur, ut ardenti studio summâque cupiditate optemus id potissimum effici non quod nos concupiscimus, sed quod Deus vult, quemadmodum *Domini oratione* exponitur.

De peccatis *internis* et *desideriis* egimus supra, n. 499-506.

Hæc sunt, summatim exposita, Dei sancta præcepta quorum locupletiorem explicationem invenire est tùm in decursu Synopsis nostræ moralis, tùm in lectione ac meditatione tertiæ partis Catechismi romani. Insuper Catechismus romanus nos docet tùm modum doctrinam parænetice et aperte proponendi, tùm considerationes quibus moveantur animi ad servandam legem Dei sive in genere sive in singulis præceptis perspectam.

Art. II. De Præceptis Ecclesiæ.

1105. Ecclesiæ auctoritatem competere condendi leges, in conscientiâ obligantes, jam probavimus in *Tr. de Ecclesiâ*, n. 843. Revera multas leges promulgavit, de quibus supe-

[1] *Galat.*, V, 16, 24.

rius dictum est, n. 257-331. Sed inter multiplices hujusmodi leges, quædam sunt quæ per *antonomasiam* dicuntur *Ecclesiæ præcepta*, quia sunt majoris momenti et omnes fideles attingunt : *quinque*, *sex* aut *septem* numerantur secundum diversa tempora et varias Ecclesiæ provincias.

Horum præceptorum *collectio* sub communi nomine non videtur antiqua : non enim invenitur apud *Catechismum C. Tridentini*, an. 1566 editum; sed *Petrus Binsfeld* (Enchiridion theol. pastoralis, 1591) jam *quinque* Ecclesiæ præcepta recensebat; *Bellarminus*, in suo Catechismo, 1598, sex enuntiabat; et *P. Fagundez* († 1645) edebat integrum tractatum in quinque Ecclesiæ præcepta[1].

Quinque olim numerabantur his versiculis contenta :

"Festa colas, præsens sacro; jejunia serves;
Annua sit confessio; sit communio Paschæ."

Primum igitur præceptum est *sanctificatio festorum* quæ Ecclesia instituit, juxta superius dicta, n. 1010. — *Secundum* præcipit *missæ auditionem* diebus dominicis et festis, supra, n. 1020-1037. — *Tertium* complectitur *jejunium* et *abstinentiam* a carnibus : quæ duo præcepta olim *unum* efformabant, sed communiter hodie distinguuntur, cum sæpe, juxta hodiernam disciplinam, abstinentia sine jejunio injungatur. — Duo posteriora, *annua confessio* et *paschalis communio*, declarata invenies in *Tr. de Pœnitentiâ* et *de Eucharistiâ*. — In quibusdam vero regionibus, *septimum* additur præceptum de *subsidio* conferendo pro *sustentatione pastorum*.

De tribus ergo manet dicendum : 1° de *jejunio;* 2° de *abstinentiâ* a carnibus; 3° de *sustentatione pastorum*.

§ I. De jejunio ecclesiastico[2].

1106. Jejunium triplex est : (a) *naturale*, quod consistit in *omnimodâ* abstinentiâ a cibo et potu : tale est jejunium *eucharisticum*, quod requiritur a mediâ nocte præcedente communionem; (b) *ecclesiasticum*, quod consistit in absti-

[1] *A. Villien*, Histoire des Command. de l'Eglise, in *Revue du Cl. français*, t. XLI (1905), p. 562.

[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 147; *Billuart*, de Jejunio; *S. Alphonsus*, l. III, n. 1005 sq.; *Ball. P.*, n. 1103-1153; *Marc*, n. 1218-1243; *Lehmk.*, n. 1210-1222; *Noldin*, n. 662-680.

nentiâ a cibo, *non totali*, sed secundum limites ab Ecclesiâ præfinitos; (c) *morale*, quod est moderatio in cibo potuque sumendo, et, per extensionem, in aliis delectationibus sive animi sive corporis.

Hic agitur de jejunio *ecclesiastico;* exponemus : 1° ejus *originem* et *utilitatem;* 2° *modum* servandi legem jejunii; 3° causas quæ ab eâ excusant.

I. De origine et utilitate legis jejunii.

1107. 1° **Historica evolutio legis jejunii.**[1] (A) Sub *antiquâ* lege, jejunium multoties *commendatur*, et quandoque etiam *præcipitur.*

(a) Ita exhibetur ut majorem vim orationi conferens : "Bona est oratio *cum jejunio*"[2]; hinc jejunavit David ut a Domino salutem pueri sui consequeretur[3]; laudatur Judith eo quod jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata et neomenias et festa domûs Israel[4]; Esther ad Dominum confugit in oratione et jejunio[5]; Judas Machabæus, cum sociis, ad pugnam se præparat oratione et jejunio[6]. — Jejunium insuper prædicatur ut medium agendi pœnitentiam et misericordiam a Deo consequendi : "Convertimini ad me in toto corde vestro, in *jejunio* et in fletu"[7]; itaque Ninivitæ suam conversionem et salutem oratione, planctu et *jejunio* consecuti sunt[8].

(b) Præterea Judæis præceptum fuerat jejunare decimâ die mensis septimi[9]; et tempore captivitatis instituta fuerant jejunia quarti, quinti et decimi mensis[10]. — Pharisæi frequentius jejunabant[11]. — Deus autem externo jejunio non placabatur, nisi veram pœnitentiam, justitiam et caritatem simul colerent[12].

1108. (B) Sub *novâ* lege (a) Christus proprio exemplo jejunium commendavit, jejunando quadraginta diebus et noctibus antequam evangelium prædicaret[13]. Discipulis suis non imposuit legem jejunii, sed simul annuntiavit eos postea jejunio vacaturos[14]; iis autem qui jejunant præcipit ut hypocrisim et ostentationem vitent, ne videantur hominibus jejunantes, sed Patri qui videt in abscondito[15]. — Nul-

[1] Brevem, quam delineamus, historiam fuse et erudite tradit *Thomassin*, Traité des Jeûnes de l'Eglise, Paris, 1680.

[2] *Tob.*, XII, 8. — [3] *II Reg.*, XII, 16. — [4] *Judith*, VIII, 6.

[5] *Esth.*, XIV, 2. — [6] *II Machab.*, XIII, 12. — Cfr. *I Esdr.*, VIII, 23.

[7] *Joel*, II, 12. — [8] *Jon.*, III, 5. 10. — [9] *Exod.*, XVI, 29.

[10] *Zachar.*, VIII. 19. — [11] *Luc*, XVIII, 12. — [12] *Isa.*, LVIII, 3-7.

[13] *Matt.*, IV, 2. — [14] *Matt.*, IX, 14-15. — [15] *Matt.*, VI, 16-18.

libi tamen legitur Christum ipsum aliquot jejunia statuisse.

(b) Apostoli et primi discipuli aliquando jejunâsse perhibentur, præsertim quando agebatur de electione et consecratione ministrorum Dei[1]. Paulus narrat se aliosque Christi ministros sæpe jejunare[2]. Nec tamen in sacris scripturis legitur eos legem jejunii statuisse; sed nonnulli Patres dicunt jejunium *quadragesimale* in Ecclesiâ servari secundum traditionem Apostolorum; nihilominus fatetur *Augustinus* a Christo et Apostolis non fuisse definitum quibus diebus jejunare oporteat[3].

1109. (c) Quidquid est, in Ecclesiâ cito mos invaluit jejunandi tempore quadragesimæ, ad Christum imitandum, et pœnitentiam agendam ante paschalem communionem. Ita *S. Hieronymus* ad Marcellam scribebat :[4] "Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto nobis orbe congruo, jejunamus; illi (Montanistæ) tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores." — Revera, quarto jam sæculo, in utrâque Ecclesiâ servabatur quadragesimale jejunium, cum hoc tamen discrimine quod in Ecclesiâ *orientali* jejunium septem hebdomadibus perdurabat, quia quolibet sabbato et die dominico interrumpebatur, dum in Ecclesiâ *occidentali* sex tantum hebdomadibus durabat, quia solum die dominico interrumpebatur[5]. — Huic jejunio pauci dies additi sunt a privatis, devotionis causâ, dies videlicet hebdomadarum sexagesimæ et quinquagesimæ; et, a sæculo IX, inducta est consuetudo obligatoria jejunandi quatuor diebus quadragesimam præcedentibus, ut ita, deductis dominicis, compleretur quadraginta dierum jejunium[6]. — Hic vero non stetit fidelium devotio : quidam jejunare cœperunt, extra Quadragesimam, duobus aut tribus per hebdomadem diebus : quod tamen lege præceptum non fuit. Sed paulatim mos invaluit, circa sæc. V, *quatuor anni temporibus*, paucis diebus jejunandi, ad imitandam Judæorum praxim, totumque annum Deo dedicandum; postea ordinationes presbyterorum et diaconorum nonnisi his diebus celebrari potuerunt[7]. — Postea, sæc. VI, in quibusdam ecclesiis institutum est jejunium trium dierum quâlibet *Adventûs* hebdomade[8]. Eodem fere tempore, jejunare statutum est *triduo Rogationum*, primum quidem in Ecclesiis particularibus, mox in universâ Ecclesiâ. — Tandem, a sæc. VI, mos etiam incœpit jejunandi in vigiliis præcipuorum festorum, v. g. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Assumptionis, festorum Apostolorum.[9]

---

[1] *Act.*, XIII, 2-3; XIV, 22. — [2] *II Cor.*, VI, 5; XI, 27.
[3] *S. August.*, Epist. 36, c. 14, P. L., XXXIII, 151.
[4] *S. Hieronym.*, Epist. 41, P. L., XXII, 475.
[5] Auctoritates vide ap. *Thomassin*, op. cit., I, ch. 7, p. 33-44.
[6] *Thomassin*, op. cit., II, ch. 1, p. 224 sq. — [7] *Thomassin*, op. cit., I, ch. 21. — [8] *Thomassin*, I, ch. 23. — [9] *Thomassin*, II, ch. 14.

1110. (d) *Modus* autem jejunandi valde strictior erat primævis temporibus quam nostris : unica videlicet sumebatur refectio in Ecclesiâ *latinâ*, post vesperas, id est circa finem diei; in Ecclesiâ *græcâ* pluries refectio sumebatur, sed valde modica [1]. Quibus temporibus, fideles abstinebant non solum a cibo, sed etiam a vino et nonnisi paululum aquæ, ad sitim extinguendam, certis horis sumebant [2]. — Sed sensim et sine sensu, a sæculo X, mos invaluit refectionem sumendi horâ nonâ (id est tertiâ post meridiem), et, paulo post, horâ meridianâ [3]. Sæculo XIII, unica tantum comestio permittebatur, teste S. Thomâ [4]. Sed paulo post usus invaluit, a monachis mutuatus, parvam collationem sumendi horâ serotinâ [5]. — Tandem, sæc. XIX, consuetudo incœpit mane sumendi parvam quantitatem cafei cum frustulo panis.

Ex quo patet legem jejunii esse *ecclesiasticam, consuetudine* introductam, et variorum locorum consuetudine intelligendam et applicandam.

1111. 2° **Jejunii utilitas.** Ecclesia, in Præfatione quadragesimali, ita spiritualem jejunii utilitatem describit : " Deus, qui corporali jejunio *vitia* comprimis, mentem *elevas*, *virtutem* largiris et *præmia*." — Revera jejunium moderate et sapienter adhibitum : (a) *vitia comprimit*, quatenus concupiscentiam carnis moderatur : experientiâ enim compertum est non solum lautis prandiis, sed quolibet excessu in cibo potuque non parum exardescere concupiscentiam, abstinentiâ vero frigescere luxuriam. Jamvero homines proni sunt, ob delectationem cibo adnexam, ad aliquot excessibus indulgendum, dum jejunio certis temporibus statuto, moderationem discunt, et excessus, si qui commissi sunt, reparant.

(b) *Mentem elevat;* sicut enim homo, cibum immoderate sumendo, fit animalis, ad intellectuales operationes ineptus, et ad terrena pronus; ita, ex adverso, qui statis temporibus moderate se privat cibo potuque, fit spiritualis, de rebus spiritualibus frequentius cogitat, et ad cœlestia facilius tendit.

(c) *Virtutem* largitur, imprimis *sobrietatem* et temperantiam : qui enim aliquando a licitis abstinet, eo ipso facilius intemperantiam moderatur; necnon *pœnitentiam*, quia jejunium, ex dictis supra, ad veram cordis emendationem con-

[1] *Thomassin*, op. cit., II, ch. 9. — [2] *Thomassin*, II, ch. 7.
[3] *Thomassin*, II, ch. 12. — [4] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 147, a. 6.
[5] *Thomassin*, II, ch. 11.

fert : cum enim ad peccandum alliciamur delectationis prosecutione, a peccato avertimur per mortificationem.

(d) *Præmia* largitur, videlicet æternam gloriæ coronam : qui enim, propter Deum, a multis se abstinet, centuplum accipiet in alterâ vitâ. Quare Apostolus aiebat[1] : "Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam."

II. De modo jejunandi.

1112. 1° **Legis extensio.** Lex jejunii ecclesiastici *obligat omnes baptizatos rationis compotes*, ab expleto vigesimo primo ætatis anno ad inceptum sexagesimum (*Codex*, c. 1254). — Hanc obligationem esse gravem, constat ex damnatione hujus propositionis 23 ab *Alexandro VII*, 24 sept. 1665 : "Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto"[2].

Dies autem quibus, ex jure communi, *præscribitur* jejunium, sunt : (a) tempus *quadragesimale*, a die cinerum[3] usque ad sabbatum sanctum inclusive, exceptis diebus dominicis et festis de præcepto, ubi hæc servantur, excepto tamen tempore quadragesimæ; cessat jejunium sabbato sancto post meridiem (*Codex*, c. 1252).

(b) Feria *quarta* et *sexta* necnon *sabbatum Quatuor Temporum;* quod fit ut quovis anni tempore fideles sua peccata expient, novas obtineant gratias, et bonos ministros a Deo consequantur (tunc enim conferuntur sacri ordines).

(c) *Vigiliæ* quorumdum festorum, videlicet Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis, omnium Sanctorum : eo fine videlicet ut hæc festa devote celebrentur. — *Pervigilia* autem, quod attinet ad jejunium et abstinentiam, non anticipantur. Ita si festum Nativitatis Domini feria II^{a} occurrit, jejunium et abstinentia, quæ die dominicâ impediuntur, sabbato præcedente jam non sunt observanda.

1113. 2° **De licitis refectionibus.** Diebus jejunii, ex hodiernâ disciplinâ, *una* permittitur refectio *plena*, cui addi potest *collatio* modica et *frustulum matutinum.*

---

[1] *I Cor.* IX, 25. Cfr. *S. Basilius*, homil. 1 et 2 de jejunio.

[2] Ap. *Denzing.*, n. 994; cfr. *Viva* in h. proposit.

[3] In ecclesiâ *Mediolanensi* retinetur usus incipiendi jejunium a primâ dominicâ quadragesimæ, ut olim communiter fiebat.

(A) De unicâ refectione. A mediâ nocte ad mediam noctem, *una* tantum permittitur refectio *plena*, cujus ceteroquin *quantitas* non determinata fuit. Præcepto igitur satisfacit qui lautius prandit quo facilius jejunii onus ferat. Si alicui excessui indulget, contra temperantiam peccat quidem, sed non contra legem jejunii.

1114. (a) *Tempus* quo, ex universali fere consuetudine, sumi debet hæc refectio, est *circa meridiem*. Licet autem *notabiliter anticipare*, justâ accedente causâ, v. g. necessitate iter inchoandi, negotium expediendi, debilitate complexionis. Imo notabilis anticipatio (v. g. unius horæ), etiam sine causâ, non est peccatum mortale, quia non tollit substantiam jejunii quæ in unicâ comestione plenâ consistit.

Licet pariter *intervertere tempus prandii et collationis*, ex rationabili causâ, v. g. sumere collationem circa horam undecimam matutinam, et prandium circa horam sextam vespertinam[1] : quod hodie valde practicum est in civitatibus, ubi vespere prandere solent. Imo, juxta quosdam[2], justâ accedente causâ, licet mane collationem sumere, meridie prandium, et vespere frustulum, quia ita servatur substantia jejunii.

(b) Prandium debet esse *moraliter continuum*, nec *immoderate protractum*. Nam si notabiliter interrumpitur, jam non est una refectio, sed plures. Quænam interruptio sit notabilis, ex prudentium æstimatione judicari debet, duobus præsertim attentis, *intentione* jejunantis et *diuturnitate* interruptionis. Generatim *levis* censetur interruptio quæ *dimidiam* horam non excedit; si quis vero prandere cœperit, et postea legitime interruptus fuit *per horam*, prandium complere potest, quia intentionem redeundi habebat. Insuper, si interruptio *gravi de causâ* habeatur, v. g. ad ministranda sacramenta aut succurrendum periculose ægrotantibus, etiam post duas horas redire licet ad prandium; Ecclesia enim non exigit ut quis sine sufficienti refectione diem transigere cogatur, quando aliquod urget officium adimplendum.

Non licet prandium *immoderate protrahere*, v. g. ultra duas horas, nisi specialis adsit causa, v. g. consuetudo prandium protrahendi quando amici invitantur, ut fit in quibusdam regionibus.

1115. (B) De collatione, seu *cœnulâ*. Præter pran-

[1] Ad *quæsitum* : "Utrum in diebus jejunii, possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam"; *S. Pœnitentiaria*, 19 Jan. 1834, respondit : "Si inversionis supradictæ aliqua exstet causa, pœnitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos". (*Acta S. Sedis*, I, p. 424).

[2] *D'Annibale*, III, n. 134; *Noldin*, n. 674.

dium, permittitur *collatio*, quæ communiter *vespere* sumitur; hic attendi debet quid ex *consuetudine* liceat sumere quoad *quantitatem* et *qualitatem* ciborum.

(a) Quoad **quantitatem** cibi, sumi potest circiter *quarta* pars pleni prandii; et, juxta *S. Alphonsum* (n. 1025), omnibus indiscriminatim permitti possunt *octo unciæ* (circiter 240 gr.), etiamsi hâc quantitate plene reficerentur. — Ceteroquin attendendum est ad cujusque *complexionem*, *officia* et *munera*, *durationem* jejunii, etc.; ita in frigidioribus regionibus plus concedi solet quam in calidioribus, plus per totam diem laboranti quam otio tempus consumenti, plus debili et voraci quam robusto et fame carenti. Principium *generale* est sumi posse *quidquid necessarium est ut quis sua officia convenienter obedire valeat.*

Universali consuetudine licet in *vigiliâ Nativitatis Domini* quantitatem duplo majorem sumere.

(b) Quoad **qualitatem** ciborum, sequenda est *consuetudo* cujuslibet regionis, cum consuetudine collatio introducta fuerit. In quibusdam regionibus, non permittuntur pisces, ova, lacticinia, butyrum, caseus, sed solum offa, panis, fructus, olera, legumina. In aliis, sive ex consuetudine sive ex Indulto, permittuntur ova et lacticinia, pisciculi, aut etiam duæ vel tres unciæ piscis majoris. Unde, in praxi, sedulo legi debent *mandata*, quæ, initio Quadragesimæ, Episcopi hâc de re promulgant.

1116. (c) **De frustulo matutino,** seu *jentaculo.* Ex *Codice*, c. 1251, licet mane sumere aliquid cibi, i. e. parvam quantitatem cafei, chocolatæ, theæ aut ejusmodi, cum frustulo panis[1]; quantitas cibi nutritivi generatim duas uncias (circiter 60 gr.) excedere non debet, nisi ob complexionem aut officia implenda plus requiratur.

1117. 3° **De iis quæ sumi possunt extra has refectiones.** Juxta hodiernam disciplinam, extra præfatas refectiones, licet aliquid sumere per modum *potûs*, aut *medicinæ*, juxta illud : *liquidum non frangit jejunium.* Per modum *potûs*, bibere licet aquam, etiam saccharatam, vinum, cerevisiam, variosque liquores, etiamsi aliquomodo nutriant; per modum *medicinæ*, sumi possunt cafeum, thea, chocolatum valde dilutum, electuaria (in parvâ quantitate) quæ fiunt ex saccharo,

[1] Ita ex declaratione *S. Pœnitentiariæ*, 21 nov. 1843. Proposito dubio : "An permitti possit, ut mane diebus jejunii in parvâ quantitate sumatur cafeum aut chocolata cum frustulo panis, ut fit in regione *Canadensi*"; responsum est "eos qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos".

junipero, citro, etc., si sumuntur ad cibi digestionem, vocem servandam, oris fœtorem tollendum, etc.; imo parvulum panis frustulum ante potum, ne potus noceat, dummodo non fiat frequenter, sed semel aut iterum in die. — Sed sumi nequit quod proprie rationem habet *cibi*, v. g. jusculum, mel, lac [1], saccharum, oleum.

Quantitas cibi, quæ ad peccatum grave requiritur, non potest mathematice determinari; satis communiter admittitur materiam gravem esse quæ quatuor uncias (120 gr.) excedit, sive unâ vice sive divisim per diem sumatur. Parvæ enim comestiones eâdem die sumptæ coalescunt et gravem materiam constituere possunt, ex proposit. 29 ab *Alexandro VII* damnata [2] : " In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etiamsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium ".

1118. 4° **De abstinentiâ diebus jejunii servandâ.** (A) Ex *Codice*, c. 1252, " lex abstinentiæ et jejunii servanda est feria IV Cinerum, feriis VI et sabbatis Quadragesimæ, et feriis Quatuor Temporum " et quatuor pervigiliis supra relatis (1112). Nomine *carnis* intellige non solum carnem proprie dictam, sed etiam omnes partes animalium, ut sanguinem, medullam ossium, cerebrum, adipem, laridum, et jusculum ex carne expressum. Minime tamen prohibentur *pisces*. Quid vero sit *caro* et *piscis* sensu *ecclesiastico*, non ex theoriis physicorum, sed ex communi æstimatione et locorum consuetudine determinari debet : hæc enim distinctio ex consuetudine præsertim inducta est.

Auctores antiqui generatim ut prohibitam habebant carnem animalium " in terrâ quiescentium et respirantium " [3], et ut licitam carnem animalium aquaticorum, quæ in aquâ vivunt et respirant, aut saltem piscibus nutriuntur. Hodie vero, attentâ consuetudine, nomine *piscium* intelliguntur non solum pisces proprie dicti, sed etiam : *crustacea*, ut cancri, cammari, echini (*crabes*, *écrevisses*, *homards*, *langoustes*, *oursins de mer*); *moluscæ*, ut conchæ, ostreæ, limaces (*coquillages*, *huîtres*, *limaçons*); *reptilia* et *amphibia*, ut ranæ, testudines (*grenouilles*, *tortues*). Prohibetur autem caro

[1] In quibusdam regionibus lac *depuratum* tanquam potus licite sumitur.

[2] *Denzing.*, n. 1000; cfr. *Viva* in h. proposit.

[3] *S. Thom.*, 2 2æ, q. 147, a. 8.

mammalium et *avium*, paucis ex consuetudine exceptis; ita permittuntur lutræ, castores seu fibri, phocæ (*loutres, castors, phoques*), et in quibusdam regionibus anates certæ speciei (*canards sauvages*) [1].

1119. (B) Tempore *quadragesimæ*, olim diebus etiam dominicis, præter carnem, prohibebantur jure communi *ova* et *lacticinia*, id est lac eaque omnia quæ ex lacte conficiuntur, ut butyrum, caseus, etc.; sed, ex can. 1250, lex abstinentiæ " vetat carne jureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium."

1120. (C) Quoad *gravitatem* materiæ, non consentiunt auctores; plerique tamen concedunt, quoad carnem, gravem esse materiam quæ duas uncias (60 gr.) superat. Major autem quantitas requiritur, si agitur de condimento quod ex carne provenit, aut de ovis et lacticiniis.

Cum lex abstinentiæ hodie differat a lege jejunii, *per se* duplex peccatum committit qui utramque scienter lædit, absque ratione. Imo, juxta communem sententiam, toties contra abstinentiam peccatur quoties actibus *moraliter distinctis* comeditur caro. Secus dicendum de lege jejunii, quæ nonnisi semel in die violari potest. — In praxi vero, ad psychologicas dispositiones violatorum legis attendendum est : sæpe hæc omnia nonnisi *in confuso* apprehendunt, *per modum unius*, et nonnisi unum peccatum committunt.

1121. 5° **De vetitâ promiscuitate carnis et piscium.** Ex lege a *Benedicto XIV* latâ [2], qui *vi dispensationis* licentiam accepit carnes comedendi, non potest, *diebus jejunii*, in *eâdem refectione simul carnes et pisces comedere.* Quæ prohibitio ex *Codice*, can. 1251 abrogata est : " Non vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere."

---

[1] Idem dicendum, juxta quosdam (*Noldin*, n. 664), de *fulicis*, quia harum usus concessus est *Minimis;* sed, cum id *ex gratiâ* concessum fuerit, inde inferri nequit omnibus id licere, absque indulto; revera hæc facultas *Carthusianis* denegata est.

[2] *Benedict. XIV*, Constit. *Non ambigimus*, 31 maii 1741; *In supremâ*, 22 aug. 1741; *Libentissimę*, 10 jun. 1745. Quæ præscripta fuse exposita invenies ap. *Ami du Clergé*, t. XXII, 1900, p. 104-108.

III. De causis a jejunio excusantibus.

1122. Tres distingui possunt : 1° *impotentia;* 2° *officia statûs* cum jejunio incompossibilia; 3° *dispensatio.*

1° **Ratione impotentiæ,** excusantur ii omnes qui, propter *debilitatem corporis, paupertatem,* aliave *gravia incommoda,* non possunt moraliter legem implere : lex enim præsertim positiva non obligat cum tanto incommodo.

(A) Ita, ratione *debilitatis,* excusantur : *infirmi, convalescentes* aut *valetudinarii,* mulieres *prægnantes* vel *nutrientes,* quæ sine notabili nocumento jejunare nequeunt; item senes *sexagenarii,* etiamsi robustiores videantur, quia vires eorum decrescunt et frequentiori restauratione indigent; non autem mulieres *quinquagenariæ,* nisi alia ratio concurrat : nam, juxta medicos, non magis egent cibo quam viri ejusdem ætatis[1].

(B) Ratione *paupertatis,* ii omnes excusantur "qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat"[2], id est ad plenam comestionem, aut qui nihil aliud habent quam panem et legumina aliosve cibos parum nutritivos.

(C) Ratione *gravis incommodi,* excusantur qui ex jejunio gravem capitis dolorem vel notabilem somni privationem patiuntur; — *uxores* et *filii-familias,* qui jejunando gravem incurrerent indignationem virorum aut parentum; qui caritatis aut pietatis opera peragunt, quæ jejunantes deserere deberent; uno verbo, qui sine gravi incommodo legem implere nequeunt.

1123. 2° **Ratione officiorum statûs,** ii omnes excusantur qui jejunando officia sua recte implere nequirent sine magnâ defatigatione aut virium debilitatione. Igitur non quicumque labor a jejunio eximit[3], sed solum *arduus* et per multas horas *continuus,* qualis est hodie multorum labor in agris, officinis, artibus industrialibus aut liberalibus. Hic agitur non solum de operibus manuum, sed etiam de *intellectuali* labore, qui cerebrum et nervos magis debilitat quam opus servile[4]. Jamvero hodie, propter legem *concur-*

---

[1] Cfr. *Ami du Clergé,* 1903, p. 13.

[2] *S. Thom.,* 2. 2æ, q. 147, a. 4. ad 4.

[3] Constat ex damnatione propos. 30 ab *Alexandro VII,* 18 mart. 1666 : "Omnes officiales, qui in republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio". (*Denzing.,* n. 1001.)

[4] Ex hoc capite igitur excusantur *professores* et *scholares* qui ardue laborant, non autem qui pigritiæ indulgent.

rentiæ ubique fere vigentem, multis hominibus, cæteroquin divitibus, officium incumbit intense et diu laborandi. Multi igitur ex hoc capite a lege eximuntur.

Hic theologi recensere solent *operarios* qui, secundum naturam laboris, excusantur vel non; sed multa ex iis quæ olim scripserunt, hodie, mutatis circumstantiis, non possunt applicari; ita dicunt typographos *versantes prelum* excusari, minime vero eos qui *typos componunt;* jamvero hodie hoc opus, propter applicationem mentis quod requirit, sæpe magis arduum est quam versare prelum. Sola igitur regula generalis est omnem laborem, sive manualem sive intellectualem, a jejunio eximere, quando simul *arduus* est et per *multas horas continuus;* quod dijudicari debet omnibus attentis circumstantiis personarum valetudinis, inclementiæ aeris, etc.

1124. Hinc *iter*, justâ de causâ susceptum, sufficit ad eximendum a jejunio, si, omnibus attentis, *longum* et *arduum* est; quod quidem pendet ab itinerantis *valetudine*, atque *itinerandi modo;* ita iter *pedestre* 12 aut 15 milliariorum satis arduum est, præsertim si via sit aspera, dum iter 150 milliariorum in *viis ferreis* vix ullam fatigationem inducit. Jamvero iter non excusat a lege, nisi quando notabilem causat defatigationem[1].

Qui ratione laboris excusantur, non tenentur jejunare paucis diebus quibus laborem intermittunt, saltem generatim, quia vires proximis laboribus necessarias reficere debent. — Neque tenentur etiam divites labores intermittere cum jejunio incompossibiles : bonum enim publicum postulat ut ordinariis occupationibus vacent. — Non licet tamen laborem suscipere cum jejunio incompossibilem, meræ recreationis causâ, v. g. venationem, nisi raro et propter aliquam utilitatem.

1125. 3° **De dispensatione.** Quando non est causa *ex se* sufficiens ad excusandum a jejunio, nihilominus *dispensatio* concedi potest a *legitimo superiore.*

(A) **De auctore dispensationis.** Legitimus superior est : (**a**) *S. Pontifex*, qui pro totâ Ecclesiâ, *valide* semper dispensare potest, et *licite* justâ accedente causâ; (**b**) *Episcopus*, in suâ diœcesi, pro *casibus particularibus*, ex justâ causâ, non autem pro totâ diœcesi aut etiam communitate, nisi ex

[1] Constat ex propos. 31 ab *Alexandro VII* damnatâ : "Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant". (*Denzing.*, n. 1002.)

Indulto[1]; (c) *parochus* pariter *singulos* fideles *singulasve* familias, etiam extra territorium, dispensare potest, non autem totam parochiam; item ejus vicarius, quando, absente parocho, jurisdictionem in parochiâ exercet; aut quando a præsente parocho delegatur; (d) *superiores regulares* quoad subditos *sigillatim* sumptos. — Confessarii autem, nisi expresse fuerint delegati, non possunt proprie dispensare, sed solum *declarare* num in casu adsit causa excusans : quod ceteroquin possunt *medici* et *superiorissæ* monialium.

Quando dispensatio conceditur, minor requiritur causa quam ea quæ *per se* excusat. Imo superior dispensare potest non solum quando causa est sufficiens, sed etiam quando dubitat num sit sufficiens. Si vero certo novit causam non omnino sufficientem esse, potest *dispensare commutando*, injungendo pia opera, ut orationes et eleemosynas, loco jejunii.

Ex lege *Benedicti XIV*, dispensatio privatis personis concedi non debet, nisi *de utriusque medici consilio*, id est medici et confessarii; sed in multis regionibus hoc præceptum in desuetudinem abiit.

1126. (B) Notanda de interpretatione dispensationis. (a) Qui a S. Sede accepit licentiam *vescendi carnibus diebus ab Ecclesiâ vetitis, salvâ lege jejunii*, hâc dispensatione uti potest non solum diebus abstinentiæ, sed etiam diebus jejunii, sed solum pro *plenâ refectione*, non autem pro collatione.

(b) Fideles qui, ratione ætatis, infirmitatis vel laboris, a lege jejunii eximuntur, (non autem a superiore dispensati) possunt *toties carnes comedere, quoties cibum sumunt*, quando *esus carnis* per *indultum* generale episcopi permittitur, nisi tamen episcopus dispensans hanc facultatem restringat.

---

[1] Id enim statuit *Benedictus XIV*, Const. *Libentissime*, 24 jun. 1745. — Ex Codice, "Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus justâque de causâ, possunt subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos a lege communi de observantiâ festorum, itemque de observantiâ abstinentiæ et jejunii vel etiam utriusque dispensare. Ordinarii, ex causâ peculiari magni populi concursûs aut publicæ valetudinis, possunt totam quoque diœcesim seu locum a jejunio et ab abstinentiâ, vel utrâque simul lege dispensare. In religione clericali exemptâ eamdem dispensandi potestatem habent Superiores ad modum parochi." (c. 1245.)

(c) Quando, vi Indulti, conceditur, diebus jejunii aut abstinentiæ, usus condimenti adipis, hodie, ex recentioribus decretis, intelligitur non solum laridum suinum, sed etiam *adeps* (*graisse*) cujuscumque animantis, non autem jusculum carnis.

1127. Pro praxi notandum. Hodie lex jejunii in multis regionibus a paucis omnino servatur. Quod ex multiplici causâ contingit, præsertim vero : *ex imminutione christiani* spiritûs mortificationis, — ex generali *hominum debilitate*, præsertim in magnis urbibus, — necnon ex *intensiori labore* quem requirunt res industriales et commerciales.

Ad aliquod remedium huic malo præbendum, *mitior disciplina* in quasdam regiones, ut *Germaniam* et *Austriam*, introducta fuit[1] : ibi siquidem, tum ex consuetudine, tum ex Indultis, facilior evasit jejunii praxis, et lex mitigata, melius servata fuit. Ubi vero magis stricte lex applicata fuit, et matutinum frustulum a confessariis denegatum, pauci admodum jejunium observant, utpote moraliter impossibile.

Cavendum est igitur ne nimio rigore lex penitus aboleatur. Integre quidem servetur ab iis qui id sine gravi incommodo præstare valent. Si qui vero eam stricte servare nequeant, mitius cum eis agant confessarii, illos hortantes ut *spiritum legis* custodiant, fideliter et ex animo facientes quidquid eorum vires non superat. Minime vero censeant se ab omni mortificatione excusatos esse eo quod non possunt ex integro jejunare; quidquid valent hâc in re, faciant; quod non valent præstare, aliis operibus abnegationis suppleant, v. g. delicatioribus cibis et quibusdam licitis voluptatibus se privantes, internas concupiscentias efficacius refrenantes, pia caritatis opera frequentius colentes, etc., uno verbo, vitam magis christianam ducentes.

§ II. De lege abstinentiæ extra jejunium.

1128. I. Origo et extensio legis. 1° Abstinentia a carne olim solis diebus jejunii erat adnexa; suppressis vero

[1] Cfr. *Le Correspondant*, 25 fév. 1898, Mandements de Carême en France et en Autriche; *Ami du Clergé*, t. XX, 1898, p. 884-886. — In *Hispaniâ* etiam, et hispanicis regionibus ubi viget *Bulla cruciatæ* mitior facta est lex jejunii. Cfr. *N. Rev. Théolog.*, 1891, p. 586; *Ami du Clergé*, t. XXII, p. 1032-1034.

quibusdam jejuniis, lex abstinentiæ perseveravit; et ita hodie dantur dies abstinentiæ qui non sunt dies jejunii.

Jam primis sæculis vigebat consuetudo *feriâ sextâ* cujuslibet hebdomadis jejunandi et a carne abstinendi, in honorem dominicæ passionis. Eodem fere tempore, in Ecclesiâ latinâ, non autem in græcâ, idem mos invaluit die *sabbati*, in honorem Christi sepulturæ; sed, in nonnullis provinciis, lex hujusmodi in desuetudinem abiit.

1129. 2° Hodie præceptum abstinentiæ a carne: (A) ex lege communi, obligat, præter dies jejunii supra, n. **1118**, recensitos [1], tantummodo feriâ VI cujuslibet hebdomadis.

1130. (B) Hujusmodi lex attingit *omnes* fideles *usu rationis gaudentes*, ideoque eos qui septimum annum compleverunt, nisi sint amentes. — Hortandi sunt parentes ut filios quamprimum abstinentiæ assuescant, etiam ante septennium, quo facilius postea legem observent.

Lex obligat sub *gravi;* etsi non possit absolute determinari quænam materia sit gravis, satis communiter docetur eum mortaliter peccare qui, sine ullâ ratione, scienter comedit duas circiter uncias. — Illicitum est pariter vesci jure ex carne, non autem condimentis ex adipe animalium.

Per se toties peccatur contra legem abstinentiæ quoties, sine ratione, actibus *moraliter distinctis* comeditur caro (supra, n. 496); sed de facto multi violatores putant se semel peccâsse, etiamsi *pluries eadem die* carnem comederint.

1131. II. De causis a lege abstinentiæ excusantibus. Omnes reduci possunt ad *moralem impotentiam*, ratione cujus excusantur omnes qui *sine magno incommodo* a carnibus abstinere non possunt : —

(a) *Pauperes*, qui carnem accipiunt in eleemosynam, nec aliud habent quo vescantur; qui, butyro et oleo carentes, larido vel sagimine utuntur ad condiendos cibos.

(b) *Infirmi*, convalescentes, debiles stomacho, mulieres lactantes, iique omnes qui, judicio medici aut viri prudentis, cibis esurialibus sufficienter nutriri non possunt. Idem dic de mulieribus *prægnan-*

[1] *Motu proprio*, 2 Jul. 1911 (*A. A. S.*, t. III, 306), Pius X decrevit : " Quod si in aliquod ex festis quæ servata volumus (supra, n. 1010), dies incidat abstinentiæ vel jejunio consecratus, ab utroque dispensamus." Quæ dispensatio non valet ubi prædicta festa ex indulto non servantur. *S. C. C.*, 28 aug. 1911.

tibus quæ, etsi carne stricte non indigeant, magnâ carnis appetentiâ laborant : tunc enim buccellam carnis sumere possunt, ne hâc appetentiâ nimis torqueantur.

(c) *Operarii* qui quotidie laboribus incumbunt valde arduis, aut ciborum appetentiam auferentibus, — quales sunt qui in fusoriis, vitrariis, ferrariis, fodinis metallicis vel carbonariis, fabricis, locomotivis operam dant[1].

(d) Uxores, filiifamilias et famuli qui *alios cibos habere non possunt*[2] : famuli autem alium dominum quærere tenentur, si fieri potest. — Ob eamdem rationem, excusantur *viatores*, qui alios cibos satis nutritivos in cauponis invenire nequeunt; sed serio et instanter hos petere debent, nec excusantur solo timore leves irrisiones provocandi; — necnon *hospites* qui, præter exspectationem, totum prandium inveniunt vetitis epulis paratum, nec aliunde sine gravi incommodo discedere queunt; si vero res prævideatur, invitationem recusare tenentur, quoties fieri potest.

Si *ex errore* prandium paratum est in cibis vetitis, et aliunde sine gravi incommodo remitti nequit, v. g. quando de nuptiis agitur, licite sumitur; secus, si sine gravi incommodo prandium in sequentem diem differri potest.

(e) *Milites* et *nautæ* in castris aut stationibus a Gubernio nutriti. — Quoad *duces* militum, controvertitur. Sed, in *Galliâ*, ex consuetudine antiquo indulto fundatâ, hi possunt carnes comedere, paucis exceptis diebus, et hoc privilegium communicare membris familiæ

---

[1] Quare S. Sedes licentiam concessit episcopis *Statuum Americæ Fœderatorum* permittendi operariis, et eorum familiis, usum carnium in iis circumstantiis locorum et personarum, in quibus judicaverint veram existere difficultatem observandi legem abstinentiæ, exceptis tamen feriis sextis, feriâ quartâ Cinerum, toto tempore majoris hebdomadæ, et vigiliâ Nativitatis Domini, et firmâ manente prohibitione cibos miscendi. Consilium vero dandum est fidelibus ut diebus, quibus indulto utuntur, aliquod aliud pœnitentiæ opus exerceant, v. g. abstineant a potu inebriante.

[2] Si paterfamilias licentiam obtinuit comedendi carnes, et idem non possit aut nolit duo parare prandia, alterum carnium et alterum ciborum esurialium, filiifamilias aliique patris servitio addicti, possunt comedere carnes, non quidem vi indulti, sed quia versantur in impotentiâ observandi præceptum. Constat ex responso *S. Pœnitent.*, 19 jan. 1834 : " Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis; adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die pro iis qui jejunare tenentur". — " Ratio hujus permissionis non est indultum patrifamilias concessum, sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi præceptum". (27 mai 1863.)

suæ cum eis conviventibus[1]. Idem concessum est pro *Statibus Americæ Fœderatis*, sex diebus exceptis, nempe feriâ 4ª Cinerum, tribus ultimis diebus majoris hebdomadæ, vigiliis Nativitatis Domini et Assumptionis.

§ III. De præcepto sustentandi pastores.

1132. 1° **Legis origo.** Positâ institutione sacerdotii, et deputatione specialium ministrorum ad officia sacerdotalia exercenda, nomine totius populi, fideles tenentur necessaria ad victum suppeditare pastoribus aliisque curam animarum habentibus. Cum hi enim præcipuam vitæ partem devovere debeant sacri ministerii præparationi et exercitio, seipsos sustentare non valent, ex communiter contingentibus, ideoque ab aliis victum vestitumque accipere debent. Cum vero pro animabus sibi commissis laborent, omnino æquum est ut ab eis necessaria accipiant.

(A) Ita res se habebat sub *Antiquâ* Lege. In partitione regionis Chananææ, nulla pars sacerdotibus et levitis assignata fuerat, quia Dominus eorum pars et hæreditas esse volebat[2]. Sed *sacerdotes* jus habebant ad *primitias*, quæ Deo offerebantur a filiis Israel[3]; *levitæ* ad *decimam partem* fructuum[4]; hi autem tenebantur decimarum decimam partem *sacerdotibus* dare[5]. Præterea præcepit Dominus filiis Israel "ut dent levitis de possessionibus suis *urbes* ad habitandum et *suburbana* earum per circuitum; ut ipsi in oppidis maneant et suburbana sint pecoribus ac jumentis"[6]. Revera quadraginta octo civitates levitis assignatæ sunt, quarum tredecim sacerdotibus reservatæ fuerunt.— Ex quibus constat Deum ex unâ parte voluisse levitas a temporalibus curis immunes fuisse, et ex alterâ sapienter eorum necessitatibus providisse.

1133. (B) Sub *Novâ Lege*, modo generali declaratum est omnem *operarium*, etiam eum qui pro salute animarum laborat, dignum esse cibo suo[7]; et eos qui altari deserviunt de altari edere posse : "Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt : et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant de evangelio vivere"[8].

Revera, primis Ecclesiæ sæculis, clerici curæ animarum addicti, sustentabantur spontaneis fidelium *oblationibus*, iis præsertim quæ

[1] Cfr. *Ami du Clergé*, t. XX, 1902, p. 636. — [2] *Num.*, XVIII, 20.
[3] *Num.*, XVIII, 8-19. — [4] *Num.*, XVIII, 21. — [5] *Num.*, XVIII, 26
[6] *Num.*, XXXV, 2-4. — [7] *Matt.*, X. 10. — [8] *I Cor.*, IX, 13-14.

occasione sacrificii eucharistici offerebantur. Huic mori successit *decimarum* solutio, quæ jam a sæculo nono in pluribus vigebat provinciis[1]. Alibi instituta sunt *beneficia*, ex quorum reditibus Ecclesiæ ministri percipiebant quidquid ad propriam sustentationem necessarium erat[2]. In multis autem regionibus sublatæ sunt decimæ; in quibusdam aliis usurpata fuerunt beneficia, quorum in loco *pensio* a Gubernio solvenda erat. Sed Gubernia quædam, ut in *Galliâ*, pensiones solvere amplius nolunt; et ita ad antiquum morem *oblationum* redire cogimur. Ceteroquin, in missionibus, sæpe nihil aliud habent clerici nisi quæ fideles sponte offerunt.

Ex quibus constat omni quidem tempore, jure divino, fidelibus officium incubuisse legitimis pastorum necessitatibus providendi, sed diversis modis, pro diversis temporibus variisque regionibus hoc officium impletum fuisse, secundum præscripta juris *canonici*.

1134. 2° Legis indoles et extensio. (A) *Jure divino et ecclesiastico officium incumbit fidelibus, pro cujusque opibus, aliquid conferendi ad propriorum pastorum sustentationem.*

Quod jam constat ex brevi historicâ expositione superius delineatâ; et confirmatur sequenti argumento : quando pastor aliusve minister a superioribus ecclesiasticis legitime deputatur ad curam animarum exercendam in tali parœciâ vel missione, initur *quasi-contractus* inter pastorem et fideles : ille quidem obligationem suscipit rite obeundi sacra munia et sacramenta ministrandi; hi autem sese obligant ad pastorem decenter sustentandum, juxta vires suas.

Quod quidem omnino rationi consentaneum esse sic declarat *S. Thomas*[3] : " Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victûs ministraret, ratio naturalis dictat; sicut et his qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus et militibus, et aliis hujusmodi, stipendia victûs debentur a populo. Unde et *Apostolus* hoc probat per humanas consuetudines, dicens[4] : " Quis militat suis stipendiis unquam? aut quis plantat vineam, et de fructibus ejus non edit ".

Vi igitur *quasi-contractûs*, tenentur fideles necessaria providere pastoribus aliisque curam animarum habentibus.

---

[1] Documenta invenies ap. *Decretal.*, l. III, tit. 30, De decimis, primitiis et oblationibus.

[2] Documenta lege ap. *Decretal.*, l. III, tit. 5-13.

[3] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 87, a. 1. — [4] *I Cor.*, IX, 7.

1135. (B) Existentia hujus obligationis certa est quidem, sed ejus *extensionem* stricte definire valde difficile est, nisi accedat lex ecclesiastica id clare determinans. Ubi adhuc viget decimarum solutio, *decima* pars fructuum solvenda est. Ubi vero non existit, sola regula generalis est ut *singuli pro suâ parte aliquid conferant, ne sustentatione necessariâ indigeant sacerdotes.*

Unde nostra facimus verba *Kenrick*[1]: "Quamdiu nullâ certâ lege onus injungitur et definitur, non audemus peccati mortalis damnare eum qui omittit æquam portionem conferre, quoties non est periculum ne sacerdotes eâ de causâ indigeant, vel alii fideles nimis graventur. Illi autem qui præ avaritiâ recusant quid dare, in iis quæ indicavimus adjunctis, videntur graviter rei, et indigni veniâ sacramentali : violant enim legem Christi Domini de ministrorum Evangelii sustentatione, et se aliosque objiciunt discrimini salutis".

Quare omnino decet ut sacerdotes non tam minis et asperis increpationibus sua jura exigant, quam benignâ admonitione et suasione; nam, ut recte ait *S. Thomas*[2], " ministri Ecclesiæ majorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum; et ideo Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino traditâ, ut scilicet acciperet stipendia victûs ab his quibus Evangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi".

Cavendum est præsertim ne sacramenta denegentur fidelibus, qui nolint in collectis stipem dare, ad quam sub peccato gravi teneri non constat, præsertim vero iis qui morti sunt proximi[3]. Etiamsi quidam fideles graviter peccâssent, nihil præbendo, quando poterant et debebant, hoc peccatum non est magis irremissibile quam alia.

Ceteroquin experientiâ constat eos sacerdotes copiosas oblationes a fidelibus accipere qui, ex unâ parte, strenue laborant pro salute animarum, et ex alterâ, benignos et misericordes se ostendunt erga plebem sibi commissam, præsertim si honeste et minutim, in quantum fieri potest, rationem reddunt pecuniarum quas acceperunt.

---

[1] *Kenrick*, Theologia Moralis, Mechliniæ, 1861, tract. IV, n. 64.
[2] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 87, a. 1, ad 5.
[3] De quo vide *Conc. Baltimorense III*, n. 292.

1136. (C) Episcopi est determinare *modum* quo colligi debent pecuniæ ad providendum cultûs expensis et sacerdotum honestæ sustentationi, et parochos inobedientes canonicis pœnis prosequi. Quare S. C. Concilii, interrogata an Episcopus valeat parochos adigere ad colligendas fidelium oblationes, 29 apr. 1911, respondit: "Episcopum in casu posse sub gravi parochos adigere ad colligendas, vel per se vel per alium, fidelium oblationes, et post monitiones pœnis canonicis prosequi, eosque, si contumaces fuerint, servatis de jure servandis, etiam a parœciâ removere". [1]

Et hæc satis sint de *præceptis Ecclesiæ*, quæ si recte custodita fuerint, temperantiam et castitatem non parum promovebunt, necnon pios mutuæ dilectionis sensus inter pastores et oves ipsis commissas.

[1] *A. A. S.*, III, 278.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

1137. Quo efficacius leges serventur, aliquâ sanctione muniri debent; quapropter Ecclesia præcipua delicta pœnis quibusdam sancire solet. Pœna autem ecclesiastica est "*privatio alicujus boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitimâ auctoritate inflicta*[1]".

Tria sunt pœnarum genera : 1) pœnæ *medicinales* seu censuræ, quæ directe tendunt in emendationem delinquentis; 2) pœnæ *vindicativæ*[2] quæ directe ad delicti expiationem et vitationem tendunt, v. g. interdictum locale, infamia juris, depositio, degradatio; 3) remedia *pœnalia*[3], qualia sunt monitio, correptio, præceptum, vigilantia; necnon *pœnitentiæ*[4], quæ imponuntur ut delinquens vel pœnam effugiat, vel pœnæ contractæ absolutionem aut dispensationem recipiat, v. g., spiritualia exercitia, recitatio determinatarum precum.

Hic autem notandum est has pœnas non plenum suum effectum sortiri in foro externo nisi *post sententiam declaratoriam* ut constat ex can. 2232 : "Pœna latæ sententiæ, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a pœnâ observandâ delinquens excusatur quoties eam servare sine infamiâ nequit, et in foro externo ab eo ejusdem pœnæ observantiam exigere nemo potest..."

Hic de *censuris* præsertim agemus, cetera *Canonistis* exponenda relinquentes.

Tres erunt articuli : in primo, *generalia* trademus *principia* de censuris; in secundo, de censuris *in specie* agemus, nempe de *excommunicatione, suspensione* et *interdicto;* in tertio, de censuris latæ sententiæ *in individuo.*

---

[1] *Codex*, c. 2215. — [2] *Codex*, c. 2286. — [3] *Codex*, c. 2306. — [4] *Codex*, c. 2312

Articulus I. De Censuris in genere.

1138. 1° **Censuræ definitio.** Censura definitur : *pœna spiritualis et medicinalis, quâ homo baptizatus, delinquens et contumax privatur quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus annexis, donec a contumaciâ recedens absolvatur* [1].

Dicitur : a) *pœna* seu aliquid molestiam ingerens,et ita distinguitur ab *irregularitate* quæ est *inhabilitas* ad ordines recipiendos vel exercendos, et a *reservatione* quâ limitatur confessarii jurisdictio quin proprie pœnitenti pœna infligatur. b) Hæc pœna consistit in privatione quorumdam *bonorum spiritualium*, ut sunt sacramenta, vel *spiritualibus annexorum*, ut sunt beneficia ecclesiastica. c) Exinde pœna est *spiritualis*. d) Est præterea *medicinalis* seu tendens ad emendationem delinquentis : unde irrogatur tantum donec reus a contumaciâ recedens absolutionem recipiat [2].

1139. 2° **Divisio censurarum.** a) Ratione modi *quo statuuntur*, censuræ sunt *a jure*, si pœna determinata in ipsâ lege statuatur; *ab homine*, si feratur per modum præcepti peculiaris, vel per sententiam judicialem condemnatoriam aut declaratoriam, etsi in jure statuta [3]. b) Ratione modi *quo incurruntur*, censuræ sunt *latæ* vel *ferendæ* sententiæ, prout incurruntur ipso facto ante omnem sententiam condemnatoriam, vel solum post talem sententiam. c) Ratione modi *quo absolvuntur*, censuræ sunt *reservatæ*, vel nemini reservatæ, prout absolutio Ordinariis, aut etiam R. Pontifici reservatur, aut ab omnibus confessariis dari potest. d) *Ratione divulgationis*, censuræ sunt *notoriæ* quando aut per sententiam judicis, aut per confessionem delinquentis in judicio factam, aut per delicti patrationem in loco publico, ita notum est aliquem censuram incurrisse, ut id celari non possit; secus, dicuntur *occultæ* [4]. e) Ratione *effectuum*, id est, bonorum quibus privatur censuratus, tres censuræ enumerantur, scilicet : *excommunicatio*, *suspensio*, et *interdictum*. De unâquâque specie dicemus in articulo sequenti.

3° **De auctore censurarum.**

1140. A) Censuras ferre valet qui potestate legem ferendi vel præcepta imponendi [5] gaudet. — Vicarius generalis sine mandato speciali non habet hanc potestatem [6].

---

[1] *Codex*, c. 2241. — [2] *Codex*, c. 2248. — [3] *Codex*, c. 2217.
[4] *Cod. jur. can.*, 2197. — [5] *Ibid.*, 2220. — [6] *Ibid.*

a) Potestatem igitur habent ferendi censuras : 1) *R. Pontifex et Concilium œcumenicum* pro universâ Ecclesiâ; 2) *legati apostolici*, pro territorio ipsis assignato; 3) *Concilium provinciale*, pro suâ provinciâ; 4) *episcopi* [1], *in suos diœcesanos*, dum in diœcesi commorantur; — etiam in diœcesanos extra diœcesim commorantes quando violant non *legem* sed *præceptum* episcopi (probabiliùs), vel postquàm in propriâ diœcesi, imo extra diœcesim delictum patrârunt; — *in peregrinos* qui, dum in aliquâ diœcesi peregrinantur, ibidem delinquunt; — *in exemptos* in casibus jure determinatis; 5) *superiores regularium*, secundum statuta sui ordinis, in *subditos* suos *in quocumque loco* existentes, cum eorum jurisdictio sit potius personalis quam territorialis [2].

b) Potestatem **delegatam** habent ferendi censuras omnes et soli clerici quibus id commissum est ab habentibus potestatem ordinariam. Delegati autem non possunt subdelegare nisi id expresse eis concedatur, vel sint delegati a Romano Pontifice, aut ad universalitatem causarum.

1141. B) De sollemnitatibus servandis in ferendis censuris.

a) Si agitur de censuris *ferendæ* sententiæ et *ab homine*, triplex *monitio*, vel saltem una tribus æquivalens, quæ dicitur *peremptoria*, præmittenda est [3] ; censuræ enim non possunt nisi in *contumaces* (n. 1144). Sententia autem debet in scriptis proferri, ad liceitatem quidem, non vero ad validitatem [4].

b) Si autem agitur de censuris *latæ* sententiæ vel etiam de censurâ *ferendæ* sententiæ sed *a jure*, nulla monitio specialis requiritur, cum lex ipsa vel præceptum continuo admoneat [5].

1142. 4° De subjecto censurarum.

Ex ipsâ definitione censuræ, requiritur ut censurandus sit *homo — baptizatus — delinquens —* et *contumax.*

A) *Homo* [6] *viator* [7] et *doli*, id est, *peccati capax*, cum censura supponat delictum.

---

[1] Idem dic, sede vacante, de *vicario capitulari*, vel de *ipso Capitulo* ante deputationem vicarii capitularis. Assimilantur episcopis etiam quoad hoc *abbates habentes jurisdictionem* quasi-episcopalem.

[2] *Parochi* non possunt ferre censuras, quia nunquam habuerunt veram jurisdictionem in foro externo.

[3] *Cod. jur. can.*, 2233, 2242. — [4] Cf. *Codex*, c. 1877 et c. 2239, § 2.

[5] *Codex*, c. 2232, 2242, § 2.

[6] Excommunicatio contra nociva *animalia*, quæ diu fuit in usu, non est proprie excommunicatio, sed supplex adprecatio ut Deus illa abigat. Contra *dæmones*, Ecclesia utitur exorcismis, non censuris.

[7] Excommunicatio *mortui*, quæ olim fiebat, hoc solum significabat talem personam in excommunicatione decessisse.

"Impuberes excusantur a pœnis latæ sententiæ, et potius punitionibus educativis quam censuris aliisve pœnis gravioribus vindicativis corrigantur; puberes vero qui eos ad legem violandam induxerint vel cum eis in delictum concurrerint, ipsi quidem pœnam lege statutam incurrunt [1]."

B) *Baptizatus.* Ecclesia enim non judicat eos qui foris sunt [2].

1143. C) *Delinquens.* Delictum autem debet esse *externum*, — *mortale* — *consummatum.*

a) *Externum :* nam Ecclesia de internis non judicat. Non dicimus publicum; nam peccatum *etiam occultum* potest esse externum, v. g., hæresis ore prolata, etiam absque ullo teste.

b) *Mortale :* alioquin non adesset proportio inter delictum et pœnam, cum censura sit gravissima pœna ecclesiastica.

Proinde, quidquid excusat a peccato mortali, excusat etiam a censurâ [3]. Unde, si de facto is contra quem lata est censura, peccatum subjective mortale non commiserit, licet in foro externo debeat haberi et se gerere ut censuratus ad vitandum scandalum, attamen non est vere coram Deo censuratus, nec proinde illis bonis spiritualibus privatus quibus privat censura.

Insuper, delictum debet esse mortale *quatenus externum*, ita ut, si peccatum est mortale, sed non quatenus externum, censura non incurratur : v. g., percussio levissima clerici ex intentione graviter malâ.

c) *Consummatum :* id est, requiritur ut illud præcise delictum quod legislator intendit *sub pœnâ* prohibere, sit perfecte completum : nam leges pœnales sunt strictæ interpretationis [4]. Attamen, si *conatus delicti* peculiari pœnâ in lege mulctatur, verum constituit delictum et ad censuram incurrendam sufficit [5].

1144. D) *Contumax.* Ad contumaciam requiritur ut delinquens sciat, *saltem habitualiter*, etsi actu de prohibitione et pœnâ non cogitet, aliquid esse *jure ecclesiastico et sub censurâ* prohibitum, et nihilominùs contra prohibitionem ecclesiasticam libere agat.

A contumaciâ autem excusant : a) *metus gravis*, imo et *levis* quando censura fertur contra *præsumentes...*, *ausu*

[1] *Cod.*, 2230. — [2] *1 Cor.*, V. 12; *Trid.*, sess. XIV, de Pænit., c. 2.

[3] "Non solùm quæ ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quæ a gravi, excusant pariter a quâlibet pœnâ tum latæ, tum ferendæ sententiæ etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur." *Cod.*, 2218.

[4] Cf. *Cod. jur. can.*, 2219, 2228. — [5] *Codex*, c 2212.

temerario agentes..., *sponte* aut *scienter*, aut *consulto facientes;* b) *ignorantia* legis aut pœnæ non affectata, crassa vel supina [1].

1145. **Varia notanda.** a) " Nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege pœnali non comprehenduntur, nec Episcopi sub pœnis latæ sententiæ suspensionis et interdicti [2]." Insuper qui supremum tenent populorum principatum, horumque filii ac filiæ iive quibus jus est proxime succedendi in principatum non incurrunt nisi pœnas a R. Pontifice inflictas aut declaratas [3].

b) In censuris, *benignior interpretatio* est facienda [4]. Unde, censuræ latæ in *populum*, clerum non tenent; latæ in *clerum* non ligant populum, nec regulares qui vota solemnia emittunt, sed probabilius ligant religiosos votorum simplicium.

c) *Aliquis* potest esse *simul obnoxius pluribus censuris* speciei diversæ (excommunicationi, suspensioni), vel pluribus ejusdem speciei (v. g. pluribus excommunicationibus) : sive quia eâdem vel distinctâ actione commisit diversa delicta quorum singula annexam habent censuram; — sive quia idem delictum diversis censuris a distinctis Superioribus punitur; — sive quia delictum, censurâ punitum, pluries repetitur. — Censura ab homine multiplicatur si plura præcepta vel plures sententiæ violentur [5].

d) *In dubio* utrum censura contracta fuerit necne, censura non tenet [6], nisi dubitetur utrum pœna, a Superiore competente inflicta, sit justa [7].

1146. 5° De absolutione a censuris.

Censura proprie dicta, cum semel fuerit contracta, non tollitur per *mortem* sive censurati, sive censurantis; — neque per *cessationem legis* aut præcepti; — neque per *emendationem* rei, sed tantummodo per *absolutionem* a superiore competente datam [8].

A) **A censuris** autem **ab homine** latis nemo potest absolvere. nisi ille qui censuram tulit, aut ejus successor, vel superior (modo in censuratum jurisdictionem habeat), aut eorum delegatus. In *periculo mortis*, omnis reservatio cessat.

1147. B) **Censuræ a jure communi** latæ, sunt vel nemini vel Romano Pontifici aut Ordinario reservatæ.

---

[1] Attamen quando fertur censura contra eos qui "*temere*," "*ausu temerario*," "*scienter*," "*consultò*," etc. peccant, ignorantia etiam crassa vel supina excusat, non vero affectata. *Cod. jur. can.*, 2229. — Si agitur de pœnâ *ferendæ sententiæ*, contumax is dicitur qui, canonice monitus, in delicto perseverat (can. 2233, § 2).

[2] *Codex*, c. 2227, § 2. — [3] *Codex*, c. 2227 et 1557. — [4] *Cod.* c. 19, 20, 2219. [5] *Ibid.*, 2244. — [6] *Can.* 2233. — [7] *Can.* 2219. — [8] *Can.* 2248.

a) A censuris *nemini reservatis*, quilibet confessarius valide et licite absolvit in foro sacramentali, extra forum sacramentale quicumque jurisdictionem in foro externo habeat in reum [1].

b) A censuris *Romano Pontifici reservatis*, absolvere possunt : ipse Romanus Pontifex et Major Pœnitentiarius; — episcopi; sacerdotes delegati; imo quandoque quilibet sacerdos, sub conditionibus et cum limitationibus exponendis in Tractatu *de Pœnitentiâ*.

c) In casibus *occultis*, potest Ordinarius pœnas latæ sententiæ jure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatis [2].

1148. d) A censuris autem *Ordinario reservatis*, absolvunt Romanus Pontifex, Episcopus, Vicarius capitularis, Vicarius generalis, Prælatus regularis (suos subditos), Archiepiscopus in casu visitationis vel appellationis, et eorumdem delegatus [3]; — imo quandoque quilibet sacerdos, ut explicatur in Tractatu *de Pœnit.*

1149. C) A censuris a jure particulari latis et *non reservatis*, quilibet confessarius valide et licite absolvere potest in foro sacramentali, extra forum sacramentale quicunque jurisdictionem in foro externo habeat in reum [4]. — Si autem sunt *reservatæ*, ab eis nullus absolvere potest, nisi is cui reservatæ sunt, vel ejus superior, aut successor, aut delegatus : in casu tamen urgenti, et in periculo mortis, quilibet sacerdos absolvere valet, sub certis conditionibus, ut explicatur in Tract. *de Pœnit.*

1150. Notanda circa absolutionem a censuris. A) Ad absolvendum a censuris, requiritur in absolvente *jurisdictio* in absolvendum, sed *non necessario jurisdictio sacramentalis;* nam absolutio a censuris dari potest a Superiore, vel ejus delegato, etiam non sacerdote.

---

[1] *Codex*, c. 2253. — [2] *Codex*. c. 2232, § 2.

[3] Qui habet potestatem delegatam absolvendi a censuris *Romano Pontifici* reservatis, non idcirco valet a censuris Ordinario reservatis absolvere. Qui autem specialem facultatem habet absolvendi a censuris *etiam* Romano Pontifici reservatis, a censuris (a jure communi) *Ordinario* reservatis absolvere potest.

[4] *Codex*, c. 2253, 1°.

B) Absolutio a censuris *separari potest ab absolutione a peccatis.*

Unde si confessio sacramentalis statim haberi nequeat, et aliunde adsint rationes ut statim reus a censuris absolvatur, absolvi potest a censuris, licet non a peccatis : v. g., si sacerdos habens potestatem absolvendi a censuris reservatis, non vacat audire integram confessionem, vel si reus non est paratus ad eam instituendam, sacerdos potest audire solos casus qui habent censuram adnexam, et a censuris absolvere, pœnitentemque mittere ad alium qui, auditâ confessione, absolveret a peccatis [1].

" Si (vero) agatur de censura quæ non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firmâ censurâ " (can. 2250).

Si, ex rescripto, absolutio a censuris dari non potest, nisi *auditâ prius confessione sacramentali*, curandum est ut pœnitens ad absolutionem peccatorum disponatur. Sed valida esset absolutio a censuris dummodo præcesserit *accusatio sacramentalis* peccatorum [2].

C) Nulla specialis *formula* requiritur ad absolutionem a censuris impertiendam in foro sacramentali, nisi in rescripto aliter præscribatur. Confessarius absolvit per *formulam* ipsam absolutionis. Attamen ad excommunicationis absolutionem in foro non sacramentali, regulariter formam adhiberi convenit in libris ritualibus traditam [3].

D) Absolutio a censuris dari potest *absenti*, imo et *invito*. Sed absolutio data *invito*, suum effectum non habet quoad censuram quæ peccato adhuc duranti, v. g., adhæsioni sectæ massonicæ, annectitur.

E) Qui *pluribus censuris ligatur*, ab unâ absolvi potest, quin ab aliis absolvatur. Unde " petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bonâ fide, exceptâ censurâ specialissimo modo reservatâ Sedi Apostolicæ [4] "

Articulus II. De Censuris in specie.

§ I. De Excommunicatione.

Ejus *naturam* et *effectus declarabimus.*

1151. I. **Natura.** Excommunicatio est *censura quâ quis separatur a communione fidelium.*

---

[1] *Gury-Baller.*, n. 954. — [2] *S. Pœn.*, 4 Jan. 1839. — [3] *Can.*, 2250.
[4] *Can.* 2249.

Inter excommunicatos, alii sunt *tolerati*, alii *vitandi*, prout cum ipsis licet vel non communicare,

Olim, quicumque excommunicatione majori plectebantur vitandi erant a fidelibus. Nunc, nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolicâ excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententiâ expresse dicatur ipsum vitari debere [1].

1152. II **Effectus** his versiculis a canonistis exprimuntur :

Res sacræ, ritus, communio, crypta, potestas,
Prædia sacra, forum, civilia jura vetantur.

1° **Res sacræ.** His verbis interdicitur excommunicato tum *receptio*, — tum *administratio sacramentorum*.

A) *Quoad* **receptionem** *sacramentorum*, excommunicatus prohibetur sub gravi recipere sacramenta [2], nisi excuset necessitas gravis, v. g., metus mortis, periculum gravis infamiæ, etc [3]. *Valide* tamen quælibet sacramenta recipit excommunicatus, etiam ipsam pœnitentiam saltem si ad eam *bonâ fide* accedat. Tenetur autem excommunicatus ad absolutionem se disponere, ut præcepto de paschali communione satisfaciat.

B) *Quoad* **administrationem** *sacramentorum* : **a**) prohibetur excommunicatus licite *Sacramenta et Sacramentalia conficere* et *ministrare*, salvis exceptionibus quæ sequuntur :

a) Fideles possunt ex qualibet justâ causâ ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ullâ tenetur obligatione causam a requirente percontandi; **b**) sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, tum etiam si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia [4]. — Prohibetur etiam excommunicatus quilibet jure eligendi, præsentandi, nominandi [5].

1153. 2° **Ritus.** Excommunicatus quilibet caret jure assistendi divinis officiis, non tamen prædicationi verbi Dei.

---

[1] *Can.*, 2258. — [2] *Codex*, c. 2260. Cf. can. 855, § 1.

[3] Ita D'ANNIBALE (I, n. 360) censet excommunicatum, etiam vitandum, non arceri a *Pœnitentiâ*, si in letali versatur, et ei diu confessario carendum foret. Tunc enim urget necessitas gravis.

[4] *Codex*, c. 2265. — [5] *Codex*, c. 2261.

Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentiâ vero activâ, quæ aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solùm vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut *alioquin* notorie excommunicatus [1].

3° **Communio.** Hoc verbo indicatur privatio *suffragiorum communium*, id est, spiritualium auxiliorum quæ ex bonis operibus *nomine Ecclesiæ* factis, vel ex thesauro Ecclesiæ, fidelibus obvenire solent. Hujusmodi sunt fructus Missæ et Breviarii, quatenus nomine Ecclesiæ peraguntur, indulgentiæ, sacramentalia, etc. — Excommunicati, etiam vitandi, non privantur suffragiis *privatis* quæ, ex bonis operibus *nomine privato* factis, privatâ intentione applicantur. — Imo sacerdotes privatim ac remoto scandalo pro excommunicato missam applicare possunt; sed si sit vitandus, pro ejus conversione tantum [2].

1154. 4° **Crypta,** i. e. *ecclesiastica sepultura* denegari debet : **A**) *Excommunicatis* post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [3]; si absque pœnitentiæ signis decesserit excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, ejus inhumatione cœmeterium violatur [4]; si autem pœnitens decesserit, absolvendus est (cfr. *Rit. Rom.*, tit. 3, c. 4), et in loco sacro sepeliendus. **B**) Quoad *toleratos* autem, quamvis nullum jus habeant ad sepulturam ecclesiasticam, eis concedi hæc tamen potest. Sæpe vero eis negari debebit, ex aliâ ratione, si nempe sint *peccatores publici*, vel hæretici (aut apostatæ) notorii.

Huc spectant, exempli causâ, responsa S. Pœnitentiariæ circa deputatos vel senatores qui in Galliâ leges contra religionem suffragio suo approbarunt. Ut excommunicati haberi debent; privandi sunt sepulturâ ecclesiasticâ, si notorie constet eos in peccato suo decessisse; si vero pœnitentes defuncti sunt, non sunt privandi consuetis honoribus. In dubio, sepeliantur absque solemnitatibus, v. g,, concedatur tantum missa lecta, cum simplici absolutione cadaveris [5].

---

[1] *Codex*, c. 2259. — [2] *Codex*, c. 2262.
[3] *Codex*, c. 2260. — [4] *Codex*, c. 1207, 1172.
[5] *S. Pœnit.*, 20 maii 1908; cf. *Canonistæ*, XXXI, p. 558.

5° **Potestas,** id est jurisdictio *aufertur* excommunicato, si contra eum lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, ita ut illicite et invalide eam exerceat, sive in foro externo, sive in foro interno, excepto casu necessitatis in periculo mortis. *Toleratus* autem, etiam *notorius*, non privatur jurisdictione, eamque licite exercet, si a fidelibus petitus sit [1].

6° **Prædia sacra** seu *beneficia* valide conferri nequeunt excommunicato [2] etiam tolerato. Beneficia autem *antea* possessa excommunicatus retinet, et eorum fructus facit suos, dummodo non intervenerit sententia condemnatoria vel declaratoria [3]. Prohibetur autem quilibet excommunicatus ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi et privilegiis antea ab Ecclesiâ concessis frui [4]. *Vitandus* vero statim ipsâmet dignitate, officio aut beneficio privatus manet [5].

Jure novo, gratiæ omne genus a Sancta Sede concessæ, etiam censurâ irretitis, ratæ sunt ac legitimæ, nisi de iis agatur qui sunt excommunicati vitandi, vel excommunicati sententiâ declaratoria aut condemnatoriâ. Eadem sancita sunt quoad suspensos et interdictos [6].

7° **Forum :** scilicet omnis *communicatio in foro* (olim etiam in foro civili) cum fidelibus, excommunicato interdicitur [7]. Itaque : **a**) non potest esse judex, arbiter, advocatus, procurator, tabellio, testis, etc. Si autem citatur ut *reus*, omnia facere potest quæ ad suam defensionem requiruntur, nisi sit vitandus aut subierit sententiam declaratoriam vel condemnatoriam [8]. **b**) Toleratus vero a nullo munere excluditur ipso jure [9], sed repelli potest a judice, ab actore, vel a reo.

1155. 8° **Civilia jura.** "Communionem in profanis cum excommunicato *vitando* fideles vitare debent, nisi agatur de conjuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset [10]".

Olim communicatio in civilibus, etiam cum *toleratis*, prohibita erat. Sed *Martinus V* (Const. *Ad evitanda*) benigne indulsit

---

[1] *Codex*, c. 2261, 2264. — [2] *Codex*, c. 2265. — [3] *Codex*, c. 2266.

[4] *Codex*, c. 2263. — [5] *Codex*, c. 2266. — [6] *Codex*, c. 2265, § 2; c. 2283; c. 2275.

[7] *Codex*, c. 2263 : "Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis."

[8] *Codex*, c. 1654. — [9] *Ibidem.* — [10] *Codex*, c. 2267.

fidelibus ut, secluso scandalo vel propriæ perversionis periculo, nemo teneretur a communione *tolerati* abstinere).

A) *Actus autem prohibiti* cum vitando hoc versiculo exprimuntur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Hinc non licet (*nisi in casibus exceptis*) *vitando* scribere, osculum dare vel aliquod specialis benevolentiæ signum (*os*); nec cum illo orare, (etiam privatim, saltem sub veniali) nisi excuset status subjectionis (*orare*); nec illum salutare, honoris exhibendi causâ, nisi exigat urbanitas (*vale*); nec cum illo societatem inire (*communio*), vel ut commensalis convivari (*mensa*).

B) *Casus excepti.* Licita est communicatio in civilibus cum vitando, quando excusat *necessitas*, vel *utilitas*, sive spiritualis, sive temporalis, tum ipsius excommunicati, tum fidelis cum vitando communicantis, tum alicujus tertii.

C) *Pœnæ contra communicantes.* Prohibitio illa communicandi cum vitando, licet *per se* non obliget sub mortali, nisi communicatio fiat in divinis, adhuc subsistit [1], eamque violantes aliquando quasdam pœnas subeunt.

§ II. De suspensione.

Hujus *naturam* et *effectus* expendemus.

1156. I. **Natura.** 1° *Notio.* Suspensio est "*censura quâ clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur*". Unde : a) solos clericos attingit, quia soli officio vel beneficio frui possunt, eoque privari; b) suspensio non privat ipsâ potestate ecclesiasticâ, sed tantum aufert *jus utendi* illâ potestate [2] : et sic differt a depositione [3], quæ ipso officio clericum privat.

2° *Species.* a) Suspensio *ab homine*, ferri potest triplici modo : — *ad cautelam*, ad scandala removenda, contra clericum crimine suspectum [4] : quæ suspensio non est pœna, sed simplex *prohibitio;* — vel per modum *pœnæ vindicativæ*, sive ad tempus, sive in perpetuum, in punitionem alicujus delicti; — vel per modum *pœnæ medicinalis*, donec delinquens resipiscat, et hæc est *proprie* censura. b) Suspensio potest esse *totalis* vel *partialis*, prout ex toto vel ex parte privat clericum usu potestatis ecclesiasticæ [5].

[1] *S. Officium*, 2 aug. 1893, *A. S. S.*, XXXI, 401. — [2] *Can.* 2279, § 1. [3] *Can.* 2303. — [4] *Codex*, c. 2222. — [5] *Codex*, c. 2278.

1157. II. **Effectus.** 1° Ille contra quem fertur suspensio *totalis*, ab officio *et* a beneficio suspenditur, id est, ab exercitio muneris spiritualis (*officio*), et a jure utendi bonis temporalibus huic muneri annexis (*beneficio*); non autem a jure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat [1]. — Censetur autem totalis suspensio quæ fertur absolute absque ullâ determinatione [2].

2° Suspensio autem *partialis* potest esse sive ab *officio*, sive a *beneficio*.

A) *Officium* duo comprehendit : potestatem *ordinis* et potestatem *jurisdictionis*.

a) *Suspensio* **ab officio simpliciter,** nullâ adjectâ limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et jurisdictionis, tum etiam meræ administrationis ex officio competentis, exceptâ administratione bonorum proprii beneficii [3].

b) *Suspensio* **a divinis** vetat omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet [4].

c) *Suspensio* **ab ordinibus** vetat omnem actum potestatis ordinis receptæ per ordinationem; *suspensio* **a certo** et definito **ordine exercendo** vetat omnem actum ordinis designati, eumdem ordinem conferre et superiorem recipere, receptumque post suspensionem exercere; *suspensio* **a certo** et definito ordine **conferendo** vetat ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem [5]. — Suspensus ab ordine, si actum ordinis sacri a quo suspensus est, solemniter exercet, fit irregularis [6].

d) Suspensio **a jurisdictione** generatim vetat omnem actum potestatis jurisdictionis pro utroque foro tam ordinariæ quam delegatæ. Imo *invalide* jurisdictionem exercet suspensus, si sit vitandus vel sub sententiâ declaratoriâ aut condemnatoria [7], et aliunde jurisdictio necessaria sit ad validitatem actûs; sed non fit irregularis. Suspendi etiam aliquis potest a *determinatis* actibus jurisdictionis : quo casu alios actus valide et licite exercere potest.

1158. B) *Suspensio* **a beneficio** privat *fructibus* beneficii exceptâ habitatione in ædibus beneficialibus, *non* autem *jure administrandi* bona beneficialia, nisi id expresse declaretur. — Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat,

[1] *Codex*, c. 2280. — [2] *Codex*, c. 2278. — [3] *Codex*. c. 2279, § 1.
[4] *Ibid.*, § 2. — [5] *Ibid.*, § 2. — [6] *Codex*. c. 985. — [7] *Codex*, c. 2265, 2283.

fructus restituere debet, et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus [1].

Si *communitas* seu *collegium clericorum* delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem. 1) Si primum, serventur regulæ superius expositæ. 2) Si alterum, communitas prohibetur exercitio jurium spiritualium quæ ipsi, uti communitati, competunt. 3) Si tertium, effectus cumulantur [2].

Clericus suspensus absolvi potest *a peccatis* per simplicem confessarium, antequam a suspensione reservatâ per superiorem absolvatur. Suspensio enim non privat receptione sacramentorum, excepto tamen ordine [3].

§ III. De Interdicto.

1159. I. **Notio.** *Interdictum* est *censura quâ fideles* in communione Ecclesiæ permanentes, prohibentur sacris infra indicatis.

Differt ab excommunicatione et suspensione. Excommunicatio enim "afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem; excommunicatio et interdictum, etiam laicos; suspensio, clericos tantum; interdictum, etiam locum; excommunicatio est semper censura; interdictum et suspensio possunt esse vel censuræ vel pœnæ vindicativæ, sed in dubio præsumuntur censuræ [4]."

1160. II. **Species et effectus.** Distinguendum est inter interdictum *personale* et interdictum *locale.*

1° *Interdictum* **personale** illud est quod immediate et directe afficit *personas eisque adhæret*, ita ut ubique locorum ei subjaceant.

Personaliter interdicti: **a**) nequeunt divina officia celebrare eisve, exceptâ prædicatione verbi Dei, assistere; passive assistentes non est necesse ut expellantur; sed ab assistentiâ activâ, quæ aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti; — **b**) prohibentur sacramenta, immo et post

[1] *Codex*, c. 2280. — [2] *Codex*, c. 2285.
[3] *Codex*, c. 2250. — [4] *Codex*, c. 2255, § 2.

sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, sacramentalia recipere; prohibentur etiam Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare; attamen fideles possunt sacramenta et sacramentalia petere ex quâlibet causâ ab interdicto simplici, a vitando autem tantum in necessitate periculi mortis, — c) prohibentur jure eligendi, præsentandi, nominandi, consequendi dignitates et officia in Ecclesiâ, recipiendi ordines et post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nequeunt gratiam ullam pontificiam valide consequi; — d) carent sepulturâ ecclesiasticâ post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam [1].

1161. 2° *Interdictum* **locale** illud est quod *directe afficit loca* et non personas, ita ut personæ in alio loco a divinis non arceantur.

A) Si immediate attingit aliquod *territorium*, v. g., regnum, civitatem, pagum, habetur *interdictum locale generale.*

Si aliud non fuit interdicti decreto expressum : a) permittitur clericis personaliter non interdictis omnia divina officia et sacros ritus privatim obire, januis clausis; b) in ecclesiâ vero cathedrali, ecclesiis parœcialibus vel in ecclesiâ quæ unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius missæ celebratio, asservatio ss. Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiæ, pœnitentiæ, assistentia matrimoniis, exclusâ benedictione nuptiali, mortuorum exsequiæ, prædicatio, etc., sed sine solemnitate [2].

B) Si interdictum immediate attingit *certa loca sacra*, v. g., hoc oratorium, hanc ecclesiam vel omnes ecclesias hujus loci, habetur *interdictum locale particulare.*

Quo casu, "si interdictum fuerit altare vel sacellum alicujus ecclesiæ, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur. Si interdictum fuerit cœmeterium, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu [3]." Si interdictæ fuerint ecclesiæ capitulares (capitulo non interdicto) vel parœciales, permittuntur sacri ritus sine solemnitate, nisi aliter disponat interdicti decretum [4].

Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, potest sacramenta recipere sine absolutione ab interdicto aliâve satisfactione [5].

N. B. "In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, ss. Corporis Christi et B. Mariæ Virginis in cælum assumptæ

[1] *Codex*, c. 2275. — [2] *Codex*, c. 2271. — [3] *Codex*, c. 2272, § 1-2.
[4] Ibid., § 3. — [5] *Codex*, c. 2276.

interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et solemnis nuptiarum benedictio[1]".

1162. Scholium. Interdicto proprie dicto affine est *interdictum ab ingressu ecclesiæ* et *cessatio a divinis.*

"Interdictum ab ingressu ecclesiæ secumfert prohibitionem ne quis in ecclesiâ divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur[2]".

Articulus III.

De Censuris latæ sententiæ in individuo.

1163. Prænotanda. — A) Censuræ latæ sententiæ hodie vigentes, in *Codice juris canonici* (c. 2314-2414) inveniuntur[3], cum aliis pœnis permixtæ; eas secernere opportunum duximus.

Præ oculis autem haberi debet his censuris innodari etiam delinquentium præcipuos complices ut constat ex can. 2231 et 2209 : "Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can. 2209, § 1-3, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eâdem pœnâ..." Porro can. 2209 sic se habet : "§ 1. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adjuncta alicujus culpabilitatem augeant vel minuant. § 2. In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquæque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adjunctis aliud appareat. § 3. Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum operâ commissum non fuisset."

Triplicis sunt generis : *excommunicationes, suspensiones* et *interdicta.*

---

[1] *Codex*, c. 2270, § 2 — [2] *Codex*, c. 2277.

[3] Legitur enim in canone 6, 5°: "Quod ad *pœnas* attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativæ, latæ vel ferendæ sententiæ, eæ tanquam abrogatæ censeantur."

§ I. De Excommunicationibus.

1164. Inter excommunicationes, quædam *S. Pontifici*, aliæ *Episcopis*, aliæ tandem *nemini* reservantur. Iterum, ex jure novo, quædam S. Pontifici reservantur *specialissimo modo*, aliæ *speciali modo* et aliæ *simpliciter*.

Jamvero ad absolvendum a censurâ Sedi Apostolicæ reservatâ, cuilibet, præter R. Pontificem, requiritur delegata potestas, sive *generalis*, si censura *simpliciter* sit reservata, sive *specialis*, si modo speciali reservata, sive *specialissima*, si reservata specialissimo modo [1], exceptis tamen casibus urgentioribus, de quibus in *Tr. de Pœnitentiâ* agitur.

I. Excommunicationes R. Pontifici specialissimo modo reservatæ.

Quatuor in Codice numerantur :

1165. I. " *Qui species consecratas abjecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de hæresi ; incurrit in excommunicationem latæ sententiæ specialissimo modo Sedi Apostolicæ reservatam ; est ipso facto infamis, et clericus præterea est deponendus* [2] ".

Ex hoc canone constat eum qui modis designatis Venerabile Altaris sacramentum violaverit, præter suspicionem de hæresi (et sanctiones ex hâc suspicione sequentes, can. 2315), infamiam ipso facto contractam cum suis consectariis (can. 2294) et depositionem *ferendæ sententiæ* (can. 2303), incurrere insuper ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam modo *specialissimo*, cum consectariis talis reservationis indicatis canonibus 2247, § 3, 2249, § 2; 2252, 2253, 2254.

1166. II. " *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis injecerit, excommunicationem contrahit latæ sententiæ Sedi Apostolicæ specialissimo modo reservatam ; et est ipso facto vitandus* [3] ".

1167. III. " *Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi apostolicæ reservatam ; idque etiam*

---

[1] *Codex*, c. 2253. — De absolutione a censuris agimus in *Tr. de Pœnitentiâ ;* interea legantur canones Codicis 2247-2254.

[2] *Codex*, c. 2300. — [3] *Codex*, c. 2343.

in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliquâ exoriturâ infamiâ et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est [1]."

1168. IV. "*Confessarius, qui sigillum Sacramentale* **directe** *violare præsumpserit* [2]".

Directe violatur sigillum sacramentale quando expresse revelatur quod est materia sigilli, simulque designatur persona quæ id fecerit.

N. B. Hic addi potest excommunicationem *ab homine*, quam aliquando fert S. Pontifex, ipsi esse specialissimo modo reservatam.

II. Excommunicationes R. Pontifici speciali modo reservatæ.

Undecim in *Codice* recensentur :

1169. I. "*Omnes a christianâ fide apostatæ et omnes et singuli hæretici aut schismatici* [3]".

Præterea "si sectæ acatholicæ nomen dederint vel publice adhæserint, ipso facto infames sunt; et... clerici, monitione incassum præmissâ, degradentur [4]."

Hæresi autem faventes non excommunicantur ipso facto, sed sunt *suspecti* de hæresi : "Qui quoquo modo hæresis propagationem sponte et scienter juvat, aut qui communicat in divinis cum hæreticis... *suspectus* de hæresi est [5]."

Suspectus de hæresi non cadit sub excommunicatione, nisi sit *obstinatus*, infra, n.

1170. Quoad absolutionem hujus censuræ, hæc notentur : Si delictum apostasiæ, hæresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius generalis sine

[1] *Codex*, c. 2367. — [2] *Codex*, c. 2369. — [3] *Codex*. c. 2314, § 1. — [4] *Ibid.*

[5] *Codex*, c. 2316. Can. 2315 statuit quibus pœnis percelli possit suspectus de hæresi, et addit : "Si intra sex menses... sese non emendaverit, habeatur tanquam hæreticus, hæreticorum pœnis obnoxius."

mandato speciali, resipiscentem, prævià abjuratione juridice peractâ aliisque servatis de jure servandis, suâ auctoritate ordinariâ in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiæ. Abjuratio vero habetur juridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel ejus delegato et saltem duobus testibus [1].

Auctoritate autem *delegatâ*, vi Indulti quinquennalis n. 3, absolvere poterant episcopi a peccato hæresis etiam ad forum externum non deducto, sub certis quibusdam conditionibus; sed, ex decreto *S. C. Consistorialis* 25 April. 1918, hujusmodi facultates jam cessaverunt; nisi igitur specialia obtineantur Indulta, ad S. Sedem recurrendum est pro singulis casibus.

In conversione hæreticorum, præ oculis habenda est Instructio S. Officii 20 Jul. 1859 (Collect. 2ª ed., n. 1178). Primo inquirendum est de validitate baptismi in hæresi suscepti : (**a**) Si *certo invalidus* æstimatur, baptizandi erunt absolute : tunc nulla requiretur abjuratio nec absolutio; (**b**) Si *dubie validus* fuit, 1) abjurationem seu fidei professionem emittant; 2) postea sub conditione iterum baptizentur; 3) denique confessionem sacramentalem instituant, et conditionate absolvantur; (**c**) si *certo validus*, sola recipitur abjuratio seu fidei professio, quam absolutio a censuris (et a peccatis) sequitur. Si tamen neoconversus valde desideret ut ritus in ejus baptismo olim omissi hâc occasione suppleantur, huic voto satisfacere sacerdoti licet [2].

1171. II. "*Opere publici juris facto, editores librorum apostatarum, hæreticorum et schismaticorum, qui apostasiam, hæresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debitâ licentiâ legentes vel retinentes* [3]".

Hic nomine *librorum* non intelliguntur manuscripta, ephemerides, diaria, publicationes periodicæ sigillatim sumptæ, libri ab hæreticis primorum sæculorum scripti...; intelliguntur veri libri apostatarum et hæreticorum non quidem si tantùm contineant, sed si *propugnent* hæresim, — et libri a quocumque auctore scripti, sed per litteras ab ipso R. Pontifice ejusve nomine datas, nominatim, expresso libri titulo, damnati sub pœnâ excommunicationis

[1] *Codex*, c. 2314, § 2.

[2] Cf. alias quæstiones practicas apud *Gennari*, *Cons. Moral.*, 122.

[3] *Codex*, c. 2318.

R. Pontifici reservatæ. — Excommunicatione autem plectuntur ii qui *scienter* legunt intelligendo quæ scripta sunt, aut retinent aut edunt aut defendunt quomodolibet hos libros. Hi autem defendunt libros qui eorum auctores vel doctrinas laudant aut tuentur præcise quatenus hæresim aut schisma propugnant vel continent.

Episcopi olim, vi Indulti, potestatem delegatam habebant "absolvendi a censuris ob *retentionem et lectionem librorum prohibitorum* incursis : injunctâ congruâ pœnitentiâ salutari; necnon firmâ obligatione tradendi, prout de jure, sive per se, sive per alium, absque ullâ morâ, et, quantum fieri poterit, ante absolutionem, libros prohibitos quos pœnitens in suâ potestate retineat." (*Indult. S. Pœn.*, n. 5). Hodie ad S. Sedem recurratur.

1172. III. "*Omnes et singuli cujuscumque statûs, gradûs seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiæ fuerint, a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de hæresi, et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam*[1]".

Hâc excommunicatione plectuntur *appellantes* a quâcumque ordinatione R. Pontificis quâ talis ad Concilium, etiam præsens, legitime congregatum, non autem ad futurum Papam; attamen hoc ultimo casu appellantes difficile effugiunt excommunicationem contra hæreticos et schismaticos latam. — Insuper appellantes sunt de *hæresi suspecti*, ideoque pœnis obnoxii in canone 2315 recensitis.

1173. IV. "*Violentas manus injicientes in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, etiam titularis tantum*[2]".

1174. V. "*Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ edunt; qui impediunt directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem*[3]".

---

[1] *Codex*, c. 2332. — [2] *Codex*, c. 2343.

[3] *Codex*, c. 2334. — In antiquo textu legebatur "et ad hoc recurrentes"; in *Codice* autem *et* omittitur, ideoque ii solum excommunicantur qui *de facto* impediunt exercitium jurisdictionis.

Quam pœnam incurrunt : 1° **edentes** *leges*...

a) *Edentes*, qui videlicet aliquam legislativam potestatem participant, vel debent *concurrere* ut lex aliqua vim legis obtineat.

b) Edentes *leges* proprie dictas, vel *mandata* aut *decreta* lata ad complementum legis aut ad ejus practicam exsecutionem, non autem *sententias* judiciales, — bene vero *ordinationes stabiles* a magistratibus *provincialibus* vel *municipalibus* latas, quæ pro provinciâ vel urbe legibus æquiparantur.

c) *Contra libertatem aut jura Ecclesiæ.* His verbis designatur non solum exercitium potestatis ecclesiasticæ, sed quodvis jus Ecclesiæ competens, ut jus docendi, jus conferendi beneficia, jus publicas supplicationes obeundi, jus acquirendi et possidendi, etc.[1]...

1175. 2° **Impedientes** exercitium jurisdictionis proprie ecclesiasticæ, quâ fideles ad vitam æternam reguntur :

Scilicet, ii qui *injuste* per quamdam coactionem, physicam vel moralem, *efficaciter* obstaculum ponunt ne quis actum jurisdictionis, quem in promptu habet, exerceat; quod sane præstant ad hoc *recurrentes* ad *quamlibet* laicalem potestatem sive summam, sive intermediam, sive infimam, sicuti est potestas magistratûs municipalis, v. g., qui episcoporum ordinationibus et decretis circa neutrales et impias scholas obsistunt, recurrendo ad quamlibet laicalem auctoritatem.

1176. VI. "*Qui ausus fuerit ad judicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicæ, vel Officialibus majoribus Romanæ Curiæ ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium*[2]".

Quæ censura incurritur non solum a legislatoribus aliisque

[1] Notandum jam viguisse ex constitutione *Apostolicæ Sedis* hanc excommunicationem latam contra eos qui leges vel decreta libertati aut juribus Ecclesiæ opposita ediderunt. Unde hujusmodi excommunicationi obnoxii fuerunt et manent *usque ad absolutionem*, Deputati et Senatores qui pro legibus gallicis contra associationes religiosas (1 jul. 1901) et de Separatione Ecclesiæ et Statûs (9 déc. 1905) suum suffragium dederunt, etiamsi post completum necessarium numerum suffragantium votum suum dederint; *Præses Reipublicæ* qui eas promulgavit; *Ministri* qui decreta ad earum exsecutionem ediderunt.

[2] *Codex*, c. 2341.

auctoritatibus, sed etiam a *privatis* qui prædictas personas ecclesiasticas ad tribunal laicorum vocent ibique adesse compellant.

1177. VII. " *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causâ sive eos ad quos pertinent litteræ vel acta sive alios lædentes vel perterrefacientes* [1] ".

Hic agitur de *actis quibuslibet* sive R. Pontificis, sive S. Congregationum, sive Legatorum, Nuntiorum, vel Delegatorum Sedis Apostolicæ, modo jam *profecta* sint.

Hanc excommunicationem incurrunt : 1° qui *recurrunt* efficaciter ad laicam *potestatem* ad illa acta impedienda; 2° qui directe per edictum, vel indirecte per facta, *prohibent* eorum promulgationem aut eorum exsecutionem, etiamsi, non obstante edicto, promulgatio postea fiat vel actus exsecutioni mandetur; 3° qui eorum causâ, scilicet, ad impediendum actorum promulgationem vel exsecutionem, *lædunt*, vel minis gravibus *perterrefaciunt* sive ipsas partes sive alios cum partibus conjunctos.

1178. VIII. " *Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicæ vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes* [2] ".

Hic agitur de litteris *officialibus*, *non* autem *privatis*, non solum R. Pontificis, sed etiam R. Congregationum. Excommunicantur autem : a) *fabricatores* ii scilicet qui ex integro hæc documenta effingunt; b) *falsarii*, id est, qui in eisdem aliquid mutant, addunt, demunt, ita ut sensus mutetur; non autem qui errores aut menda corrigunt; c) *utentes* iisdem litteris, et quidem *scienter*, id est, cum plenâ advertentiâ et libertate, ad quædam commoda sive sibi sive aliis extorquenda.

1179. IX. " *Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia* [3] ".

1180. X. " *Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si missæ celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit* [4] ".

Quæ excommunicatio novo jure statuitur.

1181. XI. " *Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit,*

[1] *Codex*, c. 2333. — [2] *Codex*, c. 2360. — [3] *Codex*, c. 2345.

[4] *Codex*, c. 2322. — Insuper si ita agens sit clericus, deponatur; si laicus, privetur pensione aut munere si quod habeat in Ecclesiâ, aliisque pœnis puniatur.

ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicæ reservatam, a quâ nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit impositâ insuper gravi ac diuturnâ pœnitentiâ [1] ".

Aliunde peccatum hujusmodi calumniosæ denuntiationis est *ratione sui reservatum Sanctæ Sedi* [2], quando denuntiatio fit aut renovatur coram *judice ecclesiastico.*

Notetur : **a**) esse de *hæresi suspectos :* 1) eos qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam (can. 2319); 2) parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholicâ educandos vel instituendos scienter tradunt (can. 2319); 3) eum qui species consecratas abjecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (can. 2320); 4) qui obdurato animo per annum insorduerit in censurâ excommunicationis (can. 2340); 5) qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia sacramenta ministraverint vel receperint (can. 2371); 6) " qui quoquo modo hæresis propagationem sponte et scienter juvat, aut qui communicat in divinis cum hæreticis..." (can. 2316);

b) has sanctiones edici contra suspectum de hæresi : " suspectus de hæresi qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus præterea, repetitâ inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contractâ pœnâ completos suspectus de hæresi sese non emendaverit, *habeatur tanquàm hæreticus, hæreticorum pœnis obnoxius* ". Ex his ultimis verbis satis apparet suspectum de hæresi *tam pertinacem*, statim incurrere excommunicationem specialiter S. Sedi reservatam. Quod confirmatur ex *Indice analytico-alphabetico* Codici *apposito*, v° *Excommunicatio.*

III. Excommunicationes R. Pontifici simpliciter reservatæ.

Undecim tantum recensentur in *Codice*, quarum duæ sunt novæ nempe IX et XI.

1182. I. " *Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem præbentes, necnon de industriâ spectantes illudque permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint* [3] ".

---

[1] *Codex*, c. 2363.
[2] *Codex*, c. 894. — [3] *Codex*, c. 2351.

1° *Quâ excommunicatione plectuntur :*

A) Ipsi *duellantes*, id est, qui perpetrant duellum; imo, et qui *provocat* alium ad duellum, vel qui *acceptat*, etiamsi revera duellum non sequatur;

B) *Quamlibet operam aut favorem præbentes*, id est, a) : omnes et singuli ad duellum quomodolibet *cooperantes;*

Sic : *patrini*, nisi hoc munus acceptent cum intentione et spe duellum omnino impediendi; — *jubentes* ut duellum fiat; — *suadentes*, vel *consulentes*, si consilium vel ratio fuerit per se efficax, et duellum sequatur; — *medicus* qui, rogatus a duellantibus, assistit duello; — *medicus et confessarius* qui, *ex condicto cum duellantibus*, in domo vicinâ vel in loco propinquo sistunt.

b) *De industriâ spectantes*, etiam merâ curiositate, non vero illi qui aspiciunt casu transeuntes, vel in secreto, nec qui locum certaminis adeunt ut duellum omnino impediant;

c) Duellum positive *permittentes*, imo et illi qui, auctoritate pollentes, illud *non prohibent, quantum in ipsis est*, cum illud prohibere debent et valent.

1183. 2° **Jure delegato, episcopi olim absolvebant** "a censuris contra *duellantes* statutis, in casibus dumtaxat ad forum Ordinarii non deductis : injunctâ gravi pœnitentiâ salutari, et aliis injunctis quæ fuerint de jure injungenda [1]". Hodie adeatur S. Sedes.

1184. II. "*Nomen dantes sectæ massonicæ aliisve ejusdem generis associationibus quæ contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur* [2]".

1° Agitur de societatibus quarum membra, sub iisdem ducibus, ad eumdem finem tendunt, nempe finem in canone recensitum, sive exigatur secretum, sive non.

Prohibitis associationibus assimilantur societates *nihilistarum* aliæve iis similes, necnon societates *crematoriæ* cadaverum si massonicis sectis sint affiliatæ.

Tacetur quidem in *Codice* obligatio denuntiandi duces et coriphæos sectarum massonicarum; sed, ex can. 2336, § 2, "clerici et religiosi nomen dantes sectæ massonicæ aliisque similibus associationibus denuntiari debent S. Cong. S. Officii."

2° Olim, vi Indulti [3], ab hâc excommunicatione Episcopi absolvere poterant eos qui vetitis sectis nomen dederant sub certis quibusdam conditionibus; sed, cum hodie hoc Indultum cessaverit, ad S. Sedem recurrendum est.

1185. III. "1° *Clausuram monialium violantes, cujuscumque generis aut conditionis vel sexûs sint, in earum monasteria sine legitimâ licentiâ ingrediendo, pariterque eos*

[1] *Indult. Pœnit.* n. 2. — [2] *Codex*, c. 2335. — [3] *Indult. Pœniten.*, n. 7.

introducentes vel admittentes [1]*; 2° mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliique, quicumque ii sint, eas cujuscunque ætatis introducentes vel admittentes...; 3° moniales e clausurâ illegitime exeuntes contra præscriptum can.* 601 ".

1° Vi igitur hujus canonis *excommunicantur :* a) *violantes clausuram monialium* [2], etiam feminæ, nisi habeant licentiam in monasterium ingrediendi a superiore competente, in casu necessitatis, legitime datam; præterea *introducentes* vel *admittentes* eos qui clausuram violant; b) *mulieres violantes regularium virorum clausuram*, non vero viri; et insuper quicunque (superiores vel alii) domi sunt et domûs sunt (non autem extranei) mulieres recipiunt in clausuram aut in eâ retinent, vel earum admissionem non prohibent, cum possint et ex officio debeant eam prohibere.

c) *Moniales illegitime exeuntes* contra can. 601, qui sic se habet : " Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis prætextu, sine speciali S. Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est ab Ordinario ".

1186. 2° Jure delegato hodie suppresso *episcopi* absolvere poterant " a censuris ob violationem *clausuræ Regularium utriusque sexûs*, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem [3] etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum Ordinarii deducti, cum congruâ pœnitentiâ salutari; — et, insuper, absolvere *mulieres tantum* a censuris et pœnis ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem clausuræ virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant : injunctâ gravi pœnitentiâ salutari, cum prohibitione accedendi ad ecclesiam, aut conventum, seu cœnobium dictorum religiosorum, durante occasione peccandi [4] ". Hodie S. Sedes adeatur.

1187. IV. " *Delictum perpetrantes simoniæ in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis* [5] ".

Quid sit simoniæ delictum jam exposuimus n. 935.

---

[1] " Si clerici sint, præterea suspendantur per tempus pro gravitate culpæ ab Ordinario definiendum " (C. 2341, 1°).

[2] Hic agitur de monialibus quales describuntur in *Codice ipso*, c. 488 : " Veniunt nomine monialium, religiosæ votorum solemnium, aut nisi ex rei naturâ vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosæ quarum vota ex instituto sunt solemnia sed pro aliquibus locis ex Apostolicæ Sedis præscripto sunt simplicia. "

[3] Per malum finem intelligitur intentio peccandi contra castitatem.

[4] *Indult. Pœnitent.*, n. 4. — [5] *Codex*, c. 2392.

1188. V. "*Quæstum facientes ex indulgentiis*[1]".

Id est, accipientes pecuniam vel aliquid pretio æstimabile pro concessione vel publicatione indulgentiarum.

1189. VI. "*Absolvere præsumentes sine debitâ facultate ab excommunicatione latæ sententiæ specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicæ reservatâ*[2]".

Quod quidem intelligi debet de casibus in quibus non est periculum mortis vel urgens necessitas.

1190. VII. "*Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuerit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes*[3]".

Secunda pars attingit tantummodo *clericos* qui, plenâ advertentiâ et libertate, cum excommunicato *vitando* communicant *in divinis*, id est, sive in officiis liturgicis illum auctoritative admittunt, ut *obeat* functiones sacras, sive eum in divinis officiis *recipiunt* ut eisdem assistat vel sacra recipiat.

1191. VIII. "*Si quis bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare præsumpserit aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subjaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, prædictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolicâ absolutionem impetraverit*[4]".

1° *Bona* de quibus agitur sunt non tantum ea quæ ad Ecclesiam collective pertinent, sed ea etiam quæ ad personas privatas ecclesiasticas pertinent ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum : hujusmodi sunt bona seminariorum, monasteriorum, diœceseon, nosocomiorum, montium pietatis et aliorum locorum piorum *auctoritate ecclesiasticâ* erectorum, et ab Ecclesiâ administratorum.

2° *Attinguntur* omnes qui *scienter in proprios usus convertunt* bona hujusmodi usurpata, vel auctoritative *impediunt ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur.* Unde excommunicantur non solum primi usurpantes, sed *omnes successivi detentores*, imo et eadem bona in *locationem* accipientes[5]. Illi vero qui horum bonorum emunt *fructus naturales*, licet per se non effugiant

[1] *Codex*, c. 2327. — [2] *Codex*, c. 2338, § 1.
[3] *Codex*, c. 2338, § 2. — [4] *Codex*, c. 2346.
[5] *S. Pœn.*, 5 Aug. 1907, *Canoniste*, 1908, p. 684

excommunicationem, absolvi possunt, impositâ tamen eleemosynâ in favorem legitimi domini, si emerint infra justum pretium [1].

3° *Excommunicationem non incurrunt* civitatis consiliarii, eorumque Major (le Maire), qui bonum ecclesiasticum, non in proprios sed *in communes urbis usus* acquirunt [2]; nec qui etiam libere accepit munus *administrandi* bona ecclesiis seu monasteriis erepta (liquidateur, séquestre); nec a fortiori qui minus principaliter cooperantur, v. g., notarii scribæ [3]. Excommunicatio enim attingit *ipsos* usurpantes et detinentes, non eorum *complices*, nisi excipias clericum qui in hoc delicto consentiens fuerit.

1192. 4° *Absolutio hujus censuræ* dari non debet nisi post *restitutionem* bonorum injuste detentorum. In Galliâ autem, episcopi specialibus facultatibus donati sunt, ut ad *compositionem* admittere valeant hujusmodi detentores bonorum ecclesiasticorum, eisque absolutionem impertiri; valent etiam in multis casibus ad emendum vel locandum licentiam dare [4]. Similes facultates episcopis Italiæ antea concessæ fuerant.

1193. IX. "*Si quis contra præscriptum can.* 120 *ausus fuerit ad judicem laicum trahere... alium Episcopum (scilicet non Ordinarium proprium) etiam mere titularem, aut Abbatem vel Prælatum nullius, vel aliquem ex majoribus religionum juris pontificii Superioribus (contrahit) excommunicationem latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam* [5]..."

1194. X. "*Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium etiam civiliter tantùm contrahere præsumentes, incurrunt in excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam* [6]..."

1195. XI. "*Vicarius capitularis aliive omnes tam de Capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se, sive per alium subtraxerint*

---

[1] *Ibid.*, ad 3um. — [2] *S. Pæn.*, 3 Jan. 1906, *A. S. S.*, vol. XL, p. 249.

[3] *S. Pæn.*, 17 Sept. 1906, *Canoniste*, 1907, p. 194.

[4] *Secr. St.*, 24 Sept. 1907, *A. S. S.*, vol. XLI, p. 202-209. Cf. suprà, n. 492, cum notâ.

[5] *Codex*, *Can.*, 2341. — Quæ censura nova est, nonnisi implicite contenta in n° VII Bullæ *Apost. Sedis*.

[6] *Codex*, c. 2388.

vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam [1] ".

Hic etiam notandum censuras, quæ incurruntur revelatione secreti *S. Officii*, S. Pontifici reservari, can. 239 § 1.

IV. Excommunicationes Ordinariis reservatæ.

Sex in *Codice* numerantur :

1196. I. " *Procurantes abortum, matre non exceptâ, effectu secuto* [2] ".

Ita rejicitur opinio hucusque probabilis quæ matrem ab excommunicatione excipiebat.

Ad incurrendam autem hanc censuram, requiritur ut abortus fuerit *procuratus*, id est, ex industriâ quæsitus et directe volitus, et vere sequatur. *Complices* autem proprie dicti eam pariter incurrunt ex dictis n. 1163.

1197. II. " *Catholici qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra præscriptum c.* 1063 *; — qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra Catholicam Ecclesiam; — qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre præsumunt; — parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholicâ educandos vel instituendos scienter tradunt* [3] ".

Quæ omnia in *Tr. de Matrimonio* declarabuntur. Notetur tantùm excommunicationem incurri ab eis qui sive *per se* sive per *procuratorem* matrimonium ineunt coram acatholico ministro contra can. 1063.

1198. III. " *Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicæ fidelium venerationi exponit* [4] ".

1199. IV. *Qui in personam aliorum clericorum* (i. e. infra episcopos) *vel utriusque sexûs religiosorum violentas manus injiciunt* [5].

1200. V. *Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis itemque omnes cum aliquâ ex prædictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere præsumentes* [6].

---

[1] *Codex*, c. 2405. — [2] *Codex*, c. 2350. — [3] *Codex*. c. 2319.
[4] *Codex*, c. 2326. — [5] *Codex*, c. 2343. § 4. — [6] *Codex*, c. 2388.

1201. VI. "*Religiosus apostata a religione, ipso jure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori majori, vel si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam*[1]".

1202. *Scholion.* Hic opportunum duximus animadvertere Superiores potestatem coactivam habentes, in applicandis pœnis *ferendæ sententiæ*, can. 2223 attendere debere :

" § 1. In pœnis applicandis judex nequit pœnam determinatam augere, nisi extraordinaria adjuncta aggravantia id exigant.

§ 2. Si lex in statuendâ pœnâ ferendæ sententiæ *facultativis verbis* utatur (v. g. *pro suo prudenti arbitrio puniat*), committitur prudentiæ et conscientiæ judicis eam infligere, vel si pœna fuerit determinata, temperare.

§ 3. Si vero lex utatur verbis *præceptivis* (v. g. *suspendatur, inhabilis declaretur*, etc.), ordinarie pœna infligenda est; sed conscientiæ et prudentiæ judicis vel Superioris committitur : 2° pœnæ applicationem ad tempus magis opportunum differre, si ex præproperâ rei punitione majora mala eventura prævideantur; 2° a pœnâ affligendâ abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus prævideatur pœnis auctoritate civili sancitis; 3° pœnam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium pœnale adhibere aut aliquam pœnitentiam injungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed judex vel Superior opportunam præterea ducat mitiorem aliquam punitionem.

§ 4. Pœnam latæ sententiæ declarare generatim committitur prudentiæ Superioris; sed sive ad instantiam partis cujus interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet",

V. Excommunicationes nemini reservatæ.

Quinque jure novo recensentur :

1203. I. "*Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticæ sepulturæ infideles, apostatas a fide, vel hæreticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos, sive interdictos contra præscriptum can.* 1240, § I", *id est, excommunicatos vel interdictos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam*[2].

Hæc censura non plectit *sepelientes*, neque *admittentes* ad sepulturam, sed tantum *mandantes* (auctoritative) et *cogentes* (physice vel moraliter) sepeliri *in loco sacro* (ad sepulturam auctoritate episcopi deputato, et rite benedicto), *vel ritu catholico*, unum ex prædictis.

---

[1] *Codex*, c. 2385. — [2] *Codex*, c. 2339.

1204. II. " *Si beneplacitum apostolicum* (ad alienanda bona ecclesiastica quorum valor superet triginta millia francorum requisitum ex can. 534 et 1532) *fuerit scienter prætermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum præbendo, manet excommunicatio latæ sententiæ nemini reservata* [1] ".

Quæ excommunicatio incurritur etiam quando, sine beneplacito apostolico, contrahuntur debita et obligationes ultra præfatam summam, ut constat ex can. 534. Insuper tales contractus sunt jure ecclesiastico invalidi.

1205. III. " *Fidelis qui scienter omiserit eum a quo sollicitatus fuerit intra mensem denuntiare contra præscriptum can.* 904 [2] ".

Quod declarabitur in *Tr. de Pœnitentiâ.*

1206. IV. " *Omnes quâlibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam* [3] ".

1207. V. " *Auctores et editores qui sine debitâ licentiâ sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant* [4] ".

1208. Quibus excommunicationibus addi possunt eæ quibus in Const. Pii PP. X. " *Vacante Sede Apostolicâ* " percelluntur : *Rei simoniæ criminis in electione Romani Pontificis; — qui, vivente R. Pontifice et eo inconsulto, tractare præsumunt, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, de ipsius successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hâc de causâ privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere; — Cardinales aliive omnes in Conclavi partem habentes qui a quâvis civili potestate munus recipiant veto sive Exclusivam proponendi* [5].

§ II. Suspensiones latæ sententiæ.

I. Suspensiones S. Sedi reservatæ.

Sex in *Codice* computantur :

1209. I. " *Capitula, conventus aliique omnes ad quos*

[1] *Codex*, c. 2347, 3°. — [2] *Codex*, c. 2368.

[3] *Codex*, c. 2352. — [4] *Codex*. c, 2318, § 2.

[5] Constitutio Pii PP. X *Vacante Sede Apostolicâ*, 25 dec. 1904, n. 79-81, ad calcem *Codicis.*

spectat admittentes ante litterarum præsentationem electos, præsentatos vel nominatos ad beneficium vel dignitatem ecclesiasticam, ipso facto a jure eligendi, nominandi vel præsentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicæ [1] ".

Notetur hanc suspensionem non posse absolvi nisi a S. Sede vel ab ejus delegato, ob verba : *ad beneplacitum.*

1210. II. " *In suspensionem per annum ab Ordinum collatione Sedi Apostolicæ reservatam ipso facto incurrunt :* 1) *qui alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint* (contra præscriptum can. 955); 2) *qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint* (contra præscriptum can. 993, 994); 3) *qui aliquem ad ordines majores sine titulo canonico promoverint* (contra præscriptum can. 974, § 1, n. 7); 4) *qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quæ sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere de quibus in can.* 966 ", id est, nisi constiterit Episcopum diœcesanum esse vel consentientem vel diversi ritûs vel absentem, vel ordinationem non habiturum proximo legitimo tempore [2].

1211. III. " *Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicæ reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines præsumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, hæretico, schismatico; qui vero bonâ fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur* [3] ".

1212. IV. " *Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi, vel loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra præscriptum can.* 953, *ipso jure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit* [4] ".

1213. V. " *Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti*

[1] *Codex*, c. 2394, 3°. — [2] *Codex*, c. 2373.
[3] *Codex*, c. 2372. — [4] *Codex*, c. 2370.

fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de hæresi; clerici præterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicæ reservatam [1] ".

1214. VI. " *Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abjiciatur, si in majoribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicæ aliter visum fuerit* [2] ".

II. Suspensiones non reservatæ S. Sedi.

Novem in *Codice* recensentur :

1215. I. *Clericus qui, non obtentâ ab Ordinario loci licentiâ personam privilegio fori fruentem ausus fuerit ad judicem laicum trahere, ipso facto incurrit in suspensionem ab officio reservatam Ordinario* [3]. — Vide supra, n. 1176, 1193.

1216. II. " *Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio* **Superiori majori reservatam** si sit in sacris [4] ".

1217. III-IV. " *Sacerdos qui sine necessariâ jurisdictione præsumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus* [5] ".

1218. V. " *Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam ætatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus* [6] ".

1219. VI. " *Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare præsumserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit* [7] ".

1220. VII. " *Abbas vel Prælatus* nullius *qui benedictionem non receperit, est ipso facto a jurisdictione suspensus* [8] ".

1221. VIII. " *Vicarius capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra præscriptum* can. 958, § 1, n. 3, *ipso facto subjacet suspensioni a divinis* [9] ".

1222. IX. " *Superiores religiosi qui, contra præscriptum*

[1] *Codex*, c. 2371. — [2] *Codex*, c. 2387. — [3] *Codex*, c. 2341.
[4] *Codex*, c. 2386. — [5] *Codex*, c. 2366. — [6] *Codex*, c. 2374.
[7] *Codex*, c. 2400. — [8] *Codex*, c. 2402. — [9] *Codex*, c. 2409.

can. 965-967, *subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere præsumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missæ Celebratione* [1] ".

1223. Insuper " *qui officium, beneficium, dignitatem obtinet cum onere residentiæ, si illegitime absit, eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimæ absentiæ, eosque tradere debet Ordinario qui ecclesiæ vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat* [2] ".

§ III. Interdicta.

Quatuor in *Codice* numerantur :

1224. I. *Universitates, Collegia, Capitula aliœve personæ morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appelantes, interdictum speciali modo Sedi Apostolicæ reservatum incurrunt* [3].

1225. II. " *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure contrahunt, donec arbitrio ejus cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint* [4] ".

1226. III. " *Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti* [5] ".

1227. IV. *Sponte sepulturam ecclesiasticam donantes infidelibus, apostatis a fide, vel hæreticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis sive interdictis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiæ Ordinario reservatum* [6] ".

Scholion : recensentur præcipuæ aliæ pœnæ.

1228. Abs re non erit præcipuas alias pœnas in *Codice* recensitas enumerare :

1229. 1° *Ipso jure infames sunt :* **a**) qui sectæ acatholicæ nomen dederint vel publice adhæserint [7]; **b**) qui species consecratas abje-

[1] *Codex*, c. 2410. — [2] *Codex*, c. 2381. — [3] *Codex*, c. 2332.
[4] *Codex*, c. 2338, § 3. — [5] *Ibid.*, § 4. — [6] *Codex*, c. 2339. — [7] *Codex*, c. 2314.

cerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint [1]; **c**) qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverint [2]; **d**) qui violentas manus injecerint in personam R. Pontificis, Cardinalis vel Legati R. Pontificis [3]; **e**) duellantes et qui eorum patrini vocantur [4]; **f**) bigami, i. e., qui, obstante conjugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum *civile*, ut aiunt, attentaverint [5]; **g**) laici legitime damnati ob delicta graviora contra sextum [6]; **h**) insuper clerici in minoribus constituti, rei alicujus delicti contra sextum, pro gravitate culpæ puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adjuncta id suadeant.

Jamvero "qui infamiâ juris laborat, non solum est irregularis ad normam can. 984, n. 5, sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendum, ad exercitium juris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo [7]".

Infamia autem *facti* laborat qui "ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo judicium spectat ad Ordinarium [8]".

1230. 2° *Ipso jure* exclusi habentur ab *actibus legitimis ecclesiasticis :* **a**) raptores mulierum (can. 2353), **b**) laici legitime damnati propter quædam atrociora crimina (can. 2354); **c**) catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiæ dispensatione inire ausi fuerint (can. 2375); **d**) religiosi, apostatæ a religione (can. 2385).

Debent autem excludi sententiâ *ferendæ sententiæ* ab actibus legitimis : **a**) qui infamiam facti incurrunt (c. 2294, § 2); **b**) suspectus de hæresi qui monitus causam suspicionis non removeat (c. 2315); **c**) qui suicidium attentant (c. 2350, § 2); **d**) legitime damnati propter delicta contra sextum, publice adulteri et concubinarii (can. 2357).

1231. "Nomine autem *actuum legitimorum ecclesiasticorum* significantur : munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere judicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris justitiæ et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis Baptismi et Confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; jus patronatûs exercere [9]".

---

[1] *Codex*, c. 2320. — [2] *Codex*, c. 2328. — [3] *Codex*, c. 2343.

[4] *Codex*, c. 2351. — [5] *Codex*, c. 2356. — [6] *Codex*, c. 2357.

[7] *Codex*, c. 2294, § 1. — Ex can. 2293 "infamia *juris* illa est quæ casibus jure communi expressis statuitur".

[8] *Codex*, c. 2293, § 3. — [9] *Codex*, c. 2256, 2°.

APPENDIX

De prævia censura librorum eorumque prohibitione

1232. Duo in *Codice* statuuntur hâc de re : 1° *prævia* quorumdam librorum *censura*; 2° quorumdam *prohibitio*. "Quæ sub hoc titulo de *libris* præscribuntur, publicationibus, diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet [1]".

I. — De prævia librorum censura

1233. 1° Quidam libri edi nequeunt *etiam a laicis*, nisi præcesserit censura ecclesiastica, quam "dare potest vel loci *Ordinarius proprius auctoris*, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines *publici juris* fiant, vel Ordinarius loci in quo *imprimantur*, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eumdem certiorem fecerit de denegatâ ab alio licentiâ [2]".

Jamvero ii libri sunt : "a) Libri sacrarum Scripturarum vel eorumdem adnotationes et commentaria; b) libri qui divinas scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve hujusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ aliique hujusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit; c) imagines sacræ quovis modo imprimendæ, sive preces adjunctas habeant, sive sine illis edantur [3]".

Insuper "in diariis, foliis, vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, nec *laici catholici* quidpiam conscribant, nisi justâ ac rationabili causâ suadente, ab Ordinario loci probatâ [4]".

1234. 2° *Clerici sæculares* vetantur sine consensu suorum Ordinariorum, et *religiosi* sine licentiâ sui superioris majoris et Ordinarii loci, libros quoque edere qui de rebus *profanis* tractent, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari [5].

1235. 3° Requiritur *expressa licentia Sedis Apostolicæ* "ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum sum-

[1] *Codex*, c. 1384, § 2. — [2] *Codex*, c. 1385, § 2.
[3] *Codex*, c. 1385, § 1. — [4] *Codex*, c. 1386, § 2. — [5] *Ibid.*, § 1.

LIBRARY

marium indulgentiarum vel antea collectum, sed numquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum [1] ". — Libri vero omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus indulgentiarum concessiones continentur, sine licentiâ Ordinarii ne edantur [2].

4° " Quæ ad *causas beatificationum* et *canonizationum* Servorum Dei quoquo modo pertinent, sine licentiâ *S. Rit.* Congregationis edi nequeunt [3] ".

5° " *Collectiones decretorum Rom. Congregationum* rursus edi nequeunt, nisi impetratâ prius licentiâ et servatis conditionibus a Moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis [4] ".

6° " In edendis *libris liturgicis* eorumque partibus, itemque litaniis a S. Sede approbatis, debet de concordantiâ cum editionibus approbatis constare ex attestatione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici juris fiunt [5] ".

7° " *Versiones sacrarum Scripturarum* in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolicâ probatæ, aut nisi edantur sub vigilantiâ Episcoporum et cum adnotationibus præcipue excerptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus [6] ".

8° *Translationes* et *novæ editiones* operis approbati novâ approbatione communiri debent. Excerpta autem e periodicis capita seorsum edita novâ approbatione non indigent [7].

1236. 9° Quoad *censores* in universis curiis episcopalibus instituendos [8] :

a) " Ex utroque clero eligantur ætate, eruditione, prudentiâ commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant ".

b) Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione depositâ, tantummodo præ oculis habeant Ecclesiæ dogmata et communem catholicorum doctrinam quæ Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicæ constitutionibus seu præscriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur.

c) Censor sententiam *scripto* dare debet. Quæ si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat, cui tamen præponatur censoris judicium, *inscripto ejus nomine*, exceptis paucis extraordinariis casibus quibus censoris mentio, prudenti Ordinarii arbitrio, omitti poterit. — Nomen vero censoris auctoribus nunquam pateat, antequam hic faventem sententiam ediderit.

10° *Ordinarius* [9] potestatem edendi *in scriptis* concedat, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimendæ, expresso nomine concedentis, loco et tempore concessionis. — Si licentia

[1] *Codex*, c. 1388, § 2. — [2] *Ibid.*, § 1. — [3] *Codex*. c. 1387.
[4] *Codex*, c. 1389. — [5] *Codex*, c. 1390. — [6] *Codex*, c. 1391.
[7] *Codex*, c. 1392. — [8] *Codex*, c. 1393. — [9] *Codex*, c. 1394.

denegatur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicentur.

II. — De prohibitione librorum.

1237. 1° Præter libros sub excommunicationis pœnâ prohibitos [1], et libros in *Indice* relatos, ex *Codice ipso jure* prohibentur [2] :

1) Editiones textûs originalis et antiquarum versionum catholicarum sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatæ; itemque ejusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectæ vel editæ [3];

2) Libri quorumvis scriptorum, hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes;

3) Libri qui religionem aut bonos mores, datâ operâ, impetunt;

4) Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri;

5) Libri de quibus in c. 1385, § 1, n. 1 et c. 1391; itemque ex illis de quibus in cit. c. 1385, § 1, n. 2), libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si editi fuerint non servatis canonum præscriptionibus;

6) Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolicâ Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui datâ operâ ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt;

7) Libri qui cujusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum aliaque id genus docent vel commendant;

8) Libri qui duellum vel suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt;

9) Libri qui res lascivas seu obscenas [4] ex professo tractant, narrant, aut docent :

10) Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolicâ approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a S. Sede approbatis non congruant;

11) Libri quibus divulgantur indulgentiæ apocryphæ vel a S. Sede proscriptæ aut revocatæ;

---

[1] *Codex*, c. 2318. — [2] *Codex*, c. 1399.

[3] Attamen usus horum librorum iis permittitur qui studiis theologicis vel biblicis operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata. *Codex*, c. 1400.

[4] *Classici* autem libri *expurgati* non cadunt sub prohibitione.

12) Imagines quoquo modo impressæ D. N. Jesu Christi, B. M. Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis alienæ.

1238. 2° Locorum *Ordinarii* libros etiam proscribere possunt, et fideles monere debent de periculo et damno lectionis librorum pravorum, præsertim prohibitorum [1]. Possunt insuper licentiam suis subditis concedere legendi libros ipso jure vel decreto S. Sedis prohibitos, sed pro singulis tantum libris et in casibus duntaxat urgentibus. Si vero generalem a Sede Apostolicâ facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant et legant, eam nonnisi cum delectu et rationabili causâ concedant [2].

1239. 3° Libros proscriptos ii tantum *legere* et *retinere* possunt qui opportunas fuerint consecuti facultates. — Licentia legendi aut retinendi libros a S. Sede damnatos non includit licentiam legendi ac retinendi libros ab Episcopo prohibitos, nisi in casu expressæ mentionis [3]. Insuper gravi præcepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant [4].

1240. 4° *Librorum venditores* omnino prohibentur vendere, commodare aut retinere libros de obscenis ex professo tractantes, — ceteros autem libros proscriptos vetantur venales habere sine veniâ Indicis Congregationis, aut vendere iis qui legitime non petunt [5].

[1] *Codex*, c. 1405. — [2] *Codex*, c. 1402.
[3] *Codex*, c. 1403. — [4] *Codex*, *Ibid.*, § 2. — [5] *Codex*, c. 1404.

ADDENDA E CODICE [1]

Obligatione emittendi professionem fidei,, secundum formulam a S. Sede probatam, tenentur (*Cod.* c. 1406) :

1) Qui œcumenico vel particulari *Concilio* aut *Synodo* diœcesanæ *intersunt* cum voto seu consultativo seu deliberativo, coram præside ejusve delegato; præses autem coram eodem Concilio vel synodo;

2) Promoti ad *cardinalitiam dignitatem*, coram S. Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario ;

3) Promoti *ad sedem* episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiæ vel Prælaturæ nullius, Vicariatus Apostolici, Præfecturæ Apostolicæ, coram delegato ab Apostolicâ Sede;

4) *Vicarius capitularis* coram capitulo cathedrali;

5) Ad *dignitatem* vel *canonicatum* promoti coram loci Ordinario ejusve delegato et coram Capitulo;

6) Assumpti ad officium *consultorum diœcesanorum* coram loci Ordinario ejusve delegato et coram aliis consultoribus;

7) Vicarius generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus; rector, professores sacræ theologiæ, juris canonici et philosophiæ in Seminariis, initio cujuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatûs; librorum censores... sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi, coram loci Ordinario ejusve delegato;

8) *Rector Universitatis* vel *Facultatis* coram Ordinario ejusve delegato; *professores omnes* in *Universitate* seu *Facultate* canonice erectâ, initio cujusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, *academicis gradibus* donantur coram Rectore Universitatis vel facultatis ejusve delegato;

9) *Superiores* in religionibus clericalibus, coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit.

N. B. — Qui, priore dimisso, aliud officium aut dignitatem etiam ejusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere (c. 1406, § 2).

[1] P. 376 nonnisi summatim indicavimus eos qui professionem fidei emittere debent; fusius hic ex Codice rem exponimus.

Index Rerum
ALPHABETICUS.

Abominatio, quatenus distinguitur ab odio personæ, 442, 458.

Aboulia minuit libertatem, 77.

Abrogatio legis in genere, 183; veteris legis, 147.

Abstinentia a carne diebus jejunii, 655; extra dies jejunii, 660; causæ ab eâ excusantes, 661.

Acatholici, num possunt catholicis officiis assistere? 394; licet-ne catholicis interesse acatholicorum officiis, eorum templa ingredi, 396; eorum templa ædificare, ornare, aut pecuniam pro his ædificandis conferre 399; concionibus et funeribus acatholicorum adesse, 396; cum eis disputare, 397.

Acceptatio legis ecclesiasticæ a subditis aut civili auctoritate non requiritur, 162.

Acediæ notio, malitia, remedia, 327-330.

Acquisitæ virtutes, 336; sive intellectuales, 337, sive morales, 339.

Actus humanus et hominis, voluntarius et involuntarius, deliberatus et indeliberatus 41; necessarius aut liber, 42; elicitus aut imperatus, 45; principia *naturalia* ad actum *liberum* concurrentia, 48-51; principia *supernaturalia*, 51-53; — De actu *morali*, 86; de actu *meritorio*, 118; de moralitate actûs *externi*, 99; de actu *indifferenti*, 113.— Actus *heroicus* generatim non præcipitur, 158.

Adjuratio divini nominis, quam vim habet, et quando licita, 563-565.

Adoratio Deo debetur interna, externa et publica, 505.

Advena, quatenus legibus territorii adstringitur, 171.

Advertentia plena et semi-plena, 49; distincta et confusa, 49; plena advertentia ad peccatum mortale requisita, 279.

Ægroti a missa excusantur, 603; a jejunio.

Æquiprobabilismus historice exponitur, 232; ejus doctrina declaratur, 233; argumenta critice expenduntur, 233.

Affectata ignorantia, 57.

Alcoolismi causæ, 318; damna, 319; remedia, 321.

Alcuini tractatus morales, xxxviii.

Alexandri Alensis summa theologica, xlii.

Ambitio, quo sensu illicita, 306.

Ambrosii (S.) morales tractatus, xxxv.

Amentes non subjacent legi humanæ, 169; quo sensu legi naturali subduntur, 139.

Amicitia in genere, 427; amicitia cum Deo, quid importat? 437.

Amor in genere naturalis, sensibilis, rationalis, 426; amoris causæ, 428; effectus, 429. Cfr. *caritas.*

Antecedens ignorantia, 60.

Apostasia a fide, 384; præsertim per adhæsionem sectis massonicis, 384-388.
Apostolici Patres, xxx.
Architectus quoad ædificationem templorum heterodoxorum, 399-400.
Assecurationis mutuæ consociationes fovendæ, 487.
Astutia, quale vitium est, 615.
Augustini (S.) moralis doctrina, xxxvi.
Avaritia, quo sensu est peccatum, 325; quænam ejus remedia? 326.

Basilius Magnus (S.), xxxiv.
Beatitudo hominis non in bonis creatis, sed in consecutione ultimi finis consistit, 9, seu in perfectâ Dei cognitione et amore, 10.
Beneficentia in *Deum*, 437; beneficentia in *proximum*, Scripturâ et Patribus valde commendata, 454-456; præcipua beneficentiæ opera, 462-466.
Benevolentia in Deum, 435.
Bernardi (S.) doctrina moralis, xxxix.
Biblia acatholica possunt-ne adhiberi in præstando juramento? 550.
Blasphemia, prout distinguitur ab imprecationibus, 542; ejus species et malitia, 543; remedia, 544.
Bonaventuræ (S.) opera moralia, xliii.
Bonitas moralis, undenam venit? 14-20.

Cæsarius Arelatensis (S.), xxxvii.
Caritas, ut virtus theologica, 426; ejus objectum et motivum, 431; subjectum, 434.
Caritas erga Deum : ejus natura variique actus, 535; necessitas, 438; hujus præcepti extensio, 439; peccata contra caritatem, et præsertim odium Dei, 442; media in caritate proficiendi. 443.
Caritas erga seipsum : erga animam, 447; erga corpus, 448.
Caritas erga proximum : ejus dotes, 450; præceptum in Veteri Testamento, 453; in Novo Testamento, 462. — Caritas erga *inimicos*, 457. Caritas eleemosynam præcipit, 462, necnon fraternam correptionem, 466. Ordo in caritate servandus, 471. Præcipua caritatis opera, præsertim socialia, 477. Peccata caritati opposita, 491.
Carnes, quid sunt sensu ecclesiastico? 655.
Censuræ ecclesiasticæ, 667 sq.
Cessatio *a labore*, quomodo præcavetur, 478-489.
Cessatio *legis*, 183; cessatio obligationis a lege inductæ, 179; cessatio voti ejusve obligationis, 580.
Chloroformii usus, 317.
Christus, objectum fidei, 369; Christi amor ad perfectam caritatem ducit, 434; Christus, humilitatis exemplar, 306; patientiæ exemplar, 311.
Chrysostomi (S.) doctrina moralis, xxxv.
Circumstantia, quid est, et quomodo influit in moralitatem actûs humani? 98.
Civilis lex, 190; ejus auctor, 191; objectum, 192; promulgatio, 191. obligatio, 194.
Clementis Papæ doctrina moralis, xxxi.
Clementis Alex. opera et doctrina moralis, xxxi.
Clementia, quomodo differt a mansuetudine, 633.
Cocaini usus, 317.

Cœmeterium, quomodo violatur seu polluitur, 148.

Cœnula in diebus jejunii, 653.

Cogitatio mala, seu suggestio, primus tentationis gradus, 259; quando accedit delectatio voluntaria, fit peccatum, 293.

Collatio vespertina in diebus jejunii, 653.

Collegia *opificum* quomodo promovenda, 482.

Compensationis morale systema exponitur, 239; critice expenditur, 240.

Complacentia in Deo, 435; complacentia in re malâ, seu delectatio morosa, 292.

Concomitans ignorantia aut error, 60.

Concupiscentia, seu passio, antecedens vel consequens, 64; concupiscentia *antecedens*, etsi augeat intensitatem actûs, minuit liberum, 65; concupiscentia *consequens* non minuit liberum, sed est signum intensæ volitionis, 60. Concupiscentia ut causa peccati, 255.

Conditio in voto, 168; quomodo impleri debet, 578.

Confessarius quoad scrupulosos, 209; quoad usum opinionum probabilium, 242; quoad conscientiæ educationem, 246.

Congregationes romanæ, quatenus authentice leges interpretantur, 174.

Conscientia moralis, quomodo distinguitur a sensu intimo et conscientiâ *psychologicâ*, 200; certa et dubia, 201; vera et erronea, laxa et scrupulosa, 201. Conscientiæ *laxæ* notio, causæ, remedia, 202. Conscientiæ *scrupulosæ* notio, causæ, damna, remedia, 205. — Conscientia *certa* ut proxima morum regula, 213. — Conscientiæ *dubiæ* notio, 216; modus solvendi dubium practicum, 218. — Conscientiæ educatio, 243. — Conscientiæ remorsus, 276.

Consensus ad peccatum necessarius, 259; ad peccatum mortale requiritur *plenus* consensus, 269; signa imperfecti consensûs, 290.

Consequens ignorantia et error, 57; concupiscentia consequens non minuit liberum, 66.

Consilia evangelica, 154.

Consociationes fovendæ inter opifices, 487; inter divites, ad operarios juvandos, 487.

Constantia, virtus fortitudini annexa, 623.

Consuetudo, quomodo legem inducit aut abrogat, 179; conditiones ut sit legitima, 185; sensus clausulæ "*non obstante quâcumque consuetudine*", 187.

Consulere minus malum quandonam licet? 497-499.

Contentio est peccatum caritati oppositum, 491.

Conversio ad Deum, quando necessaria, 440.

Cooperatio in genere ad actum malum, formalis aut materialis, 109, immediata aut mediata, 110; quandonam licet, 111; quandonam illicita, 112. — Cooperatio in rebus ad fidem spectantibus, 398; quoad templorum acatholicorum ædificationem, 399; quoad scholas et orphanotrophia heterodoxorum, 400; quoad ministrum advocandum, 400.

Cooperativæ societates promovendæ, 482.

Corpus *nostrum* quomodo diligere debemus, 448.

Corpus *juris canonici*, quibus partibus constat, 188.

Correptio fraterna, quandonam cadit sub præcepto, 467; conditiones ad correptionem requisitæ, 468; ordo in correptione servandus, 469.
Culpa, quo sensu distinguitur a peccato, 254; de reatu *culpæ*, qui manet transacto actu peccaminoso, 275. Vide *peccatum*.
Cultus internus, externus, et socialis Deo debetur, 506; virtus religionis nos inclinat ad reddendum Deo latriæ cultum, 502. — Falsus cultus, 527. — Cultui acatholicorum interesse num licet, 395.
Cupiditatis notio, 323; malitia, 325; remedia, 326.
Curiositas, ut peccatorum causa, 256; devotioni nociva, 525.
Cypriani (S.) opera moralia, xxxiii.
Cyrillus Hierosolom. (S.), xxxiv.

Dæmon, seu diabolus, quomodo ad peccatum nos allicit, 257. Pactum cum dæmone illicitum, 530.
Decalogus in monte Sinai promulgatus, 142; decem præcepta complectitur, 145; quomodo Decalogi præcepta cum virtutibus concordant, 635.
Declaratio legis *comprehensiva* et *extensiva*, 173.
Decreta romanarum Congregationum, quandonam vim legis habent, 175.
Delectatio : num ex solâ delectatione agere licet, 95. — Delectatio *morosa* de re malâ, quale peccatum est, 292.
Deliberatio, seu advertentia, plena et non-plena, 49; signa imperfectæ deliberationis, 279.
Denuntiatio debet-ne aliquando fieri, 468-470.
Derogatio legis, quid, 182.
Desiderium rei malæ *absolutum*, quale peccatum, 293; *conditionatum*, quandonam illicitum, 294.
Devotionis conceptus, 523; media devotionem fovendi, 524.
Desperatio, quid et quale peccatum, 420.
Desuetudo, quatenus legem abrogat, 185.
Dictamen, seu judicium conscientiæ, 200.
Diffidentia a desperatione distincta, 422.
Dilatio voti, quandonam gravis, 578.
Dilectio, seu amor, 427. Vide *amor*, *caritas*.
Discordia, caritati opposita, 491; quale peccatum, 492; quomodo vitari potest, 493.
Dispensatio a lege, 180; quinam dispensare et dispensari valent, 180-181; conditiones ut dispensatio sit legitima, 182.
Disputatio cum hæreticis, 397.
Distinctio peccatorum : *specifica*, 285; *numerica*, 287; distinctio peccatorum internorum, 291; distinctio peccati *formalis* et *materialis*, 294.
Divinatio, quo sensu illicita, 530.
Dominica dies, quomodo instituta, 589-590; cur sanctificanda, 593; quomodo, per missæ auditionem, 598, et abstinentiam ab opere servili, 604.
Dubium in re morali quotuplex, 216; speciatim de dubio *practico* et modo illud solvendi, 217-218; varia systemata ad dubium practicum solvendum, 221 sq.; axioma : *lex dubia non obligat*, 236. — *Dubium* in fide, 382.

Ebrietatis malitia, 314; remedia, 321; de peccatis in ebrietate

commissis, 315; ebrietas a narcoticis inducta, 317.
Ecclesia, quomodo violatur seu polluitur, 548.
Educatio, qualem influxum in libertatem obtinet, 72. — Educatio, magnum caritatis opus, 479; educatio opificum debet esse christiana, virilis, professionalis, 480.
Electio ut specialis actus voluntatis, 45.
Eleemosyna, in veteri lege commendata, 452; in novâ, 454, necnon a Patribus, 455; quandonam præceptum eleemosynas erogandi obligat, 463.
Epikeia, quid, et quandonam legitima, 178.
Epilepticus morbus, quatenus in libertatem influit, 82.
Episcopus, quas leges ferre potest, 156; et a quibus dispensare, 182.
Error, quomodo ab ignorantiâ distinguitur, 54; error *vincibilis* minuit liberum, 56; error *invincibilis* tollit liberum, 56.
Ethnicus, quomodo salvari potest, 369.
Eutrapelia ad temperantiam refertur, 633.
Evolutionismus, quomodo explicat notionem boni et mali, 25.
Externus actus, quomodo in moralitatem influit, 99.

Favores, quo sensu ampliantur, 179.
Feminæ, in officinis laborantes, quomodo protegendæ, 489.
Festa ecclesiastica quænam instituta fuere de præcepto, 591.
Fides divina, ut virtus theologica, 356; fidei genesis, 358, præstantia, 360; ejus necessitas, quatenus est *habitus*, 365; *actus* fidei, quo sensu necessarius ad salutem, 365; et quidem necessitate *medii*, 367, et necessitate *præcepti*, 371; de actu fidei externo, 375; quinam actus ei opponuntur, 376. — *Peccata* contra fidem: hæresis, 379; apostasia, 384; infidelitas, 388; *Causæ* peccatorum contra fidem sive *internæ*, 389, sive *externæ*, 392. *Media* in fide proficiendi, 400.
Finis, quid et quotuplex, 3; finis *ultimus hominis* est Deus, 6; finis supernaturalis in visione intuitivâ et amore Dei beatifico consistit, 7. — Finis *actûs humani*, seu intentio, quid ad moralitatem confert, 95; de obligatione finem ultimum et honestum intendendi, 93. — Fine *legis* cessante, lex ipsa cessat, 185.
Forensia opera diebus festis interdicuntur, 606.
Francomurarii religioni catholicæ sunt infensissimi, 385.
Fortitudo una est e cardinalibus virtutibus, 340; ejus notio et varii gradus, 617; vitia fortitudini opposita, 621; media in fortitudine proficiendi, 623.
Frustulum, quod diebus jejunii mane sumi potest, 654.

Gaudium de re malâ, quale peccatum, 293; gaudium de bono effectu, 293; de modo quo res mala peragitur, 294.
Gratitudo erga Deum est via ad perfectum amorem, 434.
Gregorius Magnus de re morali, xxxvii.
Gregorius Naz., Gregorius Nys., xxxiv.
Gula, seu excessus in comedendo aut bibendo, 312; malitia, 313; remedia, 314.

Habitus, quid, et quomodo in libertatem influit, 74; subjectum, origo et augmentum habituum, 332. amissio habituum, 335; de modo bonos habitus acquirendi et pravos eradicandi, 77.

Hæreditariæ propensiones, qualem influxum in libertatem habent, 65.

Hæresis formalis et materialis, 379. . hæresis voluntariæ malitia, 382; quale dubium constituit hæresim, 383.

Hæretici, quo sensu Ecclesiæ legibus subjacent, 170. Licet-ne ædificare templa hæreticorum, 398; pecuniam dare ad eadem exstruenda, 399; ad scholas et orphanotrophia hæreticorum, 399; eorum sacris interesse, 395; in eorum templis celebrare, 396; eorum ritibus cooperari, 397; cum eis publice disputare, 397; hæreticum ministrum advocare, 400.

Hermæ doctrina moralis, xxxi.

Humani actus, quomodo differunt ab actibus *hominis*, 41. Cfr. *actus*.

Humilitas, virtus temperantiæ annexa, 627; ejus conceptus et præcipui actus, 627; humilitatis præstantia, 638.

Hypnotismus, quid et quo gradu in libertatem influit, 84; est-ne diabolicus, 537; cautiones in ejus usu adhibendæ, 540.

Hysteria, quomodo in libertatem influit, 80-81.

Idololatria, quid et quale peccatum, 527.

Ignavia, quatenus fortitudini opponitur, 619.

Ignorantia vincibilis et invincibilis, 54; antecedens, concomitans et consequens, 55; ignorantia *invincibilis* tollit liberum, 56; *vincibilis* illud minuit, 56. — Ignorantia legis naturalis quo sensu admitti potest, 140.

Inadvertentia æquivalet ignorantiæ, 54; cfr. *ignorantia*.

Inanis gloria, una e superbiæ filiabus, 301.

Incarnationis mysterium, num et quo sensu credi debet necessitate medii, 369.

Indeliberatus actus, 41.

Independentis ethicæ systemata exponuntur, 35; critice expenduntur, 36.

Indifferens actus, num datur in individuo, 113; doctrina *S. Thomæ*, 114, Thomistarum, 115, Scotistarum, 116; conclusio, 119.

Indirecte voluntarium, quid, 102; quotuplex, 103; quandonam effectus indirecte volitus imputari debet, 104.

Inductio in peccatum practice refertur ad scandalum directum, 495.

Infantes quo sensu legi *naturali* subduntur, 137; legi *ecclesiasticæ*, 169.

Infideles negativi et positivi, 388; quomodo fidem et salutem consequi valent, 369; Ecclesiæ legibus non subduntur, 168.

Infusæ virtutes, 343; earum existentia, 344, augmentum et amissio, 345.

Inimici, quo sensu diligendi, 457; odium erga inimicos, quale peccatum, 457; quænam signa dilectionis inimico exhibenda, 460; reconciliatio cum eis quomodo quærenda, 461.

Intellectuales virtutes, 337.

Intentio, quid ad moralitatem confert, 92-93; quænam intentio ad actum moralem requiritur, 95; ad actum supernaturalem, 124;

utilitas frequenter intentionem in Deum dirigendi, 117.
Interni actus, quo sensu ab Ecclesiâ præcipi possunt, 158; interna peccata tria sunt : delectatio mala, desiderium, gaudium, 292.
Interpretatio legum authentica, 174. judicialis et usualis, 175; doctrinalis, 176.
Invidia, peccatum capitale, ex superbiâ oritur, 304; ejus filiæ et malitia, 305; remedia, 306.
Invincibilis ignorantia aut error, 49; vide *ignorantia*. — Invincibilis propensio, quomodo in libertatem influit, 72.
Ira : ejus notio et gradus, 307; malitia, 309; remedia, 310.
Irreligiositas complectitur blasphemiam, tentationem Dei, sacrilegium et simoniam, 541; cfr. hæc verba.
Irritatio votorum, a quo et quandonam fieri potest, 580.

Jactantia, inanis gloriæ filia, 302.
Jejunium ecclesiasticum, quomodo ab eucharistico distinguitur, 646; ejus origo, 649; ejus utilitas, 651; hodierna extensio legis jejunii, 652.
Jentaculum diebus jejunii permissum, 654.
Joannes Damascenus (S.), christianæ ethicæ expositor, xxxviii.
Judicialis legum interpretatio, 167.
Juramentum, quid et quotuplex, 555; ejus honestas, 557; conditiones ut sit licitum, 558; obligatio quam inducit, 561; extensio et interpretatio hujus obligationis, 562.

Kantismi systema morale exponitur, 32; critice expenditur, 34.

Labor servilis diebus festis prohibitus, 603; causæ ab hâc lege excusantes, 607; quandonam opificibus licet in *hortis* laborare, 609.
Lacticinia, quid et quandonam prohibita, 654.
Laridum, quandonam diebus abstinentiæ permissum, 661.
Laxa conscientia, 202; ejus causæ, 203; pericula, 203-204; remedia, 205.
Lectio librorum fidem impugnantium, 393.
Lex, utpote moralitatis norma objectiva, 126; ejus notio, 127, et discrimen a præcepto, 129, a lege æternâ, 129.
Lex *divina naturalis*, 131, vere existit, 132; ejus objectum, 135, indoles, 136; quo sensu immutabilis, 137; quomodo promulgata, 139; potest-ne ignorari, 140.
Lex *divina positiva*, 141. Legis *mosaicæ* indoles et finis, 142; objectum, 145; obligatio, 146; abrogatio, 147. — Legis *christianæ* indoles et finis, 148; objectum, 151; perfectio, 154.
Lex *ecclesiastica*, 155; quinam in Ecclesiâ legem ferre valent, 156; circa quæ objecta, 157; quomodo promulgatur lex ecclesiastica, 160; quomodo obligat, 163; quos obligat, 170; quomodo impleri debet, 172; quomodo interpretari, 173; quot variis modis cessat, 179. — De lege non scriptâ, seu consuetudine, 184.
Lex civilis, 190; a quibus fertur, 191; circa quæ objecta, 192; quomodo promulgatur, 191; quos obligat, et quomodo, 194; speciatim de obligatione legis irritantis et pœnalis, 197.
Libertas actuum humanorum, 41; ejus gradus, 42; principia quæ ad hanc libertatem concurrunt,

48; causæ in libertatem influentes : ignorantia et error, 53, necnon passiones, 58, speciatim metus, 62; habitus, 75, et propensiones hæreditariæ, 67, necnon temperamentum, 70, et educatio, 72. — Status pathologici qui in libertatem influunt, 77 : aboulia et invincibilis propensio, 77; neurasthenia, 79; hysteria, 80; morbus epilepticus, 82; hypnotica suggestio, 82. — Quomodo servatur et augetur vera libertas, 84.

Locus sacer, quomodo violatur, 548.

Ludus per modestiam, seu eutrapeleiam, moderatur, 633.

Magia, seu superstitio, 529.

Magnanimitas, virtus fortitudini annexa, 620.

Magnetismus animalis, 533; ejus natura, 535; responsa *S. Officii* de magnetismo, 537; magnetismi usus periculosus et quandoque malus est, 539.

Magnificentia, virtus fortitudini annexa, 621.

Maleficium, 532.

Malitia moralis actuum, undenam oritur, 13. — Multiplex mortalis peccati malitia, 271.

Mansuetudo, virtus iram moderans, 631.

Maritus, quandonam potest vota uxoris irritare, 581.

Massonica secta, quatenus est apostasiæ causa, 386.

Meritum actuum humanorum, 118. conditiones requisitæ ex parte operantis, 121; ex parte operis, 124; ex parte Dei, 125; circumstantiæ ex quibus augetur meritum, 125.

Metus gravis et levis, 61; quomodo in actum liberum influit, 62.

Milites, quandonam a lege jejunii et abstinentiæ excusantur, 649, 655.

Misericordiæ opera, 476; vide *caritas*.

Missæ auditio diebus dominicis ac festis præcipitur, 590; ad satisfaciendum præcepto, requiritur præsentia corporalis ac religiosa, 598, in loco debito, 601; causæ a missâ audiendâ excusantes, 603.

Modestia, virtus temperantiæ annexa, 632.

Moralitas actuum, undenam oritur, 14; moralitas ex objecto derivata, 88; ex fine, seu intentione, 91; ex circumstantiis, 77; ex actu externo, 99. Moralitatis extensio ad effectus indirecte volitos, 103, ad cooperationem, 111.

Morosa delectatio, quale peccatum, 292.

Morphii usus, 317, præsertim quoad moribundos, 318.

Mortale peccatum quo sensu a Scriptura agnoscitur, 262; necnon a Patribus, 265; ejus discrimen a veniali peccato, 269; ejus malitia, 271; quo sensu infinitum dici potest, 273; mortalis peccati effectus, 275, conditiones ut peccatum sit mortale, 278.

Munera accipere, quandonam simonia est, 549.

Mysteria fidei credenda necessitate medii, 367, aut præcepti, 371.

Necessitas medii et præcepti, 364; necessitas extrema, quasi-extrema, gravis, communis, 463.

Negative voluntarium, 51.

Neurasthenia minuit libertatem, 79.

Numerica peccatorum distinctio, 288.

Nundinæ, num licitæ diebus festis, 606.

Objectum formale, circa quod versantur actus, ipsis tribuit moralitatem primariam et essentialem, 88.

Obligatio a lege inducta, 130; a juramento, 560; a voto, 575.

Observantia vana, seu superstitiosa, quid et quotuplex, 529; quænam ejus malitia, 530.

Odiosa restringenda, 177

Odium *Dei* est gravissimum peccatum, 442; odium *proximi* est peccatum mortale ex genere suo, 458.

Opifices, quomodo juvandi christianâ educatione, 479; mutuis consociationibus, 481; variis operibus benevolentiæ, 486.

Opus *servile* diebus dominicis ac festis prohibetur, 605; quænam sunt opera servilia, 606; causæ excusantes ab opere servili, 607.

Oratio, quid et quotuplex, 508; ejus necessitas, 509; quandonam obligat præceptum orandi, 511; attentio in oratione requisita, 513; ubi de distractionibus, 514, de orationis efficaciâ, 515; conditiones ut oratio sit efficax, 518. De oratione dominicâ, 521.

Oratoria publica, semi-publica et privata, quoad auditionem missæ diebus festis, 602.

Organum pulsare in ecclesiis hæreticorum non licet, 396.

Origenes in re morali, xxii.

Ornatus muliebris quandonam peccaminosus, 634.

Pater, quandonam potest irritare vota filiorum, 580, 581.

Patientia, virtus fortitudini annexa, 622.

Pauperes, quandonam sublevandi, 463; num laborare possunt diebus dominicis, 604; quandonam excusantur a lege jejunii, 656 et abstinentiæ, 661.

Peccatum varia sortitur nomina apud sacros auctores, 248; ejus conceptus in Vetere Testamento, 248, et in Novo, 250; notio theologica, 251; est-ne peccatum *mere philosophicum*, 252; variæ peccati divisiones, 253. De causis quæ ad peccatum inducunt, 255.

De peccato *mortali*, juxta Scripturam, 262, et Patres, 265, necnon Theologos 269. Ejus multiplex malitia, 271; effectus, 275; conditiones ad mortale peccatum requisitæ, 278.

De peccato *veniali*, et ejus discrimine a mortali, 281; quo sensu dicitur præter legem, 282; de ejus effectibus; 283.

De *distinctione* peccatorum specificâ 285, et numericâ, 287; de peccatis internis, 291; de peccato materiali, 294.

De peccatis *capitalibus*, 296.

Peregrini quoad leges particulares, 171.

Perplexa conscientia, 211.

Pluralitas objectorum, quatenus peccata multiplicat, 290.

Pœnæ reatus a peccato inductus, 267.

Pontifex Rom. leges ferre potest pro universâ Ecclesiâ, 156; quomodo solet eas promulgare, 160; in omnibus legibus ecclesiasticis dispensare valet, 180.

Præceptum, quomodo a lege distinguitur, 129.

Præsumptio juris, quid valet, 165; lex fundata in præsumptione periculi, 166.

Preces matutinæ et vespertinæ maxime consulendæ, 511.

Probabilitas quid et quotuplex, 216.

Probabiliorismus, quo tempore floruit, 228; ejus expositio, 229: ejus argumenta critice expenduntur, 230.

Probabilismus antiquus, 224, et modernus, 235; exponuntur argumenta huic systemati faventia, 235, necnon ipsi opposita, 236; quo sensu admitti potest, 238.

Professio fidei, quando necessaria, 375; quo sensu prohibetur *negatio* aut *dissimulatio* fidei, 376.

Promulgatio legis necessaria, 108; quomodo promulgatur lex naturalis, 139; lex ecclesiastica, præsertim pontificia, 160; lex civilis, 192.

Prudentiæ notio et elementa, 611; vitia eidem opposita, 614; ejus præstantia, 615; media in eâ proficiendi, 616.

Pueri quoad leges ecclesiasticas, 169; quoad vota, 580, 581.

Pusillanimitas fortitudini opposita, 621.

Rationis usus in re morali, xxviii.

Reconciliatio cum inimicis, quandonam quærenda 461.

Religio ut virtus, 501, cum aliis virtutibus comparata, 502; ejus præcipui actus, 502; ejus præstantia, 503. — Actus principales religionis, nempe *adoratio*, *oratio*, *devotio*, 504; actus secundarii, videlicet *juramentum* et *votum*, 555; actus socialis, seu sanctificatio diei dominicæ, 589. — Vitia religioni opposita, scilicet idololatria, 527; superstitio, 529; blasphemia, 542; tentatio Dei, 545; sacrilegium, 546; simonia, 549; vana assumptio divini nominis, 564; violatio juramenti, 560; violatio voti, 575; profanatio diei dominicæ, 605.

Reservata vota, 384.

Ritibus *acatholicis* interesse, aut in eis partem habere, quandonam illicitum, 396.

Sacræ res, quid, 546; eas *contumeliose* tractare est blasphemia, 542; *indigne*, seu irreverenter, est sacrilegium, 547; eas *vendere*, simonia est, 549.

Sacrilegium, quid et quotuplex, 546; ejus malitia, 549.

Scandali notio et species, 494; malitia, 496, gravitas, 497; quandonam licet actionem ponere, ex quâ scandalum indirecte sequitur, 497; reparatio scandali, 499.

Scholæ neutrales fidei periculosæ, 392.

Scripturæ usus in Theologiâ Morali, xxv.

Scrupulosi ex quibus signis dignoscuntur, 206; scrupulorum causæ et damna, 206-207; remedia, 208.

Servile opus, quid et quandonam prohibetur, 605; vide *labor*, *opus*.

Simoniæ descriptio, 549; species, 550; malitia, 551; obligatio restituendi simoniace acceptum, 552.

Solemnitas votorum est juris ecclesiastici, 570; in quo sita est, 571.

Somnia : quandonam eis credere illicitum est, 532.

Specifica peccatorum distinctio, 285.

Spes, virtus theologica, 405; ejus objectum, 406; motivum, 407; proprietates, 410; subjectum, 412; honestas, 413; necessitas, 417; peccata contra spem, 420; media in spe proficiendi, 424.

Spiritismi origo et phænomena, 534, 535; quid de ejus causis, 537; quo sensu graviter illicitus, 540.

Suadere minus malum, quandonam licet, 496.

Superbia, unum e vitiis capitalibus, 299; ejus filiæ, 300; malitia et consectaria, 301; remedia, 302.

Supernaturalia principia actuum humanorum, 51; supernaturale meritum, 121; vide *meritum*.
Superstitio sensu generali, 527; sensu particulari, quatenus designat superstitiosas observantias, 529.
Sustentatio pastorum a fidelibus, quo sensu præcipitur, 663.
Synderesis, seu habitus primorum principiorum, distinguitur a conscientiâ, 200.

Tabulæ rotantes, 534, 535; earum usus sæpe est periculosus, 529.
Tacere, quando fidei confessio requiritur, 375.
Temeritas, quatenus veræ fortitudini opponitur, 620.
Temperamentum, quid, quotuplex, et quomodo in libertatem influit, 70.
Temperantia, ut virtus cardinalis, 625; temperantiæ regula generalis, 625; virtutes ei annexæ, 627.
Templa heterodoxorum construere, vel ad ea ædificanda pecuniam conferre, 398; eadem ingredi, 396.
Tentatio, ut est peccati causa, 258; discrimen inter *sentire* tentationem et ei *consentire*, 259; tentationi se inutiliter exponere non licet, 259; media ad tentationes vincendas, 259; tentationis utilitas, 261. — *Tentatio Dei*, quo sensu prohibetur, 544.
Theologiæ moralis notio, xxii; divisio, xxiii; fontes, xxiv; historia, xxx.
Thomæ (S.) Summæ Theologiæ pars moralis, xliii.
Timor, cfr. *metus*.
Traditionis usus in scientiâ morali, xxvii.
Trinitatis SS. mysterium num credi debet necessitate medii, 369; qualis fides sufficit, 370.
Tristitia de bono peracto vel de malo non completo, 292.
Tutior pars, quando eligenda, 221.
Tutiorismus absolutus aut mitigatus, 217.

Uxoris vota quandonam a marito irritari possunt, 581.

Vagi, quibusnam legibus subduntur, 171.
Vana gloria, una e filiabus superbiæ, 301.
Veniale peccatum, quomodo distinguitur a mortali, 282; quo sensu dicitur præter legem, 282; ejus effectus, 283.
Vincibilis ignorantia aut error, 54, 60,
Violentia, quatenus liberæ volitionis executionem impedit, 66.
Virga *divinatoria* non est semper superstitiosa, 532.
Virtus est bonus habitus, 331. De virtutibus *acquisitis*, 336, sive intellectualibus, 337, sive moralibus, 339, præsertim cardinalibus, 340; de connexione et medio virtutum moralium, 341. De virtutibus *infusis*, 342; quomodo augentur 346, aut amittuntur, 347; num minui possunt, 349.
Voluntas libera est quando fertur circa bona particularia, 42, quale imperium voluntas exercet in ceteras facultates, 46; quomodo ad actum liberum concurrit, 50; quænam causæ in voluntatem influunt, 58; voluntatis educatio, 84.
Voluntarium et involuntarium, 41-42; voluntarium directum et indirectum, 102; regulæ quoad voluntarium indirectum, 103.
Votum, 565; conditiones ad votum proprie dictum : promissio Deo

facta, 566, et materia apta, id est honesta, de bono possibili et meliori, 568. Votorum species, 570. — Voti *honestas* et utilitas, 572; opus ex voto factum, ceteris paribus, melius est, 576.

Obligatio ex voto orta, 576. Cessatio voti ejusve obligationis ex ipsâ rei naturâ, 580; ex irritatione, 581; per dispensationem, 583; aut commutationem, 586. — Vota S. Pontifici reservata, 585. — Confessarius discretus esse debet in votis suadendis, 587.

Zelus, effectus amoris, 430; zelus ad gloriam Dei promovendam, 436.



Supplementum
DE VIRTUTE CASTITATIS [1].

Cum in nonnullis Seminariis ea quæ ad castitatem spectant solis diaconis aut subdiaconis exponantur, seorsim de his breviter agimus, ea tantum tradentes quæ confessario necessaria sunt ut pœnitentium confessiones intelligere valeat, eisque opportuna tradere consilia ad hanc virtutem colendam. Dicemus proinde : 1° de *indole* et *præstantiâ* castitatis; 2° de *peccatis* eidem oppositis; 3° de *mediis* castitatem servandi et colendi.

Art. I. De indole et præstantiâ castitatis.

§ I. DE CASTITATIS INDOLE.

1. 1° **De ipsâ castitate.** Castitas, quæ ad *temperantiam* refertur (supra, n. 1077), est virtus moralis *moderans aut excludens appetitum delectationis venereæ*, secundum cujusque statum et conditionem.

(A) Ad cujus intelligentiam sciendum est delectationem *veneream* eam esse quæ oritur ex actibus humanæ *generationi* inservientibus. Deus siquidem voluit ut, in præsenti rerum ordine, humanum genus propagaretur per sexualem unionem maris et feminæ. Quapropter, protoparentes creans " masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram " [2]. Quo facilius vero filiorum procreationi operam darent, spe-

---

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 151-156; *S. Alphonsus*, l. III, n. 412-485; *Lequeux*, De virtutibus, Parisiis, 1843, secunda pars; *Craisson*, Notiones theologicæ circa sextum, Parisiis, 1888; *Capelmann*, Medicina Pastoralis, Aquisgrani, 1896; *Eschbach*, Disputationes physiologico-theologicæ, Romæ, 1901; *Noldin*, De sexto præcepto, Œniponte, 1902; *Antonelli*, Medicina pastoralis, Romæ, 1905; *Debreyne* et *Ferrand*, La théol. morale et les sc. médicales, 6e éd., Paris; *Surbled*, La Morale dans ses rapports avec la médecine, Paris, 1900; *Vigouroux*, Traité de Médecine, Paris, Letouzey, t. iv.

[2] *Gen.* I, 17-18.

THE INSTITUTE OF MEDIÆVAL

cialem delectationem adnexuit iis actibus qui humanæ generationi inserviunt, et hæc dicitur *venerea* seu *carnalis* vel *libidinosa*.

Quæ proinde distinguitur a delectatione mere *sensibili* aut *sensuali*. (a) Delectatio *sensibilis* ea est quæ oritur ex perceptione objecti potentiæ sensitivæ apte proportionati, qualis est quæ percipitur ex auditu harmoniæ, ex olfactu aut aspectu floris, ex haustu vini, ex tactu rei lenis, etc.; in his enim delectatur appetitus sensitivus quin necessario commoveantur organa generationi inservientia. (b) Quæ quidem sensibilis delectatio aliquando *sensualis* vocatur, quando scilicet oritur ex visu, tactu, colloquio personæ *affectu sensibili* amatæ : tunc enim vehementius commoventur cor et sanguis; et, licet hæc delectatio *ex se* non sit venerea, facile tamen carnalem commotionem excitat et ad veneream voluptatem tendit.

2. (B) Castitas *moderatur* appetitum delectationis venereæ in *conjugibus*, eumque *excludit* apud *cœlibes*. Deus enim sapienter voluit ut homines non procrearent filios *extra legitimum matrimonium*. Proles enim semel nata minime sibi sufficit, sed per multos annos utroque parente indiget ut physicam, intellectualem atque moralem educationem accipiat; id autem proprie fieri nequit, nisi vir et femina, qui filios procreare et educare intendunt, societatem ineant ex se firmam et indissolubilem, simul convivant, ac mutuo se adjuvent in prole nutriendâ, sustentandâ atque recte instituendâ [1].

3. Quare, apud omnes fere Gentes, uniones vagæ et concubinariæ tanquam inhonestæ, necnon prolis atque totius societatis bono contrariæ habentur; ex adverso autem matrimonium legitimum non solum honorabile existimatur, sed etiam aliquid sacri præ se ferens. —Quomodo vero conjuges venereas delectationes moderari debeant, et torum a spurcitiis et immunditiis immaculatum servare, alibi declaravimus, in *Supplemento ad Matrimonium*.

Ex quo sequitur cœlibes, videlicet juniores antequam matrimonium rite inierint, et viduos, qui novas nuptias non contraxerunt, ab omni venereâ delectatione abstinere debere. Cum enim hæc licita non sit nisi in quantum ad generationem prolis ordinatur, et aliunde procreatio filiorum extra legitimum matrimonium sit illicita, ab omni voluntariâ delectatione carnali abstinere tenentur.

4. (C) Triplex igitur castitas distingui solet : (a) castitas *juvenilis*, quæ ab omni venereâ delectatione abstinet usque ad tempus nuptiarum; (b) castitas *conjugalis*, quæ modera-

[1] Quod probatum est in parte dogmaticâ *Tr. de Matrimonio*, n. 61.

tur appetitum voluptatis in conjugibus et excludit quidquid illicitum est in usu matrimonii; (c) castitas *vidualis*, quæ, port dissolutum matrimonium, ab omni carnali voluptate se continet sive in perpetuum sive usque ad secundas nuptias. Hic agimus de castitate juvenili et viduali, cum de castitate conjugali sermo habeatur in *Tr. de Matrimonio.*

5. 2° **De virginitate.** (A) Virginitas, prout virtus [1], nihil aliud est nisi perfecta castitas, i. e. abstinentia ab omni delectatione venereâ *perpetuo* servata, seu *firmum voluntatis propositum perpetuo abstinendi ab omnibus delectationibus venereis*, étiam eis quæ in matrimonio licitæ sunt. Excludit proinde non solum actus externos, sed etiam internos, quibus consensus præbetur delectationi carnali imaginationi exhibitæ. Vera autem et *formalis* virginitas servatur, etsi carnis integritas contra voluntatem lædatur, puta per involuntariam pollutionem, aut quando mulier *invita* opprimitur.

Virginitas a perfectâ castitate distinguitur in eo quod *perpetuo* servata fuit, dum castitas etiam perfecta servari potest ab eo qui *antea* carnali delectationi consensum præbuit. — Attamen, juxta communem loquendi modum, sæpe hæc duo promiscue sumuntur.

6. (B) Virginitatem pro Deo excultam, non solum licitam, sed laudabilem esse, et *per se* matrimonio excellentiorem, probavimus in parte dogmaticâ *Tr. de Matrimonio*, n. 17; eamdem non esse corporis aut mentis sanitati contrariam, demonstratum est in *Tr. de Variis Statuum obligationibus*, n. 93 (1064).

(C) Aliquando virginitas vocatur *continentia*, quia videlicet a carnalibus concupiscentiis se continet. *Per se* quidem vox hujusmodi latius patet ac designat mentis luctamen contra omnes inordinatos motus sensibiles; sed *antonomastice* designat virginitatem quatenus vehementiores carnis repellit concupiscentias.

Quandoque etiam dicitur *pudicitia.* Attamen pudicitia, sensu

[1] Virginitas designat etiam *integritatem carnis*, quæ amittitur in *viris* per voluntariam pollutionem, seu effusionem seminis; amittitur in *feminis* per voluntariam abruptionem membranæ, quæ *hymen* dicitur seu claustrum virginale, sive fiat per copulam carnalem, sive per tactum. — Potest igitur subsistere virginitas *materialis*, seu integritas carnis, amissâ *formali* virginitate per peccata interna. — Quando votum virginitatis emittitur, intentio voventis exploranda est, ad sciendum utrum hic voluerit perfectam castitatem vovere, an solum abstinentiam ab illo primo actu quo virginitas materialis amittitur. De quo vide *Tr. de Matrimonio*, n. 230.

proprio, illam virtutem designat quâ fugimus ea omnia quæ pudorem, seu verecundiam excitant, ideoque omnes actus externos qui ad delectationem veneream allicere possunt, quales sunt aspectus, tactus, oscula, aliaque ejusmodi.

§ II. De præstantia castitatis.

7. Castitas præfato sensu intellecta, quatenus inordinatum venereæ delectationis appetitum refrenat, bonum totius *societatis*, *familiæ* et *individui* maxime promovet.

1° **Bonum societatis** promovet. Ideo enim præscripta est castitas ut humanum genus recte propagetur atque educetur. Experientiâ enim compertum est eos, qui immoderate libidini indulgent, steriles esse vel saltem parum fœcundos, aut debilem prolem gignere multisque morbis obnoxiam, simulque ineptos esse aut saltem minus idoneos ad filiorum bonam educationem.

8. (A) Qui enim a pueritiâ turpiter se tangunt, frequenter pollutioni aut fornicationi indulgent aliisque vitiis hujumodi, haud raro *impotentes* fiunt, præsertim propter nervorum debilitatem ac perturbationem his turpitudinibus inductam [1]. Jamvero hâc in re frequens abusus facillime incurritur, statim ac primi actus voluntarie commissi fuerunt, propter vehementem proclivitatem ad actus venereos plerisque hominibus innatam. Nisi igitur sedulo castitas a junioribus servetur, matrimoniorum fecunditas minuitur. — Præterea consuetudo voluptatem unice quærendi contra rectæ rationis ordinem, sæpe in ipsis conjugibus alium abusum generat, nempe onanismum, quo voluntarie impeditur filiorum procreatio [2]. — Aliunde non pauci, cum meretricibus commercium carnale habendo, morbum *syphiliticum* contrahunt, et ex hoc capite aut impotentes fiunt, aut debilem prolem gignunt, syphiliticâ lue infectam [3]. — Ceteroquin satis evidens est parentes, libidini addictos, parum aptos esse ad prolem recte educandam.

Ex adverso autem qui in adolescentiâ suâ seipsos continent, et matrimonio utuntur juxta temperantiæ regulas, plerumque numerosam ac validam prolem generant, quam bonis moribus instruunt;

---

[1] De quo vide *Lassègue*, Etudes médicales, Paris, Asselin, 1884, t. II, p. 353-354; *Surbled*, La Morale dans ses rapports avec la médecine, Paris, 1900, t. II, p. 35-37.

[2] De quo alibi, in *Supplem. ad Tr. de Matrimonio*, n. 39.

[3] *E. Duclaux*, L'hygiène sociale, Paris, Alcan, 1902, p. 237-240; *Vigouroux*, Traité de Médecine, Paris, Letouzey, s. d., p. 202-304. Exemplum hujus rei graphice describit *E. Legouvé*, Les Pères et les Enfants, Jeunesse, Paris, Hetzel, 5e éd., p. 196-227.

ita ad conservationem rectamque speciei humanæ educationem maxime conferunt.

9. 2° **Bonum familiæ** promovet. Nisi enim juvenes casti maneant antequam nubant, et conjuges fidem sibi mutuo datam inviolabiliter servent, pax vix regnare potest in familiis.

(a) Sponsus quidem plerumque sponsam virginem in matrimonium ducere intendit, et si eam jam corruptam invenerit, indignationem vix cohibere potest, et haud raro divortium quærit. Cur et ipse ante nuptias libidini impune indulgeret? Numquid duo sunt pondera duæque mensuræ? Nonne ipsum pudet carnem immundam virgini copulare? — Quod quidem magis horrendum est, si venereâ lue infectus sponsam contaminaverit : tunc enim amor vertitur in odium aut contemptum, et nil manet miseris conjugibus nisi miserrimam vitam ducere. Ad quod periculum avertendum, nullum est efficax medium præter castitatem; nam morbus syphiliticus unâ impurâ contrectatione contrahi potest, et semel contractus quolibet vitæ tempore subito corpus iterum inficere potest, et in posteros transire. — Idem dicendum de conjugali castitate : si enim vel semel adulterium committitur ab alterutro conjuge, periculum contaminationis incurritur. Aliunde ipsa justitia postulat ut ambo conjuges inviolatam fidem sibi mutuo servent.

(b) Sed insuper quando adulterini foventur amores, aliæve turpitudines, quot dissidia oriuntur, quot invidiæ, quot rixæ, quot homicidia aut suicidia! Amor enim contemptus facile vertitur in furorem, et quo intensior fuerat, eo magis incenditur ira, statim ac alter conjux infidelis evasit.

(c) Præterea nisi filii caste instituantur, mox et ipsi in vitium prolabuntur, et pudorem simul ac tristitiam parentibus afferunt. Jamvero quomodo casti manebunt, nisi bonum exemplum hâc in re ipsis præbeatur?

Ex adverso autem, quando sponsi ante nuptias sapienter se continuerunt, et nonnisi pudico amore se invicem prosequuntur, nil ambientes nisi filios legitime procreare atque optimis moribus eosdem instruere, sibique inviolatam fidem servant in adversis æque ac prosperis, pacem et gaudium, Deo juvante, consequuntur.

10. 3° **Ad bonum individui** maxime confert. Ut homo vitam suam recte ordinare possit, secundum rationis atque fidei principia, necesse est ut passiones edomet quæ eum a bono spirituali retardant aut removent. Jamvero inter passiones, nulla est magis tyrannica quam amor delectationum venerearum; ita enim mentem excæcat totamque animam invadit atque commovet, ut voluptuosus sanitatem corporis, humanam dignitatem, intellectualem profectum, æternamque animæ salutem libidini postponat [1].

[1] Ad rem *Augustinus* (De Civit. Dei, lib. XIV, c. 16, P. L., XLI, 424) : "Cum igitur sint multarum libidines rerum, tamen cum libido

Nam, ut rectè animadvertit *S. Thomas* [1], quando inferiores potentiæ vehementer alliciuntur ad sua objecta, consequens est quod superiores vires in suis actibus impediuntur et deordinantur. Per vitium autem luxuriæ appetitus inferior maxime intendit suo objecto, propter vehementiam passionis et delectationis; exinde superiores vires, scilicet ratio et voluntas, a suo objecto facillime distrahuntur et deordinantur. Ita intellectus, voluptate irretitus, sæpe de rebus judicat sine maturâ motivorum consideratione, impellente passionis impetu, ideoque haud raro fallitur; mox obnubilatur ratio et paulatim excæcatur, quippe quæ non amplius approbat quod est honestum, sed quod delectabile apparet. Voluntas debilitate et inconstantiâ laborat, quia bonum honestum, etiam ratione approbatum, nonnisi tarde ac reluctanter appetit, et mox, libidine victa, virtutis tramitem deserit. Paulo post, crescente voluptatis desiderio, minuitur amor Dei rerumque cœlestium; exinde aliquando nascitur *odium Dei*, in quantum hic prohibet concupitam delectationem, necnon *desperatio*, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, fastidit spirituales, nec curat eas consequi. Ita pedetentim homo avertitur a Deo, fit carnalis et animalis, et in vitiorum cœnum prolabitur.

Præstantissima est igitur castitas quæ indomitam istam passionem jugo rectæ rationis et fidei submittit; ita enim veram hominis libertatem ab immundâ tyrannide immunem servat, vires et pulchritudinem ejus corpori addit, intellectûs aciem auget, voluntatem roborat, nos humaniores reddit, totamque animam in Deum ordinat.

11. Quare *Scriptura* sæpe castitatem laudat: "Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ [2]... O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines" [3]. Hinc, teste *Augustino*, omnes, etiam vitiosi, castitatem mirantur [4]: "Tanta enim vis est probitatis et castitatis, ut omnis vel pene omnis ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis".

---

dicitur, neque cujus rei libido sit additur, non fere assolet animo occurrere nisi illa, quâ obscenæ corporis partes excitantur. Hæc autem sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vindicat, totumque commovet hominem animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ea voluptas sequatur, quâ major in corporis voluptatibus nulla est: ita ut momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruatur."

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 153, a. 5; cfr. q. 46, a. 3.

[2] *Eccli.*, XXVI, 19-20. — [3] *Sap.*, IV, 1.

[4] *S. August.*, De civ. Dei, lib. II, c. 26, P. L., XLI, 75.

Art. II. De peccatis castitati oppositis.

12. Peccata castitati opposita generali nomine *luxuriæ* (a voce *luxu*) vocantur. Antequam singula peccata exponamus, principium generale de horum gravitate statuendum est.

Principia generalia de gravitate luxuriæ. Duo sunt, prout delectatio venerea est *directe* aut *indirecte* volita.

13. 1um **Principium** : *Delectatio venerea proprie dicta, directe volita, cum plenâ deliberatione, extra legitimum matrimonium, est peccatum mortale ex toto genere suo, seu non admittit parvitatem materiæ.* Ita *communiter* contra *Caramuel* paucosque alios a mortali excusantes modicam delectationem venereamdeliberate quæsitam.

Declaratur. (a) Hic agitur de delectatione *venereâ* proprie dictâ, quæ oritur ex commotione organorum generationi inservientium, non autem de delectatione mere sensibili, seu organicâ, quæ juxta multos theologos, ex se non excedit culpam venialem. " Unde, ait *Billuart* [1], sicut qui audit vocem sonoram, qui gustat cibum sapidum, præcise propter delectationem organicam, seu sensualem inde exortam, non peccat nisi venialiter; ita non peccat nisi venialiter qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum seu faciem, præcise propter delectationem mere organicam seu sensualem, consistentem, ut jam dixi, in quâdam proportione et conformitate rei visæ vel tactæ cum organo visus vel tactus; ita ut non sit aliud quam delectatio de re pulchrâ quæ videtur, aut de re blandâ, molli, tenerâ quæ tangitur absque aliâ cujuscumque rei turpis delectatione ". Animadvertit tamen sapiens auctor a delectatione sensuali ad venereamfacilem esse progressum, ideoque in praxi his delectationibus organicis non immorandum esse.

(b) Agitur pariter de delectatione venereâ *directe volitâ*, quæ nempe expresse intenditur tanquam finis aut medium (supra, n. 168); et quidem cum plenâ deliberatione et perfecto consensu : hæ enim conditiones ad omne peccatum mortale requiruntur (n. 474-475).

[1] *Billuart*, De temperantiâ, diss. V, art. 2.

14. **Probatur.** (a) Ex dictis enim (n. 1) delectatio venerea ab Auctore naturæ ordinata est ad propagationem generis humani, ideoque illicita est extra legitimum matrimonium. Hæc autem prohibitio *gravis* est; nam finis legis est maximi momenti, videlicet propagatio generis humani; et aliunde, nisi sub gravi obligaret, inefficax esset. Cum enim homo sit maxime proclivis in carnales delectationes, et libido, semel voluntarie admissa, mentem obnubilet voluntatemque facile ad pejora trahat, vix fieri potest ut quis deliberate venereæ voluptati consentiat, quin periculum incurrat in pessimam labendi corruptionem : qui enim, in præcipiti positus, vult paucos gradus descendere, exponitur periculo proximo labendi ulterius; et qui amat periculum, in illo peribit. Necesse est igitur ut omnis deliberata hujusmodi delectatio sub gravi prohibeatur, ne homo præceps in vitia carnis ruat, et ita finem a Deo intentum frustret. — Revera venerea delectatio, deliberate admissa, facile humani seminis effusionem inducit aut præparat. Jamvero, nisi sub gravi prohiberetur talis deordinatio, multi homines matrimonii onera recusarent, atque voluptatem quærerent extra conjugalem congressum, nec curarent de prole procreandâ et educandâ.

(b) Constat ex damnatione hujus propositionis 40 ab *Alexandro VII:* "Est probabilis opinio quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris et pollutionis". Quæ propositio damnata est quia *falso* supponit osculum habitum *ob delectationem carnalem*, id est veneream[1], non inducere periculum consensus in actus graviores : qui enim expresse delectationem veneream in osculo quærit, ex communiter contingentibus hic non sistit. Quare maximum discrimen est inter oscula honesta, quæ signa sunt amicitiæ, et ea quæ fiunt libidinis causâ.

15. **2um Principium :** *Delectatio venerea, indirecte tantum voluntaria, non est mortalis ex toto genere suo, sed parvitatem materiæ admittit.* Ita communiter contra paucos qui asserunt non dari parvitatem materiæ in luxuriâ etiam indirecte voluntariâ.

---

[1] Delectatio *carnalis* idem significat ac *venerea;* delectatio *sensualis*, etsi a quibusdam distinguatur a venereâ, ab aliis pro eâ sumitur : unde sensus ex contextu determinari debet. Cfr. *Viva*, in hanc proposit.

Declaratur. Agitur de eo qui delectationem veneream minime intendit, sed actionem ponit ex quâ prævidet aliquam delectationem hujusmodi orituram esse, etsi nolit eidem consentire; v. g. de adolescente qui librum ceteroquin utilem legit, prævidens ex ejus lectione carnalem commotionem secuturam esse.

16. *Probatur.* In tantum enim graviter peccaminosa dicitur delectatio carnalis directe quæsita in quantum inducit periculum proximum ulterioris consensûs; atqui tale periculum sæpe non existit quando ponitur actio ex se honesta, ex quâ prævidetur quidem, sed non intenditur, aliqua delectatio venerea; ideoque sæpe vel nullum est peccatum, vel peccatum est tantum veniale, prout adest vel non ratio proportionate gravis illam actionem ponendi, ex quâ prævidetur venerea delectatio. — Si vero simul prævidetur consensum huic voluptati accessurum esse, peccatum mortale committit, quia vere vult graviter peccare.

17. Ceteroquin hæc principia lucidius intelligentur ex infra dicendis de singulis luxuriæ peccatis. — Hujusmodi peccata dicuntur *consummata*, quando adest effusio seminis voluntaria et culpabilis[1]; *non consummata*, quando hæc effusio non habetur. Peccata vocantur *consummata naturaliter*, si seminatio fit eo modo quo generatio obtineri potest; *consummata contra naturam*, si contingit eo modo qui prolis generationi adversatur.

§ I. De peccatis luxuriæ non consummatis.

Peccata ejusmodi sunt *interna* aut *externa*.

I. De peccatis internis luxuriæ.

18. Ex dictis supra (n. 499), tria sunt peccata interna in genere, nempe *delectatio morosa*, *desiderium* et *gaudium;* principia ibi exposita facile luxuriæ applicantur.

1° *Delectatio morosa* habetur quando imaginatio aliquid turpe seu obscenum depingit, aut mens de re venereâ absque legitimâ causâ cogitat, simulque voluntas deliberate

[1] In feminis non est proprie effusio seminis, sed solum alicujus liquoris mucosi qui non est prolificus; sed cum hic mucus vaginalis cum voluptate et organorum erectione emittatur, vocatur etiam pollutio, sicut in viro, et habetur ut peccatum luxuriæ consummatum, quando fit voluntarie. Cfr. *Antonelli*, t. I, n. 559-563.

complacet in voluptate exinde ortâ. Hæc est *mortaliter* peccaminosa, quando adest *plena deliberatio plenusque consensus de ipsâ delectatione venereâ :* tunc enim directe intenditur, et aliunde, ex dictis, hâc in re non admittitur parvitas materiæ. — Delectatio malitiam induit objecti, quale in mente repræsentatur (n. 501).

Si vero delectatio cadit tantum in *cognitionem* rei turpis, v. g. quando quis ex officio rebus physiologicis studet, — aut in *modum* ingeniosum quo peccatum commissum est vel narratur ab alio, — aut in *effectum bonum* ex actu malo secutum, v. g. exonerationem ex pollutione obtentam, non habetur proprie venerea delectatio, nec proinde peccatum. Cum vero facillimus sit transitus a delectatione circa *cognitionem* vel *modum* ad delectationem de *ipsâ re turpi*, non licet sine ratione his cogitationibus immorari, propter periculum peccandi (supra, n. 502-503).

Sæpe has imaginationes comitantur motus carnales organorum generationi inservientium. Generatim necesse non est eos in confessione declarare, nisi proximum pollutionis periculum inducant, quia confessarius novit hos plerumque ex delectatione morosâ sequi.

Pro praxi pariter confessarius in memoriam revocare debet quæ superius dicta sunt, n. 443, de distinctione inter suggestionem, delectationem et consensum : non pauci enim pænitentes anxietate laborant circa turpes cogitationes, quibus revera consensum non præbuerunt.

19. 2° *Desiderium pravum* habetur, quando quis sibi depingit delectationem veneream ut *futuram, eâque frui deliberate exoptat.* Jamvero *desiderium absolutum actûs graviter illiciti est peccatum mortale.* Patet ex verbis Christi : " Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo " [1]. Insuper desiderium omnes malitias includit quas in objecto apprehendit; hinc si quis cum uxoratâ optat copulam habere, ejus peccatum malitiam adulterii induit.

Idem in praxi dicendum est de desiderio *conditionato;* ex dictis enim, n. 505, in iis quæ sunt intrinsece mala, prout

[1] *Matt.*, V, 28.

est delectatio venerea extra matrimonium, conditio apposita non tollit malitiam actûs.

Sed inter desideria illicita recenseri non debent ea quæ *conjuges* fovent legitime utendi matrimonio, proindeque fruendi delectatione venereâ maritali copulæ annexâ : hæc enim ipsis licita est, dummodo absit periculum pollutionis extra legitimam copulam. Imo sponsus potest *per se* desiderare copulam futuram; sed quia in tali desiderio adest etiam periculum venereæ delectationi hic et nunc consentiendi, hortandi sunt sponsi ut sedulo a se avertant hujusmodi cogitationes.

20. 3° *Gaudium* malum est *complacentia libera de illicito actu venereo ut præterito;* est graviter peccaminosum, sicut delectatio morosa, cum hoc tamen discrimine quod facilius induit malitiam circumstantiarum objecti in mente depicti, quia res præteritæ magis concrete sese imaginationi offerunt. — Aliquando etiam oritur *tristitia* de malo non peracto, v. g. de copulâ non habitâ, quando se dabat occasio; hæc valde affinis est desiderio pravo, et graviter peccaminosa, si consensus perfectus eidem præbetur.

Conjuges possunt quidem gaudere de copulâ licite habitâ et delectatione ei annexâ, excluso tamen pollutionis periculo; quare, si alter conjux est absens, vivida cogitatio gaudii in copulâ experti valde periculosa est, et in praxi vitanda (*Supplem. de Matrimonio*, n. 38).

21. Quæstio disputata. Hic autem quæritur num peccatum mortale sit *passive* et *negative* se habere quoad delectationem venéream quæ ex pravis cogitationibus oritur. (a) Quidam theologi, ut *Cajetanus* et *Navarrus*, dicunt hanc agendi rationem esse quidem *veniale peccatum*, quia aliquam deordinationem includit, non autem grave, modo absit periculum præstandi consensum positivum. (b) Sed plerique alii theologi docent *grave* esse peccatum his concupiscentiæ motibus *positive* non resistere : ad voluntatem enim spectat motus inordinatos aliarum facultatum frenare et repellere; aliunde qui, post plenam advertentiam, passive omnino se habet, periculo exponitur consensum præbendi.

Hæc secunda opinio probabilior est, et in praxi longe securior : ex communiter enim contingentibus, nisi strenue ac cito repellatur hujusmodi delectatio, mox crescit, et voluntatem ad consentiendum allicit. Necesse autem non est, neque opportunum directe his tentationibus obsistere; sed, divino auxilio breviter invocato, melius

est mentem ab his rebus avertere, eam serio applicando honestæ cogitationi aut actioni. — Imo non solum turpes et obscenas imaginationes, sed etiam *sensuales* repellere expedit, utpote periculo plenas, ut integra servetur castitas.

II. De peccatis externis luxuriæ non consummatis.

22. Prænotanda. Actus, de quibus agitur, non sunt ex se directe castitati oppositi, sed *pudicitiæ*, quæ fugit id omne quod pudorem excitat et ad libidinem allicit. Quare, excluso pravo affectu, sunt potius actus *impudici* quam venerei. Horum igitur malitia ex eo procedit quod aliquando *ex affectu libidinoso* oriuntur, aut *periculum* plus minusve *proximum* inducunt consentiendi in delectationem veneream. Itaque hic in memoriam revocanda sunt quæ de *occasionibus proximis* scripsimus in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 451-469.

(**A**) Ad judicandum de *gravitate* peccatorum impudicitiæ, quædam sunt regulæ generales :

(**a**) Attendi debet *intentio agentis :* si quis ex *libidinoso affectu* agit, veneream delectationem *deliberate prosequens*, actus externi, etsi naturâ suâ honesti videantur, peccata sunt mortalia, et malitiam induunt actûs mali qui ultimo intenditur. Ita mulierem aspicere, ejusque manus contrectare cum intentione eam seducendi et cum eâ fornicandi, est peccatum mortale quod ad fornicationem reducitur; nam actus externi suam malitiam desumunt ex interno affectu. — Ex quo intelligi datur quot peccata committant qui, luxuriæ se totos tradentes, nihil aliud quærunt in colloquiis, aspectibus aut tactibus, nisi libidini indulgere; de quibus ait *Petrus* [1] : " Oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti ".

23. (**b**) Secluso pravo affectu, attendi debet etiam num actio, non solum *in se* spectata, sed etiam quoad *ipsum operantem*, *proxime et graviter moveat ad libidinem*; si res ita se habet, actum externum ponere *sine sufficienti causâ*, deliberate et morose, communiter grave peccatum est, propter proximum et grave periculum delectationi venereæ consentiendi. Imo si actus est *ex se* aptus ad graviter excitandam aliorum libidinem, erit peccatum mortale scandali. — Si vero adest ratio sufficiens actum ponendi, nullum est pecca-

[1] *II. Petr.*, II, 14.

tum, dummodo absit consensus; ita medici et chirurgi possunt aspicere et tangere partes inhonestas personæ alterius sexûs, quando vera adest necessitas, etsi præter intentionem delectatio venerea inde oriatur. — Si actus, quamvis *ex se* ad libidinem excitandam apti, fiunt ex *levitate* aut *curiositate*, et quidem *breviter*, generatim non sunt peccata gravia, quia non influunt proxime et graviter in motus turpes.

(c) Quando actus externi, neque ex intentione agentis neque ex suâ naturâ, notabiliter tendunt ad delectationem veneream, sed solum apti sunt ad aliquam commotionem carnis excitandam, *peccata venialia* sunt, si fiunt *absque motivo rationabili;* excusantur ab omni peccato, si propter rationem sufficientem exercentur.

24. (d) Ad judicium ferendum de malitiâ actuum externorum, attendendæ sunt etiam *consuetudines locorum, educatio, temperamentum* atque *psychologicæ dispositiones* agentis. Ita juvenes in civitatibus enutriti, ubi nudæ statuæ aut picturæ publice exponuntur, generatim eas aspicere possunt, secluso pravo affectu, quin peccent; dum ii qui in pagis educati nihil nudi unquam viderunt, graviter commoventur statim ac aspiciunt nudas statuas. Pariter, vi educationis et temperamenti, quidam multo magis quam alii afficiuntur lectione librorum romanensium (*romans, novels*). Quare confessarius pænitentes interrogare debet de modo quo res hujusmodi influunt in pravas imaginationes excitandas.

25. (B) Ad dijudicandum de *specie* peccati commissi, sequentes traduntur regulæ :

(a) *Aspectus* et *tactus* sunt *diversæ speciei*, juxta moralem prudentûm æstimationem, quia diverso modo suum objectum attingunt.

(b) Aspectus personarum *diversi sexûs* habentur pariter tanquam peccata diversæ speciei, quia, ex communi æstimatione, referuntur ad actus specie diversos.

(c) *Tactus*, ideoque oscula et amplexus, diversæ sunt speciei secundum diversas personarum circumstantias; ideoque *per se* in confessione aperiendum est num quis tetigerit personam diversi sexûs, conjugatam, consanguineam, etc., quia peccatum induit specialem malitiam ex his circumstantiis.

Nonnulli tamen hanc malitiam non advertunt nisi in confuso, præsertim quando ulterius procedere minime intendunt. Quibus positis præcipuos actus impudicitiæ breviter percurramus, ad eorum malitiam investigandam.

26. 1° **De osculis.** Oscula et amplexus fieri possunt ob delectationem veneream, ob delectationem sensualem, aut urbanitatis et amicitiæ causâ.

(**A**) Si *ex affectu venereo* procedunt, plene deliberato, mortalia sunt peccata ex dictis. — Idem dic, si fiunt in partes inhonestas aut minus honestas, ut ubera, quia plerumque graves motus carnales excitant, et aliunde affectum libidinosum supponunt, cum personæ honestæ has partes deosculari non soleant. — Plerumque etiam gravia peccata sunt oscula morosa, sæpius repetita, cum magno affectu, inter personas puberes diversi sexûs, præsertim quando lingua in os intromittitur : hæc enim ex se tendunt ad concupiscentiam movendam, atque vix fieri possunt sine pravo affectu.

27. (**B**) Oscula decentia, quæ habentur *sensualitatis* causâ, ob amorem sensibilem, absque rationabili causâ, *veniale peccatum* non excedunt : ex unâ parte enim culpâ non vacant, quia deest rationabilis causa, et ex alterâ culpa non est mortalis, quia deest affectus libidinosus aut proximum periculum carnalis delectationis excitandæ. Quia vero a sensuali amore et delectatione ad voluptatem facilis est transitus, præsertim inter puberes diversi sexûs, oscula hujusmodi, si frequenter et morose fiunt, mox ad peccatum mortale pertingunt.

(**C**) Oscula, amplexus, contrectationes manuum, quæ fiunt juxta morem patriæ, urbanitatis, amicitiæ vel cognationis causâ, etiam inter personas puberes diversi sexûs, absque affectu pravo, sunt *licita*, etiamsi per accidens aliquando motus carnalis inde excitaretur, dummodo absit periculum delectationi venereæ consentiendi.

28. 2° **De tactibus.** Idem fere dicendum ac de osculis.

(**A**) Tangere corpus sive proprium, sive aliorum, ex *affectu venereo*, est *mortale;* ita tangere genitalia aliorum [1], præsertim diversi sexûs, etiam mediate supra vestes, secluso necessitatis casu (prout contingit medicis, chirurgis aliisque curam

[1] Notat *Antonelli* (op. cit., t. I, n. 391) mulierum *ubera*, et præcise eorum apicem, sedem esse voluptatis, et horum excitationem secum ferre vehementem genitalium commotionem, ita ut grave sit peccatum morose ubera tangere, præter necessitatis casum.

infirmorum habentibus) : id enim libidinem provocat, et vix fieri potest sine pravo affectu. — Excusantur tamen a mortali matres et nutrices quæ obiter organa parvulorum tangunt ex curiositate aut levitate, quia tunc abest generatim periculum venereæ delectationis; si vero id faciunt sæpe ac morose, etiam ad sedandos pueros, graviter plerumque peccant, cum exinde pueri aliquando contrahant habitum sese turpiter tangendi. — Tangere brutorum partes inhonestas obiter, ex curiositate aut sensualitate, generatim veniale non excedit, quia graviter non commovet libidinem; sed id præstare diu, usque ad pollutionem brutorum, est plerumque grave peccatum, quia periculum inducit propriæ pollutionis.

29. (B) Tangere personam ejusdem aut diversi sexûs in partibus minus honestis, v. g. in pectore, absque venereo affectu, sed sine utilitate, ex quâdam curiositate aut ex sensibili amore, culpâ non vacat; si fiat obiter, ex joco aut levitate, generatim veniale non excedit, si vero morose, et cum gravi commotione organorum, præsertim si agitur de personâ diversi sexûs, vix a gravi excusari potest, ob periculum proximum consentiendi delectatione venereæ.

(C) Seipsum tangere in partibus inhonestis, *necessitatis* vel *utilitatis* causâ, v. g. ad abigendum pruritum, ad abstergendas sordes, ad curandam infirmitatem, non est peccatum, dummodo excludatur consensus in delectationem quæ inde oriri potest. Sed sedulo vitari debet omnis affectus pravus, imo inordinata curiositas; ideoque expedit mentem convertere ad res bonas aut saltem indifferentes. — Si quis vero seipsum tangit in partibus inhonestis sine justâ causâ, ex levitate aut curiositate, sine pravo affectu, venialiter peccat, quia imprudenter se exponit periculo carnales motus causandi. Ab his autem tactibus omnino abstinere debent qui proni sunt ad pollutionem.

(D) Hic etiam inquiri potest num liceat *admittere* tactus vel oscula, quæ cognoscuntur *ex affectu libidinoso* oriri. — (a) Si tactus sunt *ex se inhonesti*, et absque necessitate fiunt, non licet, quia ita habetur cooperatio ad peccatum alterius sine justâ causâ. (b) Si agitur de osculo aut tactu *in se honesto*, coram aliis qui pravam alterius intentionem non cognoscunt, admitti potest, ne alter diffametur, secluso periculo proprii consensûs; si secreto fit, ita ut sine gravi incommodo præcaveri valeat, permitti nequit, cum non licet sine gravi causâ cooperari mortali peccato alterius.

30. 3° **De aspectibus.** Etsi aspectus impudici minus commoveant libidinem quam tactus, valde tamen sunt periculosi.

(A) Graviter *ex se* peccant qui, absque necessitate, *morose* ac *deliberate* aspiciunt pudenda alterius sexûs[1], — aut etiam ejusdem sexûs, si proni sunt ad sodomiam, — aut virum et mulierem actus graviter impudicos in invicem exercentes, — aut singulas personas sese polluentes. — Idem dicendum generatim de iis qui morose aspiciunt ubera omnino nuda mulieris.

Quoad *statuas* aut *picturas*, minus quidem commovent passiones quam personæ; attamen quædam ita sunt obscenæ, ut eas aspicere non liceat, absque peccato, cujus gravitas pendet ab ipso periculo consentiendi pravæ delectationi; aliæ autem, quamvis nudæ, non vehementer excitant libidinem, nisi morose ex inordinato affectu aspiciantur; unde eas obiter aspicere non est mortale peccatum, nisi experientiâ constet id esse periculum proximum et grave pro certis personis; imo nullum est peccatum quoad eos qui ex hoc aspectu nullam tentationem experiuntur.

31. (B) Aspicere partes minus honestas personæ diversi sexûs, si fiat obiter, ex curiositate, generatim non excedit veniale, quia non solet graviter passiones excitare. Idem dici potest de aspiciendo coitu animalium, sine affectu libidinoso, ex curiositate; si adsit causa, nullum erit peccatum.

(C) Aspicere propria pudenda ex curiositate aut levitate, sine causâ, sed absque pravo affectu, *ex se* veniale non excedit; si quædam adest ratio utilitatis, nullum est peccatum. Idem dicendum de aspectu nudæ personæ ejusdem sexûs, si obiter fiat, ex merâ curiositate. In regionibus ubi viri nudi natare solent, talis aspectus generatim omni culpâ vacat, secluso pravo affectu, quia libidinem non excitat; sed magis consentaneum est modestiæ christianæ ut pudenda tegantur, prout fit in plerisque regionibus christianis.

---

[1] In plerisque academiis picturæ aut sculpturæ, tanquam exemplaria (*modèles*) proponuntur personæ nudæ, quia, ut aiunt, studia in nudo corpore necessaria sunt ad perfectionem artis. Id sane non licet ad pingenda aut sculpenda obscena. Si vero id vere necessarium existimatur, in quibusdam adjunctis, ad perfectionem artis etiam honestæ (de quo judicent christiani Academiarum directores), hæc statuit *Berardi*, Praxis, t. I, n. 804 : " Directores hujusmodi academiarum certe tolerare possunt ut mulieres, juxta morem jam introductum, pro exemplari adhibeantur, *tectis tamen pudendis* et adhibitis cautelis ne inordinationes sequantur. — Juvenes, qui artem addiscunt, excusantur, dummodo cauti sint. " Puellæ vero honestæ difficile a peccato excusantur, si sese exhibent in his academiis. Quæ vero jam his rebus fuerunt assuetæ, in minori periculo versantur, et excusari possunt, si vera adest necessitas. Unde peccant quæ, absque necessitate, hanc lubricam viam ingrediuntur. — Et sane dolendum est quod, in christianis regionibus,studia *in nudo corpore* necessaria existimantur. — Cfr. *Ball.* P., t. II, n. 984; *Génicot*, t. I, n. 407; *Noldin*, n. 56.

Exinde inferre licet mortaliter peccare eos qui aliorum oculis exponunt objecta graviter obscena, quæ grave scandalum afferunt; venialiter peccare eos qui exhibent aliquid indecens, quod *ex se* pudicitiam offendit, etsi non vehementer ad libidinem provocet.

32. 4° **De colloquiis.** (A) Graviter peccant qui turpia loquuntur ex affectu libidinoso, aut cum intentione alios seducendi vel graviter scandalizandi, aut de rebus omnino obscenis sermonem habent, saltem coram innuptis[1], v. g. de actu conjugali, de mediis impediendi generationem aut se polluendi: hæc enim proximum mortaliter peccandi periculum inducunt, tum in loquente, tum in audientibus, ideoque duplicem malitiam complectuntur. Idem dicendum de iis qui narrant gravia peccata a se patrata, verbis valde obscenis, ad excitandam libidinem aptis.

33. (B) Si vero verba sunt tantum *leviter indecentia*, aut graviter quidem, sed joci causâ et obiter, inter personas his rebus assuetas, plerumque veniale non excedunt, quia non grave inducunt periculum peccandi. — Decenter de rebus venereis loqui, ob veram utilitatem, non est peccatum.

(C) Sermones turpes *audire*, absque causâ, cum quâdam complacentiâ, est peccatum grave aut leve, secundum periculum quod incurritur consentiendi pravæ delectationi; generatim leve est pectum, si quis solum ex curiositate aut humano respectu hæc audit, sine pravo affectu, præsertim quando moraliter abire nequit. Tandem hæc audire cum displicentiâ, quando moraliter necessarium est, nullum est peccatum, dummodo media adhibeantur ad malas cogitationes abigendas, v. g. orando aut mentem ad alia divertendo.

In praxi omnino vitandum est de his rebus loqui, etiam joci causâ, sed oportet sermonem ad alia vertere, quoties fieri potest: "Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos[2]".

34. 5° **De lectione librorum et frequentatione theatrorum.** Hæc duo plus minusve passiones excitant, prout res plus minusve luxuriosas exhibent, simulque secundum diversas personas quæ libros legunt aut spectaculis assistunt.

Hinc (a) legere libros turpes ex intentione libidinosâ, vel ita obscenos ut adsit periculum proximum consentiendi venereæ delec-

[1] Sermones turpes inter conjugatos, etsi sedulo vitandi pudicitiæ causâ, raro sunt peccata mortalia, secluso pravo affectu, quia, cum hi sint his rebus assueti, minus graviter inde commoventur.

[2] *Ephes.*, V, 3.

tationi, est mortale peccatum. Idem dic de spectaculis. (b) Excluso turpi affectu et periculo proximo graviter peccandi, legere libros turpes aut periculosos, absque causâ, ex curiositate, est peccatum veniale; si justa adest causa, nullum est peccatum, dummodo præcaveatur omnis consensus in carnalem delectationem.

Hodie non pauci juvenes lectione pravorum librorum aut frequentiâ spectaculorum infimæ notæ corrumpuntur; quare parentes curare debent ne filiis hâc in re malum præbeant exemplum.

35. 6° **De choreis.** Choreæ *(danses, bals) per se* non sunt peccata, sed sæpe fiunt occasio peccati ratione nuditatum, cantuum, gestuum, contrectationum, etc. Unde choreæ sunt *per se* licitæ, modo fiant cum personis honestis et honesto modo, vitando scilicet nuditates et contrectationes aliaque ejusmodi quæ libidinem provocant; sed, cum sint *periculosæ*, raro et caute fiant, non voluptatis, sed utilitatis causâ.

Quidam tenent nunquam permitti posse choreas dictas *valse*, *polka*, *mazurka*, *scotish*, etc.; attamen in praxi mulieres etiam honestæ hodie in his partem habent, et contendunt se nil mali peragere, quia rythmicis motibus et musicæ ita intendunt, ut de sensuali voluptate non cogitent[1]. Quare res non potest modo generali et absoluto prohiberi, sed, in singulis casibus, pro adjunctis personarum, locorum consuetudine, modo saltandi, etc., dijudicandum est num hujusmodi choreæ sint, pro determinatâ personâ vere proxima occasio peccati aut scandali; nec permitti possunt, nisi remoto utroque periculo.

Aliud majusque periculum habetur quando, post habitam choream, juvenes domum deducunt puellas, ut fit in quibusdam regionibus: dum enim simul ambulant aut vehuntur, solus cum solâ, multo proximior est occasio peccandi; quare parentes hanc praxim tolerare non debent, saltem regulariter.

De choreis merito *S. Franciscus Salesius* scribit[2]: "Ordinarie periculum includunt, devotionis spiritum dissipant, vires spirituales enervant, caritatem frigidam reddunt, et sexcenta pravorum affectuum genera in animâ excitant; quare nonnisi circumspecte et summâ cum prudentiâ frequentari possunt." — Ubi non viget chorearum consuetudo, pastores curabunt ne hæc introducatur; ubi existit, prudenter abusus compescere studebunt, privatis potiusquam publicis monitis; promovendo sinceræ pietatis opera, et sacramentorum frequentationem, aliquando poterunt rem e medio tollere, aut saltem a multis periculis liberare.

---

[1] *Berardi*, De Recidivis et occasionariis, ed. 5ª, 1897, t. II, n. 188; *Ami du Clergé*, t. XIX, 1897, pp. 401, 663, 1064, 1069.

[2] *S. François de Sales*, Introd., part. III, c. 33.

36. **N. B.** In his omnibus statuere conati sumus quid sub gravi aut levi prohibeatur, attentis moribus hodiernis. Veri autem christiani, his non contenti, mores in melius mutare debent; quod quidem præstabunt non solum bonum exemplum aliis præbendo, sed etiam *consociationes* et *fœdera* instituendo quibus castitas et pudicitia promoveantur, juxta infra dicenda, art. III.

§ II. De peccatis luxuriæ consummatis.

Duo sunt genera, prout *secundum* aut *contra* naturam sunt.

I. De peccatis consummatis secundum naturam.

37. **1° De fornicatione.** (A) Fornicatio simplex est *copula viri soluti*, seu non conjugati, *cum solutâ ex mutuo consensu*. Copula autem proprie consistit in penetratione vasis feminei cum seminatione ibidem factâ; si semen virile non effunditur, habetur inchoata seu imperfecta copula; minime autem requiritur, ad copulam perfectam, humoris feminei effusio.

(B) *Fornicatio est peccatum mortale, non solum jure positivo, sed etiam jure naturali prohibitum.* Ait enim *Paulus*[1]: "Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei." Hanc vero jure naturali esse interdictam, constat ex hâc propositione ab Innocentio XI damnatâ: "Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur." — Revera fornicatores delectationem veneream quærunt absque oneribus matrimonii; quod quidem in detrimentum vergit societatis humanæ: admisso enim vago et libero concubitu, non satis providetur educationi prolis, quæ patris et matris curam exigit. Etiamsi vero in determinato casu prolis educationi provideretur, fornicatio esset nihilominus peccatum grave, quia *ex se* et *ex communiter contingentibus* tendit ad malam aut saltem imperfectam prolis educationem.

---

[1] *Ephes.*, V, 5.

38. (C) Aliquando fornicationi variæ adduntur malitiæ : — (a) copula quandoque committitur modo *onanistico*, ad præcavendam generationem prolis : tunc est contra naturam. (*Supplem. de Matrimonio*, n. 40).

(b) Quando *frequenter* copula habetur cum *eâdem* personâ, sive hæc domi retineatur sive non, adest *concubinatus :* cujus malitia specialis consistit in proposito *perseverandi* in peccato. — Concubinarius versatur in occasione proximâ peccandi, nec regulariter absolvi potest nisi concubinam dimiserit, si hæc domi retineatur; excipitur casus quo mors imminet, ita ut tempus desit concubinam ejiciendi. Hic in memoriam recolenda sunt quæ diximus de occasionariis, in *Tr. de Pœnitentiâ*, n. 460.

(c) *Meretricium* est status mulieris quæ omnibus se prostituit, lucri aut libidinis causâ. Ibi etiam adest prava voluntas multa peccata committendi, etiam adulteria et sacrilegia, si sese præbuerit occasio.

Meretricium a magistratibus tolerari nequit nisi ad majora mala impedienda[1], videlicet peccata contra naturam, et ne forte honestæ mulieres pravorum impuris sollicitationibus nimis frequenter subjiciantur. Unde non ubique, sed solum in magnis urbibus toleretur, et quidem cautelis adhibitis ad removenda scandala, in quantum fieri potest.

39. 2° **De stupro.** Stuprum triplex distinguitur : sensu *stricto*, seu *canonico*, est *defloratio*[2] *virginis, ipsâ invitâ;* sensu minus stricto, est *virginis defloratio*, etiamsi hæc sit *consentiens;* sensu lato, est copula cum quâcumque muliere, *ipsâ invitâ.*

(A) Stuprum dicitur violentum non solum quando mulier vi opprimitur, sed etiam quando copula extorquetur minis vel metu injuste incusso, aut dolo vel fraude, v. g. abutendo puellæ ignorantiâ, falso matrimonium promittendo, in somno vel ebrietate mulierem carnaliter cognoscendo. Jamvero omne stuprum violentum, etiam cum muliere non virgine, duplicem complectitur malitiam, alteram contra *castitatem*, et alteram contra *justitiam*, cum violetur jus mulieris in proprium corpus.

(B) Stuprum vero quod pœnis canonicis punitur, est defloratio virginis, ipsâ invitâ, nisi aliud expresse notetur. — Quando defloratur virgo, cum ipsius consensu, habetur quidem circumstantia *notabiliter aggravans*, sed species peccati non mutatur.

(C) Stupro affinis est *raptus*, seu violenta personæ abductio, *libidinis* explendæ causâ. Differt proinde ab *impedimento* raptûs, quod

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 10, a. 11.

[2] Defloratur virgo quando per primam carnalem copulam florem virginitatis amittit.

incurritur quando abductio fit *matrimonii* ineundi causâ. Duplicem pariter malitiam includit, nempe contra justitiam et castitatem.

N. B. Mulier, cui violentia infertur, semper tenetur non solum internæ delectationi resistere, sed etiam exterius dissensum manifestare, clamando et, pro viribus, aggressorem repellendo; non tenetur tamen eo modo exteriori resistere qui eam exponat periculo mortis aut infamiæ, dummodo absit periculum proximum interni consensûs.

40. 3° **De adulterio.** (A) Adulterium est *copula cum alterius conjuge;* est *simplex*, si solutus peccat cum conjugatâ aut vice versâ, *duplex* vero, si ambo sunt conjugati. Adulterii malitiam aliquomodo induunt actus externi, etiam non consummati, necnon impura desideria cum alterius conjuge peccandi. Attamen non pauci, ex inconsideratione aut ignorantiâ, hanc duplicem malitiam in actibus incompletis non advertunt : quo in casu, hanc declarare stricte non tenentur.

(B) Adulterium, etiam simplex, *duplicem* malitiam semper includit, utramque *mortalem*, videlicet contra *castitatem*, et contra *justitiam*, violando jus alterius conjugis. Quod quidem verum est, etiamsi alter conjux consentiat : jus enim de quo agitur, utpote oriens ex contractu ad bonum publicum necessario, alienari nequit. Quare ab *Innocentio XI* damnata est hæc propositio 50 : " Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum." — Sed insuper, quoties proles nascitur ex uxore adulterâ, damnum temporale infertur ejus *marito*, adulterinum infantem in ejus familiam introducendo, necnon *legitimis filiis*, qui exinde portionem hæreditatis amittunt; quandonam et quomodo tale damnum reparari debeat, exposuimus in *Tr. de Justitiâ*, n. 575.

41. (C) Copula habita cum personâ, quæ *valida sponsalia* cum altero contraxit, certo est circumstantia notabiliter aggravans, quia jus *inchoatum* alterius violatur; num vero speciem peccati mutet, ideoque sit in confessione declaranda, non certo constat; unde si pœnitens hâc de re tacet, confessarius interrogare non tenetur.

42. 4° **De incestu.** (A) Incestus est copula inter *cognatos* vel *affines* qui, secundum legem Ecclesiæ, validum matrimonium inter se inire nequeunt, v. g. inter consanguineos

usque ad quartum gradum. Nomine *cognationis* venit etiam cognatio *spiritualis*, ex baptismo aut confirmatione orta, et legalis, ex adoptione validâ [1]. — Ad incestum referuntur actus externi et desideria peccandi cum cognatis aut affinibus, ut dictum est de adulterio.

(B) Incestus *duplicem* malitiam includit, nempe contra *castitatem* et *pietatem*, utramque mortalem; hanc autem non semper advertunt qui peccant cum remotis consanguineis vel affinibus, aut cum spiritualiter vel legaliter cognatis. — Incestus ex consanguinitate vel affinitate ortus *specie* differt ab eo qui ex cognatione spirituali vel legali procedit; sed communiter admittitur incestum ex consanguinitate non specie differre ab eo qui ex affinitate oritur.

Nonnulli dicunt incestus commissos inter consanguineos vel affines in quocumque gradu, etiam inter parentes et filios, fratres et sorores, esse *probabiliter* ejusdem speciei [2]. Sed, cum plerisque theologis putamus incestum cum ascendente aut descendente et cum fratre aut sorore ab aliis specie differre [3]; et ita sane fert communis sensus, qui ut speciali reprobatione digna habet horrenda ejusmodi crimina. Imo si quis cum novercâ (*belle-mère*), vivente patre, peccaverit, censemus hanc circumstantiam in confessione declarandam esse, ratione atrocis injuriæ erga parentem [4] : ita *Lehmkuhl*, n. 882.

43. (C) Peccata carnalia a *parocho* cum *parochianis* commissa specialem induunt malitiam, non incestûs quidem, sed *injustitiæ*, quatenus pastor ad peccatum inducit eos quos *ex officio* a vitio retrahere debet. — Confessarius autem qui carnaliter peccat cum pœnitente, etsi incestum non committat, excommunicationem incurrit, si complicem absolvit (*De Pœnitentiâ*, n. 510-528).

44. 5° **De sacrilegio.** Luxuria sacrilega est violatio *personæ*, *loci* aut *rei sacræ* per actum venereum; de triplici specie hujus peccati supra dictum est, n. 930-934. Mali-

[1] De quibus vide *Tr. de Matrimonio*, n. 333 et 334.

[2] *Sporer-Bierbaum*, t. III, p. IV, n. 609; *Ball. P.*, t. II, n. 1016; *Noldin*, n. 21.

[3] *Lugo*, De Pœnitent., disp. XVI, n. 143; *S. Alphons.*, l. III, n. 448, et l. VI, n. 470; *Lehmk.*, t. I, n. 882.

[4] De quo crimine aiebat *Paulus* (*I Cor.*, V, 1) : " Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. "

tiam sacrilegii aliquo modo participat peccatum *sollicitationis*, quo confessarius sacramento pœnitentiæ abutitur ad peccatum turpe (*De Pœnitentiâ*, n. 529).

II. De peccatis consummatis contra naturam.

Quatuor sunt : pollutio, onanismus, sodomia, bestialitas; de onanismo autem agitur in *Supplem. ad Tr. de Matrimonio*, n. 39.

45. 1° **De pollutione.** (A) Quo nomine *theologi* designant quamlibet seminis humani effusionem, sive voluntariam sive involuntariam, sine concubitu. *Medici* autem hoc verbo communiter intelligunt *involuntariam* seminis effusionem, eam præsertim quæ per somnum contingit. Voluntariam autem emissionem vocant *onanismum*, *vitium solitarium*, *masturbationem* (a vocibus *manu*, *stupratio*); quod quidem advertendum est, ne, in confessionibus audiendis aut libris medicorum intelligendis, damnosus incurratur error.

Pollutio *proprie dicta* non invenitur in iis qui verum semen non habent, nempe in impuberibus, eunuchis, imo et feminis. In mulieribus enim nullum est aliud semen nisi ovum, quod ex ovariis in uterum descendit sine delectationis perceptione; humor vaginalis, qui intra organa et aliquando exterius fluit, non est prolificus; attamen cum delectatione venereâ completâ conjungitur, ideoque voluntaria effusio hujus humoris, extra copulam maritalem, est peccatum mortale, quia, etsi ad generationem non necessaria, ordinatur tamen ad eam ut quid accessorium.

Pollutio in viris differt a *distillatione*, quæ est modica effusio humoris ex prostratâ et uretrâ fluentis, affinis humori vaginali de quo supra.

46. (B) Ad dijudicandum de pollutionis *moralitate*, sedulo distinguendum est inter pollutionem *in se vel in causâ volitam*, et pollutionem omnino *involuntariam*. Hæc aliquando contingit in statu *vigiliæ*, sæpius autem in *somno*. (a) Involuntaria, quæ vigilibus accidit, vocatur *passiva* (*perte séminale*), levissimis causis provocatur, et sine delectatione peragitur : hic est vere morbus, haud raro ex consuetudine peccandi procedens, sed *in se* omni culpâ vacans.

47. (b) Posterior vocatur *pollutio nocturna*, quia per somnum occurrit. Sæpe ex causis mere naturalibus oritur,

præsertim ex abundantiâ seminis, et est veluti naturæ exoneratio. Hanc patiuntur juvenes pubertatem adepti et ii qui cœlibes manent, plus minusve frequenter; quando contingit solum semel in hebdomadâ, de eâ non est curandum; si ter aut sæpius, et quidem modo habituali, ad medicum recurrere expedit.

Jamvero pollutio nocturna, quando tum *in se* tum *in causâ involuntaria* est, nullum est peccatum, etiamsi eam præcedant aut comitentur phantasmata plus minusve inhonesta : naturale est enim quod hujusmodi phantasmata occurrant quando semen superabundans expellitur [1], ob connexionem inter genitalia organa et cerebrum, imaginationis sedem. — Si *semisopitis* accidit cum aliquo consensu delectationi eam comitanti, non excedit veniale peccatum, ob imperfectam cognitionem ac volitionem (supra, n. 79). In dubio num quis consenserit, judicandum est consensum non fuisse datum, saltem plene, si in statu vigiliæ hæc omnia ei displicent. — Aliquando vero contingit ut pollutio sit voluntaria *in causâ*, quatenus causatur a cogitationibus, lectionibus, colloquiis inhonestis *deliberate* habitis, cum prævisione hujus pravi effectûs : tunc est peccatum, plus minusve grave, prout præfatæ actiones plus minusve peccaminosæ fuerunt atque prævisio magis certa et distincta. Peccatum vero committitur non tempore quo pollutio accidit, sed eo instanti quo prævidetur ejusque causa deliberate ponitur (supra, n. 174).

48. (C) *Pollutio in se seu directe voluntaria est peccatum grave.* Etenim *S. Paulus* recenset mollitiem, id est pollutionem, inter peccata quæ a regno Dei excludunt [2]. Revera effusio seminis humani unice ad generationem prolis ordinatur, et voluptas eidem adnexa est ad hunc finem efficacius attingendum; atqui in pollutione directe volitâ, semen solius voluptatis causâ emittitur, contra naturæ ordinem, ideoque est peccatum [3]; si vero leviter esset illicitum, finis

[1] *S. Thom.*, 2. 2æ, q. 154, a. 5. — [2] *I Cor.*, VI, 10.

[3] Quod ipsi pagani admittebant, teste *Martiali* poetâ (*Epigram.*, l. IX, 42) :

" Ipsam crede naturam dicere rerum,
Istud quod digitis, Pontice, perdis, *homo* est."

a naturâ intentus frustraretur : homines enim multi, hâc voluptate contenti, oneribus matrimonii valedicerent, aut nonnisi post expletam libidinem nuptias contraherent, quando impotentes facti sunt ad generandum. — Merito igitur ab *Innocentio XI* reprobata est hæc propositio 49 : " Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali."

49. Aliunde physici et morales effectus, qui ex voluntariâ pollutione sequuntur, luculenter ostendunt quantum sit naturæ contrarium. Juvenes enim huic vitio addicti facile habitum contrahunt omnino tyrannicum, qui eorum vires multum debilitat : frequentia actuum impudicorum totum nervosum systema et cerebrum perturbat : hinc debilitas et generalis defatigatio, capitis dolores, appetitus diminutio, convulsiones membrorum, visûs et auditûs debilitatio; deinde accedunt pollutiones involuntariæ, seu passivæ, vehementes cordis palpitationes; quandoque etiam incurabiles morbi : phthisis, hydropisia, epilepsia, tabes dorsalis, et, apud feminas, uteri inflammatio, hysteria. Sæpe etiam frequenti masturbatione amittitur potentia coeundi et generandi. — His effectibus addi debent alii, morales, videlicet animi depressio, voluntatis enervatio, inhabilitas ad labores præsertim intellectuales : mens enim, obscenis imaginibus infecta, vix de aliis rebus cogitare valet; mox evanescunt nobiles ideæ atque puræ affectiones, insanus prævalet egotismus; quandoque succedit amentia. — Non omnes quidem hi effectus semper producuntur, neque eodem gradu in omnibus : id enim pendet a corporeâ constitutione, frequentiâ et duratione actuum, aliisque adjunctis; sed periculum certo adest ne inveteratus et fere incurabilis habitus contrahatur, ex quo plus minusve præfati effectus sequentur[1].

Neque audiendi sunt isti medici qui, ad deterrendos juvenes a pollutione, eis fornicationem suadent, falso asserentes semen aliquando *sanitatis* causâ, effundendum esse. — Pars enim seminis *resorbetur* in corpore cui novas addit vires[2]; pars altera naturaliter per somnum effunditur, absque ullâ nervorum perturbatione; dum fornicatio, quæ moraliter mala est, syphilim inducere potest.

---

[1] Multi medici hos effectus descripserunt; inter quos : *Tissot*, De l'onanisme, 1760; *Garnier*, Onanisme; *Fournier*, L'onanisme, Paris, 1892; *Ribbing*, L'hygiène sexuelle, Paris, Alcan, 1901, p. 156; *Surbled*, La Morale, t. II, ch. 3-8; *id.*, Le vice solitaire, Paris, 1905; *Vigouroux*, Traité de Médecine, t. IV, p. 304-317; *Stall*, What a young boy ought to know, Philadelphia, 1897, p. 97-118.

[2] *Surbled*, Vie de jeune homme, ch. 6-7.

50. *Corollarium.* Quando pollutio sine consensu voluntatis incepta est, sive in somno sive in vigiliâ, graviter peccat qui *voluntarie* et *positive* eam perficit ac complet, sive tactu, sive motu. Nulla tamen est obligatio stricta eam positive cohibendi, sed permitti potest ut natura se exoneret, modo absit periculum consentiendi in ipsam delectationem. In priori enim casu, vere *procuratur* pollutio; in posteriori solum permittitur naturæ exoneratio : quod in quibusdam adjunctis utile est, ne tentatio gravis inde exsurgat, cui difficile voluntas resisteret, et ne nervorum perturbatio occurrat [1]. Generatim tamen consultius est imminentem pollutionem cohibere, quando id fieri potest sine nervorum irritatione.

51. (D) Pollutio non directe, sed tantum *in causâ voluntaria*, est culpabilis vel non, graviter aut leviter, prout ratio adfuit vel non ponendi causam ex quâ oritur malus effectus.

Pollutio dicitur *in causâ voluntaria* quando prævidetur ex aliquo alio actu secutura. Jamvero, ex dictis supra, n. 175, licet ponere actum in se bonum aut indifferentem, ex quo malus sequetur effectus, dummodo adsit ratio *proportionate gravis*, et aliunde præcaveatur consensus in malum finem. (a) Si periculum pollutionis, ex ipsâ naturâ actionis, est *proximum* et *valde probabile*, ratio proportionate gravis debet esse *necessitas* vel *magna utilitas;* ita medicis, chirurgis, famulis qui in nosocomiis aut balneis necessitatibus corporis inserviunt, licet actus ponere ex quibus pollutio prævidetur, quia eorum ministerium est necessarium aut valde utile. (b) Si periculum est ex se *remotum* et *probabile*, *levis* ratio sufficit ad ponendum actum ceteroquin bonum aut indifferentem. Licent igitur honesta oscula, amplexus, decentes choreæ, exercitia gymnastica, equitatio, copiosa prandia, etsi probabiliter inde sequatur aliquando pollutio, dummodo fiant urbanitatis aut recreationis causâ, absque pravo affectu et periculo consentiendi in veneream

[1] Dicebant olim theologi id licere ne semen corrumperetur; quæ quidem ratio *physiologice* falsa est; sed suppressio repentina et frequens incœptæ pollutionis, ad morbos nervosos prædisponit; cfr. *Debreyne-Ferrand*, La théol. morale et les sc. méd., 6e éd., p. 87.

delectationem. — Ad quod periculum præcavendum, satius est mentem statim ad res honestas divertere.

52. Quâ occasione quæritur num liceat *pruritum*, quem quis patitur in *verendis*, tactu vel fricatione abigere, cum pollutionis periculo. Generatim melius est eum patienter tolerare. Attamen, si pruritus oritur ex aliquâ inflammatione aut sanguinis acrimoniâ, non est illicitum eum ita abigere, quia vera adest utilitas, dummodo absit periculum consensûs; si vero oritur ex abundantiâ seminis aut libidinis ardore, non licet, quia tactus tendit in sedandam libidinem *per* pollutionem; non autem licet malo uti *medio* ad finem etiam bonum.

53. **Corollaria.** Ex dictis constat quid censendum sit de *distillatione* et de *motibus carnis*.

(a) Distillatio, quæ fit involuntarie frequenter, absque commotione organorum et voluptate, non est peccatum, sed morbus, de quo medicus est adeundus. — Distillatio, quæ fit cum quâdam organorum excitatione, est peccatum mortale, si directe excitatur ob veneream delectationem; peccatum veniale, si ex curiositate aut levitate causatur, absque pravo affectu et periculo consensûs; nullum peccatum, si oritur ex actibus honestis ac licitis, v. g. colloquiis, aspectibus ceteroquin decentibus, dummodo absit consensus in commotionem : tunc enim humanæ infirmitati tribui debet.

54. (b) Idem dici potest de *motibus carnalibus*, qui præsertim consistunt in erectione membri virilis aut clitoridis femineæ : si *directe* voluntarii, peccatum grave sunt ob delectationem veneream quæ eos comitatur; si *indirecte*, seu in causâ, quamvis sine sufficienti ratione, generatim non excedunt veniale peccatum, secluso pravo affectu et periculo consensûs, quia ex levitate procedunt; accedente causâ sufficienti, nullum sunt peccatum, dummodo nulla complacentia voluntarie in eis sumatur.

Quando hi motus *sponte* oriuntur, si leves et transitorii sunt, de iis curandum non est; nam sollicitudo eos impediendi eosdem potius augere solet. Si graves ac diuturni, non satis est passive se habere, sed eis resistere oportet, ad vitandum periculum consensûs. Resistentia autem *directa* plerumque nervos excitat atque vim tentationis auget. Quare *indirecte* resistendum est, locum vel situm mutando, laborando, deambulando, scribendo, uno verbo mentem ad alia divertendo.

55. 2° **De sodomiâ.** (A) Infandum sodomiæ crimen inter paganos viguisse testatur *Paulus*[1] : " Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto natu-

[1] *Rom.*, I, 29-27.

rali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes."

Duplex sodomia distinguitur : *perfecta* seu *proprie dicta*, quæ est concubitus duorum ejusdem sexûs, nempe maris cum mare [1], vel feminæ cum feminâ; *imperfecta*, seu *improprie dicta*, quæ est concubitus cum personâ diversi sexûs, sed in vase innaturali. Sunt duæ species diversæ. — Ad sodomiam non sufficit simplex tactus, sed requiritur, saltem ex unâ parte, applicatio membri genitalis ad corpus alterius, quocumque modo fiat.

(B) Sodomia est peccatum *gravissimum*, gravius fornicatione et simplici pollutione, tum quia est maxime contra naturam, tum quia ambo sodomitæ sibi invicem scandalum præbent, et ad alterius peccatum concurrunt.

56. Etsi sodomia perfecta variis modis perfici possit, de his pœnitentes non sunt interrogandi : satis est scire num fuerit *consummata* per effusionem seminis.

Sodomia *improprie dicta*, quæ in vase præpostero committitur, gravissimos morbos, præsertim in mulieribus, inducere solet; de quibus lege medicos.

Genus est sodomiæ magis horrendum, quod a theologis *irrumatio* vocatur, a plebe *abusus oris* : consistit in lambendo genitalia ejusdem aut alterius sexûs, aliisque turpitudinibus cum linguâ et ore commissis; quod multos pariter morbos post se trahit.

Quando sodomia est *reservatum* peccatum, ut in pluribus diœcesibus, intelligitur sodomia proprie dicta, et quidem consummata, nisi aliter declaretur; quæ frequentius inter mares accidit, sed aliquando etiam inter puellas et feminas, quæ genitalia contra genitalia sibi invicem perfricant.

57. 3° **De bestialitate.** (A) Bestialitas est *concubitus cum bruto;* quando accedit seminis effusio in vase naturali, habetur bestialitas *proprie dicta* et *consummata.* Ubi sodomia reservatur, de hoc genere reservatio intelligenda est, nisi aliter statuatur.

(B) Bestialitas est *per se* gravissimum omnium luxuriæ peccatorum, cum per illud homo jumentis comparetur, et cum eis una caro fiat [2]. — Species peccati non mutatur, qua-

[1] Quando viri *pueris* abutuntur ad explendam libidinem, dicitur *pœderastia.*

[2] In veteri lege non solum prohibebatur, sed morte puniebatur horrendum bestialitatis crimen : "Qui cum jumento et pecore coierit,

liscumque sit bestiæ sexus. — Crimen hoc præsertim committitur a ruricolis, et quibusdam feminis, quæ canibus utuntur ad explendam libidinem. Tactus impudici cum bestiâ non sunt proprie bestialitas, sed ad eam perducunt, et sæpe pollutionem provocant : quo casu, graviter sunt peccaminosi.

58. (c) Huic peccato affine est crimen *necrophiliæ*, seu copula cum feminâ mortuâ, quod aliquando committitur a custodibus mortuorum : sensum omnino depravatum ostendit.

Conclusio hujus articuli : modus de præfatis peccatis interrogandi.

59. In memoriam revocandum est principium in *Tr. de Pœnitentiâ* expositum, n. 385, videlicet in interrogationibus ea omnia vitanda esse quæ pœnitentes probabiliter scandalizare possunt : materialis enim integritas confessionis solum jure divino *positivo* præcipitur, dum scandalum vitari debet ex ipso jure *naturali*. Jamvero confessarius dupliciter præsertim scandalizare potest, imprudenter docendo modum patrandi peccata pœnitentibus ignotum, aut quæstiones inutiles proponendo ex quibus pœnitentes judicant confessorem nimis esse versatum in rebus venereis.

Ad quod vitandum, confessarius imprimis satagat ut pœnitens declaret id quo ejus conscientia gravatur, promittens tamen quod postea eum sit juvaturus.

60. (a) Si agitur de *impuberibus*, sufficit quærere num et quoties aliquid *audierint*, *locuti sint* aut *egerint* contra modestiam, decentiam, puritatem, — utrum soli an cum aliis. Imprudens esset inquirere de *modo* quo peccatum fuit commissum, utrum adhibitis manibus an alio modo. Melius est suggerere istas actiones, quas coram parentibus patrare erubescerent, a Deo conspici quem nil latet, eique valde displicere, et ab eo puniri sæpe in hac vitâ, præsertim vero in alterâ.

(b) Quoad *pùberes*, si dicunt quod seipsos inhoneste tetigerunt, non ex necessitate, sed propter voluptatem, jam inferri potest, absque ulteriori quæstione, pollutionem commissam fuisse. Quare *a puellis* non est quærendum num pollutionem aut seminis emissionem sibi procuraverint (quod earum curiositatem excitare posset), sed solum num motus inhonestos cum voluptate expertæ fuerint, eisque

---

morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo." (*Levit.*, xx, 15-16.)

plene consenserint, aut eos voluntarie causaverint (non inquirendo de modo); quo in casu, hujus delicti maximus horror eis incutiatur[1]. Cum quidam externos actus accusant, nil dicendo de cogitationibus aut desideriis, ab eis flagitandum est num antea voluntarie cupierint istos actus committere, num alios actus patrare exoptaverint. — Ex alio capite, quidam cogitationes pravas accusant, quin actus externos declarare audeant; ab eis quæri potest num istis imaginationibus consensum præbuerint non solum interne, sed aliquo actu exteriori.

(c) Si pœnitens accusat inhonestas familiaritates cum sociis, quæri debet utrum cum personis *ejusdem* an *alterius* sexûs. Si cum personis ejusdem sexûs, num usque ad pollutionem (si de maribus agitur,) usque ad plenam voluptatem (si de feminis); num aliquid turpius egerint. Si cum personis alterius sexûs, num attentaverint quod conjuges faciunt, aut malam actionem omnino consummaverint. Postea de *qualitate* personæ quæri potest, ut dignoscatur num adulterium, incestus, sacrilegium commissum fuerit. — Tandem opportuna præscribantur remedia.

Art. III. De mediis castitatem colendi.

Ad præfatas turpitudines vitandas nil magis prodest quam castitatem positive et assidue colendi mediis tum *naturalibus*, tum *supernaturalibus*, quæ breviter describere juvat.

61. 1° **Casta educatio.** (A) Cum juvenes, sicut cera mollis, distinctius quaslibet impressiones recipiant, maxime interest ut jam a teneris annis discant quanti facere debeant corporis animique puritatem, ideoque quanto cum horrore fugere debeant quidquid impuritatem redolet. Doceantur proinde quantâ cum reverentiâ proprium corpus tractare debeant, quod est animæ instrumentum et totius Trinitatis templum[2], sensuales aspectus tactusque vitando, nihilque privatim agendo quod coram parentibus honestisque personis facere puderet. Nihil igitur coram ipsis dicatur aut peragatur quod morbidam et periculosam curiositatem excitare valeat[3]; his enim attendunt, etiam dum aliis rebus

[1] Cfr. *Fénelon*, Avis aux confesseurs, Œuvres, t. III, ed. Lebel, p. 421-422.

[2] Ad rem *Paulus* (*I Cor.*, VI, 19-20). " An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est... Glorificate et portate Deum in corpore vestro. "

[3] Quod jam animadvertebat poeta *Juvenalis* (Satira 14ª) :

" Maxima debetur puero reverentia; si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos. "

distracti videntur; quod vident, imitari cupiunt; quod curiositatem excitat, sedulo investigant. Pariter curandum est ne nutrices, famuli, aliique cum pueris conversantes, aliquid dicant aut faciant indecorum, quod ipsorum mentibus impuram cogitationem ingerere possit : quidam enim adhuc ingenui pravis colloquiis aut exemplis famulorum corrupti sunt. — Puelli et puellæ non in eodem cubiculo, nec præsertim in eodem lecto dormiant, saltem post septennium.

62. (B) Quando vero jam *puberes* facti sunt, et in seipsis pravos motus experti fuerunt, simulque anxii esse videntur de horum causâ, opportunum putamus ut ipsi parentes prudenter ac decenter exponant ea quæ juniores de his rebus scire legitime cupiunt, ne forte id quærant a sociis, qui pravis consiliis pravisque exemplis ipsos ad actus venereos inducere possunt. Parentes autem opportune responsa et consilia juniorum indoli accommodabunt, non omnia semel exponentes, sed paulatim, addentes se paratos esse ad eorum honestis quæsitis honeste respondendum, quoties hi aliquid insuetum animadverterint[1]. Si parentes hâc in re deficiunt, ad confessarios spectat caste et prudenter juniores instruere, quoties eorum confessio ipsis præbet opportunitatem. Quo casu, simul efficacia proponent remedia ad resistendum tentationibus, tum naturalia tum supernaturalia.

63. 2° **Fuga occasionum.** Cum multi in turpia vitia labantur propter occasiones peccandi quibus circumdantur, de his pauca notanda sunt.

(A) Imprimis sedulo fugiatur *otiositas* etiam et præsertim ab iis qui divites sunt. Multam siquidem malitiam, præsertim quoad vitia carnis, docuit otiositas. Quando mens nullâ utili occupatione tenetur, sæpe turpes oriuntur cogitationes, præsertim in junioribus, motusque carnales, ex quibus imminet pollutionis periculum.

Quod quidem magis proximum est, quando quis diu in lecto molli jacet, jam exspergefactus : tunc enim calor regionis dorsalis genitalia excitat, ideoque graves tentationes. — Quidam otium fugant lectione; sed si leguntur libri amatorii, ut sæpe fit, crescit

[1] Cfr. *Fonssagrives*, Conseils aux parents et aux maîtres sur l'éducation de la pureté. Parentes ipsi uti possunt libris hâc de re scriptis, christianoque spiritu imbutis, v. g. *Surbled*, Vie de jeune homme, Paris, 1900; *id.* La vie de jeune fille, Paris, 1903; *Stall*, What a young boy ought to know; *id.* What a young girl ought to know, Philadelphia.

tentatio. — Juvenes pariter *solitudinem* fugiant : plerumque enim qui diu soli manent, absque assiduo labore aut studio, *solitario vitio* indulgent.

Omnes igitur, sive pauperes sive divites, puellæ æque ac pueri, impigre alicui honestæ occupationi vacare debent; etiam quando quiete indigent, otiositatem vitent, et aliquâ utili recreatione, ludis, physico exercitio, aliisque modis mentem suam occupent[1].

64. (B) *Gula* etiam, utpote luxuriæ genitrix, omnino moderanda est; abundanti enim carnium ac vini usu, frequentibus atque lautis conviviis et comessationibus exardescit concupiscentia : multi manent casti, quamdiu sobrii; statim vero ac conviviis indulgent, præsertimque vino et alcoolicis liquoribus, in vitia carnis misere prolabuntur. Revera sensualitas et voluptas affines sunt; præterea ex copioso cibo potuque mens deprimitur et de carnalibus cogitare incipit; mox concupiscentia exardescit, genitalia excitantur, et venerea delectatio ardenter quæritur. Quare ait *S. Paulus*[2] : " Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. " — De mediis autem gulam et ebrietatem superandi, supra dictum est, nn. 540, 552.

65. (C) Fugiendi sunt pariter *vani* et *illiciti amores*, qui ad castum matrimonium non tendunt.

Amor castus, qui ad honestum conjugium ordinatur, minime prohibetur, dummodo intra limites pudicitiæ sistat; sæpe quidem jungitur amori carnali, qui valde periculosus est; ideoque futuri sponsi curare debent ne, libidine victi, longius hâc in re procedant, ut dictum est in *Tr. de Matrimonio*, n. 162. Imo, cum matrimonium, præcipue ad prolis creationem institutum, sit etiam concupiscentiæ remedium, castus amor fovendus est inter nubiles personas, tempore quo serio nubere volunt ac possunt. Sed, ubi nulla est spes legitimi matrimonii, sedulo vitari debet amor *carnalis*, qui ad nihil aliud tendit quam ad copulam. Quidam decipiuntur,

[1] De puellis, quæ otiosæ manent, scribit *Payot*, Education de la volonté, p. 198 : " Chose plus grave, l'oisiveté absolue où elles passent les années qui suivent la sortie de pension, la nourriture excellente qu'elles reçoivent, l'absence de toute fatigue, les soirées excitantes où on les mène, l'opéra, la lecture des romans sentimentaux qu'on leur permet et que leur servent les journaux de modes ou de demoiselles, cet ensemble de causes font que leur imagination ne peut pas ne pas être pervertie. On ignore combien sont terribles les souffrances cachées des jeunes filles oisives. "

[2] *Ephes.*, V, 18.

putantes nihil esse mali in tenero amore erga personas diversi sexûs. De his amicitiis scribit *S. Franciscus*[1]: "Omnes hæ amicitiæ malæ sunt, fatuæ et vanæ: *malæ* quidem, eo quod tandem in peccatum carnale desinunt, amoremque Deo, uxori, aut marito debitum surripiunt; *fatuæ*, quia nullo solido fundamento aut ratione nituntur; *vanæ* denique, quia nullum ex eis commodum, honor aut vera delectatio sequitur. E contra insignem temporis jacturam causant, et honori maculam afferunt." Hujusmodi amores causa sunt innumerorum fere peccatorum, quia mentem impuris cogitationibus ac desideriis replent. Sæpe etiam in turpem concubinatum desinunt, præsertim in civitatibus, tum apud opifices, tum apud adolescentes qui in Universitatibus student[2]. Haud raro parentes etiam christiani tacite approbant aut facile tolerant hanc agendi rationem, et matres non dubitant impuris viris tradere innocentes puellas. Isti mores sunt vere pagani, et nisi catholici, eos non solum verbis, sed exemplis reprobent atque immutare conentur, tandem aliquando suorum peccatorum pœnas luent.

66. Aliquando etiam inter personas ejusdem sexûs formantur amicitiæ vere *sensuales*, quæ periculis plenæ sunt. Amicitia vera et supernaturalis, quâ quosdam præ aliis diligimus, ut eis benefaciamus et ab eis juvamen accipiamus, sane legitima est; sed quando sensualis est, sensualesque amplexus quærit, mentem vanis cogitationibus præoccupat, pravosque motus excitat, facile carnalis evadit et mox ad libidinem tendit: hæc igitur sedulo fugienda est. Notari pariter debet ab amore spirituali facilem esse transgressum ad amorem sensualem, posteaque carnalem, præsertim inter personas diversi sexûs.

Aliæ sunt occasiones vitandæ, quales sunt lectiones turpes, collo-

[1] *S. François de Sales*, Introd., P. III, c. 18.

[2] Miserum statum adolescentium qui *amasiis* se tradunt describit *Payot*, op. cit., p. 217-220; naturalia pariter suggerit media ad vitandos istos amores, p. 215: "Il faut éviter la lecture des romans, et surtout des livres ou des journaux graveleux. Il est telle page de Diderot qui équivaut à l'absorption d'une substance violemment aphrodisiaque. Il faut éviter la vue des gravures obscènes plus dangereuses encore pour le calme de l'esprit que les descriptions. Il faut éviter la société de camarades libidineux; il faut prévoir les occasions jusque dans les menus détails, ne jamais se laisser surprendre par la tentation. Au début elle est une simple pensée encore sans force qui s'insinue. Si à ce moment on est en éveil, rien de plus aisé que de chasser l'importune. Mais si on laisse les images se préciser, si on prend plaisir à les évoquer et qu'on s'y complaise, il est trop tard. Voilà pourquoi le souverain remède est le travail de l'esprit. Lorsque la pensée est fortement occupée, les timides sollicitations de la passion sont arrêtées, impuissantes, au seuil de la conscience." Quibus tamen jungenda sunt media supernaturalia infra exposita.

quia prava, spectacula, choreæ minus honestæ : sed de his jam supra dictum est.

67. 3° **Carnis et sensuum mortificatio.** (A) Cum enim caro adversus spiritum concupiscat, necesse est eam domare, ut secundum spiritum vivamus. Id sane præstabat Apostolus[1] : " Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. "

Optimum sane medium carnem domandi est assidue *laborare* aut *studere*, secundum cujusque conditionem : sicut enim equus indomitus et freni impatiens multo mitior evadit corporeâ defatigatione, ita pariter de corpore nostro. Labori addi possunt frequentes deambulationes, pro iis præsertim qui studio addicti sunt, necnon frigida balnea brevissima : ita enim fatigatos somnus cito invadit, multæque vitantur tentationes. Lectum durum sit; somnus non capiatur supine, sed in latere dextro; ne protrahatur, ultra horas septem vel octodecim; nemo nisi ægrotans in lecto diu maneat, jam expergefactus. Cibi eligantur leves, minime excitantes, scilicet ova, lac, carnes teneræ et assatæ, legumina. Vinum aquâ temperetur, ceteræque potiones alcoolicæ aut raro aut nunquam sumantur.

Physicæ castigationes, quando prudenter fiunt, juxta confessarii consilium, salutares generatim producunt effectus. Ita alicujus cibi subtractio moderata utilis esse potest, etiam extra jejunia ecclesiastica. *Cilicia* aut parvæ *catenæ ferreæ*, si nec diu nec quotidie gestantur, carnem sensu doloris aliquatenus edomant. Idem dic de *flagellationibus*, dummodo neque femora, neque regio genitalium et lumborum percutiantur : his enim in partibus concupiscentiam facile excitant; insuper non protrahantur ultra quadrantem; nec permittantur personis debilibus, nervosis aut hystericis. — Tandem præ mente semper habeatur optimam omnium flagellationum esse assiduam et fidelem officiorum statûs adimpletionem.

68. (B) Inter *sensus*, speciatim custodiendi sunt *oculi*, *aures*, *manus*, juxta superius dicta (n. 30 sq.), vitando aspicere, audire, tangere non solum quod malum est, sed etiam periculosum, imo aliquoties ab iis quæ licita sunt abstinendo. Ita enim *pudicitia* colitur, castitatis custos; ita paulatim enervatur sensualis voluptatis sensus, a quo facilis est transitus ad venereas delectationes. — Nec prætereundum est sensus *internos*, videlicet *imaginationem* et *memoriam*, esse sæpe causam peccati, menti exhibendo phantasmata et recordationes, quæ tentationes multiplicant, etiam absente

[1] *I Cor.*, IX, 27.

objecto exteriori. Qui igitur perfecte casti manere volunt, inanes hujusmodi imagines statim et strenue repellant, mentem ad alia divertendo. Ita multæ præcaventur carnis impugnationes, ita voluntas in bono firmatur.

69. 4° **Prompta et strenua primis tentationibus resistentia.** His non obstantibus, aliquando graves exsurgunt tentationes; ad quas efficaciter superandas, speciatim applicandæ sunt regulæ superius expositæ de tentationibus in genere, n. 447. *Statim* quidem resistendum est, quia, ob proclivitatem in delectationem veneream, mox augetur tentatio ac periculum eidem consentiendi, nisi cito repellatur; *strenue* etiam, quia, cum vehemens sit propensio in libidinem, non molli resistentiâ, sed forti, generoso et constanti conatu vinci potest.

Ad hoc autem non sufficiunt media mere negativa, sed *positiva* omnino desiderantur. Hæc autem consistunt in vitâ vere christianâ, seu in ordinatione totius vitæ ad Deum : si enim voluptati et mundo, simulque Deo servire volumus, mox pravæ cogitationes, impuraque desideria mentem invadunt. Si vero soli Deo placere volumus, non solum tempore quo religiosa officia persolvimus, sed etiam dum actionibus in se profanis vacamus, manuum labori, studio, honestis recreationibus, nonnisi paucæ tentationes occurrunt, et hæ facile repelluntur animum ad alia divertendo. Hinc qui labore indigent ad victum sibi comparandum, assidue laborent, non solum ad necessaria sibi aliisque procuranda, sed etiam ad vitam æternam consequendam; divites vero, sive viri sive mulieres, partem sui temporis suarumque opum operibus caritatis ac benevolentiæ socialibus devoveant, juxta superius dicta, n. 817-835; ita enim eorum mens non ad voluptates terrenas et carnales perpetuo tendit, sed ad amorem Dei et proximi; si quæ occurrunt tentationes, facilius superantur; si qui lapsus, benignius remittuntur, " quia caritas operit multitudinem peccatorum "[1].

70. 5° **Frequens sacramentorum receptio**[2]. Præfata media multo efficaciora evadent, si frequenter ac devote recipiuntur sacramenta, præsertim *pœnitentiæ* atque *eucharistiæ*. (a) Quoties enim serio conscientiæ latebras introspicimus, atque spirituali medico candide aperimus non solum peccata externa, sed etiam internas cogitationes plus

[1] *I Petr.*, IV, 8.

[2] De mediis quæ catholica religio suppeditat ad castitatem colendam egregie loquitur *Lacordaire*, Conf. de N. Dame, 22e et 23e.

minusve turpes quæ ad libidinem tendunt, necnon occasiones periculosas quas voluntarie adimus, aut in quibus quâdam necessitate compulsi versamur, — primum quidem majorem horrorem omnium ejusmodi turpitudinum concipimus, deinde consilia opportuna de fugiendis occasionibus, atque mediis tentationes superandi accipimus; et, gratiâ sacramentali accedente, magis strenui efficimur ad illecebras carnis contemnendas.

(b) Nec minus efficax est *sacra communio;* ibi enim caro nostra carne Christi sanctificatur, et, quando ipsum puritatis auctorem frequenter recipimus, nonne pudet ipsa Christi membra luxuriæ tradere? "Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit" [1]. Aliunde nil magis a sensuali amore nos protegit quam castus amor Christi : quando itaque Domino amanter conjungimur in sacramento altaris, fastidiunt utique terrenæ voluptates; et cor nostrum, amore Dei præoccupatum, minus sollicitum est de illicitis amoribus.

His igitur Pauli verbis attendant Christiani" [2] : "Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione. Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum."

Lex *civilis* in variis regionibus quædam ex delictis contra bonos mores pœnis plectit, præsertim quando sunt publica, aut vi perpetrata, vel contra justitiam. Ex codice pœnali *gallico* sequentes articulos excerpsimus : —

Art. 330. (*L. 13 mai 1863.*) Toute personne qui aura commis un outrage public à la pudeur sera punie d'un emprisonnement de trois mois à deux ans, et d'une amende de 16 francs à 200 francs [3].

---

[1] *I Cor.*, VI, 15. — [2] *I Thess.*, IV, 3-5.

[3] Pour que l'outrage à la pudeur soit censé public, il suffit qu'il ait été ou qu'il ait pu être aperçu, qu'il ait été commis soit dans un lieu ouvert, soit en un lieu privé en présence d'un témoin. — Cet article a été complété par la loi du 16 mars 1898 : "Sera puni d'un emprisonnement d'un mois à deux ans et d'une amende de 100 à 5000 francs quiconque aura commis le délit d'outrage aux bonnes mœurs : — par

331. (*L. 13 mai 1863.*) Tout attentat à la pudeur consommé ou tenté sans violence sur la personne d'un enfant de l'un ou de l'autre sexe, âgé de moins de treize ans, sera puni de la réclusion.

Sera puni de la même peine l'attentat à la pudeur commis par tout ascendant sur la personne d'un mineur, même âgé de plus de treize ans, mais non émancipé par mariage [1].

332. Quiconque aura commis le crime de viol sera puni des travaux forcés à temps.

Si le crime a été commis sur la personne d'un enfant au-dessous de l'âge de quinze ans accomplis, le coupable subira le *maximum* de la peine des travaux forcés à temps.

Quiconque aura commis un attentat à la pudeur, consommé ou tenté avec violence contre des individus de l'un ou de l'autre sexe, sera puni de la réclusion.

Si le crime a été commis sur la personne d'un enfant au-dessous de l'âge de quinze ans accomplis, le coupable subira la peine des travaux forcés à temps.

333. (*L. 13 mai 1863.*) Si les coupables sont les ascendants de la personne sur laquelle a été commis l'attentat, s'ils sont de la classe de ceux qui ont autorité sur elle, s'ils sont ses instituteurs ou ses serviteurs à gages, ou serviteurs à gages des personnes ci-dessus désignées, s'ils sont fonctionnaires ou ministres d'un culte, ou si le coupable, quel qu'il soit, a été aidé dans son crime par une ou plusieurs personnes, la peine sera celle des travaux forcés à temps, dans le cas prévu par le paragraphe 1er de l'article 331, et des travaux forcés à perpétuité, dans les cas prévus par l'article précédent [2].

---

la vente ou la mise en vente, l'offre, l'exposition, l'affichage ou la distribution, sur la voie publique ou dans les lieux publics, d'écrits, d'imprimés autres que le livre, d'affiches, dessins, gravures, peintures, emblèmes, objets ou images obscènes, ou contraires aux bonnes mœurs; — par la vente ou l'offre, même non publique, à un mineur, des mêmes écrits, imprimés, affiches, etc.; — par leur distribution à domicile, par leur remise sous bande et sous enveloppe non fermée à la porte..., par des chants non autorisés proférés publiquement, par des annonces ou correspondances publiques contraires aux bonnes mœurs ".

[1] La tentative prévue par l'article 331 a un caractère propre et n'est pas soumise à la règle générale de l'article 2 du Code pénal; l'attentat est commis dès qu'il a été tenté. Il n'est donc pas nécessaire d'établir, comme dans les cas ordinaires, que la tentative n'a manqué son effet que par une circonstance indépendante de la volonté de son auteur. — Cass., 4 août 1853.

[2] La désignation faite par cet article de certaines personnes auxquelles leur qualité imprime le caractère d'autorité, n'est qu'énonciative et n'exclut pas l'application de la loi aux faits spéciaux et non prévus desquels peut résulter l'autorité. — Cass., 9 août 1867. — L'article 333

334. Quiconque aura attenté aux mœurs, en excitant, favorisant ou facilitant habituellement la débauche ou la corruption de la jeunesse de l'un ou de l'autre sexe au-dessous de l'âge de vingt et un ans, sera puni d'un emprisonnement de six mois à deux ans, et d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs.

Si la prostitution ou la corruption a été excitée, favorisée ou facilitée par leurs père, mère, tuteur ou autres personnes chargées de leur surveillance, la peine sera de deux ans à cinq ans d'emprisonnement, et de trois cents à mille francs d'amende[1].

335. Les coupables du délit mentionné au précédent article seront interdits de toute tutelle ou curatelle, et de toute participation aux conseils de famille; savoir, les individus auxquels s'applique le premier paragraphe de cet article, pendant deux ans au moins et cinq ans au plus, et ceux dont il est parlé au second paragraphe, pendant dix ans au moins et vingt ans au plus.

Si le délit a été commis par le père ou la mère, le coupable sera de plus privé des droits et avantages à lui accordés sur la personne et les biens de l'enfant par le Code civil, livre Ier, titre IX, *de la Puissance paternelle.*

Dans tous les cas, les coupables pourront de plus être mis, par l'arrêt ou le jugement, sous la surveillance de la haute police, en observant, pour la durée de la surveillance, ce qui vient d'être établi pour la durée de l'interdiction mentionnée au présent article.

336. L'adultère de la femme ne pourra être dénoncé que par le mari; cette faculté même cessera, s'il est dans le cas prévu par l'article 339[2].

---

s'étend à ceux qui ont autorité sur la victime, sans distinguer entre l'autorité permanente et l'autorité discontinue. — Cass., 27 août 1857.

[1] L'article 334 est inapplicable à celui qui, en excitant des mineurs à la débauche, n'a d'autre but que de satisfaire ses propres passions, sans se rendre agent intermédiaire de corruption. — Cass., *Ch. réun.* 24 mars 1853; 1er mai 1854; 15 mars 1860; 21 août 1863. — Bien que l'article 334 doive être entendu en ce sens qu'il n'atteint que celui qui s'est employé comme agent intermédiaire de corruption dans l'intérêt des passions d'autrui, il n'y en a pas moins complicité de ce délit de la part de celui qui, pour satisfaire son propre libertinage, a, par l'un des moyens énoncés en l'article 60, provoqué l'intervention du proxénétisme. — Cass., 10 nov. 1860. — Et il n'est pas nécessaire, pour que la complicité existe en pareil cas, que la provocation dont il s'agit ait été habituelle : l'habitude, qui forme l'un des éléments du délit d'excitation à la débauche, n'étant pas exigée pour constituer la complicité dans les termes de l'article 60.

[2] Le ministère public ne peut poursuivre le délit d'adultère que sur la plainte du mari, et celui-ci peut charger un tiers, par pouvoir spécial, de dénoncer l'adultère en son nom et suivre l'action. — Cass., 23 nov. 1855.

337. La femme convaincue d'adultère subira la peine de l'emprisonnement pendant trois mois au moins et deux ans au plus.

Le mari restera le maître d'arrêter l'effet de cette condamnation, en consentant de reprendre sa femme.

338. Le complice de la femme adultère sera puni de l'emprisonnement pendant le même espace de temps, et, en outre, d'une amende de cent francs à deux mille francs.

Les seules preuves qui pourront être admises contre le prévenu de complicité seront, outre le flagrant délit, celles résultant de lettres ou autres pièces écrites par le prévenu.

339. Le mari qui aura entretenu une concubine dans la maison conjugale, et qui aura été convaincu sur la plainte de la femme, sera puni d'une amende de cent francs à deux mille francs.

Le Code pénal *belge* contient des dispositions analogues, art. 372-391, et de plus des peines contre l'enlèvement des mineurs, surtout des filles au-dessous de l'âge de seize ans accomplis (368-371).

Un arrangement *international* a été conclu à Paris, le 18 mai 1904, entre la France, l'Allemagne, la Belgique, le Danemark, l'Espagne, la Grande-Bretagne, l'Italie, les Pays-Bas, le Portugal, la Russie, la Suède et la Norvège et la Suisse, en vue d'assurer une protection efficace contre " *la traite des blanches* " c'est-à-dire contre l'embauchage des femmes et filles en vue de la débauche à l'étranger, et pour faciliter le rapatriement des victimes de ce honteux trafic. Le texte a été publié par le *Journal Officiel* du 19 février 1905. Cfr. *Questions actuelles*, t. 77, 4 mars 1905, p. 286-287.

Index Rerum.

ART. I. DE INDOLE ET PRÆSTANTIA CASTITATIS 1*
De ipsâ castitate 1*
De virginitate 3*
De præstantiâ castitatis. 4*
ART. II. DE PECCATIS CASTITATI OPPOSITIS 7*
Principia generalia de gravitate luxuriæ. 7*
De peccatis luxuriæ non consummatis. 9*
De peccatis internis 9*
De peccatis externis 12*
De peccatis luxuriæ consummatis 19*
De peccatis secundum naturam 19*
De peccatis contra naturam 23*
Modus de his peccatis interrogandi 29*
ART. III. DE MEDIIS CASTITATEM COLENDI 30*
Casta educatio. 30*
Fuga occasionum . . . . . 3.*
Carnis et sensuum mortificatio 34*
Prompta et strenua resistentia. 35*
Sacramentorum receptio. 35*
Leges civiles gallicæ de peccatis luxuriæ 36*

Imprimé par la Société S. Jean l'Évangéliste. DESCLÉE ET CIE. — Tournai (Belgique).

MADE IN BELGIUM.



Lis v. 2
6601

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
6601.